ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES II
(PRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

ACTA PONTIFICIAE COMMISSIONIS CENTRALIS PRAEPARATORIAE CONCILII OECUMENICI VATICANI II

PARS II

SESSIO TERTIA: 15–23 IANUARII 1962
SESSIO QUARTA: 19–27 FEBRUARII 1962

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMLXVII

SESSIO TERTIA

DOCUMENTA SESSIONIS TERTIAE

LITTERAE EXC.MI P. D. SECRETARII GENERALIS

I

Die VI mensis decembris 1961 omnibus Sodalibus Pontificiae Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Vaticani II « Notificatio » et « Calendarium Sessionum anno Domini MCMLXII » una cum fasciculis schematum mittuntur. (Prot. N. 705-830 Centr./61).

NOTIFICATIO

A die 15 ad diem 23 mensis ianuarii a. 1962 (excepta Dominica), h. 9,30, in Aedibus Vaticanis (Sala delle Congregazioni) habebuntur coetus plenarii Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Vaticani II, quibus praeerit SS. D. N. IOANNES PAPA XXIII.

Disceptatio fiet iuxta normas a Sanctissimo Domino statutas.

Omnes, qui coetibus intererunt, habitu piano induentur.

Ceterae Commissionis Centralis sessiones habebuntur diebus et mensibus in adnexo Calendario indicatis.

De mandato SS. D. N. Ioannis Papae XXIII, Commissionis Centralis Praesidis.

✠ PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Secretarius

Romae, die 1 decembris 1961.

CALENDARIUM SESSIONUM

ANNO DOMINI MCMLXII

MENSE IANUARIO	MENSE FEBRUARIO	MENSE MARTIO - APRILI
15 feria II	19 feria II	26 feria II
16 feria III	20 feria III	27 feria III
17 feria IV	21 feria IV	28 feria IV
18 feria V	22 feria V	29 feria V
19 feria VI	23 feria VI	30 feria VI
20 sabbato	24 sabbato	31 sabbato
22 feria II	26 feria II	2 apr. feria II
23 feria III	27 feria III	3 apr. feria III

MENSE MAIO	MENSE IUNIO
3 feria V	11 feria II
4 feria VI	12 feria III
5 sabbato	13 feria IV
7 feria II	14 feria V
8 feria III	15 feria VI
9 feria IV	16 sabbato
10 feria V	18 feria II
11 feria VI	19 feria III
12 sabbato	

II

Die IV mensis ianuarii 1962 omnibus Sodalibus « Ordo quaestionum » de quibus disceptabitur in sessione eodem mense habenda mittitur. (Prot. N. 1093 Centr./62).

ORDO QUAESTIONUM

DE QUIBUS DISCEPTABITUR

IN SESSIONE MENSIS IANUARII 1962

I. *Quaestiones theologicae*

De ordine morali (Card. OTTAVIANI)

II. *Quaestiones de disciplina Sacramentorum*

1. De sacramento Confirmationis (Card. ALOISI MASELLA)
2. De sacramento Poenitentiae (Card. ALOISI MASELLA)
3. De sacramento Ordinis (Card. ALOISI MASELLA)

III. *Quaestiones de Ecclesiis Orientalibus*

1. De Ecclesiae sacramentis (Card. H. I. CICOGNANI)
2. De ritibus in Ecclesia (Card. H. I. CICOGNANI)
3. De Patriarchis Orientalibus (Card. H. I. CICOGNANI)
4. De communicatione in sacris (Card. H. I. CICOGNANI)
5. De usu linguarum vernacularum in liturgiis (Card. H. I. CICOGNANI)

VI. *Quaestiones theologicae*

De deposito fidei pure custodiendo (Card. OTTAVIANI)

✠ PERICLES FELICI
Secretarius Generalis

ACTA SESSIONIS TERTIAE

1 - PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM

I

Die 15 ianuarii 1962, hora 9, Secretarius Generalis, Exc.mus Pericles Felici, Archiepiscopus tit. Samosatensis, una cum Officialibus Secretariae Commissionis Centralis, se confert in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum et invigilat ut omnia parata sint.

Hora 9,30 in aulam conveniunt Membra et Consiliarii Commissionis Centralis. Omnes induunt habitum pianum.

Adsunt 57 Membra et 18 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 35 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Micara, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, Döpfner, Marella, Testa, Muench, Meyer, Traglia, Alfrink, Ottaviani, Di Jorio, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: B.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

2 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi Carpino, Samoré, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest etiam Rev.mus P. Sebastianus Tromp S. I., Secretarius Commissionis Theologicae.

Praeest Card. Eugenius Tisserant, Decanus S. Collegii, qui orationem legit « Adsumus », deinde Patres alloquitur: « Cum tertiam Sessionem Commissionis Centralis incipimus, per octo dies duraturam, animadvertendum est quod schemata decem nobis proponuntur ex sexaginta quae sunt distributa.

Unusquisque Patrum quidquid voluerit dicere potest sed in nomine caritatis, rogantur omnes ut breviter loquantur et non diffuse, voce plena et distincta. Qui in disceptationibus partem habere optabunt nomen dent, si fieri potest, ante coetus initium.

Antequam Em.mus Relator De Ordine Morali dicat, Exc.mus ac Rev.mus Archiepiscopus a Secretis quaedam referet de labore post Sessionem secundam absoluto ».

Tunc Secretarius Generalis monitum legit: « Officio nobis gratissimo est communicare cum Em.mis et Exc.mis Sodalibus et Consiliariis Commissionis Centralis ea quae per Subcommissiones nostras et Secretariam Generalem a novissimis coetibus facta sunt.

In sessione mensis iunii superioris anni plures quaestiones examinatae sunt de Concilio celebrando. Porro vota data a Sodalibus in synopsim redacta, examini subiciuntur, de mandato Summi Pontificis, a Subcommissione de Normis condendis pro celebratione Concilii. Haec Subcommissio iam quattuor coetus habuit et sapiens dedit votum, quod Summus Pontifex adoptavit, de personis ad Concilium convocandis.

In sessione mensis novembris elapsi primo examinata est quaestio de non-catholicis ad Concilium invitandis. Etiam de votis circa hanc rem prolatis facta est sylloges, quae tradita est tum Commissioni de Ecclesiis Orientalibus, tum Secretariatui ad christianorum unitatem fovendam; ut, re magis investigata, iuxta vota Sodalium, normas proponerent iudicio Summi Pontificis subiciendas.

Omnes aliae quaestiones in sessione mensis novembris examinatae praeter unam, scilicet de habitu ecclesiastico et tonsura, cuius inopportunitas quoad Concilium a maiore parte Sodalium agnita est: omnes, uti dicebamus, a Sodalibus probatae sunt, licet plures emendationes propositae sint. Hae porro emendationes a competenti Subcommissione expensae sunt atque communicatae Commissionibus praeparatoriis, a quibus schemata proposita fuerant. Commissiones materiis iterum studuerunt suique studii fructus Subcommissioni Nostrae detulerunt, quae, iuxta munus sibi a Romano Pontifice commissum, de emendandis schematibus hisce diebus decernet.

Denique Commissio technico-organizativa iam schemata apparavit de Basilica Vaticana sessionibus Concilii aptanda: exquisivit pariter quaenam habitationes Urbs Roma ad recipiendos Patres Concilii haberet. In sessione, habenda proxima feria IV, Commissio deliberabit quae ad exsequendum necessaria et utilia videbuntur.

Post publicatam Constitutionem Apostolicam *Humanae salutis,* qua Concilium indicitur, ut fieret satis desideriis Summi Pontificis, statutum est mitti ad singulos Patres Concilii elegans exemplar typis im-

pressum eiusdem Constitutionis: quod sub his diebus cum sollicitudine fiet.

Antequam incipiat discussio de primo schemate proposito, notum facio omnibus quod aliqua immutatio facta est in ordine quaestionum tractandarum. Em.mus Praeses Commissionis de Ecclesiis Orientalibus maluit ut quaestio de Sacramentis pro Ecclesia Orientali tractaretur post alias quaestiones de Ecclesia Orientali. Itaque ordo de quaestionibus de Ecclesiis Orientalibus hic erit:

1) De ritibus in Ecclesia.
2) De Patriarchis Orientalibus.
3) De communicatione in sacris.
4) De usu linguarum vernacularum in Liturgiis, denique
5) De Ecclesiae Sacramentis.

Alia immutata remanent ».

Hora 9,40 Card. Ottaviani incipit relatio « de Ordine Morali ». Deinde Secretarius Commissionis Theologicae, P. Tromp S. I., de mandato Card. Ottaviani, expositionem legit de redactione schematis.

Hora 10 incipit disceptatio et loquuntur ex ordine Em.mi Cardinales Liénart, Frings, Döpfner, Richaud, Alfrink, Larraona et Rev.mus P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 11,05 coetus interrumpitur per quartam horae partem.

Hora 11,20 coetus resumitur et antequam suffragia colligantur, Exc.mus Secretarius Generalis coetum sic alloquitur: « Rogantur omnes qui adsunt Em.mi Patres Cardinales ut subscribant Apostolicae Constitutioni " Humanae salutis " qua Ioannes XXIII Summus Pontifex Concilium Oecumenicum Vaticanum II indixit. Quapropter Regens Cancellariae Apostolicae, qui praesens hic adest, Em.mos Patres Cardinales alloquetur, ut cum iis conveniat de die et de hora ad subscriptionem in suo cuiusque domicilio faciendam ». Deinde Em.mus Praeses coetui finem imponit.

II

Die 16 ianuarii 1962, hora 9,30 Membra et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 57 Membra et 16 Consiliarii, nempe:

A) MEMBRA: 34 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Micara, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, Döpf-

ner, Marella, Muench, Meyer, Traglia, Alfrink, Ottaviani, Di Jorio, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

3 Patriarchae: B.mi Maximus IV Saigh, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

2 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi Carpino, Staffa, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev.mus P. Bidagor S. I., Secretarius Commissionis de disciplina Sacramentorum.

Praeses, Card. Tisserant, orationem legit « Adsumus » et deinde rogat Card. Aloisi Masella ut referat « de sacramento Confirmationis ».

Hora 9,40 incipit disceptatio. Loquuntur Em.mi Cardinales Ferretto, Ruffini, Siri, Godfrey, Meyer et B.mus Patriarcha Maximus IV, qui lingua utitur gallica. Praeses petit an quis Pater translationem in latinam linguam desideret; nemo illam requirit. Tandem loquitur Card. Ottaviani.

Hora 10,15 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Post breve temporis intervallum, resumitur coetus hora 11 et Card. Aloisi Masella refert « de sacramento Poenitentiae ».

Hora 11,10 incipit disceptatio. Loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini, Léger et Beat.mus Patriarcha Maximus IV. Tandem loquuntur Em.mi Cardinales Larraona et Ottaviani.

Hora 11,55 vota feruntur.

Hora 12,20 Praeses orationem dicit « Angelus Domini... » et sessioni finem imponit.

III

Die 17 ianuarii 1962, hora 9,30 Commissionis Centralis Membra et Consiliarii in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 57 Membra et 18 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 34 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Cicognani H. I., Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpf-

ner, Marella, Muench, Meyer, Traglia, Alfrink, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

3 Patriarchae: B.mi Maximus IV Saigh, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dihn-Thûc.

2 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) CONSILIARII: Exc.mi da Costa Nunes, Carpino, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adsunt Rev. P. Bidagor S. I., Secretarius Commissionis de disciplina Sacramentorum et Rev. P. Welykyj O. S. B. M., Secretarius Commissionis de Ecclesiis Orientalibus.

Praeses, Card. Tisserant, orationem dicit « Adsumus ». Deinde ad orandum invitat pro animabus 18 Missionariorum qui occisi sunt in Congo et « de profundis » recitat. Card. Aloisi Masella relationem facit « de sacramento Ordinis ».

Hora 9,45 incipit disceptatio. Loquuntur Em.mi Cardinales Frings, Ruffini, Siri, Richaud, Döpfner, Alfrink, Larraona, Jullien, B.mus Maximus IV Saigh et Exc.mus Lefebvre.

Hora 10,55 coetus suspenditur per quartam horae partem.

Hora 11,10 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 11,40 Em.mus Card. Hamletus Cicognani refert « de Ritibus in Ecclesia », schemate proposito a Commissione de Ecclesiis Orientalibus. Relatione peracta, hora 11,55 incipit disceptatio. Loquuntur Em.mi Cardinales Tisserant, Ruffini, Larraona, B.mus Maximus IV Saigh et Rev.mus P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 12,20 Praeses sessioni finem imponit.

IV

Die 18 ianuarii 1962, hora 9,30 Membra et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 57 Membra et 16 Consiliarii, nempe:

A) MEMBRA: 33 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Micara, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Léger,

Montini, Cento, Cicognani H. I., Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Marella, Muench, Meyer, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

3 Patriarchae: B.mi Maximus IV Saigh, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

3 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Jelmini, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi da Costa Nunes, Staffa, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev.mus P. Welykyj O. S. B. M., Secretarius Commissionis de Ecclesiis Orientalibus.

Praeses, Card. Tisserant, orationem dicit « Adsumus », qua peracta colliguntur vota de priori schemate, scilicet « De Ritibus in Ecclesia » proposito a Commissione de Ecclesiis Orientalibus.

Hora 10,05 incipit relatio Card. Hamleti Cicognani « De Patriarchis Orientalibus ». In disceptatione loquuntur Em.mi Cardinales Tisserant, Ferretto, Tappouni, Frings, Ruffini, Siri, Confalonieri, Ottaviani, B.mi Maximus IV Saigh et Gori necnon Exc.mus Yago.

Hora 11,20 coetus suspenditur per breve intervallum.

Hora 11,40 sessio resumitur et omnes Patres, ex ordine, vota sua proferunt.

Hora 12,10 Praeses « Angelus Domini » recitat et finem sessioni imponit.

V

Die 19 ianuarii 1962, hora 9,30 Membra et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 59 Membra et 16 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 35 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Micara, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Cicognani H. I., Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Muench, Meyer, Alfrink, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

3 Patriarchae: Beat.mi Saigh Maximus IV, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

3 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Jelmini, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi da Costa Nunes, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev. P. Welykyj, O.S.B.M., Secretarius Commissionis de Ecclesiis Orientalibus.

Post orationem « Adsumus » a Praeside Card. Tisserant dictam, omnibus Sodalibus distribuitur fasciculus « Elementa declaratoria schematis: De Communicatione in sacris cum Christianis Orientalibus non catholicis ».

Praeses rogat Card. Hamletum Cicognani ut referat « de communicatione in sacris ». Relatione peracta, incipit disceptatio et animadversiones proponuntur ab Em.mis Card. Ruffini et König, a Beat.mo Patriarcha Maximo IV et a Rev.mo P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 10 omnia Membra ex ordine vota proferunt.

Hora 10,30 Card. Hamletus Cicognani incipit secundam relationem « de usu linguarum vernacularum in Liturgiis ».

Hora 10,40 fit disceptatio. Loquuntur Card. Ruffini et Jullien, Beat.mus Patriarcha Maximus IV et Rev.mus P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 10,50 vota colliguntur.

Post breve intervallum, Card. Hamletus Cicognani, hora 11,20, tertiam relationem exponit « de Ecclesiae Sacramentis ». In disceptatione loquuntur Card. Ruffini et Larraona, et Beat.mus Patriarcha Maximus IV.

Hora 12 dantur vota et hora 12,20 Em.mus Moderator orationem « Angelus Domini » dicit, qua finis sessioni imponitur.

VI

Die 20 ianuarii 1962, hora 9,30, Commissionis Centralis Membra et Consiliarii in aulam Congregationum apud Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 58 Membra et 15 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 34 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGui-

gan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Muench, Meyer, Alfrink, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

3 Patriarchae: B.mi Maximus IV Saigh, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

3 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Jelmini, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev.mus P. Tromp, S. I., Secretarius Commissionis Theologicae.

Praeses, Card. Tisserant, orationem « Adsumus » dicit et rogat Card. Ottaviani ut referat « de deposito fidei pure custodiendo »: prooemium et cap. I: « de veritate ». Post brevem expositionem, Card. Ottaviani rogat Secretarium Generalem, Exc.mum Periclem Felici, ut legat relationem ab ipso redactam, ne suos oculos nimis defatiget.

Hora 9,40 incipit disceptatio. Loquuntur Card. Liénart, Frings, Ruffini, Döpfner, König, Alfrink et P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 10,25 Card. Ottaviani respondit quibusdam animadversionibus a Patribus factis, et hora 10,35 vota colliguntur.

Post breve intervallum coetus resumitur et Card. Ottaviani relationem facit « de deposito fidei pure custodiendo », capita II et III: « de Deo et Creatione ». Denuo Secretarium Generalem rogat ut expositionem schematis ab ipso paratam Commissioni legat; qua lectione peracta, hora 11,35 incipit disceptatio. Loquuntur Card. Ruffini, Léger, Döpfner et Rev.mus P. Browne. Tandem Card. Ottaviani quaedam adnotat.

Hora 12,05 Membra ex ordine vota sua proferre incipiunt.

Hora 12,30 oratione « Angelus Domini » dicta, Praeses congregationi finem imponit.

VII

Die 22 ianuarii 1962, hora 9,30 Commissionis Centralis Membra et Consiliarii in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 57 Membra et 16 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 34 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Meyer, Traglia, Alfrink, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: B.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

3 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Jelmini, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi da Costa Nunes, Carpino, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Dante, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev.mus P. Tromp S. I., Secretarius Commissionis Theologicae. Conventui praeest Card. Tisserant, qui orationem « Adsumus » dicit, deinde rogat Card. Ottaviani ut referat « de Revelatione et de progressu doctrinae ». Secretarius Generalis, Exc.mus Pericles Felici, relationem legit.

Hora 9,45 incipit disceptatio; loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini et Léger, Exc.mus Silva Santiago et P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 10,10 Membra, ex ordine, vota sua proferunt.

Hora 10,35 Card. Ottaviani refert « de ordine naturali et supernaturali, de spiritismo et novissimis ».

Exc.mus Secretarius Generalis relationem legit; deinde incipit disceptatio. Loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini, Léger, Richaud, Döpfner et P. Browne, Magister Generalis O. P.

Post breve intervallum, coetus resumitur hora 11,15 et Card. Ottaviani quasdam explicationes affert, deinde rogat Exc.mum Secretarium Generalem ut relationem legat « de peccato originali et de monogenismo ».

Hora 12 incipit disceptatio et ex ordine loquuntur Em.mi Cardinales Liénart, Ruffini, Döpfner, P. Browne, Mag. Gen. O. P. et Exc.mus Perrin.

Post brevem explicationem Card. Ottaviani, hora 12,25 Membra ex ordine vota sua proferunt et Card. Tisserant, oratione « Angelus Domini » recitata, sessioni finem imponit.

VIII

Die 23 ianuarii 1962, hora 9,30 Commissionis Centralis Membra et Consiliarii in aulam Congregationum apud Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 60 Membra et 19 Consiliarii, nempe:

A) Membra: 36 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Micara, Pizzardo, Aloisi Masella, Cicognani C., Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, McGuigan, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Testa, Meyer, Traglia, Alfrink, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard.

3 Patriarchae: B.mi Maximus IV Saigh, Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Beras, Lefebvre, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Ngô-dinh-Thûc.

3 Episcopi: Exc.mi Verwimp, Jelmini, Suhr.

4 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski, Janssens.

B) Consiliarii: Exc.mi da Costa Nunes, Carpino, Samorè, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Albareda, Salmon.

Adest Rev.mus P. Tromp S. I., Secretarius Commissionis Theologicae. Conventui praeest Card. Tisserant, qui orationem « Adsumus » dicit, deinde rogat Card. Ottaviani ut referat « de sorte infantium absque baptismo decedendium ». Exc.mus Secretarius Generalis, Pericles Felici, relationem legit.

Hora 9,45 incipit disceptatio. Loquuntur ex ordine Em.mi Cardinales Frings, Ruffini, König, Döpfner, Alfrink et B.mus Patriarcha Maximus IV.

Hora 10,05 Membra ex ordine vota sua proferunt. Postea loquitur Rev.mus D. Camagni, Consiliarius.

Hora 10,30 coetus suspenditur per quartam horae partem.

Hora 10,45 Card. Ottaviani refert « De satisfactione Christi ». Exc.mus Pericles Felici relationem legit.

Hora 10,55 incipit disceptatio et loquuntur Exc.mus Lefebvre et Rev.mus P. Browne.

Hora 11,05 vota colliguntur; suffragatione peracta, Em.mus Praeses, Card. Tisserant, enuntiat IV Sessionem haberi die 19 mensis februarii.

Hora 11,25 ingreditur Aulam Summus Pontifex, Ioannes XXIII; illum comitatur Secretarius Generalis, Exc.mus Pericles Felici, et Rev.mus D. Loris Capovilla, Secretarius privatus eiusdem Summi Pontificis.

Summus Pontifex congregatos alloquitur. Illos laeto animo salutat, omnibus gratulatur et gratias Deo reddit de laboribus hucusque peractis, caelestia auxilia precatur et horum pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertit.

Oratione « Angelus Domini... » dicta, Summus Pontifex congregationibus mensis ianuarii finem imponit.

2 - ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS IOANNIS XXIII DIE 23 IANUARII 1962 PROLATA

Venerabiles Fratres et dilecti filii,

Iam octo mensium spatio Romam ex omnibus orbis terrarum partibus tertium convenistis, ut labores tam magni utilisque momenti, ad Oecumenicum Concilium apparandum, cum officii conscientia susciperetis.

Oculis Nostris patent, immo, ut rectius dicamus, in animo Nostro, in mente Nostra congesta et disposita sunt omnia, magnifica quidem exurgentia mole, quae in huiusmodi praemoliendum opus catholici orbis ex Oriente et Occidente Antistites, Nostra Romana Curia, studiorum Universitates, atque e clero laicorumque coetu clari spectatique viri ex universis nationibus contulerunt. Omnium horum una consensione congruerunt nisus, cum eximius fidei caritatisque spiritus adflaret communi operae, ut gravis ponderis eventum apte praepararetur.

Postremis hisce diebus, cum uno vel altero vestrum familiari usi colloquio, probe ac plane animadvertimus, quantum hactenus peractum esset, ea ratione, ut multiplicia et varia undecumque profecta ad felicem compositionem deducerentur.

Hac de re vobis, venerabiles Fratres et dilecti filii, gratias agimus, non sine laudibus, quas ipsi non exquiritis, neque Nos iteramus. Saepenumero enim in privatis colloquiis et in publicis sermonibus ex ore Nostro defluunt verba, quibus summo honore navitatem vestram prosequimur.

Commoto cum animi affectu, qui e recto exemplo sumebat solacium, nuper homiliam legimus sancti Ioannis Chrysostomi, quae incipit verbis: *Moyses, magnus ille famulus ...*

Utique Nobis aptare cupimus eius dulcissima verba, quae, felici huic temporis momento congruentia, Nostrum vividum exprimunt sensum: « Si enim mea unius viri praesentia tantam plebem tali replevit voluptate, quantum putatis mihi ex visione vestra gaudium cumulatum. Et Iacob quidem unum filium videns Ioseph gaudebat senex et recreabatur spiritu, ego autem non unum Ioseph, sed omnes vos similes illi video ... Ego servus sum vestrae caritatis ».[1]

---

[1] A. Wenger, *L'homélie de Saint Jean Chrysostome « A son retour d'Asie »* in *Mélanges Raymond Janin, Institut Français d'Etudes Byzantines,* Paris, 1961, n. 7, 9, p. 117.

In illius orationis contextu duo praelucent verba: *gaudium et servitium*. Gaudium quod e fraterna animorum consensione oritur, pergravia quoque incepta facilia reddit; servitium sane, quod Ecclesiae Sanctae exhibemus, veri nominis illud affert gaudium quod unum habetur in terris, ac semper integrum incorruptumque permanet. Quam ob rem, hic Sacri Psaltae verba iterare iuvat: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! ».[2] Huiusmodi vero laetitia effusior fit, cum conscii sumus nos officio nostro omni cum sedulitate functos esse, atque in commissi muneris partibus explendis alacrem generosamque navasse operam. Quam ob rem periucundum est verba Constantinopolitani illius Patriarchae iterum Nobis aptare: « Ego servus sum caritatis vestrae ». Iesu Christi Vicarius pergrati animi officio se obstrictum esse sentit erga eos, quorum adiutrice utitur opera, itemque erga omnes dilectos filios, qui religiosas Eius curas et sollicitudines, ad Concilium spectantes, penitus intellexerunt. Id sane suavissimum est vinculum, unum omnium artissime devinciens, siquidem caritatis affectus quodlibet iugum levius reddit. Qua de re gratum vobis pandimus animum, profitentes Nos summopere opera vestra delectatos esse. « Ipsum sanctificantes aërem civitatem fecistis Ecclesiam ... Quia magna laetitia est matri cum exultant filii et grande gaudium pastoris cum exultant agni gregis ... ».[3]

Communis sane laetitia spectabili ex mole oritur peracti laboris: haec ideo sit causa, cur pectoris Nostri gaudia iterum vobis significemus atque confirmemus iisdem S. Chrysostomi verbis: « Vester enim profectus meum gaudium, mea gloriatio, mea corona est ».[4]

Re enim vera in tertio hoc vestro Conventu quaedam summi momenti capita pertractata sunt, quae Ecclesiae doctrinam, morum disciplinam, et apostolatus rationes spectant, quae hodierni temporis necessitatibus congruant. Ingens sane ac perampla fuit praecipuorum negotiorum materies, quam penitus accurateque praeteritis diebus ponderavistis.

Nam, si peracti laboris argumenta vel summatim enumerentur, illico patet eorum magnitudo. Etenim in Pontificia Commissione Theologica, quae dicitur, de morum disciplina deque iis omnibus, quae moralem ordinem respiciunt — gravissimis sane quaestionibus — cogitationes et studia collata sunt. Pontificia Commissio, Sacramentorum disciplinae praeposita, de Confirmatione, de Paenitentia ac de sacris Ordinibus disceptavit; in Pontificia Commissione, Orientalium Ecclesiarum rebus

---

[2] *Ps.* 132, 1.
[3] A. WENGER, *Op. cit.*, nn. 9-10, pp. 117-119.
[4] *Ibid.*, n. 11, p. 119.

consulenti, relatum est de Ecclesiae Sacramentis, de sacris ritibus, de Patriarchis, de communicatione in sacris, ac de lingua vulgari in sacris Liturgiis adhibenda; denique quaestiones theologicae institutae sunt de fidei deposito integre fideliterque custodiendo.

Haec omnia, etsi presse breviterque tantum explicavimus, tamen tranquillam sinunt haberi conscientiam de adhuc peracto labore, siquidem, hac ratione, apta subsidia comparata sunt ad rerum summam conficiendam, qua Concilii Patribus facilior futura reddetur opera.

Rerum omnium, quae perpendenda sunt, ratio diligenter est habenda, atque hucusque ita factum est. Etenim, iure merito affirmandum est singula Oecumenica Concilia initium sumere e communibus optatis, quae meliora usque efficienda respiciunt; haec autem ab Episcopis significantur ac referuntur, qui cleri populique christiani necessitates, expectationes, ac flagrantissima vota una simul colligunt atque interpretantur. Id, inter cetera, plane testantur sedecim volumina, Episcoporum quoque sententias continentia, quae vobis praesto sunt.

Insuper Provincialia Concilia ac dioecesanae Synodi, quorum postremis hisce annis tam auctus est numerus, plurimum conferunt ut rerum experientia et usus accrescat; ex iis enim egregia omne genus incepta et opera laetissime floruerunt, quae rectae animorum moderationi atque utilitati magnopere prosunt.

Quod autem ad volumina commentationes attinet, quae sive sacerdotes sive viri e laicorum ordine in vulgus ediderunt, haec, ut patet, privato tantum nomine et auctoritate pollent. Iam locuples librorum numerus, ad celebrandum Concilium spectantium, in lucem proditus est, ab iis etiam, qui extra Ecclesiae saepta magnum illud praestolantur eventum: qua super re paterno oblectamento animadvertimus, scriptores fere omnes probe compertum habere quid sit Concilium, quid sibi proponat, quo contendat.

Ut autem singulorum opera utilitatem re vera habeant, optandum sane est ut prudentiae ac veritatis studio semper praedita sint — praesertim si scriptores aliqua valeant auctoritate — ne eorum agendi ratio perturbationem ac sollicitudinem pariat.

Ceterum, hac quoque in rerum provincia, Pauli Apostoli adhortationem sequantur omnes, quotquot fideles Ecclesiae filios se esse cupiunt: « perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum... Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis ».[5]

Antequam colloquio huic Nostro finem imponimus, liceat Nobis

---

[5] *2 Cor.* 13, 11. 13.

oblatam opportunitatem, laetissimam sane atque solemnem, nancisci, ut vos iam nunc certiores faciamus de duobus Pontificalibus Documentis mox edendis, quae quidem peculiares ac paternas curas Nostras testentur.

Alterum, quod in lucem quam primum prodibit, proxime ad Concilium spectat, cum ad eius felicem exitum precibus impetrandum omnes totius terrarum orbis sacerdotes invitet. Agitur de epistula ad clerum universum, ut ubique terrarum sacrorum administri veluti uno ore unaque mente, secundum suos cuiusque ritus ac normas, preces Deo admoveant ex munere recitandas; Divinum Officium dicimus, quod psalmis Sacraeque Scripturae locis contextum, instar mirae pulchritudinis poëmatis divinas laudes celebrat, ad perennem Dei opem conciliandam, ad praebendum cotidie spirituale animis pabulum, ad religionis denique spiritus in universa Ecclesia excitandos atque promovendos. Nostra adhortatio eo spectat, ut eximia hac usi precandi forma, vertente hoc anno, omnes cuiusvis dignitatis gradus sacerdotes, cum Vicario Christi animo coniuncti, uberrima a Deo devocent praesidia, ad fortunandos celebrandi Concilii labores.

Alterum Documentum ad linguam Latinam pertinet, ut magis magisque in sacris Seminariis incrementa capiat usus huius linguae, quae Romanae Ecclesiae propria est, et cuius cultum praesertim sacri administri, debita ratione habita consuetudinum et necessitatum rituum alius linguae, religiose servare ac promovere tenentur.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

Dum in eo est ut hodiernus hic coetus dimittatur, perplacet Nobis ipsis S. Ioannis Chrysostomi verbis vestras totiusque Ecclesiae preces implorare, ut Deus Omnipotens proximo magno eventui benigne faveat: « Iste meus thesaurus, hae sunt meae divitiae et ideo vestras orationes requiro. Orationes vestrae murus mihi et munimen sunt ».[6]

Ac non vos solummodo et dilectum sacerdotalem ordinem, sed cunctum etiam christianum populum ad precandum adhortamur: « Noli dicere: ego laicus sum, quomodo potero pro sacerdote orare? Audi Scripturam dicentem: oratio autem fiebat continua ... Tale a vobis munimen exquiro, talem gratiam postulo et Deus gloriae suscipiens orationes vestras det mihi in apertiorem oris mei sermonem, quo possim creditum mihi populum instruere ad salutem per Christum Dominum Nostrum, cum quo est Deo Patri cum Spiritu Sancto honor, gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen ».[7]

---

[6] *l. c.* n. 20, p. 123.

[7] *Ibid.* nn. 21-22, p. 123. — *A.A.S.* 54 (1962), pp. 97-101.

3 - DISCEPTATIO

I

DE ORDINE MORALI

(Prima Congregatio: 15 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 1

DE FUNDAMENTO ORDINIS MORALIS

1. [*De indole obiectiva ordinis moralis*]. S. Concilium memor effati apostolici: « Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra » (*I Thess.* 4, 3),[1] sollemniter profitetur exsistere ordinem moralem, ipsius Dei infinite boni et infinite sancti ordinationem, qua mensuratur honestas vel inhonestas actuum humanorum. Quae ordinatio ab hominibus per cognitionem participata iisdem fit regula et norma sanctitatis, ut testantibus Scripturis sancti sint sicut ipse Deus sanctus est.[2] Hunc ordinem iuvante divina gratia observando, homo suam voluntatem conformat voluntati Dei et participando legem libertatis (cf. *Iac.* 1, 25) non solum fit servus fidelis Dei, sed gaudet quoque libertate filiorum Dei illa, qua solutus a potestate peccati [3] tendere possit in finem suum ultimum, qui in hac oeconomia salutis est ipse Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in patria contemplatione et amore possidendus. Non ergo ordo moralis figmentum est mere humanum, sed ille ordo reapse exsistit, sicut reapse exsistit voluntas Dei, infinite boni ac sancti.

2. [*Ordo moralis absolutus*]. Est autem ordo moralis non solum obiectivus sed etiam absolutus, vario tamen modo et gradu. Procedit enim ex ordinatione Dei, qui ob infinitam suam sanctitatem necessario amat bonum et odio habet malum, et « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (*Iac.* 1, 17). Refertur quoque in finem absolute, ut videlicet homo cum Deo maneat inseparabiliter coniunctus. Est insuper absolutus, normas fundamentales quod attinet, eas videlicet quae non dependent ab adiunctis mutabilibus rerum, quae normis istis reguntur, sed radicitus inhaerent in ipso Deo, summa sanctitate et aeterna sapientia, et quibus relationes determinantur necessario exsistentes inter creaturas rationales cum inter se tum maxime cum suo Creatore. Suo quoque modo absolutus ille ordo est in iis quae Deus pro supremo dominio suo immutabiliter statuere voluit, licet aliud statuere potuisset. Nec solum absolutus dicatur in praeceptis et

vetitis, sed etiam in consiliis divinis. Nam licet Deus non omnes et singulos vocet ad exsequenda ea, quae consiliis evangelicis proponuntur, tamen consilia Dei ab omnibus ut bona divinitus nobis oblata agnoscenda sunt ac veneranda. Quam ob rem non obstantibus aspectibus diversis quos habuit ordo moralis olim in paradiso, habet nunc hic in terra in genere humano lapso et redempto, habebit tandem in patria; non obstantibus quoque diversis normarum applicationibus in diversis circumstantiis et vitae adiunctis, S. Synodus reprobat quamlibet doctrinam qua sive toti ordini morali abiudicetur valor absolutus, sive cuivis parti essentiali.

3. [*Deus custos, iudex, vindex ordinis moralis*]. Quodsi universus mundus per legem aeternam, in Deo exsistentem regitur,[4] multo magis illa lege aeterna regatur necesse est creaturarum rationabilium operositas in iis quae spectant actionis honestatem. Ideo Deus ordinis moralis non tantum est auctor et finis, sed est et esse debet etiam eiusdem custos, iudex et vindex,[5] secundum ea quae Patres Concilii Vaticani Primi docuerunt de providentia, qua Deus universa quae condidit tuetur quoque ac gubernat.[6]

4. [*Ordinis moralis duplex manifestatio*]. Docet quoque et profitetur S. Synodus ordinem moralem duplici modo creaturis fieri manifestum: altero per legem naturalem, quatenus videlicet voluntas Dei sanctificatrix innotescit per lumen naturale rationis, reflectentis in humanam naturam eiusque tendentias et essentiales relationes imprimis ad suum Creatorem; altero per legem Dei positivam, sub utroque Testamento divinitus datam. Quod enim Apostolus de gentibus attestatur, eas nempe, licet legem Moysis non habeant, tamen, nisi sint obscurati corde, ea quae legis sunt naturaliter facere (cf. *Rom.* 1, 21-22 et 2, 14), sana quoque ratione et experientia comprobatur vulgari: in obviis et quotidianis, quid honestum sit et licitum, quid inhonestum et prohibitum, homines sani iudicii, etiam inculti, veluti spontanee et quasi innato instinctu morali, diiudicant et agunt. Revelatione autem Deus effecit, ut lex naturalis ab omnibus filiis Adae, peccato protoparentis in rebus moralibus cognoscendis et exsequendis misere debilitatis, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci posset.[7] Loquens tandem per Filium suum, qui praecepta Decalogi, gentibus quoque naturaliter licet imperfectius innotescentia, non venit solvere sed adimplere, legem naturalem restauravit, dilucidavit, perfecit, sanctificavit et ad altiorem ordinem evexit. Nulla ideo oppositio est inter legem naturalem et legem evangelicam: sed lex naturalis in lege evangelica continetur et perficitur.[8] Hac quoque de causa magisterio Ecclesiae, cui Christus depositum fidei concredidit et quam per Paraclitum docet omnem veritatem (cf. *Io.* 16, 13), ius et obligatio competit legem etiam naturalem auctoritative explicandi et definitive interpretandi,[9] aut, ubi hoc postulatur bono communi Ecclesiae, decretis disciplinaribus lites de obscurioribus exortas, in determinatum sensum non sine auxilio Spiritus Sancti, dirimendi.

5. [*Contentum ordinis moralis*]. Continet autem ordo moralis, prout per gratiam Christi apparet in lege evangelica, omnia quibus homo simplici-

ter vel facilius vitam aeternam obtineat: praescripta, vetita, permissa, consilia: quae quidem Christus Dominus recapitulavit ad duo magna mandata: dilectionis Dei et proximi.[10] Insigne eius gloriosum notaque distinctiva est via perfectionis illa christiana, qua fideles a Deo vocati in consiliorum evangelicorum observatione Christum pauperem, castum, ad mortem usque oboedientem, quam proxime sequi eique quam maxime adsimilari conantur. Testatur igitur S. Synodus observationem consiliorum, a divino Fundatore commendatorum, pretiosum esse Sponsae Christi decus atque ornamentum.[11]

6. [*Damnantur errores*]. Gaudet S. Synodus ob magnum numerum filiorum Ecclesiae in observatione ordinis moralis legisque evangelicae, toto corde adhaerentium Deo Filioque eius Unigenito: dolet multos saepe magis ex fragilitate quam ex pravitate, haud raro tamen non absque gravi culpa, legem Dei transgredi. Summopere autem horrescit cogitando ubique terrarum spargi errores, quibus dilatatur via perditionis, clauditur porta salutis. Sunt qui negantes Deum personalem, legem naturalem privant suo fundamento;[12] sunt qui repudiantes missionem Christi, reiiciunt legem evangelicam; [13] sunt qui ordinem moralem unice explicant e principiis humanis, ideoque eum spoliant genuina et ultima obligatione et sanctione; [14] sunt qui denegant in re morali intellectum certitudine re vera gaudere posse; [15] sunt qui asserunt legem moralem etiam in rebus fundamentalibus exsistere vicissitudinibus evolutionique obnoxiam; [16] sunt qui docent personam humanam esse talis altitudinis, ut nulli legi ab extra impositae sit subiecta; [17] sunt qui statuunt legem moralem imponi non posse nisi ex conventione vel a collectivitate vel a « totalitate »,[18] sive ut maior pars civium, sive ut Status, sive ut populus, sive ut stirps, sive ut natio, sive ut factio, sive ut classis consideretur socialis. Sunt et qui censeant legem moralem mere exsistere ex nuda, crassa, et bruta potestate et hanc suam ideologiam opere exsequuntur.[19] Qui omnes sibi inter se contradicunt nisi in eo quod claudunt portam regni caelorum nec alios sinunt introire (cf. *Mt.* 23, 13). Dum autem error serpens est versicolor et capite multiplici, veritas, quae liberabit nos (cf. *Io.* 8, 32), est una ut unus est Christus. Sed sicut olim de semetipso testatus est Ecclesiae Fundator, sic etiam hodie Ecclesiae coram mundo exclamandum est: « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis » (*Io.* 5, 43).

NOTAE

[1] *I Thess.* 4, 3 non agit de sola castitate, sed de sanctitate in genere, ut patet ex versiculo sexto, ubi de dolo et fraude. Notat S. THOMAS in Commentario ad vers. 3: « Omnia praecepta Dei sunt ad hoc quod sitis sancti. Sanctitas enim dicit munditiem et firmitatem. Et omnia praecepta Dei inducunt ad ista, ut quis mundus sit a malo, et firmus in bono ».

Vide omnino Commentarium B. RIGAUX, O. F. M. in *I Thess.*

Cf. etiam *Lev.* 11, 44: « Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum »;

Lev. 20, 7-8: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus... qui sanctifico vos »;

Eph. 1, 4: « ... in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate »;

I Petr. 1, 14-15: « ... quasi filii oboedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis: sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum »;

I Io. 3, 3: « Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est »;

Io. 17, 17-19: « Sanctifica eos in veritate ... Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate ».

[2] Cf. supra notam 1.

[3] Cf. *Rom.* 6, 20 ss.: « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae ... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro »;

Col. 1, 13: « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum »;

Io. 8, 31-36: « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, et nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in aeternum: filius autem manet in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis »;

I Io. 3, 7-8: « Qui facit iustitiam, iustus est: sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat »;

Rom. 6, 18: « Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae »;

Conc. Trid., Sess. VI, c. 11: DENZ. 804;

Conc. Moguntinum (a. 1549): MANSI 32, 1407 (Doc. Eccl. Christ. Perf., n. 347);

S. THOMAS, I-II, q. 108, a. 1, ad 2: « Quia igitur gratia Spiritus Sancti est sicut interior habitus nobis infusus inclinans nos ad recte operandum, facit nos libere operari ea quae conveniunt gratiae, et vitare ea quae gratiae repugnant ».

[4] Cf. S. THOMAS, I-II, q. 91, a. 1.

[5] *Ps.* 7, 12: « Deus iudex iustus, fortis, et patiens »; cf. *Ps.* 118;

Act. 10, 42: « Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex virorum, et mortuorum »;

II Tim. 4, 8: « In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius »;

I Thess. 4, 6: « ... Quoniam vindex est Dominus de his omnibus ... »;

Rom. 12, 19: « ... Scriptum est enim: mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus »;

Mt. 25, 31-46, ubi de iudicio ultimo;

Apoc. (passim);

videas quae in S. Scriptura de peccato, de peccatore, de iudicio, de Deo iudice, de remuneratione, etc. dicuntur.

PIUS IX, *Allocutio* 9 iunii 1862: *Maxima quidem*: Acta I, vol. I p. 454: « Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges

divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem ».

[6] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 1: DENZ. 1784: « Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (cf. *Sap.* 8, 1). "*Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius*" (*Hebr.* 4, 13), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt »;

PIUS XII, *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 423: « Haec naturalis lex veluti fundamento innititur Deo ... eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et sapientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice » (DENZ. 2279).

[7] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 2: DENZ. 1786: « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »;

PIUS XII, *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2305: « Quapropter divina "revelatio" moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae *in rebus religionis et morum* rationi per se impervia non sunt, in ... ».

[8] *Mt.* 5, 17: « Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere »;

PIUS XI, *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.* 22 (1930), p. 58 (DENZ. 2206): « ... supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest, ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, eumdem extollat ac perficiat, quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest ... », coll. IOANNIS XXIII, *Synodus Romana,* art. 300, n. 1.

[9] PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2325: « Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam de rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata »;

Conc. Vat. I, Sess. IV, c. 4; DENZ. 1839;

Conc. Vat. I, Primum Schema Const. De Eccl. Christi: MANSI 51, 580.

[10] *Mt.* 22, 37; *Mc.* 12, 30; *Lc.* 10, 27 collato *Deut.* 6, 5.

[11] PIUS XII, *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 161-191.

[12] Iam PIUS IX, *Allocutio* 9 iunii 1862 *Maxima quidem*: Acta I, vol. I, pp. 451 s. et 454, deinde: « Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et ius divinae originis audacissime denegare non metuant ... At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut coelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum exsistere ab hac rerum universitate distinctum ... »; cf. supra notam 5;

idem, *Quanta cura,* 8 dec. 1864: DENZ. 1691;

Syllabus, prop. 3, 56, 58: DENZ. 1703, 1756, 1758.

[13] Iam antea PIUS IX, *Maxima quidem*: *ibid.,* p. 453: « Summa praeterea

impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni ... »;

Syllabus, prop. 6, 57: DENZ. 1706, 1757.

[14] Cf. supra notas 12 et 13;

PIUS IX, *Maxima quidem*: *ibid.*, p. 454: « ... affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrium, eamdemque rationem sibi ipsi esse legem »;

Syllabus, prop. 56: DENZ. 1756.

[15] PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2320-2321.

[16] *Ibid.*: DENZ. 2306.

[17] PIUS IX, *Quanta cura*: DENZ. 1690;

PIUS XII, *Allocutio* 10 apr. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 268 ss.

[18] PIUS IX, *Quanta cura*: DENZ. 1691.

Syllabus, prop. 39: DENZ. 1739.

PIUS XI, *Divini Redemptoris*, 19 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 65-106; *Mit brennender Sorge*, 14 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 145-167;

PIUS XII, *Allocutio* 13 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 779-789; *Allocutio* 30 sept. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 587-598, praesertim pp. 590 ss.

[19] PIUS IX, *Maxima quidem*: « ... nihil dubitant in veri legitimique iuris locum substituere falsa ac mentita virium iura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere ... »;

Syllabus, prop. 59-61: DENZ. 1759-1761;

PIUS XI, *Firmissimam constantiam*, 28 martii 1937: DENZ. 2278.

CAPUT 2

DE CONSCIENTIA CHRISTIANA

7. [*Quid conscientia*]. Hic ordo moralis christianus, de quo fideles luce rationis et revelationis edocentur, eosdem diriget et ducit in eorum iudiciis practicis de honestate propriarum actionum per singulorum conscientiam, quippe quae si est recte efformata, eos momento decisionis videre facit, quid secundum Dei voluntatem iudicare et agere debeant.[1] Haec autem Dei voluntas cum nobis clarius appareat doctrina Christi magisterioque Ecclesiae, conscientia veluti praeco Dei, Christi, Ecclesiae constituitur.[2] Cum igitur tota vita christiana, ad mores quod spectat, in singulis christifidelibus conscientiae singulorum subest, et per eam regitur ac ducitur: propterea ad conscientiam quoque applicari potest quod Christus de oculo humano dixit: « Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit » (*Lc.* 11, 34).

8. [*Conscientia recte efformanda*]. Nec minus ad conscientiam applicari licet verba Christi mox sequentia: « Si (oculus) autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint » (*Lc.* 11, 34-35). Manifestant vero, quam gravem ob causam in recte efformanda conscientia, sedulo habenda sit diligentia. Curandum autem imprimis est ut conscientia sit recta et vera. Vera autem non erit

ex eo quod efformatur ad singulorum placitum personalemque persuasionem, quantumvis seriam et sinceram: sed idcirco quod concordet cum normis a Deo constitutis, uti reapse sunt, ideoque manifestet Dei voluntatem nobis in voluntate, doctrina, vita Christi clare expressam.[3] In efformanda igitur conscientia homo non est autonomus, ac ne tentamen quidem fiat adaptandi voluntatem Dei placitis hominis, ubi homo adaptandus est Deo.[4]

9. [*De conscientia erronea*]. Nec principium basilare: normam nempe efformandae conscientiae esse ordinem moralem obiectivum, non autem persuasionem mere subiectivam, derelinquitur in casu conscientiae male efformatae. Errare etenim etiam christifidelis potest in efformanda conscientia; at dictamen conscientiae erroneae non mutat, ne respectu ipsius errantis quidem, ordinem moralem obiectivum, sicut etiam non solvit vinculum quo errans huic ordini adstringitur, etiamsi forsitan inculpabiliter secundum falsum dictamen conscientiae errorem exsequatur. Minime igitur in casu erroris bona fide commissi, homo sibi in foro conscientiae fit fons atque norma moralitatis obiectivae. Immo quod homo conscientiam suam erroneam sequi possit ac debeat: hoc non ex subiectiva persuasione habetur, sed quia ipse ordo obiectivus hoc postulat, dicente Apostolo: « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est » (*Rom.* 14, 23). Tanta igitur est ordinis obiectivi in conscientia vis et valor. Nihilominus qui bona fide circa honestatem obiectivam errat, tamdiu a culpa alienus manet, quamdiu haec bona fides sine culpa perdurat,[5] tamen non sine aliquo damno ipsius hominis aut communitatis.

10. [*Pseudoconscientia autonoma*]. Quod si vero, ne conscientia quidem bona fide erronea subiectionem illam tollit qua conscientia legibus in ordine obiectivo contentis subordinatur: multo minus illam tollere valet deliberatum tentamen semet scienter et volenter subtrahendi huic ordini obiectivo, inepte provocando ad propriae conscientiae ius, libertatem, dignitatem.[6] Non enim tale ius, talis libertas, talis dignitas exsistit, neque in humana natura, neque in homine ut persona est: etsi contrarium plures falsis principiis et ideologiis ducti, non sine animarum gravi damno contendunt.[7]

11. [*Conscientia signata Christi veritate ac caritate*]. Monet tandem S. Synodus, ut in conscientia sequenda non solum veritas, sed etiam caritas christiana prae oculis habeatur: scientia enim absque caritate, teste Apostolo (cf. *I Cor.* 8, 1) inflat, non vero aedificat. Quare factis omnibus, ut fratres de errore convincamus, non solum cum caritate iudicandum est de iis qui bona fide errant et legem Dei transgrediuntur; sed etiam eorum ratio habenda est, qui erronee ibi peccatum vident, ubi peccatum non est; ne forsan iis scandalo simus, exemplo nostro eos conducentes ad ea quae erronee peccatum existimant.[8] Vera enim caritas exigit, ut ubi fratres de errore convincere nequimus, semper, salvis utique iuribus veritatis et communitatis, omnia ea omittamus, quibus lucrifieri nequeant Christo, qui propter eos quoque mortuus est. Genuina conscientia christiana signetur oportet Christi veritate et caritate.

NOTAE

[1] Cf. *Gen.* 3, 7-10; 4, 12 ss.; *II Sam.* 24, 10; *Ps.* 25, 1-7; *Sap.* 12, 18; *Iob.* 27, 6; *Mc.* 9, 44. 46. 48; *Rom.* 2, 15: Gentes « qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum . . »; *Rom.* 13, 5: « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam »; *Rom.* 14, 20-23; *I Cor.* 8, 7-12; *I Tim.* 1, 5: « Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta »; *I Tim.* 3, 9; *Act.* 24, 16: « In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper »;

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 270-278; *Allocutio* 18 apr. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 413-419. Versio latina Nuntii Radiophonici necnon Allocutionis invenitur in: *Periodica* ... 41 (1952), pp. 183-223.

[2] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *l. c.,* pp. 272-275; *Allocutio* 18 apr. 1952: *l. c.,* pp. 418 ss.

[3] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *l. c.,* pp. 272-276; *Allocutio* 18 apr. 1952, *l. c.,* p. 418 s.

[4] GREGORIUS XVI, *Mirari vos,* 15 aug. 1832: DENZ. 1613: « Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae »;

PIUS IX, *Maxima quidem,* 9 iunii 1862: Act. I, vol. I, p. 454: « ... homini quoddam veluti primarium ius tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat »;

Syllabus, prop. 15: DENZ. 1715;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.A.S.* 20 (1887), pp. 608-609.

[5] *Rom.* 14, 22 s.: « Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo. Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est »; *Io.* 9, 41: « Numquid et nos caeci sumus? Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet »; *Io.* 15, 22: « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo »;

ALEXANDER VIII: *Decr. S. Off.* 7 dec. 1690, Errores Iansenistarum, prop. 2: DENZ. 1292: « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali »;

LEO XIII, *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: DENZ. 1875: « Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet: "Credere non potest (homo) nisi volens" »;

PIUS IX, *Singulari quadam,* 9 dec. 1854: DENZ. 1647: « ... sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini »;

PIUS IX, *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: DENZ. 1677: « Notum Nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus

a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat ».

[6] Cf. supra notam 1: Pius XII, *Nuntius Radiophonicus* necnon *Allocutio* ibidem citata;

Pius IX, cf. supra notam 4; Gregorius XVI, ibid.

[7] Innocentius XI: *Decr. S. Off.,* 4 martii 1679, Errores varii de re morali, prop. 4: Denz. 1154: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili ».

[8] *I Cor.* 8, 12-13: « Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ».

Caput 3

DE SUBIECTIVISMO ET RELATIVISMO ETHICO

12. [*Lex evangelica et conditiones individuales*]. Quia fundamentales Legis evangelicae obligationes partim ipsi naturae humanae immutabili innituntur, partim vero, quatenus nempe excedunt obligationes Legis naturalis, radicantur in indole propria ordinis supernaturalis, a divino Redemptore constituti: hac de causa illae obligationes valent, ubicumque et quibusvis in conditionibus homo versetur.[1] Quamvis igitur humana actio necessario sit singularis, temporisque ac locorum adiunctis subiecta, tamen ipsa indoles Legis evangelicae postulat, ut per hanc Legem singulis conscientiis imperetur, quid in singulis casibus in variis circumstantiis decernere debeant.[2] Numquam ergo, quandocumque divinus Legislator aliquid imperaverit aut interdixerit, res in deliberatione poni poterit, at semper valent verba a primaevis martyribus prolata: « In re tam iusta nulla est consultatio ».[3] Quod si vero in casu particulari, norma universalis applicanda rerum temporumque adiuncta transcendens, qua diiudicetur actionis honestas, non clare appareat, prudentiae virtus est maxime necessaria,[4] quippe quae non tantum universalia sed etiam particularia considerat, ut ex accurata et diligenti ponderatione finis atque mediorum statuatur, quid in casu liceat vel secus.

13. [*Necessaria cognitio individualium*]. Haec autem diligens rerum inquisitio postulat ut conscientia recte efformetur non de lege evangelica dumtaxat eiusque obligationibus, sed etiam de iis, quae singulo cuique homini sunt propria.[5] Sibi autem conscii maneant fideles hanc individualem diversitatem inter certos iustosque limites circumscribi, nec tollere universalia: secus enim Iesus Christus per Ecclesiam suam Dominus, Caput, Magister uniuscuiusque hominis, aetatis et conditionis non remaneret, nec virtutum omnium pro omnibus exemplar altissimum.

14. [*Adagia falsa*]. Caveant igitur Christifideles a falsis adagiis hodie nimium sparsis: quorum unum sonat dictamen conscientiae non esse nisi intimum et immediatum dialogum cum Deo, cui colloquio nulla externa lex, nulla auctoritas, nulla confessio religiosa intervenire possit.[6] Aliud autem, introducta falsa oppositione inter Deum Patrem Deumque legislatorem suggerit, potius audiendam esse Patris vocem quam Legislatoris praecepta, ideoque ultimam agendi rationem non esse ordinem obiectivum rectum,[7] sed intimum uniuscuiusque sentimentum, quo in concreta situatione sciat, quid sibi agendum sit, seu potius quid agi a Deo non postuletur. Quam perniciosa sint animorum saluti huiusmodi dicta, ex fructibus cognoscere Salvator nos docet: ex praetextu enim servandi sinceritatem erga semetipsum et coram Deo, deducitur licitum esse perficere graviter atque universaliter prohibita, ut sunt catholicam fidem cum alia commutare, divortium attentare, praegnationis cessationem procurare,[8] auctoritati legitime iubenti oboedientiam recusare, suicidium directe committere. Neminem latet quam graviter haec omnia contradicant Apostolo dicenti non esse facienda mala, ut bona eveniant (cf. *Rom.* 3, 8). Pater, qui revera filios amat, praecipit ut mala in omni casu vitent. Nec minus perniciosum est tertium effatum, Deum videlicet scrutatorem et iudicem conscientiarum unice ad intentionem attendere et ad habitudinem fundamentalem, qua quis universe loquendo a Dei offensione abhorreat. Nam Deus praeter huiusmodi intentionem ipsum opus bonum requirit. Secus enim homo per opera sua bona vel prava, nec melior nec peior fieret,[9] omniaque essent bona, dummodo « intentio amoris » vel « habitudo generaliter bona » retineretur. Contra: sic oritur vir ille duplex animo, inconstans in omnibus viis suis, de quo loquitur Iacobus Apostolus (cf. *Iac.* 1, 8). « Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic teste eodem Apostolo, beatus in facto suo erit » (*ibid.* 1, 25).

15. [*Falsum adagium de amore criterio moralitatis*]. Sunt tandem qui amorem ita faciunt unicum criterium moralitatis normamque eius unicam, ut alias virtutes parvipendant. Reapse divina caritas, qua iusti Deum super omnia diligunt et proximum propter Deum, fidei, spei ceterarumque virtutum « maior » est (*I Cor.* 13, 13): attamen nec has nec illas tollit, sed ita nutrit et fovet, ut perveniamus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13). Exhortatur igitur S. Concilium fideles, ut omnes eorum actiones « in caritate fiant » (*I Cor.* 16, 14). Ne tamen falso aestiment ex solius caritatis motivo hominem « modo christiano agere », ceterasque virtutes esse parvipendendas, ac si Deus non coronaret nisi actum explicitum caritatis. Nam, iustorum actus « ex alio motivo vel impulsu » virtuoso procedentes, modo condigno augmentum gratiae et gloriae merentur, non tamen sine ipsa caritate.[10] Nec minus cavendum est, ne simplices, adagio illo: « Ama et fac quod vis » male intellecto, falso credant nonnisi unum praeceptum, videlicet: *Diliges,* in christiana vita esse retinendum. Talis enim vita ad incertum quemdam amoris affectum reduceretur, neglecta omnino praecepto-

rum observantia, contradicente ipso Domino: « Si autem vis vitam ingredi, serva mandata » (*Mt.* 19, 17), et alibi: « Qui habet mandata mea et servat ea: ille est qui diligit me » (*Io.* 14, 21).

NOTAE

[1] *Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 11: DENZ. 804: « Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet »; *ibid.* can. 20: DENZ. 830: « Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum ...: A.S. »;

PIUS XII, *Allocutio* 18 apr. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 417: « On demandera comment la loi morale, qui est universelle, peut suffire, et même être contraignante dans un cas singulier, lequel en sa situation concrète est toujours unique et d'"une fois". Elle le peut et elle le fait, parce que justement à cause de son universalité la loi morale comprend nécessairement et "intentionnellement" tous les cas particuliers, dans lesquels ses concepts se vérifient ... »;

Instr. S. Off. 2 febr. 1956: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 144-145.

[2] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 414 s.

[3] *Acta Proconsularia S. Cypriani,* n. 3: KIRCH, *Enchir.* n. 303;

Passio Martyrum Scillitanorum, Ibid. n. 72: « In re tam iusta nulla est deliberatio »;

S. IGNATIUS LOYOL., *Exerc. Spirit.*: De tribus humilitatis modis.

[4] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* p. 418: « Là où il n'y a pas de normes absolument obligatoires, indépendantes de toute circonstance ou éventualité, la situation d'"une fois" en son unicité requiert, il est vrai, un examen attentif pour décider quelles sont les normes à appliquer et en quelle manière. La morale catholique a toujours et abondamment traité ce problème de la formation de la propre conscience avec examen préalable des circonstances du cas à décider. Tout ce qu'elle enseigne offre une aide précieuse aux déterminations de conscience, tant théoriques que pratiques. Qu'il suffise de citer les exposés, non dépassés, de S. Thomas sur la vertu cardinale de prudence et les vertus qui s'y rattachent » (S. THOMAS, II-II, q. 47-57).

[5] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* p. 418: « L'éducation chrétienne de la conscience est bien loin de négliger la personnalité, même celle de la jeune fille et de l'enfant, et de juguler son initiative ... ».

[6] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 415 ss.

[7] S. Off. *Instr.* 2 febr. 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 144.

[8] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 416-417.

[9] *Conc. Senonense,* prop. 13: « Quod propter opera nec melior nec peior efficiatur homo » (DENZ. 380).

[10] CLEMENS XI, *Unigenitus,* 8 sept. 1713, prop. 53-56: DENZ. 1403-1406:

« 53. Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.

54. Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat ».

Caput 4

DE NATURALI ET SUPERNATURALI DIGNITATE PERSONAE HUMANAE

16. [*Homo factus ad imaginem Dei*]. Fulget humanae personae dignitas, cum ad imaginem et in similitudinem Dei factus, homo rationis lumen, liberae electionis potestatem, amoris flammam, rerumque corporalium dominium a Deo acceperit.[1] Immo consors divinae naturae (cf. *II Petr.* 1, 4), vocatur ad eam participationem filiationis divinae Christi, qua et nos filii Dei nominamur et sumus (cf. *I Io.* 3, 1). Absit autem ut humanae personae dignitas [2] fide dogmatum, morum disciplina, legibus ecclesiasticis obnubiletur; immo iisdem magis splendet, cum servire Deo regnare sit.[3]

17. [*Arbitrii libertas vindicatur*]. Arbitrii libertatem Ecclesia catholica iam ab initio contra paganos atque Gnosticos firmiter vindicabat,[4] illamque peccati originis labe minime exstinctam sollemni iudicio Tridentinae Synodi declaravit.[5] Et licet a multis quoque coaevis nostris extra Ecclesiae saepta magni habeatur,[6] tamen ad eam defendendam haud minor hodie urget necessitas. Propagantur enim sententiae prorsus repudiandae, quibus docetur ob immania hodiernae vitae adiuncta, impetuum violentiam, ingentem influxum modernae propagationis ideologicae in mentem et affectus hominis, ac praesertim ob in dies grassantes morbos psychopathicos, plerosque in hodiernis conditionibus esse plane incapaces ponendi actum vere liberum, ideoque rarissimos esse homines reapse adultos in ordine morali. Neminem latet per huiusmodi effata non solum evanescere humanam libertatem, sed una cum ea meritum ac demeritum, moralem et iuridicam responsabilitatem, ideoque christianae vitae possibilitatem necessario pessumdari. Facta et causas ex quibus erronee procedunt praedictae sententiae, dolet pia Mater Ecclesia, et pro posse remedia afferre contendit; nec ignorat sententias illas ex zelo quodam indiscreto exoriri: sublata videlicet responsabilitate, tolli quoque offensionem formalem Dei et vitae aeternae periculum. At iam Apostolus (cf. *Rom.* 10, 2) reprehendit zelum, qui non sit secundum scientiam, et aliud est libertatem minui, aliud est eam tolli: quo facto homo privatur sua dignitate, Dei autem gloria obscuratur.

18. [*Defensio dignitatis humanae contra artificia falsa*]. Ut hanc libertatem humanam tueatur, providet quoque Sancta Ecclesia, ut quaecumque eidem repugnant, a praxi morum arceantur. Etiam iis, qui publica vel iudiciaria potestate potiuntur, numquam licet adhibere media physica, chimica, psychica, quae iuri naturali personae humanae ad corporis mentisque integritatem retinendam opponuntur.[7] Insuper « nemini licet semetipsum inconditionate et indiscriminatim iis subiicere, qui curationibus psychoanalyticis utantur, neve iis medicis se tradere, qui aegrotis prospiciant rebus uti, quae praeceptis catholicis obstent ».[8]

19. [*Scientia, artes liberales, technica*]. Sibi conscia est Sacra Synodus, Ecclesiam de scientia et artibus liberalibus semper alte et gratulanter cogitare, non solum quia tantopere inserviunt gloriae Dei et saluti animorum, sed etiam quia in sese sunt adumbratio quaedam divinae scientiae et pulchritudinis. Nec minus artes technicas et disciplinas exactas, quae dicuntur, magni aestimat: cum enim Deus ab initio constituerit hominem ut dominaretur creaturae (*Sap.* 9, 2 coll. *Gen.* 1, 28-30), per se laudanda sunt tentamina, quibus humanum genus naturae secreta perscrutatur, et ingentibus naturae viribus in bonum humanitatis frui magis magisque contendit.[9] Hac investigatione non solum multa commoda dimanant ad vitam humanam, sed etiam technicae disciplinae, si recte pertractentur, ad Deum iuvante gratia perducere possunt; [10] immo ad ipsam doctrinae christianae diffusionem et gloriam Dei augendam inserviant oportet. Quare omnibus viribus conandum est, ne ea quae Deus ad suam gloriam hominumque felicitatem destinavit, deturpentur superbia humana, qua proprio ingenio tribuitur, quae sunt tribuenda Deo, et inserviant errori depravatisque humanae naturae passionibus: quae quidem passiones, si rectae rationi subsunt, conferunt ad hominis in vero et bono progressum.

20. [*Progressus technicus et Regnum Dei*]. Impium quoque et fidei contrarium est permagnum disciplinarum exactarum et artium technicarum augmentum cum ipso Regno Dei in terris identificare, quia humanae culturae augendae sunt instrumenta. Augmentum illud non constituit regnum Dei sed Regno Dei suo modo inserviat oportet. Quamvis enim omnia sunt Christi et Dei, omniaque in Christo instauranda (cf. *Eph.* 1, 10), non tamen eodem modo. Nam res sacrae, ut gratia qua « divinae consortes naturae » existimus (*II Petr.* 1, 4), Sacramenta et alia huiusmodi, plene et immediate respiciunt vitam aeternam, ad quam vocati sumus; res vero profanae non immediate ad regnum Dei, ad vitam gratiae et gloriae, ordinantur, sed ab homine iusto ad illa referri possunt ac debent, immo Regno Dei suo modo subservire debent.

21. [*Progressus technicus et progressus religioso-moralis*]. Omnino a mente Ecclesiae alienum est dicere Christianos ob spem et amorem aeternalium, valores temporales vere aestimare non posse, et falso quodam indifferentismo laborare ad mala physica, dolores, famem bellumque quod spectat.[11] Ex altera parte verum non est technicarum artium, disciplinarum exactarum et humanae culturae progressum, per se inferre similem progressum in campo morali et religioso. Triplici enim malae concupiscentiae, de qua S. Ioannes Apostolus (cf. *I Io.* 2, 16), adscribendum est, ut ea quae inservire debent regno Dei subsidientur eius adversariis. Quo fit ut multi potius ab homine quam a Deo et Christo salutem exspectent; immo inter Christifideles exsistant, qui potius terrena sapiant et terrena sperent quam Salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum (cf. *Phil.* 3, 19-20). Quibus indesinenter clamandum est: « ... si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ... quae sursum sunt sapite, non quae super terram » (*Col.* 3, 1-2).

NOTAE

[1] *Gen.* 1, 26-30; *I Cor.* 11, 7; *Iac.* 3, 9;

PIUS XI, *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: DENZ. 2270;

S. AUGUSTINUS, *De spiritu et littera,* c. 28, n. 48: *PL* 44, 229.

[2] *II Cor.* 5, 17; *Gal.* 6, 15, *Gal.* 5, 22; *Rom.* 8, 16-17; *I Cor.* 6, 19-20; *I Io.* 3, 1-3; *I Io.* 4, 7-9; *Io.* 1, 12-13; *Phil.* 4, 7; *Col.* 3, 15.

[3] PIUS XI, *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206; ID., *ibid.*: DENZ. 2224; *Casti connubii,* 31 dec. 1930: DENZ. 2237; Oratio: « Deus, qui humanae substantiae ... ». « Servire Deo regnare est » cf. Missa pro pace: Postcommunio.

[4] IUSTINUS, *Apologia* I, 43: *PG* 6, 392 [Rouët de Journel, n. 123]; ID., *Dialogus cum Tryphone Iudaeo,* 102; *PG* 6, 713 [RJ 142];

TATIANUS, *Adv. Graecos oratio, PG* 6, 820 [RJ 156];

THEOPHILUS ALEX., *Ad Autolycum* 2, 27: *PG* 6, 1093 [RJ 184]: « Liberum enim Deus et sui iuris hominem fecit »;

IRENAEUS, *Adv. Haer.* 4, 37: *PG* 7, 1099 [RJ 244]: « ... quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo »; aliique ...

PIUS V, *Ex omnibus afflictionibus,* 1 oct. 1567, Errores M. du Bay, prop. 41: DENZ. 1041: « Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato »;

PIUS IX, Ex Decr. S. C. Indicis, 11 iunii 1855, prop. 2: DENZ. 1650: « Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest ... »;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.A.S.* 20 (1887-1888), pp. 593-613, praesertim pp. 594 ss.

[5] *Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 1: DENZ. 793; *ibid.,* can. 4, 5, 7: DENZ. 814, 815, 817;

cf. etiam PIUS V, *Ex omnibus affictionibus,* 1 oct. 1567, Errores M. du Bay, prop. 27, 28, 39, 65, 66: DENZ. 1027, 1028, 1039, 1065, 1066;

INNOCENTIUS X, *Cum occasione,* 31 maii 1653, prop. 3: DENZ. 1094;

CLEMENS XI, *Unigenitus,* 8 sept. 1713, prop. 38-39: DENZ. 1388-1389.

[6] Ut praesertim fautores « exsistentialismi ».

[7] PIUS XII, *Allocutio* 3 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 735: « L'instruction judiciaire doit exclure la torture physique et psychique et la narco-analyse ... parce qu'elles lèsent un droit naturel, même si l'accusé est réellement coupable ».

[8] *I Synod. Roman.,* can. 239; PIUS XII, *Allocutio* 13 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 783: « ... pour se délivrer de refoulements, d'inhibitions, de complexes psychiques, l'homme n'est pas libre de réveiller en lui à des fins thérapeutiques, tous et chacun de ces appétits de la sphère sexuelle ».

[9] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 4: DENZ. 1799;

PIUS XI, *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: DENZ. 2270; *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2205, 2224;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum, l. c.,* p. 608;

PIUS X, *Decr. Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 57: DENZ. 2057.

[10] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 4: DENZ. 1799.

[11] Cf. supra notas 9-10.

CAPUT 5

DE PECCATO

22. [*Quo sensu regnum peccati sit destructum*]. Quamquam Dominus noster Iesus Christus per piissimam suam mortem regnum utrumque tam peccati quam mortis destruxit: nihilominus, quamdiu in terris peregrinamur, a Fonte vitae recedere possumus per peccatum quod est transgressio legis, *iniquitas* (cf. *I Io.* 3, 4) et iniuria Deo illata.[1] Dum autem peccato mortali amicitia inter Deum et homines destruitur et homo iterum fit filius irae (cf. *Eph.* 2, 3),[2] per peccatum veniale, in quod, teste Synodo Tridentina frequentius labimur, caritatis fervor retardatur, immo nonnumquam, maxime si iteratur, anima ad mortale peccatum disponitur.[3]

23. [*Peccatum mortale cum et ex contemptu*]. Ne autem quisquam se decipiat cum detrimento animae suae immortalis, Sacra Synodus docet peccatum mortale haberi posse, etiam si homo Deum explicite contemnere renuit nec Deum odio habet: amplectitur enim cum plena advertentia plenoque consensu quod amicitiae divinae omnino repugnat, ac deserit media, ad verum finem consequendum per se et absolute necessaria. Non igitur ad idem redit peccare cum contemptu et ex contemptu Dei. Ultimum talis malitiae est, ut hominem similem reddat diabolo: at negari nequit etiam ista peccata gravia, quae non *ex* tali contemptu procedant, natura sua fieri *cum* contemptu legislatoris, ideoque eius amicitiam dissolvere.[4]

24. [*Peccata ex debilitate*]. Offendit igitur graviter doctrinam Ecclesiae, qui dicat omne peccatum sub influxu sensibilium virium hominis patratum, semper esse peccatum tantum veniale.[5] Nec tolerari potest opinio dicentium peccatum grave, ut aiunt formale, haberi non posse nisi in eo, qui liber ab omni influxu affectuum, scienter renuit deponere malam consuetudinem, qua culpabiliter laborat.[6] Quae si essent vera, vix aliquando quidem contingeret peccatum mortale, formale et imputabile: attamen contradiceretur graviter praxi Ecclesiae et Spiritui quo illa regitur. Ecclesia enim tamquam reapse lapsos et gravi peccato detentos eos semper habuit, qui persecutionis tempore Christum ex timore tormentorum negaverunt. Quare S. Petrus culpam suam amare deflebat (cf. *Mt.* 26, 75; *Lc.* 22, 62).[7]

25. [*Falsae theoriae psychologicae*]. Licet peccatum grave generet mortem (cf. *Iac.* 1, 15) eoque nihil detestabilius, tamen conscientiae remorsus et peccati conscientia sunt magna Dei dona, peccatoribus concessa, ut a via mala recedant et ad fontem divinae misericordiae revertantur. Misericordiae igitur divinae iniuriosum est haec dona salutaria confundere cum scrupulosa anxietate aut cum statibus mere psychologicis, qui ex conflictu quodam, in subconscientiae latebris peracto, profluere dicuntur.[8] Nec sunt effectus insatisfactionis seu, ut aiunt, frustrationis, in via peccati et mali.[9]

26. [*De profectu christifidelis in via iustitiae*]. Ad vitam christianam ita fructuose agendam, ut Christi intentis correspondeat, non sufficit lethalia

peccata vitare, ac si doctrina evangelica indolis esset pure negativae, seu mere « ethica prohibitorum », ut aiunt. Oportet omnino ut « in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus » (*Eph.* 4, 15). Caritatis autem fervori et augmento peculiariter opponuntur peccata illa, quae leviora, quotidiana, venialia dicuntur. Haec etiam, quantum sinit humana fragilitas,[10] christianus vitare debet, ea praesertim quae sunt plene deliberata. Ad vitanda autem venialia, et ad alacriorem quotidie in virtutum semitis progressum, maxime commendatum vult Sacrosancta Synodus pium illum non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia introductum crebrae confessionis usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali negligentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animarum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia.[11]

27. [*Magnum poenitentiae officium*]. Scriptura testante, militia est vita hominis super terram (cf. *Iob.* 7, 1).[12] Summa autem militiae christianae est non indulgere corruptis saeculi moribus, immo iisdem constanter repugnare atque resistere. Quapropter videant fideles, quantopere sit a professione christiani nominis alienum, prosequi, uti generatim fit, cuiuslibet modi voluptates, horrere virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24). Itaque non consilium, sed officium est, non eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverint genus, sed plane omnium, ex virtute Christi pro nobis flagellati, coronati, crucifixi mortificationem Iesu in corporibus suis circumferre, ut vita ipsius in iisdem manifestetur (*II Cor.* 4, 10-11).[13] Qui autem Deo piamina offert pro peccato, is eo ipso profitetur sanctas esse supremas morum leges, earumque obligandi vim agnoscit atque ius Dei animadvertendi in violatores. Poenitentiae virtus igitur salutare armorum est genus, quibus utuntur strenui Christi milites, parati ad universum morum ordinem defendendum, et ubi opus, restaurandum. Quod si christianus divinae legis studio atque fraterno amore reapse flagrat, tum non modo propriis suis per poenitentiam peccatis luendis operam dabit, sed etiam aliena peccata in se suscipiet poenitentiae operibus expianda.[14]

28. [*Errores damnantur*]. Graviter igitur aberrant, qui ex falso quietismo vel naturalismo vel aliunde, christianam poenitentiam parvipendunt; [15] iniuria autem Ecclesiam et ipsum Christum afficiunt qui eamdem describunt veluti secretum odium carnis ad modum Manichaeorum, vel perversum appetitum doloris, propter se delectabiliter quaesitum.

NOTAE

[1] *I Io.* 3, 4: « Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas »; *I Io.* 5, 17: « Omnis iniquitas peccatum est »; *I Io.* 1, 8: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus »; *Iac.* 3, 2: « In multis enim offendimus omnes ».

[2] *Io.* 19, 11; *I Cor.* 6, 9-10; *Gal.* 5, 19-21; *Eph.* 5, 5; *Iac.* 1, 14-15;
Conc. Trid., Sess. VI, cap. 14-15: DENZ. 807-808; *ibid.,* can. 23, 27-29: DENZ. 833, 837-839; *ibid.,* Sess. XIV, cap. 1 et 5: DENZ. 894, 899;
S. Off. 24 aug. 1690, prop. 2: DENZ. 1290.
[3] *Io.* 19, 11: *Iac.* 3, 2;
Conc. Carthag. (XVI), can. 6-7: DENZ. 106-107;
LEO X, *Exsurge Domine,* 15 iunii 1520, prop. 8: DENZ. 748; *Conc. Trid.,* Sess. VI, cap. 11: DENZ. 804; *ibid.,* can. 23: DENZ. 833; *ibid.,* Sess. XIV, cap. 5: DENZ. 899; *ibid.,* can. 7: DENZ. 917;
PIUS VI, *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 39: DENZ. 1539;
C.I.C., can. 902.
[4] Cf. infra notam 7.
[5] *I Cor.* 6, 9-10; *Gal.* 5, 19-21; *Eph.* 5, 5;
PIUS XII, *Allocutio* 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), pp. 73 s.
[6] PIUS XII, *Allocutio* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275.
[7] S. THOMAS, *Comm. in Matth.* 26, 75: « Item notandum, quod inveniuntur quaedam scripta, quae videntur excusare Petrum, quod non peccavit mortaliter, quia dicit Bernardus: "Sopita fuit in eo caritas, non extincta". Dicendum quod mortaliter peccavit, non tamen fuit ex malitia, sed timore mortis. Et hoc voluit dicere Bernardus quod sopita fuit »; coll. II-II, q. 24, a. 12, ad 2: « Ad secundum dicendum quod caritas amittitur dupliciter. Uno modo directe, per actualem contemptum. Et hoc modo Petrus caritatem non amisit. Alio modo, indirecte: quando committitur aliquod contrarium caritati propter aliquam passionem concupiscentiae vel timoris. Et hoc modo Petrus, contra caritatem faciens, caritatem amisit: sed eam cito recuperavit ».
Vide etiam KNABENBAUER in hunc locum *Matthaei.*
[8] Inde saepius neuroses.
[9] Sic secundum falsas theorias psychoanalyticas.
[10] *Conc Trid.,* Sess. XIV, cap. 5: DENZ. 899.
[11] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* 35 (1943), p. 235.
[12] Vide *Rom.* 13, 12; *II Cor.* 10, 4; *Eph.* 6, 10-20 coll. *Mt.* 10, 34-39.
[13] Cf. LEO XIII, *Exeunte iam anno,* ep. 25 dec. 1888: *A.A.S.* 21 (1888), p. 328.
[14] PIUS XI, *Caritate Christi compulsi,* 3 maii 1932: *A.A.S.* 24 (1932), p. 190.
[15] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* 35 (1943), pp. 234-235, coll. p. 245.

CAPUT 6

DE CASTITATE ET DE PUDICITIA CHRISTIANA

29. [*Origo et natura sexus*]. Ipse Deus « fecit hominem ab initio masculum et feminam » (*Mt.* 19, 4)[1] et teste *Eccli.,* opera Domini universa sunt bona valde (cf. 39, 21).[2] Unde etiam ea quae hac ex parte in homine naturaliter inveniuntur, per se bona et honesta sunt,[3] attamen post Adae peccatum propriam quamdam exigunt verecundiam et custodiam (cf. *Gen.* 2, 25 et 3, 7).[4] Meritis autem Christi corpora renatorum facta sunt templa Spiritus Sancti: quare in corporibus quoque humanis Deus glorificari potest ac

debet (cf. *I Cor.* 6, 19-20). Liquido igitur sequitur, ut animo simplici, reverenti, pudico et casto res, quae ad sexum se referunt considerentur atque tractentur.[5] Firma tamen hac sexus humani originali dignitate, absint oportet falsae superlationes, ac si idcirco quod masculum et feminam Deus fecerit hominem, eum proprie constituisset ad imaginem sui,[6] vel quod praecipue sexualibus homo ut talis constitueretur.[7] Hic enim in terra, licet sexus humanus gaudeat etiam aliis qualitatibus, primarie tamen ad matrimonium ordinatur, ut docet S. Scriptura (cf. *Mt.* 19, 4),[8] donec impleatur tempus, quo homines « in resurrectione neque nubent neque nubentur » (*Mt.* 22, 30), ut dixit Dominus.

30. [*Homo non dominus absolutus corporis*]. Attendendum sane est, quod Deus solus est dominus absolutus vitae hominis eiusdemque integritatis, nominatim quod attinet ad ea, quae hominem naturaliter aptum reddunt Deoque consociant in vitae humanae propagatione.[9] Unde nefas est proprium sexum iam sufficienter determinatum mutare; nec licet hominis organa genitalia mutilare [10] vel infoecunda reddere, nisi quando sanitati totius hominis aliter provideri nequeat, vel in quibusdam casibus exceptionalibus Ecclesiae doctrinae conformibus.[11] Attamen nullo in casu ius datur vel dari potest efficiendi in corpore humano transplantationem organorum animalium, cellulas germinativas secundum genus suum producentium, vel ordine inverso; [12] vel etiam germina humana utriusque sexus in laboratorio inter se uniendi, etsi, sine violentia pudicitiae et castitatis, solus et verus progressus intenditur scientiae.[13]

31. [*De castitate in solutis*]. Profecto datum est homini ius et officium dominandi impetus affectusque sexuales, per continentiae et castitatis exercitium, quo revera caro et sensus rationi, fidei illustratae, subiiciuntur et homo conformis fit Christo et Eius Virgini Matri atque angelis quodammodo assimilatur.[14] Ex divina enim ordinatione, lege etiam naturae manifesta, homo iam non eo ipso quod habeat validam sexualem potentiam consequitur ius eandem exercendi. Solo enim in legitimo matrimonio et suis quidem limitibus moralibus, ius illud obtinetur.[15] Grave igitur officium habet homo solutus, sive solitarie sive cum alio, omittendi actiones, quae natura sua constituunt potentiae proprie et specifice sexualis perfectos vel imperfectos exercendi usus aut quae in huiusmodi usum libera et conscia voluntate ordinantur.[16] Severum attendatur ad monitum Spiritus Sancti per Apostolum dicentis: « Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles neque masculorum concubitores ... regnum Dei possidebunt » (*I Cor.* 6, 9-10).[17] Immo etiam pravi contra castitatem interni actus deliberati severe prohibentur a Domino (cf. *Mt.* 5, 28; 15, 18-19). Neque dicatur haec, praesertim hodie, vitari non posse. Nam etiam soluti capaces sunt, iuvante Dei gratia, servandi castitatem, ut de ipsis quoque iam declaravit S. Tridentina Synodus,[18] et continuo docuit Ecclesia.[19] Non minus hodie quam olim, etiam pro iuvenibus, valent monita Apostoli: « Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori ... An nescitis quoniam

membra vestra templum sunt Spiritus Sancti...? » (*I Cor.* 6, 13. 19-20).[20] « Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem » (*I Thess.* 4, 7). Castitas licet neque unicus neque primus sit valor in vita morali hominum, tamen nullo modo denegari debet quanti etiam valoris coram Deo sit aestimanda casta vita illorum, qui, etiam extra matrimonium, puros et immaculatos se servant in hoc saeculo; etenim non absque ratione cum ipsa caritate etiam modestia, continentia et castitas inter Spiritus Sancti fructus adnumerantur (cf. *Gal.* 5, 22-23).

32. [*Defensio et cura castitatis*]. At castitas, tanti valoris apud Deum, ut revera servetur, efficaciter est amanda, in humilitate vigilanter custodienda, defendenda et promovenda per apta media naturalia et supernaturalia.[21] Natura quidem iam homines in hoc adiuvat per quemdam innatum pudorem, qui magis crescit et iuvat si spiritu christiano imbuitur. Pudicitia enim vere dici potest prudentia et munimen castitatis.[22] Unde non est sequenda praxis, qua actus impudici indifferentes censeantur.[23] A fortiori nec sequenda est illa quorumdam aberratio, qua iidem contra pudicitiam actus commendentur, ut, per directe quaesitam et obtentam quamdam in illis sensualem delectationem, melius quis posset servare castitatem et vitare peccatum consummatae et perfectae luxuriae.[24] Nec minus damnatur aliud extremum, quo nempe variae rationes, ordinis naturalis, immo ipsa religio et moralitas invocantur ad defendendum et propagandum proprium quemdam cultum nuditatis, nulla attentione facta ad hominum conditiones post peccatum Adae (cf. *Gen.* 2, 25; 3, 7).[25] Quod autem ad sic dictam « initiationem sexualem » attinet: etsi haec S. Synodus, ut in promptu est, rectam, pudicam et christianam educationem et institutionem de rebus ad sexum spectantibus pro singulorum conditione et exigentia commendat, reprobare tamen debet huiusmodi initiationem indiscriminatam, inconditionatam, inverecundam, promiscuam et naturalisticam.[26] Insuper cum summa aversione novit haec S. Synodus quot ac quantae sint hodie contra castitatem detestandae insidiae, quibus in hodiernae culturae quamplurimis manifestationibus, etsi datis sub specie ludi, recreationis, scientiae, artis vel laudandae pulchritudinis, de facto animi, sanguine Christi redempti, singulis momentis et quasi ubique etiam in sinu familiae ad malum incitantur, immo trahuntur.[27] Monet igitur omnes ut contra talia pericula muniant semetipsos, orationibus, ieiuniis, Poenitentiae et S. Eucharistiae sacramentis, pietate erga Virginem Mariam. Fugiant quoque occasiones.[28] Quomodo enim possunt sincero corde orare: « Et ne nos inducas in tentationem » (*Mt.* 6, 13), si tentationes ipsi libere quaerunt? Memor autem verborum Domini contra scandalizantes, Ecclesia ius et officium habet insurgendi contra scandalizantes et praesertim contra publicam moralitatis sexualis depravationem.[29] Et etiam auctoritas civilis moralitatem custodire et defendere debet mediis sibi congruis et efficacibus,[30] maxime iuvando conatus omnium, singulorum et inter se unitorum, in promovenda moralitate publica.

33. [*Quidam errores censurantur*]. Offendunt igitur graviter Ecclesiae

doctrinam affirmationes, quibus, etiam in homine normali, fere omnia, inclusis religiosis, moralibus immo supernaturalibus, veluti a priori e sexualibus sint explicanda, addita accusatione pastores animarum habendos esse inidoneos suique officii non capaces, cum haec et alia moderna postulata nesciant.[31] Error insuper est peccatum internum contra castitatem non recognoscere velle, vel ipsum peccatum externum novis et doctrinas Ecclesiae offendentibus mensurare criteriis.[32] Idcirco eodem tenore ut perfalsae habendae sunt sententiae iniuriose insinuantes actiones quas ethica traditionalis Ecclesiae tenet ut castitati offensivas, potius exigi ab ipsa natura vel a sana humanae personae evolutione.[33] Pessimum autem est tenere ipsos peccaminosos amores erga eiusdem sexus personas ut privilegium altioris culturae.[34] Insuper ut perniciosos haec S. Synodus stigmatizat errores, quibus, si credis, proprie et apprime in campo castitatis, numquam vel fere numquam essent actiones subiective graviter malae, maxime tempore iuventutis et in habitudinariis, occasionariis et recidivis, quippe quia sufficienti libertate praesumantur carere, immo etiam actiones huiusmodi asserantur inevitabiles.[35] Eousque procedit error ut ad ipsas actiones obiective graviter malas licitum dicatur aliquem inducere, ubi illa sunt tantum et ad summum peccata materialia;[36] vel etiam speciales obligationes circa castitatem tempore adolescentiae assumptae asserantur esse practice non exsistentes, cum in illa aetate a priori et universaliter praesumantur carere maturitate psychologica, atque necessaria circa personam alterius sexus experientia.[37] Tandem S. Synodus ut iniuriosos quoque repudiat errores, ac si Ecclesia per doctrinam suam de castitate et de pudicitia laederet sanam et robustam iuventutis educationem. Haec contra Deum directe diriguntur, cum ipse Deus dicat per Apostolum: « Fornicatio autem et omnes immunditia ... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.* 5, 3).

NOTAE

[1] Cf. etiam *Gen.* 1, 27: « Masculum et feminam creavit eos »; *Mc.* 10, 6: « Ab initio autem creaturae masculum, et feminam fecit eos Deus ».

[2] Cf. etiam *Gen.* 1, 31: « Viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona ».

[3] Cf. *Conc. Bracarense II* (I) (a. 561), n. 11 et 12: DENZ. 241-242; DENZ. 242: « *Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum* et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A.S. »;

et sequens n. 13: DENZ. 243: « Si quis dicit, *creationem universae carnis non opificium Dei,* sed malignorum esse angelorum, sicut Priscillianus dixit, A.S. ».

[4] Ex eo autem quod Deus sexualia in homine dederit non licet tamen deducere, ut quidam praetendunt, quod nullo velamine vel pudore cooperienda sint organa et functiones sexuales. Scribit S. THOMAS II-II, q. 151, a. 4:

« ... Nomen pudicitiae a pudore sumitur, in quo *verecundia* significatur. Et

ideo oportet quod pudicitia proprie sit illa de quibus homines *magis* verecundantur. *Maxime autem verecundantur* homines de actibus venereis, ut Augustinus dicit in XIV *De Civ. Dei* ... Verecundatur autem homo non solum de illa mixtione venerea, *sed etiam de quibuscumque signis eius*: ut Philosophus dicit, in II Rhet. Et ideo pudicitia *attenditur proprie circa venerea*: et praecipue *circa signa venereorum,* sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus ... ».

[5] Cf. PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* ubi plura habentur contra naturalismum, nulla habita ratione labis « a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae ». Atque praesertim quoad puellas Pontifex asserit: « ... sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere *summopere dedeceat* ... », cf. DENZ. 2215.

PIUS XII, *Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum*: *A.A.S.* 33 (1951), p. 736: « Antiqui Graeci et Romani ut sermone indicarent quae ad castitatem pertinent, singulari utebantur nomine: "αἰδοῖα - verenda" ea appellabant, si quidem de rebus agitur, quae *reverenti modo rationeque tractari debent* ».

[6] Dicunt aliqui quod Deus fecerit hominem ad imaginem Suam, *in quantum* masculus et femina. Haec non est quaedam solitaria affirmatio, sed invenitur apud plures.

[7] Cf. PIUS XII, *Ad Patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 733: « Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, *elle exagère outre mesure* l'importance et la portée dans la vie, *de l'élément sexuel* ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* Romae habito, 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 279: « Ces dynamismes peuvent être *dans* l'âme, *dans* l'homme; ils ne sont cependant pas *l'âme,* ni *l'homme* ».

[8] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 849, 852: « Infatti di Dio la S. Scrittura dice che creò l'uomo a sua immagine e lo *creò maschio e femmina,* ed ha voluto — come si trova ripetutamente affermato nei Libri sacri — che "l'uomo abbandoni il padre e la madre, e si unisca alla sua donna, e formino una carne sola". Tutto questo è dunque vero e voluto da Dio; ma non deve essere disgiunto dalla funzione primaria del *matrimonio,* cioè dal servizio per la vita nuova ... *Al presente,* infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici), la *necessaria autonomia,* il proprio fine e il proprio valore della sessualità, ... *indipendentemente* dallo scopo della procreazione di una nuova vita ».

Ut habeatur aliqua notitia de mente modernorum, etiam catholicorum, quoad sexualitatem, cf. Ephem. *Esprit*: fascicul. « La sexualité », nov. 1960, pp. 1695-1962.

N.B. In Constitutione consulto omissum fuit quod matrimonium sit *unicus et solus* finis sexualitatis humanae.

[9] LEO XIII, *Pastoralis officii* ad Episc. Germaniae et Austriae, in: *Acta Leonis XIII,* t. XI, p. 284 (DENZ. 1939): « ... utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae Litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut *vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus* ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 565: « Publici vero

magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam ... Ceterum, quod *ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat* ».

PIUS XII, *Sermo ad medicos,* 21 maii 1948: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. X, p. 98: « ... Il principio è inviolabile. *Iddio solo è Signore della vita* e *della integrità dell'uomo,* delle sue membra, dei suoi organi, delle sue potenze, *di quelle particolarmente che lo associano all'opera creatrice* ».

PIUS XII, Sermo « *All'unione medico-biologica di S. Luca* », 12 nov. 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. VI, p. 186: « L'uomo invero non è il proprietario, *il signore assoluto del suo corpo,* ma soltanto l'usufruttuario ».

[10] Cf. documenta in superiori nota citata.

[11] Cf. Encycl. *Casti connubii, l. c.*; Decretum S. Officii 22 febr. 1940: *A.A.S.* 32 (1940), p. 73; PIUS XII, cit. Sermo 21 maii 1948, *l. c.*: « ... non è meno illecito ... di inaridire o *sterilizzare, mediante un'operazione che nessun altro motivo giustifica le sorgenti della vita* ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 843 s.: « *La sterilizzazione diretta* — cioè quella che mira, come mezzo o come scopo, a rendere impossibile la procreazione — è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita. Anche l'autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi "indicazione" di permetterla, e molto meno di prescriverla o di farla eseguire a danno di innocenti. Questo principio si trova già enunciato nella Enciclica summenzionata di Pio XI sul matrimonio. Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente, che *la sterilizzazione diretta sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete, non ha la potestà di dispensare* ».

IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus 1960,* II, II, art. 493.

[12] PIUS XII, *Allocutio dirigentibus ac Sociis Sodalitatis italicae oblatorum « corneae »* etc.: *A.A.S.* 48 (1956), p. 460: « *La transplantation de glandes sexuelles animales sur l'homme est à rejeter comme immorale* ... ».

[13] PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana,* Neapoli indicto, 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 471: « Au sujet des tentatives de fécondation artificielle humaine "*in vitro*", qu'il Nous suffise d'observer qu'il faut les rejeter comme immorales et absolument illicites ».

Hic tamen Constitutio habet prae oculis omnia illa moderna experimenta, quae fiunt per unionem vitalium germinum humanorum, etiam independenter ab intentione foecundationis artificialis sed ad alios fines obtinendos. Multi exspectant, ut Ecclesia clare dicat in omni hypothesi illa experimenta esse illicita, quamvis legislationes civiles hucusque, quantum scimus, nihil faciant; immo materialistae occasionem arripiant publice in ephemeridibus principia divina irridendi.

[14] S. IOANNES CHRISOSTOMUS, *In Mt.* hom. 70, 5: *PL* 58, 660.

S. BONAVENTURA, *De perfectione evangelica,* q. 3, a. 3.

S. THOMAS, *Catena aurea in Matth. evang.* cap. 22, v. 30-32 ed. Parm. 1860,

p. 254 *B*: « ... sic omnes virtutes sunt *res angelicae, praecipue tamen castitas,* per quam vincitur natura virtutibus ».

S. CYPRIANUS, *De habitu virginum,* 22: *PL* 4, 462: « Cum castae perseveratis et *virgines, Angelis Dei estis aequales* ».

S. AMBROSIUS, *De Virginibus,* lib. 1, c. 8, n. 52: *PL* 16, 202-203.

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 167, 173.

[15] PIUS XII, in cit. *Allocutione* 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 472 s. habetur pertractatio specifica de intrinseca malitia peccati contra sextum.

[16] S. ZEPHYRINUS (?) in Tertulliani *De pudicitia,* cap. 1: DENZ. 43.

Conc. Lugdunense I (a. 1245): DENZ. 453: « De fornicatione autem, quam *solutus* cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam *fornicarios, quam adulteros a regno Dei* Apostolus asserat *alienos* (*I Cor.* 6, 9 s.) ».

Errores de rebus moralibus damnati in Decr. S. Off. 4 martii 1679, nn. 48-49: DENZ. 1198: « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* ». DENZ. 1199: « *Mollities iure naturae prohibita non est.* Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

Errores Zanini de Solcia, damnati litteris *Cum sicut* 14 nov. 1459, n. 7: DENZ. 717 g: « Extra matrimonium luxuriam non esse peccatum, nisi legum positivarum prohibitione, easque propterea minus bene disposuisse, et sola prohibitione ecclesiastica se fraenari, quominus Epicuri opinionem ut veram sectaretur ».

Conc. Viennense (a. 1311-1312): *Errores Beguardorum et Beguinarum,* n. 7: DENZ. 477: « Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; *actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est,* maxime cum tentatur exercens ».

ALEXANDER VII, *Errores de rebus moralibus damnati* die 18 martii 1666, n. 40: DENZ. 1140: « Est probabilis opinio, quae dicit, *esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem,* quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ».

Decr. S. Officii 2 aug. 1929: DENZ. 2201.

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 21 dec. 1930: DENZ. 2230.

Cf. etiam *errores Michaëlis de Molinos,* prop. 24, 41, 42, 47-53: DENZ. 1244, 1261, 1262, 1267-1273.

Quoad gravitatem actuum turpium, cf. S. THOMAS, *Lectura in Eph.,* c. 5, 4, lect. II: « Tria ergo vitia excludit, scilicet turpitudinem, quae est in *tactis turpibus* et *amplexibus* et *osculis libidinosis* ... Et haec omnia sunt *mortalia,* in quantum ad mortalia peccata ordinantur, quia aliquid etiam si bonum sit ex genere, in quantum ad mortale ordinatur, est mortale ».

[17] Cf. etiam *Gal.* 5, 19; *Eph.* 5, 5; *II Petr.* 2, 9 s.; *Apoc.* 22, 15.

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 182 s.: « Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: "Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te: expedit enim ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam" (*Matth.* 5,

28-29). *Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato unquam concedamus,* itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam eiusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligentia, nulla severitas nimia haberi potest ».

[18] Cf. *Conc. Tridentinum,* Sess. XXIV, can. 9: DENZ. 979; qui textus citatur infra ab Encycl. *Sacra Virginitas,* in nota sequenti.

[19] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 181: « Verumtamen etsi Deo dicata castitas *ardua virtus* est, eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi *possint.* Quapropter, si forte habeantur, "qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum " (cf. *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, c. 9), *ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse.* Nam "Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis (cf. S. AUG., *De natura et gratia,* c. 48, n. 50: *PL* 44, 271) et adiuvat ut possis" (*Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 11). Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus, quorum voluntas *ob nervorum perturbationes infirmata est,* et *quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici,* nimia facilitate suadent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — *ut eiusmodi obligatione eximantur* ».

Quoad hos textus obici nequit unice ibidem de illis qui castitatem perfectam voverint sermonem fieri. Nam si possibilitas servandi castitatem valet pro illis qui *perpetuo* se obstrinxerunt, a fortiori valet pro aliis, qui tamen cogitant se in posterum matrimonio iungi.

Alia ex parte expresse de iuvenibus etiam ait PIUS XII in *Nuntio radiophonico,* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi di vita coniugale. *Con la medesima autorità dichiariamo* oggi agli educatori e *alla stessa gioventù*: *Il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù moderna. Anch'essa ha l'obbligo morale, e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura* ».

[20] Cf. etiam *Eph.* 5, 3 ss.

[21] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A. A. S.* 46 (1954), pp. 182, 187: « Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram, *efficaciter* tueamur: *sedula* nempe *assiduaque vigilantia,* ... quae ad quaelibet pertinet nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino *necessaria* est: " Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem" (*Gal.* 5, 17). Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea "opera carnis", quae Apostolus enumerat (cf. *ibid.,* 19-21), et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet ».

[22] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus

christianae pudicitiae praecepta inculcaverint quae quidem tantopere valet ad virginitatis incolumitatem servandam et quae *castitatis prudentia* dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat, et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit ». Haec valent, uti patet, non solum pro illis qui se vovent *sacrae* virginitati: sed etiam pro omnibus solutis, qui castitatem servare debent.

[23] Hic intenditur illa erronea at divulgata praesertim inter iuvenes sententia, vid. in amorosis provocationibus vel occasionibus moralitatem non tangi, si inter se tantum *tactus impudicos agant*: praesertim si fiant ad melius inveniendum propriam coniugem. Haec divulgata et privatorum persuasio invadit campum etiam moralitatis publicae, ubi ipse pudor mensuratur ad beneplacitum depravatae hominum consuetudinis, non vero iuxta dictamina legis naturalis et christianae.

Scribit e contra Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « [Pudicitia] *verba* minus honesta non amat, et ab *immodestia* vel levissima abhorret, atque a *suspecta familiaritate* cum alterius *sexus personis diligenter cavet* ... ».

[24] Hic prae oculis habetur factum, quod, etiam hodie, aliquando saltem practice in tentationibus contra castitatem quis reputatur sibi licere ad illas superandas, tactus vel visus impudicos circa personam alterius sexus facere, ipsa consentiente. Tali modo praetendunt moderari, uti dicunt, flammam libidinis, et ideo nihil mali fieri atque ideo posse tranquilla conscientia ad sacramenta accedere.

Licet non incidatur directe in errores Michaëlis de Molinos, qui in tentationibus contra costitatem directe invisebat actionem diabolicam, tamen in istis etiam aliqua relatio cum illis erroribus inspici potest. Ita in prop. 47 condemnata ab Innocentio XI: Denz. 1267, legitur: « Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones et *actus obscoeni propriis manibus* et etiam peiora, non opus est seipsum inquietare (*Viva*: inquietari), *sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo*; quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis ».

Ut patet, fundamentum erroris *Michaëlis de Molinos* potest esse aliud, sed media et suggestiones erroneae in propositione contentae aliquam habent relationem cum istis novis suggestionibus, ab aliquibus datis vel permissis ad superandas difficultates sexuales.

[25] Hic prae oculis habetur « *nudismus* » sive ut doctrina sive ut praxis. Hodie quam maxime divulgatus est praesertim in aliquibus regionibus: uti in Gallia, in Austria, in Helvetia, in America, etc. Adsunt « campi nudistarum » quamplurimi et societates; potest etiam alia appellatione se praesentare: ut « *naturismus* » vel « *cultura libera corporis* », etc. Proponitur completa seu totalis nuditas variis rationibus commendata: scilicet philosophicis, hygienicis, paedagogicis, moralibus, socialibus, artisticis. Ipsi cultores « nudismi » non raro accusationes vehementes faciunt sive contra S. Bibliam et S. Paulum in specie, sive contra Ecclesiam, cum videantur non favere « nudismo ».

[26] Documenta Pontificia sunt plura:

Instructio S. Officii ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, 24 nov. 1875 (confirmata a Summo Pontifice Leone XIII), in: *Codicis*

Iuris Canonici Fontes, t. IV, pp. 362-365. Ibidem aliquod in genere de periculo coeducationis.

PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 71 ss.

Decr. S. Officii, 21 martii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), pp. 118-119.

PIUS XII, *Sermo ad matresfamilias italicas,* 26 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 450.

PIUS XII, *Sermo ad patresfamilias gallicos,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 732 s.

PIUS XII, *Sermo ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum,* 23 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 736: « Quocirca huiusmodi verecundia non ita accipienda est, ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat. His super rebus adulescentes consiliis idoneis *instruantur* eisque *liceat* aperire animum, sine haesitatione quaerere, responsum accipere, quod securum, perspicuum, satis explicatum ipsis lumen et fiduciam iniciat ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 282: « Un mot sur la méthode utilisée parfois par le psychologue pour libérer le moi de son inhibition dans les cas d'aberration dans le domaine sexuel: Nous pensons à *l'initiation sexuelle complète, qui ne veut rien taire, rien laisser dans l'obscurité.* N'y a-t-il pas là une surestimation pernicieuse du savoir? Il existe aussi une éducation sexuelle efficace, qui en toute sécurité enseigne dans le calme et l'objectivité ce que le jeune homme doit savoir pour se conduire lui-même et traiter avec son entourage ».

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 186: « Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum *pudorem* offendat. Atqui iusta hac in re agendi *temperatio* ac *moderatio adhibenda est*, quae a *christiana pudicitia* requiritur ».

Potest etiam addi *Instructio S. Officii,* 16 maii 1943, *Periodica* 33 (1944), pp. 130-133; ubi normae reservatae dantur « de agendi ratione confessariorum circa sextum Decalogi praeceptum ». Ibi expresse dicitur p. 132: « Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur, poenitentes docere, atque ad id nullo umquam praetextu adducatur ». Haec instructio die 4 nov. 1955 a S. S. Congr. S. Off. communicata fuit cum omnibus Episcopis.

Quoad *coeducationem,* in se sola spectatam, nihil expresse in Constitutione dictum habetur, quia res est sat difficilis ob particularia adiuncta regionum.

[27] Hic prae oculis habetur severa reprobatio omnium modernorum modorum, quatenus sunt potius oblectamenta carnis exhibita sive in quibusdam peculiaribus institutis (« Istituti di bellezza »), sive in modo se vestiendi, in *choreis* praesertim modernis, in quibusdam *concursibus pulchritudinis,* in *spectaculis,* in *imaginibus,* in *cantionibus,* in *scriptis,* in *exercitationibus corporalibus indecoris,* in *aquaticis et promiscuis balneis,* in *mundanis sylvestribus relaxationibus.* In omnibus istis pudor saepe offenditur, sine ulla animae christianae respectu. Concilium igitur hac in re silere nequit, sicut nec siluit Christus. Nam hodie scandalum eo magis crescit et divulgatur, quod ope emissionis radiophonicae, pelliculae rotantis, et televisionis id quod prius uno solo loco aspici poterat, nunc ubique terrarum videre est. Nec

minus notum est hodiernum *divarum* latriam occasionem esse scandali. In prima redactione haec erant magis specificata. Postea praevaluit ut haec omnia in Constitutione solummodo quasi velato dicantur et improbentur, ne ipsa Constitutio nimis cruda aut « veristica » diiudicaretur.

[28] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183: « Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: " Ideo fugio, ne vincar " (S. HIERON., *Contra Vigilant.*, 16: PL 23, 352). Quae quidem fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi *occasiones* diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus ... ».

[29] De isto iure et officio Ecclesiae, quod hodie a laicistis ipsi negatur, nullum dubium moveri potest, uti apparet ex frequentibus Ecclesiae documentis, in quibus contra violatores moralitatis publicae insurgit: cf.

PIUS X, Encycl. *Editae saepe*: *A.A.S.* 2 (1910), p. 357.

PIUS XI, Encycl. *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 189.

PIUS XII, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 730 ss.

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 18.

PIUS XII, Encycl. *Miranda prorsus*: *A.A.S.* 49 (1957), p. 765 ss.

[30] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 20 s.: « Alle autorità pubbliche soprattutto spetta prendere ogni cautela, perchè in nessuna maniera sia recata offesa o turbamento a quell'aura di *purezza* e di *riservatezza* che deve circondare il focolare domestico ... Noi nutriamo profonda fiducia che l'alto senso di responsabilità di coloro che presiedono alla vita pubblica verrà ad impedire le tristi eventualità ... ».

Ita etiam in pluribus aliis Magisterii documentis.

[31] Non tangitur hic *expresse* sic dictus *pansexualismus,* cum sciatur hodie inter psychologos adesse, qui negant et ipsum Freud docuisse vere pensexualismum. Hac de causa increparunt ipsum Pius XII, cum de methodo pansexuali sermonem facit, ut infra notatur. Ex alia parte constat quod *theoretice* et *practice* in vita hominum nimis elementa sexualia producuntur quasi sint unica vel saltem praeeminentia, immo explicativa realitatum etiam supernaturalium. Ideo *sexualismus* damnatur eo sensu, quo in Constitutione intelligitur. Pro hac quaestione, quidquid sit de pansexualismo freudiano, remanent ut valida documenta sequentia:

PIUS XII, Sermo 14 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 783: « Il n'est pas prouvé, *il est même inexact,* que la méthode pansexuelle d'une certaine école de psychanalyse soit une partie intégrante indispensable de toute psychothérapie sérieuse et digne de ce nom; que le fait d'avoir dans le passé négligé cette méthode ait causé de graves dommages psychiques, des erreurs dans la doctrine et dans les applications en éducation, en psychothérapie et *non moins encore dans la pastorale;* qu'il soit urgent de combler cette lacune, et d'initier tous ceux qui s'occupent de question psychiques, aux idées directrices et même, s'il le faut, au maniement pratique de cette technique de la sexualité ».

In quodam articulo cui titulus: *A proposito di psicanalisi,* auctoritative edito in *L'Osservatore Romano,* 21 sept. 1952, occasione illius sermonis Summi Pontificis,

legitur: « Aggiungono inoltre cotesti psicanalisti, che anche i sacerdoti, in cura d'anime o dedicati alla direzione spirituale delle coscienze, dovrebbero conoscere le parti sostanziali della teoria e della prassi della psicanalisi, così intesa, e persuadersi che questo mezzo non può essere trascurato, benchè essi medesimi, personalmente, non debbano usarlo, ma debbano servirsi dell'aiuto di un competente medico psicoanalista. Altrimenti è da temersi — essi sostengono — che i sacerdoti esercitino il loro ministero spirituale con pericolo e danno delle anime. Purtroppo queste idee vengono *imprudentemente* proposte e difese in articoli, libri e conferenze anche da alcuni teologi, i quali più preoccupati dell'aspetto medico, trascurano le norme stabilite dalla morale cristiana, di nuovo promulgate ed inculcate dal Sommo Pontefice ».

Evidenter neque Summus Pontifex neque praesens Constitutio vult damnare cognitionem et utilitatem istarum scientiarum, etiam ex parte sacerdotum; attamen error est omnia per sexum in pastorali animarum explicare, atque accusare pastoralem catholicam ac si hac in re Ecclesia defecerit in essentialibus quoad directionem animarum. In Constitutione scite provisum est, quod dum damnatur error, pro secunda parte tantum *describatur accusatio,* vitato tamen verbo damnationis, ne Concilium accusetur aversionis erga scientias. Habetur tamen erroris, de qua in Constitutione, descriptio et reprobatio etiam apud PIUM XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174. « Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii *procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum quasi potiorem maioremque humanae compagis* confirmandum quod iuxta doctrinam Pontificis in Encyclica ad probandam falsitatem necessitatis peccatorum sexualium, de quo errore infra dicemus; attamen per se valent etiam ad confirmandum quod iuxta doctrinam Pontificis in Encyclica citata et in aliis locis (cf. supra nota 7) reprobatur quaecumque exaggeratio elementi sexualis in vita hominis.

[32] Contra e. g. Dr. HESNARD, *Morale sans péché* et alii eiusdem libri qui ideo in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt. Pro notitia errorum ibidem contentorum, cf.: *L'Osservatore Romano,* 23-24 ian. 1956, *Psicanalisi e mitomorale,* ubi explicatur damnatio trium librorum D.ris Hesnard.

[33] Cf. apud eundem HESNARD et non paucos medicos antiquos et modernos.

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174 s.: « ... et exinde concludunt hominem *non posse* per totius vitae cursum *huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo* eius *corporis vitalia* potissimumque nervos perturbandi, ideoque *humanae personae* aequilibritati detrimentum inferendi ».

Idem PIUS XII, in *Allocut. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'ufficio specifico dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita. Alto e nobile ufficio! il quale però *non appartiene all'essenza di un essere umano completo,* come se, non venendo la naturale tendenza generativa alla sua attuazione, si avesse in qualche modo o grado una *diminuzione della persona umana.* La rinunzia a quell'attuazione non è — specialmente se fatta per i più nobili motivi — una mutilazione dei valori personali e spirituali ».

Cf. etiam PIUS XII pluribus aliis occasionibus. Licet aliqua verba directe se referant ad virginitatem et castitatem perpetuam, tamen principium moralis catholicae est sat clarum.

[34] Hodie quoque vitium *homosexualitatis* sat divulgatur; nedum de illo foedis-

simo vitio horror saltem habeatur, praetenditur illud etiam laudandum et proponendum tamquam signum superioris amoris et altioris culturae, Nam, dicitur, amare personam alterius sexus facile est; sed amare sexualiter personam eiusdem sexus non est omnium, sed tantum paucorum, qui ad hoc idonei et educati sunt. Sic intelligitur cur factum illud deplorandum propagetur scilicet etiam homines maioris ingenii huic vitio fuisse addictos.

[35] Hic agitur contra plures modernos, praesertim inter psychologos, qui libertatem sufficientem, maxime in iuvenibus et quoad peccata contra sextum non admittunt; cum e contra libertas in normalibus supponenda est quousque non probetur contrarium, ut non una vice edixit PIUS XII.

PIUS XII, *Allocutio* 26 maii 1957: *A.A.S.* 49 (1957), p. 406: « Perciò la morale e il diritto non si immobilitano in un'attitudine superata, quando affermano che bisogna dimostrare ove la libertà cessa, e non ove comincia. La sana ragione e lo stesso buon senso si sollevano contro un tale determinismo di fatto che ridurrebbe al minimo la libertà e la responsabilità ».

PIUS XII, *Nuntius radiophonicus* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « *Respingiamo,* quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano *inevitabili* le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, *quasi che non siano colpa grave,* perchè ordinariamente, essi aggiungono, *la passione toglie la libertà necessaria,* affinchè un atto sia moralmente imputabile ».

Non sine ratione et relatione ad istos errores damnatus est a S. Officio liber MARC ORAISON, *Vie chrétienne et le problème de la sexualité,* Paris 1951.

[36] PIUS XII, *Allocutio ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis Quadragesimalis*: *De praeceptis Decalogi,* 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 73, ubi data opera Pontifex sermonem facit de erroneis conceptibus quoad peccatum grave (de quibus cf. etiam supra in prima parte nostrae Constitutionis). Specifice autem quoad peccata contra sextum sic lamentatur Pontifex: « Per portare un esempio: le moltiformi deviazioni del sesto comandamento non sarebbero per il credente, il quale nel resto vuol mantenersi unito a Dio e conservarsi amico di Lui, *nessuna grave mancanza, nè importerebbe colpa mortale* ».

PIUS XII, *Allocutio* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 286, ubi agit ex professo de sic dicto « peccato materiali » et inter alia dicit: « La psychothérapie peut encore moins donner au malade le conseil de commettre tranquillement un péché matériel, parce qu'il le fera sans faute subjective, et ce conseil serait aussi erroné si une telle action devait paraître nécessaire pour la détente psychique du malade et donc pour le but de la cure. On ne peut jamais conseiller une action consciente qui serait une déformation, non une image de la perfection divine ».

Cf. etiam PIUS XII, *Allocutio* 1 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 728.

[37] Ita PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183 s.: « Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse a mundo segregandos, ut aiunt, sed mundo praesentes esse oportere, et ideo necesse est eos *aleam subire atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam obsistendi facultatem*: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque adeo quibusve perturbationibus se immunes reddant ».

Sed iam eousque hodie proceditur ut etiam relationes amorosae consulantur illis qui vovere se cupiunt castitati perpetuae. Insuper directe hic id increpari intenditur

quod affirmant multi psychologi, tempore nempe pubertatis et primae iuventutis hominem esse incapacem actus humani plene liberi et plene responsabilis. Haec pro dolor est opinio quae auditur etiam a psychologis catholicis. In Constitutione evidenter non increpatur sanus educationis modus ad castitatem, quo iuvenes et etiam clerici, si ad curam animarum destinati sunt, educantur ita, ut omnia quae debent videre vel tractare, cum animo puro et simplici videant ac tractent. Item non intenduntur conditiones extraordinariae vel pathologicae, vel impetuosae sexualitatis, quae redderent iuvenem minus aptum sese vovendi castitati perfectae vel quae possent minuere imputabilitatem. Quae omnia in singulis casibus secundum singulorum adiuncta sunt mensuranda.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Locuturus breviter de Constitutione parata « de Ordine Morali », breviter quidem, quia mihi videtur ipsam Constitutionem nitidam, claram, praecisam et syntheticam iam esse de se ipsam praesentaturam; dicam pauca in laudem eorum virorum qui adlaboraverunt huic Constitutioni praeparandae. Fuit prius una Commissio septem Membrorum expertorum in re morali, post eam, haec prima exaratio Constitutionis remissa et discussa fuit a Commissione ampliore tredecim Membrorum inter Membra et Consultores Commissionis doctrinalis (tredecim Membra, quorum tria erant Italicae nationis, decem exterarum nationum). Dein in tertio momento ipsa Constitutio examini subiecta est totius Commissionis doctrinalis in sessionibus mensis septembris anni praeterlapsi, in qua sessione erant praesentes tum Membra tum Consultores, et mirum est ipsos, additis quibusdam emendationibus et suggestionibus, fuisse concordes, unanimes in approbanda hac Constitutione, quae vobis profertur.

Dicam etiam nos sollicitos fuisse parare Constitutionem dogmaticam pro Concilio, non quidem tractatum de re morali, non tractatum de re disciplinari, non scholasticum tractatum, qui omnes quaestiones deberet tangere, sed tantummodo actum fuisse de his quae praesertim, attentis erroribus qui vastant hodie ordinem moralem individualem, familiarem et socialem, sunt aggredienda ut per sanam doctrinam expungantur errores grassantes. Igitur non actum est de singulis quaestionibus quae de peccatis agunt. Opportune observatum est a quodam altissimo Membro istius Commissionis mirum esse quod in Constitutione habeatur caput quoddam speciale pro castitate, quasi si in Ecclesia sit tantummodo conceptus quod peccata quae maxime horrenda sunt, sint illa quae sexualem vitam respiciunt. Et hoc certe habet aliquam rationem, sed in hac Constitutione ideo positum est caput quoddam speciale de

castitate quia praesertim sub hoc agmine grassantur errores circa ipsam rationem peccati sexualis. De aliis peccatis generatim non fit talis discussio doctrinalis qualis est discussio de ratione peccatorum sexualium, ut vidistis quando expunguntur quidam errores.

Ceterum, in capite IV, quando agitur de dignitate et integritate physica personae humanae, dignitate naturali et supernaturali personae humanae, recte etiam agitur de his, quae sunt contra ipsam vitam vel membrorum integritatem, et defenditur etiam in hac re vita hominum et est principium generale positum in illo capite quod non sint facienda mala ut veniant bona. Ceterum si placet Commissioni Centrali addere quoddam caput quod per summa capita etiam expungat alios errores qui videantur digni hac consideratione Commissio libenter acceptabit omnem suggestionem et adlaborabit iuxta hunc sensum sed etiam notandum est quosdam alios errores, quaedam alia capita de peccatis tractari in singulis Constitutionibus quae agunt de aliis rationibus in re morali, verbi gratia in Constitutione quae iam apparatur de ordine morali in matrimonio et familia; item de ordine morali in rebus socialibus et tunc erit quaestio de specialibus erroribus qui expungendi sunt, qui tangunt speciatim illas materias, illa obiecta quae tanguntur in ipsis Constitutionibus.

Gratias ago etiam iis qui nobis animadverterunt quosdam in latinitate errores irrepsisse in ipsa Constitutione, certe debet exspectari etiam labor peritorum in lingua latina et in stylo Curiae, in stylo conciliari, qui dabunt ultimam perfectionem Constitutioni. Sed omnes animadversiones etiam in hac re libenter excipientur.

Postea animadverto in ipsa Constitutione fuisse actum in I capite, quando agitur de fundamento, de obiectivitate ordinis moralis, quatenus a Deo est lex naturalis et positiva, quae ordinem statuit obiectivum et absolutum, ad quem referendi sunt actus humani. Ultimatim nos tractavisse simul de ordine naturali quatenus ex lege naturali et quatenus ex lege evangelica, et de lege divino-positiva evangelica actum est, simul egisse, quia sicut religio naturalis nunc absorta et elevata est in nostra sancta religione cum revelatione divina, etc. ita etiam de lege naturali et supernaturali, de lege naturali et divina, sive positiva evangelica sive non, actum est simul, quia unum quoddam constituunt, quod sit fundamentum obiectivum ipsius ordinis moralis.

Igitur hoc caput maximi momenti est, quia exponuntur errores qui sunt fundamentales, ex quibus descendunt omnia alia consectaria quae sunt eo magis perniciosiora quo magis sunt generalia.

Quod attinet ad caput II, nihil est quod addam quia agitur de conscientia. Iamvero vos scitis semper fuisse habitos errores de formatione

conscientiae. Debebam etiam dare aliquam animadversionem generalem et haec est: ego valde miratus sum quod, quando habebatur discussio de Constitutione dogmatica de Fontibus Revelationis, scil. de S. Scriptura et de Traditione, audivi per quendam adultissimum et peritissimum Virum fuisse datam notam quamdam criseos istius Constitutionis quasi esset nimis defensiva. Iamvero, mihi videtur quod conceptus necessitatis praecipue doctrinalis Conciliorum est praesertim ad defendendam doctrinam veram quia de his in quibus non datur etiam ipsa discussio, nec etiam ratio interveniendi auctoritatis. Si vos apparatis historiam Conciliorum, vos videbitis quod omnia Concilia habent fundamentum quoddam defensivum et opportunitatem ipsorum dedit ratio errorum qui grassabantur et a quibus debebat defendi christianitas.

Igitur quod attinet ad caput II, seu *de conscientia,* praesertim illi errores debuerunt notari, qui hodie agunt de colloquio, praesertim illi qui volunt rem expeditissime per colloquium cum Deo et omnibus erroribus qui postea sequuntur circa ethicam situationis, relativismum ethicum, qui passim et passim sparguntur.

Quod attinet ad caput III nihil est quod notetur.

In capite IV, in quo agitur de dignitate tum naturali tum supernaturali hominis et consequentibus officiis et iuribus, sunt quaedam maximi momenti, quae respiciunt etiam abusus quarundam auctoritatum, sicut vidistis quando agitur de defendenda integritate hominis a mediis quae adhibentur, etiam a quibusdam auctoritatibus iudiciariis in processibus, quaeque disintegrant personam humanam per media chimica, psychica et alia huiusmodi. Et ibi statuitur praesertim principium quod non sunt facienda mala ut eveniant bona. Postea agitur de peccato et in hac quaestione de peccato in genere vos scitis quod nostris hodie temporibus est valde periculosa theoria eorum qui distinguunt peccatum cum contemptu et peccatum sine contemptu Dei et dicunt generatim peccata quae fiunt sine contemptu Dei, ex debilitate, etc. non esse mortalia. Sunt multae theoriae quae sparguntur et quae licitam reddunt etiam v. gr. omosexualitatem vel res quae inter iuvenes fiunt ante matrimonium etc., et quae etiam statuunt esse non opprimendam personam cum timore poenarum et sanctionis, et obliviscuntur quod ordinis moralis Deus sit non solum auctor sed etiam testis et vindex. Igitur necessarium fuit etiam explodere errores qui respiciunt et debilitant ipsam rationem peccati. Postea est quaestio de castitate. In hac quaestione iam dixi quod si qui volunt aliquid addere generatim quoddam caput quod respiciat etiam alias classes praecipuorum peccatorum, sed noto, sicut iam dixi, quod de his multum agetur in aliis Constitutionibus dogmaticis, praesertim in Constitutione de familia, de matrimonio

et etiam in Constitutione de re sociali. Haec ultima Constitutio de re sociali, in qua multa habentur quae respiciunt etiam relationes inter homines tum relate ad vitam individualem tum relate ad ipsam vitam socialem etc. et ad publicas etiam relationes individuorum cum societate etc., multa tangentur quae forte desiderantur in hac ipsa Constitutione, sed labor istius Constitutionis est aliquatenus tardivus, quia exspectandae erant Litterae Encyclicae *Mater et Magistra,* de quibus iam cognitionem habebamus, sed, quousque non fuissent publicae, non poterant etiam haberi tamquam quaedam regula et norma ad praeparandam istam Constitutionem. Non restat nisi ut gratias agam omnibus qui dederunt iam suum auxilium in hac Constitutione apparanda et qui dabunt in hoc almo consessu. Si placet, faciam etiam aliqua addere ab ipso Secretario Commissionis qui vobis dabit ideam itineris quod fecit ipsa Constitutio ut videatis quomodo Concilium sit res sumpta tamquam res valde momentosa et quod, Deo auxiliante, speramus fore maxime utilem ipsi Ecclesiae.[1]

Relatio Rev.mi P. Secretarii Commissionis Theologicae

Satisfacturus desiderio Em.mi Card. Praesidis Commissionis Theologicae pauca addam de origine huius schematis.

Postquam medio anno 1960 materia Constitutionis magis accurate determinata erat secundum placita Romani Pontificis, Episcoporum aliorumque hac in re summe competentium, constituta fuit Subcommissio octo personarum, quarum sex semper Romae degebant. Ex illis sex, tres moralistae: unus gallus, alter germanus, tertius italus, diviso labore, fecerunt prima tentamina redactionis, quae post 14 sessiones Subcommissionis, multas discussiones, correctiones et mutationes, ita maturavit, ut mense septembri anni praeteriti offerri posset revisioni Commissionis Theologicae plenariae.

Ut hoc fieret modo maxime efficaci, mense iulio anni praecedentis, schema, a Subcommissione factum, missum fuit ad omnes socios, membra et consultores, ut si quid observandum haberent, id tempestive mitterent Secretario.

Quod fecerunt octo membra et septemdecim consultores, quibus addendi sunt nonnulli qui postea observanda sua tradiderunt.

Observationes illae, secundum capita et paragraphos recte distributae, typis expressae, occupant quinquaginta folia magna septuaginta linearum.

---

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Medio mense septembri de iis observationibus egit magna Subcommissio extraordinaria tredecim personarum per quinque sessiones trium horarum i. e. per horas quindecim.

In illa magna Subcommissione maior constituebatur pars expertis de re morali. Repraesentabantur variae scholae et octo nationes diversae.

Consideratis omnibus observationibus, post discussiones saepe sat vividas, textus fuit de novo emendatus et tredecim viri dederunt Secretario facultatem publice declarandi eorum nomine in sessione plenaria:

1) Constitutionem esse bonam Constitutionem.

2) Constitutionem reapse correspondere necessitatibus et indigentiis huius temporis.

3) Omnes emendationes fuisse factas consensu unanimi et constitutionem emendatam placere omnibus tredecim consensu communi.

In sessione autem plenaria subsequenti omnes socii prae oculis habuerunt:

1) textum oblatum a Subcommissione parva;

2) observationes factas a membris et consultoribus;

3) emendationes propositas a Subcommissione tredecim.

In plenaria relator rationem dedit de modo quo observationes ponderatae fuerint secundum valorem, et de emendationibus factis a tredecim post observationes iudicatas obiective pro merito.

Deinde singulis paragraphis brevius vel latius discussis, membra Commissionis plenariae, factis quibusdam correctionibus, tulere sententiam definitivam approbativam.

Non potest Secretarius, qui interfuit omnibus sessionibus, non cogitare, non sine speciali auxilio Dei, tamen non obstantibus opinionum, tendentiarum, scholarum, nationum differentiis, Commissionem tredecim personarum pervenisse ad talem concordiam.

Et haec de origine schematis sufficiant, manente semper promptitudine dandi, si requirentur, ulteriores explicationes.[2]

Card. OTTAVIANI: Antequam ad ipsum examen variarum dispositionum Constitutionis procedatur, duo velim attendantur: *a*) unum quidem, quod nobis iam ab Em.mo propositum fuit, quod habetur in pag. 34 lin. 4,[3] ubi agitur de quibusdam permissis et additur phrasis quaedam generalis, et in aliis circumstantiis in quibus secundum Ecclesiae doctrinam id permittitur. Notatum fuit hoc incisum posse dare ansam abusivis interpretationibus ita ut quidam, nisi istis verbis, velint suffulcire suas

---

[2] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[3] Cf. p. 45.

vanas quasdam doctrinas. Igitur ego dico quod etiam ego putarem opportunum esse quia non est necessarium: sunt iam duo exempla et sufficiunt. Igitur dicerem: opportunum esse ut supprimatur illud incisum si hoc placet Membris Commissionis. *b*) Aliud quod velim notare, quando agitur de mutatione, quando dicitur quod non licet sexum iam sufficienter determinatum mutare. Iam vero habeo quemdam timorem, nempe quod homines periti, « scienziati », dicant: quomodo possibile est, quia conati sunt mutare sexum, sed nondum adhuc mutatum fuit et nescimus utrum possibile sit mutare reapse. Igitur aliud est adiuvare naturam ut magis determinetur sexum iam inchoative determinatus et aliud est mutare prorsus. Fortasse ibi melius diceretur « conamina ad mutandum sexum illicita », sed hoc relinquo placitis ipsorum Membrorum.[4]

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. LIÉNART: Ordo moralis ad gloriam Dei promovendam et ad bonum hominis simul destinatur. In se ergo est aliquid boni et pulchri, sed ut pulchritudo et utilitas ordinis moralis hominibus huius temporis plene appareant, mihi videtur necessarium quod praesentatio istius ordinis fiat sub aspectu suo positivo et cum tota sua amplitudine.

Inde procedunt tres animadversiones sequentes.

1) In textu nobis proposito, de moralitate personali et individua praecipue agitur. Nihil dicitur de ordine morali in relationibus socialibus et internationalibus quae tamen, iudicio Ecclesiae, legi morali subiiciuntur. Homo et a fortiori Christi discipulus non solum observare debet obligationes negativas, non occidendi, non furandi, non calumniandi, non adulterium perpetrandi, sub poena peccati, habet etiam obligationes positivas iustitiae et caritatis, in ordine familiali, professionali, sociali, civili et internationali. Obligationes istae fundamentum habent in lege naturali et christiana, sicut omnes aliae, in doctrina morali Ecclesiae locum non modicum tenent, omitti non possent sine damno in Constitutione Concilii.

2) In textu proposito super « Contentum ordinis moralis » (pag. 7 a linea 34)[1] non satis apparet quod praeceptum caritatis discipulis a Domino traditum, verum sit praeceptum, legi morali anteriori additum et a consiliis evangelicis distinctum.

Christus enim aliquid novi addere voluit legi anteriori quando dixit in Evangelio: « praeceptum novum do vobis ut diligatis invicem sicut

---

[4] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[1] Cf. pp. 29-30.

dilexi vos ». Non consilium dedit sed praeceptum, adeo ut caritas signum distinctivum fieret omnium discipulorum suorum, etsi non essent in consiliis versati. Ipse curavit ut, ad observandum istud praeceptum discipulos suos muniret, et donavit illis Spiritum Sanctum ut per Eum caritas Dei diffusa sit in cordibus christianis.

Numerare ergo oportet in contentu ordinis moralis post praecepta Veteris Legis et ante consilia Evangelii praeceptum caritatis a Domino edictum, tanquam verum et novum praeceptum, ab omnibus christianis observandum; fundamentale praeceptum Legis Novae Filii Dei.

Quod valde opportunum erit in nostris temporibus quia mundus odio et egoismo traditum est et caritate christiana maxime indiget.

3) Capitulum sextum de Castitate (pag. 33) [2] iuste locum obtinere meruit in Constitutione Concilii quia multi sunt errores et opiniones periculosae qui in hac materia animas perturbant. Attamen si de Castitate tractetur in specie, oporteret etiam de quibusdam aliis quaestionibus moralibus, quae non minus controvertuntur, tractare, verbi gratia de iustitia quae praescribit deferentiam erga vitam, dignitatem, libertatem legitimam omnium hominum. Quod fieri poterit, si, secundum votum a me iam emissum, Constitutio ad moralem familialem, socialem et internationalem sese extendat.

Denique errorem typographicum denuntio pag. 37, linea 16,[3] ubi scribitur « eosque », legere oporteret, si non fallor, « eousque ».

Card. FRINGS: Constitutio de ordine morali videtur valde bona, clara et profunda. Bene distinguitur inter positiva et negativa, inter declarationes et damnationes. Bene fundata sunt omnia in Sacra Scriptura et pulchre exornata verbis biblicis. Desideratur declaratio de usu vel abusu matrimonii; sed forsan adhuc proponetur schema peculiare.

Ad n. 4: Deleantur verba « et quasi innato instinctu morali », quia verba ambigua sunt, an indicent cognitionem certam et ratiocinationem implicitam, applicationem nempe legis universalis ad casum particularem, an sentimentum quoddam mere subiectivum, sicut dicitur n. 14.

Ad n. 18: Quaeritur, an his verbis analysis psychologica omnino prohibeatur, quia essentia talis analysis in eo consistit, ut aegrotus totaliter et inconditionaliter se tradat medico.

Ad n. 21: Concedendum est in historia Ecclesiae fuisse tempora vel loca, in quibus revera mala terrena, specialiter socialia, minus quam

---

[2] Cf. p. 44.

[3] Cf. p. 47.

recte aestimabantur; forsitan etiam hodie in aliquibus locis talia inveniuntur.

Ad n. 25: Loco « statibus mere psychologicis » dicatur « statibus mere psychicis ».

Ad n. 31: « Grave igitur officium habet homo etc. »: quaeritur, an his verbis definiatur doctrina in luxuria non dari parvitatem materiae.

Ad n. 32: Estne prohibita *omnino* initiatio sexualis promiscua?

Ad n. 33: Nihil dicitur contra pericula habitudinis, quae dicitur « Prüderie ».

Card. DÖPFNER: Schema propositum signa profundae deliberationis ac diuturni laboris praesefert et rem tractandam clare ac concinne exponit, unde Commissioni Theologicae enixe gratiae agendae sunt. Statuuntur ibi principia quaedam fundamentalia, in quibus vita christiana radicatur; opiniones ambiguae et erroneae necnon tendentiae periculosae hisce temporibus mores labefactantes recte deteguntur et reiiciuntur. Traduntur etiam normae praecisae utiles et grato animo recipiendae. Insuper modus quo proceditur optima quoque elementa continet, ut patet v. gr. ex concilianti et persuadenti locutione de conscientia caritate Christi signata (cap. II, n. 11, pag. 15) [4] vel de profectu in via iustitiae (cap. V, n. 26, pag. 29).[5] Ex quibus patet redactores memores fuisse intentionis Summi Pontificis, qui vult, ut concilium sit manifestatio fidei et caritatis Ecclesiae coram populis.

Attamen non abesse videntur defectus quidam, unde schema diligenti examini iterum submittendum esse censeo. Rogo Commissionem Theologicam, ne recuset laborem denuo suscipiendum pro Ecclesiae necessitatibus tam urgentem simul et meritorium.

In nova redactione commendantur sequentia:

A) *Generaliter*:

1) Tenor Constitutionis aliquomodo nimis negativus substituatur positivo, ut magis eluceat moralitatis christianae indoles, dignitas, pulchritudo, suavitas, robur.

2) Loco praeponderantis philosophiae abstractae, quae ex se sola mentes hodiernas non attrahit, initium sumatur potius ex mysterio revelato.

3) Ratio semper habeatur actionis salvificae Dei et historiae salu-

---

[4] Cf. p. 34.

[5] Cf. pp. 42-43.

tis, in cuius centro est Christus, qui nobis dedit legem fidei, gratiae et caritatis, et cordibus nostris infundit Spiritum Sanctum, ut caritate moti in regnum eius tendamus et simul eminenter ea impleamus, quae facienda lex sive naturae sive positiva iubet, ad quorum executionem tamen sola lex externa ex sese non dat virtutem, teste Sancto Paulo: « Per legem enim cognitio peccati... iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi » (*Ep. ad Rom.* 3, 20-22).

4) In tractandis erroribus initium sumatur ab orientatione positiva, tunc statuantur etiam limites et monstretur, quomodo error revera privet personam humanam suis intimis valoribus et perfectione. Numerus errorum explicite citandorum potius reducatur, sic reprobationes efficaciores evadunt.

5) Tendentiae hodiernae non solum quoad pericula et damna diiudicentur, sed etiam pensentur genuina desideria eis subiacentia et monstretur, quomodo ex parte Ecclesiae his consuli possit. Haec cura regat etiam modum exprimendi veritatem catholicam, ne sine necessitate fratres separati offendantur.

6) Magis adhuc respiciantur intentiones Summi Pontificis, qui desiderat, ut Concilium corroboret fidem fidelium et invitet homines extra Ecclesiam versantes, eo quod det testimonium splendidum et attractivum suae missionis salutiferae.

B) *Speciatim*:

Ad Caput I^{um}: *De fundamento ordinis moralis.*

Ad n. 1. Cum visione scripturistica modo enuntiata melius conveniret, si hoc primum caput inciperet cum *actione salvifica Dei in Christo,* qua nobis revelata et cordibus inscripta est voluntas sanctificatrix Dei.

Nimis abrupte introducitur terminus « ordo moralis » — conceptus utique rectus et necessarius — tamen magis philosophicus quam biblicus.

Hic terminus abrupte introducitur cum verbis Apostoli: « Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra »; sed aperte hic dominatur terminus philosophicus, ad quem refertur terminus biblicus, qui directe non hoc enuntiat.

Proponitur emendatio in hac directione:

Ad n. 1, p. 5,[6] linn. 1-7. Deus, infinite bonus et infinite sanctus, revelando in opere creationis et redemptionis mysterium sanctitatis suae et amoris sui, hominibus monstravit vias vitae et iustitiae, id est ordi-

[6] Cf. p. 28.

nem sui amoris. Sacrum ergo Concilium memor effati Apostoli: « Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra » solemniter profitetur inditam esse in cor hominis legem Dei, qua mensuratur honestas vel inhonestas actuum humanorum. Haec ordinatio divinae sapientiae ab hominibus...

Lin. 10. Hunc ordinem moralem lege naturae et gratiae statutum observando, homo...

Ad n. 2. Numerus secundus aliquomodo abstractus! Debentne haec omnia dici hic et sic? Quaeri potest etiam, utrum iam in hoc capite de consiliis evangelicis explicite loquendum erit?

Ad n. 3 (linea 23 et sequentes paginae 6).[7] Modus loquendi in uno halitu et de lege illa necessaria, quae regit cursum rerum, et de lege morali, cui se conformare debent liberrime homines rationales, speciali modo offendet fratres separatos. Etiam ex ipsa natura rei melius esset, si hic maxima illa differentia inter ordinem rebus impersonalibus necessario impositum et ordinem moralem hominibus inditum et libertati propositum praeprimis explicaretur. Quod ita fieri posset (p. 6, linn. 23-27): Deus qui universum mundum sua sapientia dirigit, homini donavit legem libertatis, ut sequendo Creatoris et Redemptoris sui ordinationem natura et gratia participatam vera gaudeat virtute et dignitate. Sic sanctitas et sapientia Dei et ipsius hominis bonum immutabiliter exigunt, ut omnis libera operositas regatur lege aeterna. Ideo...

Ad n. 4 (initium). Textus prout iacet aliquas creat difficultates:

1) Videtur, quod terminus « voluntas *sanctificatrix* » paene eodem sensu adhibetur pro lege naturali, quae « per lumen naturale rationis innotescit », ac lege gratiae, quae per operationem supernaturalem Spiritus Sancti fide innotescit. Estne conveniens et secundum traditionem, ut loquamur de voluntate Dei sanctificatrice explicite et quodammodo separatim quoad legem naturalem et lumen naturale rationis?

2) Legi naturali iuxtaponitur « lex Dei *positiva* ». Sic autem — saltem primo intuitu — oritur impressio, ac si *lex nova* non esset aeque et magis indita homini per operationem Dei ac lex naturalis. Praeterea iuxtaponitur una ex parte « lumen naturale », alia ex parte « lex Dei positiva ». Primum est aliquid homini inditum, aliud videtur solummodo aliquid, quod ab extrinseco advenit. Lumini naturali rationis corresponderet magis *lumen fidei,* qua homini innotescit lex gratiae. Praeterea — praesertim quia textus prosequendo paene exclusive de lege naturali loquitur — oritur falsa impressio, ac si « lex positiva » praeprimis esset maior clarificatio et amplificatio legis naturalis. Sic chara-

---

[7] Cf. p. 29.

cter specificus legis novae magis obnubilatur quam clarificatur. Proinde lex nova, « lex spiritus vitae in Christo Iesu » (*Rom.* 8, 2) non accipit suum locum et momentum.

Ad n. 4, p. 7,[8] linn. 2-3. « ... Creatorem; altero per revelationem Dei supernaturalem et interiorem lucem fidei, qua data est clara et expedita cognitio legis naturalis et insuper novae illius legis, quae ex ordine et gratia Foederis profluit. Quod enim... ».

Linn. 24 et seqq. Rogari potest, cur hic solummodo de officio Ecclesiae quoad legem naturalem mentio fiat. Supernaturalismus exaggeratus in moralibus certe hodie non est maius periculum quam naturalismus excessivus. Magis correspondet internae consequentiae capitis de lege naturali et de lege evangelica, ut primo loco praedicatio legis evangelicae, legis fidei et gratiae evocetur.

P. 7, linn. 24-28. « Hac de causa Ecclesia, cui Christus depositum fidei concredidit et quam per Paraclitum omnem docet veritatem (cf. *Io.* 16, 13), annuntiat plenam legem vitae in Christo Iesu, id est legem Creatoris et Redemptoris: ius ergo et obligatio magisterio Ecclesiae competit... » (linea 28 prosequitur).

Ad n. 5. Oritur impressio ac si perfectio christiana essentialiter in observatione stricta consiliorum evangelicorum consisteret, cum tamen haec solummodo viam particularem, utique praecelsam, realisationis perfectionis demonstrent, quae est in « lege perfecta » caritatis. Caritas simpliciter est « via perfectionis » *pro omnibus baptizatis*. Propterea transitus logicus a lege caritatis ad consilia inserendus est (p. 8,[9] linn. 1-2): Per caritatem autem, qua ipse Deus nos dilexit (cf. *Eph.* 2, 4; *I Io.* 4, 10 sq.) et quae per Spiritum Sanctum infusa est cordibus nostris (cf. *Rom.* 5, 5) omnibus baptizatis monstrata est via regalis et excellens (cf. *I Cor.* 12, 31; 13) et omnibus dictum est: « Estote perfecti » (cf. *Matth.* 5, 48). Caritas est enim « vinculum perfectionis » (*Col.* 3, 14).

Tunc prosequatur textus sic: « Insigne vero testimonium pro lege gratiae et caritatis est illa specialis via perfectionis christianae, qua... ».

Ad n. 6 (in genere). Forsitan hic numerus de novo componendus erit, saltem plures mutationes faciendae desiderantur.

Multi damnantur errores, non autem ille, qui in hoc saeculo naturalistico grave forsitan periculum pro fidelibus constituit: Sunt enim multi, qui considerant legem evangelicam simpliciter vel primarie tan-

---

[8] Cf. p. 29.
[9] Cf. p. 30.

quam legem « *ab extra* » (cf. lineam 30^am^ in hac pagina [10]) impositam. Immo Deus respicitur tamquam alienus, qui nonnisi « ab extra » legem, legem ergo alienam, « imponit ». Episcopi, qui praecones *Evangelii* sumus, desideramus hic explicitam etiam directionem positivam quoad notam characteristicam legis novae. Hoc optime fieri posset cum verbis Sancti Thomae: « Id autem, quod est potissimum in lege Novi Testamenti, et in quo tota eius virtus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quae datur per fidem Christi; et ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti, quae datur Christifidelibus » (*S. Th.* I-II^ae^ q. 106 a. 1).

Textus in hoc numero loco apto introduci potest: S. Synodus instanter autem in memoriam fidelium revocat, quod S. Thomas, fidelis interpres S. Scripturae et testis Traditionis, nervose docet: « Id autem... » (sequatur textus S. Thomae modo citatus!). Nec tamen obliviscendum est, quod lex nova, quae « principaliter est indita » (l. c.), « secundario autem est lex scripta » (l. c. versus finem articuli). Ergo ab extra etiam christiani edoceri debent de recta interpretatione et observantia legis evangelicae.

Ad n. 6, p. 8, lin. 15 (« haud raro tamen non absque gravi culpa »). Est fine finaliter quaestio *facti, quoties* talia peccata mortalia subiectiva « magis ex fragilitate quam ex pravitate » committantur. Melius esset, si textus evitaret iudicium de facticitate. Cautius dici posset: « Ecclesia autem non consentire potest eis, qui asserunt numquam esse peccatum grave, ubi magna est fragilitas ».

Lin. 25. Cautius et clarius loquendum videtur, si error damnatur, nam textus nimis dicit. Forsitan sic: « Sunt qui asserunt intellectum, ne post revelationem quidem supernaturalem, nec cum Dei gratia vera certitudine in re morali gaudere posse ».

Lin. 30. Lex non est simpliciter, nec « principaliter » (S. Thomas!) « ab extra imposita ». Emendetur ergo: « ... a Deo aut ab humana auctoritate... ».

Lin. 35 sqq. Hic damnatur error, qui in tali forma a nemine asseritur. Potius praxis talis crudelis habetur, quae tamquam consequentia errorum improbari potest.

Ad Caput II^um^: De conscientia christiana.

Ad n. 7, p. 13,[11] lin. 1. « Hic ordo dirigit et ducit... ». Termino abstracto attribuitur actio, quae est actio Dei. Melius ergo: linn. 1-7: « Hic ordo moralis, de quo fideles luce rationis et fidei edocentur, valet

---

[10] Cf. p. 30.

[11] Cf. p. 33.

pro conscientia omnium. Per eum enim Deus dirigit conscientiam singulorum, quippe quae si recte efformata est, eos in eorum iudiciis practicis de honestate propriarum actionum momento decisionis videre facit, quid... ».

Conscientia non per meram propositionem externam, sed essentialiter etiam per internam illustrationem fit praeco Dei, Christi. Lin. 10: « ... conscientia operatione Spiritus Sancti illustrata et roborata veluti praeco... ».

Ad n. 9, p. 14,[12] lin. 23 sq.: « Tanta est ordinis obiectivi vis... ». Hoc ab omnibus non excultis immo etiam a multis hominibus cultis non intellegitur. Et videtur, quod tali modo validitas ordinis obiectivi magis infirmatur. Forsitan sic emendari poterit, linn. 20-28: hoc non venit ex mera persuasione, sed ex sincera et integra voluntate talis hominis sese plane conformandi cum ordine obiectivo. Deus autem nil magis odio habet quam agere contra conscientiam, dicente Apostolo: « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est » (*Rom.* 14, 23). Qui ergo bona fide circa honestatem obiectivam errant, tamdiu a culpa alienus manet, quamdiu haec bona fides sine culpa perdurat. Cum vero talis error inculpabilis saepe ipsi homini erranti et communitati damnum afferat, de solidari responsabilitate christianorum in formanda recta conscientia fratrum monemur.

Ad n. 10, p. 14, lin. 36 sqq. Textus innuere videtur quod independentia creaturae a Deo et ordine morali demonstraret aliquam libertatem et dignitatem specialem. Re vera autem non est nisi miseria.

P. 14, lin. 36 - p. 15,[13] lin. 2: « Vera autem libertas filiorum Dei et vera personae creatae dignitas nonnisi in libera dependentia a Deo habetur ».

Ad Caput III^um: De subiectivismo et relativismo ethico.

Totum caput et praesertim n. 12 non satis correspondent doctrinae Sacrae Scripturae de diversitate et divitiis donorum specialium et de « signis temporum » uti in verbo « kairòs » exprimitur. Forsitan in loco textus negativi et restrictivi in linea 2, p. 19,[14] emendari potest: « ... diversitatem, quam " operatur unus atque idem Spiritus dividens sicuti vult " (cf. *I Cor.* 12, 11), minime tollere universalia... ».

Sic simul diversitas magis positive demonstraretur et simul ultima et profundissima ratio adduceretur, talem diversitatem non tollere uni-

[12] Cf. p. 34.
[13] Cf. p. 34.
[14] Cf. p. 36.

tatem. Et saltem indirecte per citationem cap. 12 ep. 1 ad Cor. indicaretur, quanti momenti pro aedificatione Corporis Christi fidelis acceptatio diversitatis donorum Dei sit.

Ad n. 14, p. 19,[15] lin. 36 sqq. Ne videatur ac si intentio et opus mere iuxtaponantur (« praeter ») haec parva emendatio desideratur:

« Ipsa enim intentio hominis non est recta. si quis negligit investigare et implere divinam voluntatem mandatis suis expressam ».

Ad n. 15, p. 20.[16] Dolendum esset, si impressio oriretur, ac si Concilium de caritate et dilectione primarie non positive loqueretur, sed magis in anxietate de periculis cogitaret, quae cum falso amoris conceptu excitari possunt. In fine huius numeri additur solummodo, quod caritas probari debet in observatione mandatorum — et recte quidem; sed sine difficultate posset adiici positiva orientatio ab ipso S. Augustino in tali adagio data: « dilige et quod vis fac » (*In ep. Iohannis ad Parthos* tr. VII, 8; PL [MIGNE] 35, col. 2033): quod nempe caritas cum fide est vere radix et mater conscientiae purae et fidelis. Proponitur additio in sensu sequenti:

Ad n. 15, p. 20, lin. 35: Observantia, cum de vera dilectione proximi, per quam fides operatur (cf. *Gal.* 5, 6) valeat: « Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum » (*Gal.* 5, 14). Et iterum: « Qui enim diligit proximum, legem implevit; nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quid est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 8 sqq.). Sic Apostolus loquens de « caritate Spiritus » (*Gal.* 5, 13) nos docet de discretione spirituum, ut Spiritu ambulantes fugiamus « desideria carnis » (*Gal.* 5, 16). Et ipse Dominus monet: « Si... » (textus ut in lineis 35 sqq. habetur).

Ad Caput IV^{um}: De dignitate personae.

Ad n. 16, p. 23,[17] lin. 9 sqq.: « Absit autem... ». Nulla est ratio, cur talis veritas perpulchra modo negativo proponatur. Potius positive loqui possumus:

P. 23, linn. 9-12. « Haec autem humanae personae dignitas et fide dogmatum proclamatur et morum disciplina legibusque ecclesiasticis munitur, et non pure splendet nisi in eis, qui fide, spe et caritate et filiali oboedientia Deo sese subiiciunt. Deo enim servire regnare est ».

---

[15] Cf. p. 37.
[16] Cf. p. 38.
[17] Cf. p. 39.

Ad n. 17. Tota huius numero compositio desideratur magis constructiva. Primo enim intuitu videtur maximum periculum pro libertate personae venire a sociologis, qui aliquando *nimis generalizando* illam libertatis diminutionem, quae ex pessimis structuris socialibus, ex spiritu corrupto et ex psychopathiis oritur, prae oculos demonstrant. P. 24,[18] linea 4 et sequenti insinuatur, quod zelus horum hominum nonnisi in hoc habetur: negare responsabilitatem personalem ac proinde offensionem Dei. Sed res ex experientia nostra pastorali alium etiam aspectum praebet: Illae investigationes, si recte instituuntur et explicantur, *vias efficaces ad recuperandam pleniorem libertatem* demonstrant et praesertim magnam, immo saepe *permagnam responsabilitatem* et culpam eorum inculcant, qui quinque talenta acceperant et noluerunt ea adhibere in vera solidarietate. Procedendum ergo sic — uti nobis videtur —:

1) Loquendum de illis permultis et periculosis causis, ex quibus saepe diminutio libertatis multorum habetur.

2) Studia et investigationes, quae tales causas explorant, laudantur et commendantur.

3) Monetur deinde, ne falsae generalizationes fiant, ac si hodie omnino homines *generaliter loquendo* incapaces essent « actum vere liberum » ponendi.

4) Solidarietas ad superandas illas causas pessimas inculcatur.

5) Benigna compassio cum illis, qui in usu libertatis adhuc debiles sunt, semper unita esse debet cum zelo pro causa libertatis, ita ut omnibus et singulis clarescat, quomodo recte utendo libertate adhuc imperfecta personaliter et solidarie condiciones meliores pro plena evolutione libertatis omnium efficiamus.

Ad n. 20, in pag. 25,[19] lin. 21, expressio « res sacrae » deleatur. Protestantes etiam benevoli non raro aegre ferunt tales expressiones, ac si gratiam aliquid in se sistens et solutum ab actione Dei consideraremus.

Ad nn. 20 et 21. Rogo ut in his duobus numeris adhuc magis positive delineetur responsabilitas christianorum quoad res temporales et praesertim quoad nova media technica, e. g. in n. 21 prima propositio hoc sensu facile mutari potest.

Ad nn. 20 et 21, pag. 26,[20] lin. 4. Ad evitandam falsam impressionem

---

[18] Cf. p. 39.
[19] Cf. p. 40.
[20] Cf. p. 40.

lamentationis pessimisticae suadetur, ut in hac linea post « regno Dei » inseratur « haud raro » vel simile quid.

Ad Caput V^{um}: De peccato.

Ad n. 22: Optime textus incipit proclamando actionem liberatricem Christi. Attamen haec veritas fundamentalis et insuper applicatio eius ad singulos magis illustrari posset per textum *Rom.* 8, 2.

Ad n. 22, p. 28,[21] linn. 1-4. Dominus noster Iesus Christus per mortem suam piissimam regnum utrumque tam peccati quam mortis destruxit. Quoscumque Spiritu baptizavit, vere liberavit a dominio peccati, si spiritu ambulant, dicente Apostolo: « Lex enim spiritus vitae in Christo liberavit me a lege peccati et mortis » (*Rom.* 8, 2). Nihilominus... (textus, uti in linea 4 habetur, prosequitur).

Ad n. 23, p. 28, linn. 15-22. Constructio difficilis intellectu. Forsitan sufficit parva mutatio in linea 19 et 21:

Ad n. 23, lin. 19: amplect*endo* (« enim » deleatur!) cum plena...

Ad n. 23, p. 28, lin. 21: ac deser*endo* media...

Ad n. 24, p. 29,[22] lin. 8. Facile evitari potest verbum nimis usitatum « graviter » mutando: contradiceretur *aperte*...

Ad n. 25, p. 29 [23] propositio in linn. 23-25 plane deleatur vel addatur in linea 24 post verbum « sunt »: « merus » (scil. effectus). Nam praeter sensum theologicum peccati adest etiam realitas psychologica, nempe *insatisfactio et frustratio,* quae naturaliter sequitur ex peccato et, nisi per reditum ad Deum superatur, fovet nova peccata.

Ad n. 27, p. 30,[24] lin. 16. Loco « generatim » melius « *saepe* », ne exaggeratio minuat vim textus.

Ad Caput VI^{um}: De castitate.

In textu laudabiliter dicitur clare, quod Constitutio castitati non vult dare locum omnino singularem. Tamen si in tota hac Constitutione praeter principia generalia de ordine morali nonnisi de castitate tractatur, tunc talis impressio oritur.

Melius esset, si totum hoc caput de Castitate et Pudicitia, quod ceteroquin vere habet suam utilitatem et actualitatem, insereretur speciali Consitutioni de Matrimonio et Familia, cum etiam theologice sic tota pulchritudo et natura castitatis melius consideretur sub luce earum veritatum, quae sunt circa mysterium matrimonii et mysterium virginitatis.

---

[21] Cf. p. 42.
[22] Cf. p. 42.
[23] Cf. p. 42.
[24] Cf. p. 43.

Concludo. Firmam habeo persuasionem, quod Constitutio de ordine morali secundum hic proposita principia emendata certe magnum fructum habebit, fideles voluntatem divinam non solum cognoscere sed etiam amare iuvabit, in non-catholicos positive et modo attrahenti influet et Concilio ipsi honori vertetur.

Card. RICHAUD: In tam mirabili et opportuna Constitutione, praecise allata ab Em.mo Relatore, de linea 4, in pag. 34,[25] respondet plene ad animadversionem quam exponere postulavi; sed in capite V: De peccato, pag. 29,[26] lin. 9, delerem libenter omnia verba haec: « Ecclesia enim tamquam reapse lapsos » usque ad « culpam suam amare deflebat ». Etenim motiva allata insufficientia mihi videntur in lin. 9 quia tunc in tempore lapsorum non ita distinguere solebant sicut hodie inter peccatum obiective grave et peccatum etiam subiective grave. Quid cum certitudine dicere possumus de his qui lapsi sunt post inchoata tormenta dum aequilibrium mentis iam substantialiter tolli potest; gratia non semper facit miracula. Inde argumentum allatum ex se non probat, quia Ecclesia olim statuit in foro externo sed non in foro interno, de quo agitur si quaestio sit de peccato subiectivo. Insuper, quoad S. Petrum, nescimus ex Scriptura, et puto ex Traditione, si S. Petrus subiective mortaliter peccavit. Etiamsi dixisset se novisse Christum, Christum non salvasset. Proinde potuit S. Petrus utique peccando at non mortaliter velle se salvare et nihil amplius. Etiam pro Iuda numquam Ecclesia decrevit eius damnationem. Graviter est supponere quod in Ecclesia ex sententia in foro externo concluditur ad culpabilitatem in foro interno. Non possumus iudicare intimam conscientiam, etiam S. Pontifex, quia hoc non est factum dogmaticum; attamen in casu canonizationis exceptio fit. Sed est exceptio pro uno rarissimo inter multos ex argumentis exterioribus et extraordinariis.[27]

Card. ALFRINK: Constitutio in genere valde bona doctrinam catholicam de quibusdam capitibus in re morali positive — etsi breviter — exponit, et errores diversos abundanter — forse abundantius — repellit et condemnat.

Incipiendo dicere vellem me omnibus adhaerere quae in ista constitutione proponuntur vel condemnantur.

---

[25] Cf. p. 45.
[26] Cf. p. 42.
[27] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Nihilominus quasdam animadversiones generales facere liceat, quae postea quibusdam exemplis illustrare vellem.

1. Quaedam — forse multa — videntur nimis generaliter dicta — sine necessariis explicationibus vel modificationibus — ita ut aliquando enuntiata prout stant non sint vera.

2. Quaedam — forse multa — nimis superficialiter videntur dicta — sine necessariis distinctionibus — ita ut praesertim condemnationes saepe nimis indiscriminatim sint factae.

3. In Constitutione multi errores condemnantur, qui errores revera condemnandi sunt. Sed nihil umquam dicitur de valore et veritate obiectivis qui in istis erroribus nonnumquam inveniuntur et qui ratio sunt cur isti errores ab hominibus saepe honestis et sat bonae voluntatis, sed inculpabiliter errantibus docentur. Idcirco Constitutio facit impressionem sat negativam quia errores quidem unilateraliter condemnat, sed homines errantes non respicit. Ideoque Constitutio paucos convincet, et apud multos resistentiam provocabit. Non solum apud catholicos, sed etiam apud acatholicos. Oblivisci non debemus Concilium non tantum loqui Ecclesiae. Etiam extra Ecclesiam permulti sunt qui attentissime exspectant quid Concilium dicat. Ecclesia in Concilio adunata debet illos allicere, non repellere. Ideoque Ecclesia non tantum loquatur ut Magistra, sed etiam ut Mater. Et praecise in ista periodo hodierna maximi momenti est ut Ecclesia se demonstret ut Mater omnium errantium, non tantum condemnando, sed etiam et praesertim demonstrando se errantes amare, comprehendere et eorum necessitatibus obviam venire velle ut eos ad veritatem alliciat et deducat. Mundus hodiernus ab Ecclesia exspectat verbum Divini illius Magistri: « *Misereor* super turbam ».

4. In ista Constitutione desiderantur problemata diversa ordinis moralis quae hodie mentes et conscientias hominum tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam maxime movent et perturbant. Inter quae:

a) quaestiones diversae de fine et de usu matrimonii;

b) quaestiones de bello gerendo cum armis nucleariis;

c) quaestiones de tolerantia in re religiosa.

Nisi fallor mundus hodiernus precise in istis quaestionibus ab Ecclesia et Concilio responsum exspectat quo se generi humano ut Matrem et Magistram exhibet. Sed Commissio Theologica de istis forse in aliis Constitutionibus tractabit.

En quaedam exempla:

1. In n. 6 (p. 8 [28]) condemnantur qui, negantes Deum personalem, legem naturalem privant suo fundamento. Si Constitutio, cum doctrina

[28] Cf. p. 30.

Ecclesiae, tenet legem moralem naturalem in natura hominis suum fundamentum habere, et — sicut dicitur in n. 4 — « innotescit per lumen naturale rationis, reflectentis in humanam naturam », dicere quidem possumus negantes Deum personalem legem naturalem privare suo fundamento *ultimo,* etsi statuunt legis naturalis fundamentum *proximum.*

Insuper, inter istos homines, qui forse inculpabiliter Deum personalem negant, etiam sunt qui honeste et bona intentione legem naturalem — etsi saepe errant — quaerunt. Quare ergo Ecclesia illos homines sic acriter condemnaret quin eorum bonam intentionem agnoscat?

Et dicere possumus de iis *indiscriminatim* — sicut in regula 39 huius paragraphi fit — quod claudunt portam regni caelorum nec alios sinunt introire?

2. In n. 17, regula 20, recte condemnatur eorum opinio qui autumant in situatione hodierna ex diversis rationibus homines rarissime plena libertate morali gaudere. Sed quare haec non alio modo dicuntur — concedendo nempe omnes istas rationes enumeratas saepe revera magnum influxum habere in libertatem humanam, sed ex eo non posse concludi hominem semper vel fere semper sua libertate *plene* privari.

3. In n. 18 et saepius hodierna scientia psychologica et psychiatrica non quidem sine restrictione condemnatur, sed cum magna cautela tractatur. Et revera saepius cum magna cautela tractanda est. Sed quare non dicitur quod scientia ista necessitatibus hodiernis saepius etiam magnam affert utilitatem?

4. In n. 24 (pag. 29,[29] regula 7 et seq.) — de quo iam Card. Richaud — nescio an quae hic dicuntur modo sic generali de negatione Christi tempore persecutionum, pro fratribus nostris persecutis in regionibus per communistas occupatis iusta sint et caritate plena.

5. In n. 30 (pag. 34,[30] regulae 3 et 4) — ubi dicitur « organa genitalia mutilare vel infecunda reddere » permissum esse « in quibusdam casibus exceptionalibus Ecclesiae doctrinae conformibus » — nonne melius esset hic modo minus generali loqui et casus istos exceptionales enumerare?

6. In n. 33 (pag. 37,[31] reg. 6 et seq.) iure condemnatur omosexualitas. Sed quare Ecclesia hic non demonstrat suam misericordiam maternam erga homines miseros ista dispositione physiologica affectos? Si Ecclesia nihil facit ac istam condemnationem proclamare, forse melius nihil diceret de ista materia. Quod homines isti ab Ecclesia exspectant,

---

[29] Cf. p. 42.
[30] Cf. p. 45.
[31] Cf. p. 47.

est visio quaedam christiana de sua situatione humana — visio nempe christiana cum qua vivere possunt ut homines forse non omnimodo felices sed saltem in sua situatione contenti et ut boni christiani. Cum sola condemnatione problema hoc non est solutum. Et hoc quidem valet pro multis condemnationibus in hac Constitutione contentis.

Exemplis autem sat est. Facile multiplicari possunt. Quaerere auderem ut Commissio Theologica vel forse commissio quaedam parva ex Commissione Theologica — sed commissio hominum peritorum qui cognoscunt et doctrinam catholicam et necessitates mundi hodierni — Constitutionem istam de ordine morali alio spiritu reficiat ita ut in isto documento Ecclesia non tantum ut Magistra agnoscatur, sed etiam ut Mater quae non tantum reprobat et condemnat, sed etiam miseriae humanae condolet — bonum quod in hominibus adest agnoscit, laudat et stimulat — arundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit.

Card. LARRAONA: 1) Admirationem certo movent Schemata a Commissione Theologica praesentata, tam soliditate et amplitudine doctrinae, quam ex accuratissima et clara qua proponuntur forma, et pariter ex documentis allegatis quibus ipsa declarantur et vindicantur.

2) Aliqua non immerito quaeri sincere et humili mente possunt ex quibus scopus Schematum clarior evadere debet et criterium fieri securius ad animadversiones si quae faciendae obvenerint redigendas.

3) Hae fere quaestiones sunt:

— An Decreta omnia et integre tamquam stricte dictam infallibilem doctrinam continentia proponantur?

— An canones redigendi erunt in quibus doctrina definienda perstringetur?

— Quanam theologica censura vis et vigor Decretorum generalis fulciendus est?

4) Quoad notas, documentationis seu indicationis etc. causa appositas, ut ipsae nunc sunt conservabunturne, vel ex adverso perstringentur et relicta forma polemica, ad ea circumscribentur quae textum confirmant vel fundant?

Rev. BROWNE: 1) Quoad doctrinam: haec ubique, vel fere ubique, bona et solida est, quandoque tamen minus clare expressa.

2) Mihi tamen videtur quod redactio, seu digestio, eiusdem quadam mensura meliorari adhuc posset.

3) Latinitas quoque quandoque imperfecta videtur.

4) In concreto auderem ea quae sequuntur ad Schematis meliorationem suggerere:

a) In cap. 1, par. 2, pag. 5,[32] linea 23, minus apte distinguitur terminus *obiectivus* contra *absolutus*. *Absoluto* enim opponitur *relativum*.

b) In cap. 2, pag. 13-15,[33] *de conscientia christiana* nullibi fit mentio muneris virtutis cardinalis *prudentiae* quoad conscientiae efformationem. Hoc inconveniens est, cum ad hanc virtutem formaliter spectat istud munus. Schema sequitur modum loquendi multorum auctorum qui de efformatione conscientiae agunt, insufficienter attenta doctrina theologica de prudentia, et qui, exinde, difficultatibus implicantur, enucleando doctrinam de conscientia attentis tantummodo ita dictis systematibus circa eandem. Inde saltem suggererem ut in locis huius capitis ubi dicitur conscientia *recte* efformanda (vel efformata) dicatur conscientia *recte seu prudenter* efformanda (vel efformata). Noto quoque quoad lineas 27-30 quod omnis conscientia « seria et sincera » *vera* quoque ipso facto est, veritate quidem practica, seu illa quae accipitur secundum conformitatem cum voluntate recta.

c) In cap. 3, par. 14, pag. 19,[34] lineis 36-37, loco expressionis « qua quis *universe* loquendo... » dicatur « qua quis *generice tantum* loquendo... ».

d) In eodem cap. 3, par. 15, pag. 20,[35] lineis 25-29, ut accuratius et sine periculo controversiae res exprimatur, dicere suggererem: « Nam iustorum actus ex alio motivo vel impulsu virtuoso *directe* procedentes, modo condigno augmentum *praemii* merentur, non tamen sine ipsa caritate *ut radice* ».

e) In cap. 4, par. 17, pag. 23,[36] linea 22, loco « *impetuum* violentiam » dicerem « *passionum* violentiam ».

f) In cap. 5, par. 23, pag. 28,[37] linea 19, dicerem « amplectitur enim *quandoque* cum plena... ».

g) In cap. 6, par. 30, pag. 34,[38] lineis 3-5, nescio quinam sint « casus exceptionales » de quibus ibi agitur. Doctrina enim communis est tales operationes non licere nisi exigente sanitate totius hominis.

h) In eodem cap. 6, par. 32, pag. 35,[39] linea 25, loco vocis *praxis* ponerem *opinio*.

i) In eodem cap. 6, par. 32, pag. 36,[40] linea 1, loco vocis *rectam* ponerem *prudentem*.

---

[32] Cf. p. 28.
[33] Cf. pp. 33-34.
[34] Cf. p. 37.
[35] Cf. p. 37.
[36] Cf. p. 39.
[37] Cf. p. 42.
[38] Cf. p. 45.
[39] Cf. p. 46.
[40] Cf. p. 46.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: desidero ut forma magis positiva sit.

Card. MICARA: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab E.mo Cardinali Ottaviani prolatis.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: quaedam animadvertenda mihi videntur.

Schema placet ut in pluribus; particulari plausu dignum videtur caput 4um; valde laudanda videntur quae in nn. 26 et 27 dicuntur de profectu christifidelis in via iustitiae et de poenitentiae momento. Placet etiam quod asserta schematis continuo textibus S. Scripturae roborantur et illustrantur.

Quaedam autem animadvertenda sunt:

1. Quando sermo est de « lege evangelica » apte aliquid dicatur quo sensu Novum Testamentum loquatur de « libertate filiorum Dei ».
2. Notio « libertas conscientiae » in hodierna societate etiam sensu positivo vindicatur contra « status totalitarii » arbitria.
3. Pagina 7,[1] linea vicesima quarta: in hoc praeciso contextu non videtur opportuna citatio *Mt.* 5, 17, quia ibi agitur de relatione inter legem Mosaicam (et Veteris Testamenti) et legem Christi, ergo inter duas formas legis divinae *positivae*.
4. Terminus « initiatio sexualis » minus aptus videtur, quia in litteratura sumitur saepissime non in sensu instructionis vel institutionis de vitae sexualis momento et officiis.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: id est, cum emendationibus ab Em.mo Card. Ottaviani, Relatore huius Schematis, propositis ad numerum 30, in ultima paragrapho, quae incipit: Attamen nullo etc.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta animadversiones a Patribus prolatas.

Card. LIÉNART: Non placet.[2]

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: secundum observationes Em.mi Card. Liénart.

---

[1] Cf. p. 29.
[2] Cf. pp. 62-63.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: (Liénart, Döpfner, Larraona).

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: iuxta observationes Em.mi Cardinalis Ponentis.

Caput 6 « de castitate et de pudicitia christiana » melius transferatur ad Constitutionem quae tractabit « de Matrimonio, de Familia ».

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: i. e. secundum Em.mum Relatorem i. e. quod melius erit modum positivum quam negativum teneri in explicatione morali.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: ut aliquantulum brevior fiat et ut in pagina octava,[3] linea 14ª dicatur tantum « *ex fragilitate* » deletis verbis « *quam ex pravitate* ».

Card. FRINGS: Placet iuxta modum.[4]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum: Capite I, pag. 5,[5] lin. 15 loco « a *potestate* peccati », praeferrem « a *servitute* peccati ».

Pag. 6,[6] lin. 15: « in paradiso » compleatur « in paradiso terrestri ».

Pag. 7,[7] linn. 26 s.: Paraclitus docuit omnem veritatem non *Ecclesiam,* sed *Apostolos,* in quibus revelatio divina clauditur.

Pag. 8, lin. 16: « cogitando » dixerim « animadvertendo ».

Pag. 15,[8] linn. 17 s.: locutio est ambigua, cum saltem tentamina — prudentia servata — sint facienda ut fratres errantes cognoscant veritatem.

Pag. 23,[9] lin. 22: « impetuum » melius diceretur « passionum ».

Pag. 25,[10] ad n. 21: de aestimatione *valorum temporalium* (ut dicitur in textu) ex parte Ecclesiae, ampliora dicerem ad removendam difficultatem, quae saepe auditur: Ecclesiam paradisum seu felicitatem in altera vita promittere, sed interea meliorem hominum conditionem, hisce in terris, negligere.

Pag. 28,[11] lin. 12: « retardatur » dixerim « imminuitur ».

Pag. 29,[12] lin. 28: « non sufficit *lethalia* peccata vitare », dixerim simpliciter « non sufficit peccata vitare ».

Pag. 33,[13] linn. 31 s.: « unde nefas est proprium sexum iam sufficien-

---

[3] Cf. p. 30.
[4] Cf. pp. 63-64.
[5] Cf. p. 28.
[6] Cf. p. 29.
[7] Cf. p. 29.
[8] Cf. p. 34.
[9] Cf. p. 39.
[10] Cf. p. 40.
[11] Cf. p. 42.
[12] Cf. pp. 42-43.
[13] Cf. p. 45.

ter determinatum mutare ». Accuratius dicerem « unde nefas est conamina facere ad mutandum proprium sexum si iam sufficienter sit determinatus ».

Pag. 34,[14] linn. 3 s.: « vel in quibusdam casibus exceptionalibus... » hanc propositionem puto esse *periculosam,* propterea omittendam.

Lin. 7: « organorum » adderem « sexualium ». Lin. 28: « usus » melius « actus ».

Pag. 35,[15] linn. 25 et 27: « non est sequenda ... nec sequenda », melius, ut opinor, est dicere « reicienda ... pariter damnanda ».

Lin. 36: « nulla attentione facta » melius « neglectis hominum conditionibus post Adae peccatum ».

Pag. 36,[16] linn. 1-4: « commendat »: adderem « per parentes vel prudentes institutores impertiendam ».

Lin. 18: « occasiones » adderem « quae proximae dicuntur ».

Demum mihi liceat adnotare linguam latinam, quae adhibita est, neque claram neque accuratam esse.

Card. VALERI: Placet iuxta modum: accedendo ad observationes quae ab Em.mo Card. Döpfner factae sunt, speciatim pro capite 1.

Item pro observatione quae ab Em.mo Card. Richaud facta est circa peccatum S. Petri cap. 5.

Quod ad cap. 6 « de castitate et pudicitia » melius tractatio remitteretur ad Const. circa Matrimonium et Familiam.

Card. SIRI: Placet iuxta modum; scilicet: ratione habita omnium, quae dicta sunt praesertim de nota positiva textus. Schema est, ex his quae examini hucusque subiecta sunt, maximi faciendi, tamen:

Pag. 5,[17] n. 1: addatur definitio « ordinis moralis » iuxta ea quae sunt in recepta doctrina. In materia etenim tam gravi, nihil substantiale est supponendum sed omnia sunt clare edicenda.

In pag. 8,[18] n. 6: adhaereo observationibus factis ab Em.mo Döpfner.

Pag. 13,[19] n. 7: item addatur definitio conscientiae, ob eandem rationem supra nuperrime allatam.

Pag. 18,[20] n. 12, linea tertia et quarta, loco « obligationes partim ipsi naturae humanae immutabili *innituntur* » substituatur hoc modo: « obligationes partim etiam ex humana natura immutabili *assumuntur* ». Prior modus etenim potest fieri aequivocus; alter melius respondet theologicae veritati.

---

[14] Cf. p. 45.
[15] Cf. p. 45.
[16] Cf. p. 46.
[17] Cf. p. 28.
[18] Cf. p. 30.
[19] Cf. p. 33.
[20] Cf. p. 36.

Pag. 33,[21] n. 29, linea quinta, dematur « quandam », quia apparet posse minuere veritatem rei.

Pag. 34,[22] n. 30, a linea quinta ad lineam decimam secundam, opportunius videtur ea demere quae dicuntur. Etenim hic habemus textum dogmaticum definitivum, dum in illis lineis sermo est de re certe vera, de qua tamen (a linea quinta ad lineam nonam) aliquid novi scientia posset edicere. Agitur de prudentia.

Pag. 37,[23] n. 33, linea prima: enumerentur criteria. Non videtur sufficere dicere quia sunt; requiritur ut dicatur quae sint.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hic est: ut Constitutio sit brevior et ei detur sensus magis positivus, sed non delendo damnationes in ea contentas. De castitate melius in alia Constitutione tractatus fiet (e. g. in illa in qua loquetur de matrimonio).

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: Ecclesia habet cognitionem scientificam errorum hodiernorum et cum munus eius sit depositum fidei custodire et defendere videtur quod schema potest approbari in genere. Sed forse non apparet in schemate *scientia pastoralis* seu aptitudo ante mundum hodiernum et specialiter iuxta animadversiones Em.morum Liénart, Döpfner et Alfrink et desidero ut sit *nova redactio* et schema ad Commissionem remittendum est.

Quelques remarques de détail:

Caput 1. Dans le titre même, p. 5,[24] il manque un S à moralis: De fundamento ordinis moralis.

Caput 1, n. 4, p. 7,[25] linn. 5-6: « obscurati »: grammaticalement, le mot devrait être au féminin, puisque l'on parle des « gentes »; il est vrai, cependant, que quoad rem, il désigne *ceux* qui observent naturellement les prescriptions de la loi.

Caput 2, n. 7, p. 13,[26] lin. 3: ne serait-ce pas « dirigit », au lieu de « diriget »?

Caput 3, n. 15, p. 20,[27] lin. 16: « fidei, spei, ceterarumque virtutum maior est »: le génitif est-il correct, ici?

Caput 6, n. 31, p. 34, linn. 26-28: le latin me paraît incorrect (exercendi?).

Caput 6, n. 33, p. 37, lin. 16: « Eousque » au lieu de « Eosque ».

---

[21] Cf. p. 44.
[22] Cf. p. 45.
[23] Cf. pp. 46-47.
[24] Cf. p. 28.
[25] Cf. p. 29.
[26] Cf. p. 33.
[27] Cf. p. 37.

Caput 6, Notae, p. 48,[28] circa finem notae 31: on trouve deux fois la ligne commençant par « confirmandum quod... », et la phrase n'est plus intelligible.

Caput 6, Notae, p. 49,[29] nota 35: « supponenda », au lieu de « suppondenda ».

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: ab Eminentissimis Patribus Liénart, Döpfner et Alfrink expositum circa opportunitatem, ut Constitutio non solum aspectum negativum moralitatis praesentet et condemnet, sed etiam positivum aliquomodo sed vivide exponat, ita ut pulchritudo ordinis moralis christiani in Constitutione melius declaretur, et cautiore modo errores condemnentur, ne particula veritatis in ipsis contenta indiscriminatim negari videatur, ac homines qui talibus erroribus misere sunt allecti frigide reiciantur ab Ecclesia, tanquam a severa magistra, potiusquam a sapienti et amica matre corrigantur et ad Christum ducantur. Insuper quae de castitate dicuntur in capite 6, melius videtur adnectenda Constitutioni de matrimonio.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: Schema propositum bona, immo optima continet. Certus tamen sum Primam Commissionem debitam habituram esse rationem de observationibus a nonnullis Cardinalibus prolatis. Notam insuper libenter sumens declarationis Eminentissimi Ponentis, spero futurum ut vel in eodem vel in novis schematibus sermo sit de aliquibus aliis peccatis, praesertim de iis quae offendunt iustitiam, argumentum, istud, hodie maximi momenti. Hoc necessarium puto, cum inimici Ecclesiae nos improperent quasi unice de sexto praecepto nos praeoccupemus.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet: habita ratione observationum Eminentissimi Relatoris quoad mutationem in textu (pag. 34,[30] lineis 3 et 4), et clarificationum necessariarum desideratarum ab aliis oratoribus Eminentissimis. De Castitate melius esset habere tractatum specialem coniunctum cum illo de matrimonio.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet: *a*) ut vis positiva Doctrinae evidentior evadat, *b*) ut stylus latini sermonis dulcior expeditiorque fiat, *c*) si caput de Castitate remittatur ad aliud Schema, videant Patres ne hoc Schema « de Ordine Morali » concludatur cum doctrina de Peccatis, non autem de Virtutibus, id est de deordinatione magis quam de bono ordine.

---

[28] Cf. p. 55.
[29] Cf. p. 56.
[30] Cf. p. 45.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: [31] 1) ex eis dictis de nota magis positiva et pastorali exoptata huius textus praesentis et de necessitate in lucem ponendi Praeceptum ut praeceptum sententiam Christi de caritate;

2) etiam de castitate melius est statuere in alia speciali Constitutione, ubi de matrimonio;

3) ex eo quod dixi de Capite 5 in pag. 29,[32] linn. 9 et seq. Argumentum allatum e lapsis non probat, quia de sententia in foro externo non possumus concludere ad culpabilitatem in foro interno de peccato mortali subiectivo. Etiam nescimus e Scriptura ac Traditione si S. Petrus mortaliter subiective peccavit.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones (in foliis separatis adiunctas).[33]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: cum aliquibus scilicet animadversionibus et correctionibus ab Em.mis Patribus propositis, praesertim ab Em.mis Frings et Döpfner circa utilitatem praeparandi schema Constitutionis specialis de Castitate et pudicitia una cum moralitate in re matrimoniali et familiari. Erit illic fortasse locus loquendi de recta educatione sexuali iuvenum iuxta principia evangelica, ita ut in hac delicata materia semper evitentur excessus et exaggerationes.

Card. TESTA: Placet iuxta modum: scilicet iuxta observationes exhibitas.

Card. MUENCH: Placet iuxta modum: sc. iuxta observationes factas.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: attentis praesertim observationibus factis ab ipso Eminentissimo Relatore et a Cardinalibus Richaud et Alfrink.

Card. TRAGLIA: Placet iuxta modum: i. e. perpensis emendationibus propositis, et praesertim verbis positis in p. 6,[34] linea 4: « licet aliud statuere potuisset » quae videntur obscura.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: i. e. Constitutio rescribatur in spiritu magis positivo et pastorali secundum ea quae dixerunt Em.mi Card. Liénart, Döpfner et egometipse exposui.[35]

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: i. e. ratio habeatur eorum qui speciatim Constitutionem volunt informatam magis criterio po-

[31] Cf. p. 73.
[32] Cf. p. 42.
[33] Cf. pp. 64-73.
[34] Cf. p. 28.
[35] Cf. pp. 73-76.

sitivo et ut etiam appareat maternitas Ecclesiae. Verum velim proponere considerationi Membrorum istius excelsae Commissionis non semper Commissiones posse praevidere typum, indolem Constitutionum, speciatim si character dogmaticus, constitutionalis Conciliorum, relinquitur ut habeatur potius character pastoralis. Ergo bene intelligo: sunt Em.mi Patres qui veniunt ex vita pastorali, sed vos scitis etiam quando quis aliquem tractatum parat, alius quidem sic, alius quidem sic, unusquisque habet suam formam mentis, qua possit idem obiectum proponere; ideo difficile est etiam omnibus placitis expositis ab Em.mis Patribus satisfacere. Nos quando debuimus examinare observationes factas in Constitutione de Fontibus Revelationis habuimus quasdam difficultates videndo quod aliquis unus proposuit aliquam immutationem, omnes alii tacuerunt de hac propositione, postea dixerunt placet iuxta proposita. Quid intelligitur? Nos generatim quando aliquis unus loquitur et alii non adsentiunt, non dicunt speciatim quod adhaerent illi speciali propositioni, nos dicimus, non possumus ad singulas propositiones singulorum satisfactionem dare. Eo vel magis quod quandoque non satis attenditur ad caetera quae iam parantur; sicut dixi, nunc audivi quasdam animadversiones quae iam fuerant praevisae et propter hoc dixi quod, parantur aliae Constitutiones, in quibus multa quae dicta sunt pro hac Constitutione suum locum habebunt, v. gr. de tolerantia, et agitur de hac in Constitutione de Ecclesia, quia tolerantia debet respici etiam in rationibus inter Ecclesiam et Statum, igitur magis habet suam evolutionem. Igitur etiam ea quae respiciunt matrimonialia: paratur Constitutio de matrimonio, de familia. Quaesitum est de iustitia, de relatione iustitiae inter homines, sed proferetur Constitutio de re sociali, in qua etiam agetur de relationibus iustitiae inter homines, et inter singulos et Statum etc. Non possumus igitur praevenire ea quae postea sunt colligenda in una praecisa Constitutione. Sed libenter puto esse acceptandum, et mihi videtur iam consensus haberi fere totalis, quod caput VI istius Constitutionis, sc. de castitate, expungatur ex hac Constitutione et ponatur potius in Constitutione de matrimonio, in qua, mihi videtur, agendum erit de virginitate, de castitate et postea de castitate in matrimonio, de officiis eorum qui sunt coniuges. Tunc habebit suam plenam satisfactionem omnis expeditio facta ab Em.mis et Exc.mis Membris Commissionis. Si vobis placet, etiam ad addendam vim positivam istius Constitutionis, posset addi, loco capitis VI, caput quoddam de virtutibus, ut ostendatur praesertim quid gratia Dei faciat in Ecclesia generatim, in baptizatis etc. ad exercitium virtutum, ad extollendam igitur non solum iustitiam naturalem sed etiam iustitiam supernaturalem hominum. Si placet possemus,

uti bene dictum est, addere caput de virtutibus. Propono etiam hanc quaestionem, quae facta est ab aliis quibusdam Em.mis: utrum non esset utile proponere difficultates antequam heic res producatur, ita ut dentur opportunae explicationes, colligi prius et cum opportuno tempore et consideratione et studio difficultates quae habentur, secus oritur necessitas, sicut propositum est a quibusdam nunc, iterum proponendi Constitutionem examini Commissionis Centralis et haec esset mea opinio quod deberet redire ad Commissionem Centralem nova redactio Constitutionum praesertim si habentur tot animadversiones quae etiam convertunt omnem rationem ipsius Constitutionis, sed videtur quod sit alia dispositio circa hanc rem, ego possum nihil dicere. Igitur si ad nos redibit Constitutio cum animadversionibus Em.morum Patrum et aliorum Membrorum Commissionis, libenter rationem habemus, attentis iis quae iam explicata sunt a me ipso circa alia quae habentur in aliis Constitutionibus.[36]

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: attento tamen examine animadversionum a Patribus hac sessione propositarum.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: idest, ut compleatur iuxta ea quae ulterius dixit Em.mus Relator.

Card. LARRAONA: Placet et ad mentem:[37] Mens est, ut Constitutio revideatur, aequa ratione habita de iis quae solide animadversa fuerunt.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. accedendo voto Em.mi Relatoris.

Card. BEA: Placet iuxta modum: i. e. secundum animadversiones ab Em.mis Cardinalibus factas, maxime magis positive efferatur pulchritudo et utilitas ordinis moralis. Verba s. Scripturae citentur in sensu quem in contextu habent. De castitate agatur in alio tractatu. Magis habeatur etiam ratio rei pastoralis. Praeterea cum Em.mo Card. Alfrink desidero ut res ita proponantur, ut christiani non catholici nihil *iuste* opponere possint, sed inde vere aliquid discant.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: idest iuxta animadversiones et observationes propositas ab Em.mo Card. Döpfner.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. considerari debent animadversiones factae ab Em.mis et Rev.mis Patribus.

---

[36] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[37] Cf. p. 76.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: melius determinetur expressio pag. 34,[38] linn. 3-4: « in quibusdam casibus exceptionalibus », cum nimis vaga videatur et arbitrariis ampliationibus viam pandat. Additur quidem: « Ecclesiae doctrinae conformibus ». Sed hic agitur de doctrina ecclesiae manifestanda et enucleanda.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: secundum animadversiones ab Em.mo Relatore factas. Insuper ex contextu numeri duodevigesimi, capite quarto, non satis clare mihi proscriptus videtur usus violentiae in procedura iudiciali.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: id est, placet in genere tum quoad modum, tum quoad rem, quamquidem maxime opportuna mihi videtur doctrina exposita, quia iuxta eam moderni errores hac de re in luce ponuntur et reiciuntur.

Attamen, mihi etiam videtur, forte oporteret in redactione definitiva schematis bene perpendere aliqua (praeter exposita ab ipso Em.mo Card. Relatore) exposita praesertim ab Em.mis Cardinalibus Alfrink, Larraona, Siri et Döpfner.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum secundum Relatoris Em.mi Cardinalis Ottaviani propositum in genere, et animadversiones speciatim allatas ab Eminentissimis Patribus.

Exc. BERAS: Placet iuxta modum: id est ad mentem Em.mi Relatoris.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: videtur quod ante unamquamque quaestionem posset dari status quaestionis modo pastorali.

Ni fallor, in pagina decima octava omittitur verbum in linea vigesima nona. Nonne debet legi sic: « conscientia recte efformetur non *tantum* de... »?

Exempla quae dantur in pag. 29,[39] linea nona et sq., omittantur.

Caput de castitate et pudicitia praesentetur in schemate de re matrimoniali et familiari.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: id est cum animadversionibus Eminentissimorum Cardinalium Liénart, Richaud, Alfrink et praesertim Döpfner allatis et etiam Reverendissimi Browne. Ulterior redactio fiat magis positiva, ut Ecclesia ostendat se esse non solum Magistram sed Matrem. Schema « de Castitate » ad aliam Constitutionem adnectatur.

---

[38] Cf. p. 45.
[39] Cf. p. 42.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: i. e. schema reformetur iuxta proposita ab Em.mis Patribus Liénart, Richaud, Döpfner et Alfrink.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: praesertim iuxta observationes Em.morum Cardinalium Bea et Alfrink. Sit schema magis positivum et pastorale. In his omnibus clare appareat Ecclesiam vere esse Matrem.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: secundum dicta praesertim ab Eminentissimis Alfrink et Liénart ita ut Constitutio formam praebeat magis positivam et Ecclesia appareat non solum Magistra sed etiam et Mater.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: addito scil. capite de virtutibus moralibus, prout Em.mus Cardinalis Relator exposuit.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: id est iuxta observationes ab Eminentibus Patribus factas praesertim de forma positiva decreti.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: scilicet emendetur schema et praesentetur iuxta observationes a Patribus factas, praesertim a Cardinalibus Liénart et Alfrink.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet cum hac animadversione generali, scilicet: Constitutiones Concilii conditae ad erudiendos fideles mihi videntur ita compositae ut superent captum multorum sacerdotum, nedum simplicium fidelium. Unde praeter Constitutiones quae debent nervose, breviter, scientifice doctrinam proponere, coetus peritorum constituantur quorum munus erit quamprimum edendi commentaria quae sint intelligibilia sacerdotibus et populo, secus tantus labor Concilii non multum proderit Ecclesiae.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: nempe ratione habita de animadversionibus ab Eminentissimis Dominis factis, qui desiderant quod ordo moralis non tantum modo negativo tractetur sed etiam dignitas et pulchritudo huius ordinis exponatur.

Exc. JELMINI: Placet: hoc schema mihi bonum videtur, praesertim ubi de naturali et supernaturali dignitate personae humanae agitur et ubi, post disceptationem de peccato, de castitatis et pudicitiae christianae valore et defensione agitur, quoniam hoc argumentum videtur « in medio huius nationis pravae et perversae » magni momenti esse.

Mihi concedatur quasdam adiungere animadversiones, Lugani adlaboratas, cum optimo viro in re philosophica et in re morali vere perito, super argumentum « De ordine morali ».

1. *Ad n. 1 generatim* (p. 5,[40] linn. 5-10). Velim apertius pateat:

a) ordinem moralem non esse directe ac proprie emanationem voluntatis divinae, sed divinae rationis, proutque talem non totum subiacere divino arbitrio. Quamobrem censeo ordinem moralem strictim ordinationem appellari non posse, cum non sit decretum Dei, sed ratio directiva omnium actuum in mente Dei existens, independenter a voluntate. Nam, uti ait S. Thomas, « voluntas non habet rationem primae regulae, dirigitur enim per rationem et intellectum, *non solum in nobis, sed in Deo* » (p. I, q. 21, art. 2, ad 2um). Ordo ergo moralis non procedit ab ordinatione divina, sed subsistit in divini intellectus rationibus aeternis. Profecto Deus vult nos sanctos esse, sed non ea voluntas constituit ordinem moralem, sed est de ordine morali ipsi voluntati antecedente, nec tamen alio a Deo. Quaedam enim sunt sancta, quia ea Deus vult, quaedam vero et plura Deus vult, quia sunt sancta. Ordo autem moralis, quatenus tanquam naturalis respicitur, non ad primum, sed ad secundum genus pertinet.

b) Consequenter vitandum esse omnem odorem Ockamismi et Cartesianismi, quorum systemata non in aeternis rationibus, sed in divino arbitrio legem moralem fundant.

2. *Conformat voluntati Dei* (linn. 10-12). Velim expressius palam fieri vim moralitatis, quae, ut supra notavi, constat conformitate actus humani cum ordine divinae rationis. Sufficit quidem viro christiano adhaerere sanctissimae Dei voluntati, sed non quod ipsa, theoretice considerata, sit fundamentum, praecisa ab intellectu. Hoc dico, ne favere videamur Ockamistis et quibusdam Modernis, qui regimen divinum tyrannico regimini adaequant, in quo stat pro ratione voluntas (cf. ALFIERI, *Trattato della tirannide*).

3. *Sicut reapse existit voluntas Dei* (lin. 20). Propter iam dictas causas praetulerim *sicut reapse existit ordo in mente Dei.*

4. *Procedit enim ex ordinatione Dei* (lin. 24). Ordo moralis, ut mihi videtur, non procedit ab ordinatione, sed potius ordinatio ab ordine, et ipse est primario et originaliter ordo.

5. *Multo magis* (p. 6,[41] linn. 23-25). Non satis intelligo cur *multo magis* dicas. Si *totus* mundus regitur, ergo *a pari,* non *a fortiori* pars rationalis. Poteras dicere *mundus inanimis,* et tunc sequebatur *multo magis.* At non sic.

6. *In obviis... diiudicant et agunt* (p. 7,[42] linn. 5-10). Phrasim omit-

---

[40] Cf. p. 28.
[41] Cf. p. 29.
[42] Cf. p. 29.

tendam censeo, quippe quae nimis sapiat paedagogiam. Sufficit *experientia comprobatur vulgari.*

7. *Debilitatis* (lin. 15). Vox *debilitatis* congruit cum conceptu exsequendi, minime vero cum conceptu cognoscendi. Malim, prout est in vulgata formula, *in r. m. cognoscendis obscuratis et in exsequendis misere debilitatis.*

9. *Decretis disciplinaribus* (lin. 30). Non modo disciplinaribus, sed etiam dogmaticis decretis, immo et sollemni magisterio. Vide, quaeso, ex. gr. quae de non cohibenda inhoneste prole, sollemnibus verbis oraculum infallibile de more concomitantibus, pronuntiaverit Pius XI in Encyclica *Casti connubii* (DENZ. 2240). Censeo ergo praestare formulam *suis decretis.*

10. *Imponi non posse nisi ex conventione* (p. 8 [43]). *Imponi* videtur pugnare cum *ex conventione,* nam conventio, idest consensus et pactum, excludit impositionem. Loco *imponi* surrogaverim *haberi.*

11. *Sive ut populus, sive ut stirps, sive ut natio* (linn. 30-35-40). Termini *populus, stirps, natio* parum evidentiae secum ferunt, cum conceptuales differentiae inter eos dividentes diligenti explicatione indigeant, nec vulgo immediate sint notae, immo inter doctos controvertantur. Censeo omittendum.

12. Post *exsequuntur.* Cum tam particulariter suggillaverimus errores Modernorum in hac re, velim iam hinc non taceamus errorem nuperrimum quem dicunt *morale de situation,* quo non modo applicatio regulae universalis ad individuam rem agendam singulis relinquitur, sed adoptio vel reiectio ipsius regulae. Quem errorem eo magis incusandum arbitror, quo magis irrepere eum constat in praxim confessariorum. Unde etsi sermonem de eo habeamus in cap. 3 Constitutionis, iam hoc loco mentio desideratur.

13. *Momento decisionis* (p. 13,[44] cap. 2, linn. 3-5-10-15). Non praecise *momento decisionis,* quae est ipsa determinatio liberi arbitrii, sed in momento anteriori, scilicet consultationis vel consilii. Cf. S. THOMAM I^{a}-II^{ae}, q. 14. Praeterea doleo desertam usitatam in Scholis loquendi rationem, unde non *decisionem*, sed *electionem* dicimus. Velim ergo dicamus *momento consultationis* vel *momento consilii,* vel saltem, si in formula schematis insistas, *momento electionis.*

14. *Secundum Dei voluntatem.* Ob iam dictas causas malim *secundum Dei legem.*

---

[43] Cf. p. 30.
[44] Cf. p. 33.

15. *Dei voluntas* (p. 13 [45]). Item *Dei lex.*

16. *Cum igitur... subest... regitur ac ducitur* (linn. 5-25). Cum nihil dubium sit quin hae propositiones sensum causalem gerant, malim obsequamur mori grammaticali modum subiunctivum adhibendo: *Cum igitur... subsit... regatur ac ducatur.* Alioquin strictim interpretanti intelligendum erit per sensum temporaliter, quasi intendas: *eo tempore cum... subest etc.*

17. Post *diligentia.* Quo magis efferatur gravitas huius officii propono ut addantur verba: *quandoquidem ipsa efformatio conscientiae, unde pendet rectitudo vitae, eiusdem conscientiae est negotium.*

18. *Dei voluntatem. Dei legem* ob iam dictas causas.

19. *Voluntatem Dei* (p. 14,[46] lin. 3). *Legem Dei,* item.

20. *Obiectivae* (lin. 18). Censeo omittendam vocem *obiectivae.* Etenim nimis manifestum est singulum subiectum humanum non esse fontem moralitatis obiectivae. At neque subiectivae, ut mox aperitur. Sufficit ergo *moralitatis.*

21. *Possit ac debeat* (lin. 20). Dato et concesso quod *debeat,* nonne superfluit *possit?* Si enim debes, et potes. Praeterea, non est ultroneum ac liberum sequi dictamen conscientiae erroneae, sed stricte obligatorium: unde nullo modo est quaestio de posse, neque eo sensu quo dicunt Germani *dürfen,* neque eo quo dicunt *können*: prior enim excluditur, alter liquet.

22. Post *in conscientia* (lin. 24). Addiderim *utcumque apprehensi,* quo apertius intelligamus eum ligare hominem, sive per veritatem, sive per falsitatem percipiatur.

23. *Quamdiu haec bona fides sine culpa perdurat* (linn. 26-27). Parum vigilata locutio. *Persuasio* potest cum culpa aut sine culpa perdurare, *bona fides* vero nequaquam. Nam cum culpa, vel antecedente vel concomitante, conciliari nequit. Bona fide errare idem est atque sine culpa errare (cfr. n. 11, lin. 10). Formula in melius est recudenda, ex. gr. surrogando *persuasio* pro *bona fides.*

24. *Scientes et volentes* (lin. 34). Haec verba videntur superfluere, cum dixerimus *deliberatum.* Scientia et voluntas certe includuntur in conceptu deliberationis. Et in omnibus sequamur brevitatem, quae, ut poeta dixit, est substantia mentis.

25. *Non solum veritas, sed etiam caritas* (p. 15,[47] lin. 5). In toto hoc commate id non placet, quod scilicet dividitur inter veritatem et carita-

---

[45] Cf. p. 33.
[46] Cf. p. 34.
[47] Cf. p. 34.

tem, quasi caritas sit criterium agendi aliud quam ipsa veritas. Obligatio ex. gr. diligendi proximum eique ignoscendi nihil aliud est quam vis huiusce veritatis, videlicet diligendum proximum eique ignoscendum esse. Nullum enim praeceptum legis evangelicae non pendet ab aliquo dogmate theoretico, idest ab aliqua veritate, per rationem perceptibili, in Evangelio promulgata. Non enim deberem ignoscere peccanti, nisi verum esset et per rationem perceptibile peccanti ignoscendum esse. Et eo sensu dicitur in Evangelio: *veritas liberabit vos.* Cave igitur ne videamur dualizare principium moralitatis, quendam sensum caritatis apprehensioni veritatis iuxtaponendo. Caritas enim veritas est, imo suprema veritas, in lege Christi.

26. *Et communitatis* (p. 15,[48] lin. 17). Vox improvisa et imparata in hoc contextu. Malim *salva veritate et iustitia.*

27. *Illae obligationes valent, ubicumque et quibusve in conditionibus homo versetur* (p. 18,[49] linn. 7-8). Non satis caute videtur expressum, si tamen satis intellexi. Num illae obligationes etiam hominem astringunt, qui forte nullam habeat notitiam legis evangelicae et extra Ecclesiam versetur? Est aliquid inter obligationem legis naturalis et obligationem legis evangelicae: altera enim ad universos natos, altera ad renatos tantum extenditur. Igitur post verbum *valent* addendum erit *pro omnibus Christifidelibus,* omittendum *homo,* immutandum *versentur.*

28. *Tollere universalia* (p. 19,[50] lin. 3). Non satis perspicuum *tollere universalia.* Nam vulgo appellantur universalia species intelligibiles. Hic dixerim *regulas universales.* Sed absolute praestat subrogare verba *identitatem naturalem*: diversitates individuales variant, sed non tollunt, identitatem naturae inter omnes homines, nec perinde identitatem legis naturalis seu moralis, consequentis ad illam.

29. *Dictamen conscientiae esse dialogum* (linn. 10-11). Phrasis non bene refert sententiam improbandam. Quomodo *dictamen* erit *dialogus?* Concedo esse exitum dialogi seu conclusionem, sed dialogum non ita bene.

30. *Neminem latet ... Rom.* 3, 8 (linn. 28-29-30). Mens inclinat ut verba Apostoli *Rom.* 3, 8 hinc excludam, tanquam non bene ad rem. Illi auctores non existimant facienda esse mala, ut eveniant bona, aut bonum esse fieri mala, sed ea, quae secundum Evangelium sunt mala, non esse mala. Non contendunt posse peccari, ut bona inde exo-

---

[48] Cf. p. 34.
[49] Cf. p. 36.
[50] Cf. p. 36.

riantur, sed eos actus prout tales bonos esse. Testimonium Apostoli prorsus omiserim.

31. *Contra ... suo erit* (p. 20,[51] lin. 3). Finalis pericopes expungenda videtur: nam parum, vel non stricte ad rem. Brevitatem sequamur.

32. *Fidei ... maior est* (linn. 16-17-18). Animadversio grammaticalis. Est quidem in Vulgata *horum ... maior, I Cor.* 13, 13, sed est graecismus. Cum autem verba Apostoli hic non recitentur ad litteram, cumque apud Latinos terminus comparationis ablativum casum usurpet, iuxta consuetum stylum Constitutionis praeferemus formulam: *fide, spe, ceterisque virtutibus maior est.*

33. *Legibus ecclesiasticis* (p. 23,[52] lin. 10). Non *legibus ecclesiasticis,* sed *observantia legum ecclesiasticarum* contendunt impii dignitatem humanae personae obnubilari.

34. *Extra Ecclesiae saepta* (lin. 18). Determinatio locativa sumitur hic pro attributo seu adiectivo. At parum consonat ingenio idiomatis latino et est graecismus. Ad melius esse grammaticale et ad perspicuitatem sententiae addiderim *degentibus.*

35. *Impetuum violentiam* (lin. 22). Supple *animorum impetuum.* Sunt enim plurima genera impetuum in hodierno hominum commercio. Sed longe praestabit, si dixerimus *adfectuum violentiam.*

36. *Disciplinas exactas* (p. 24,[53] linn. 32-34). Non recte cum technicis consociantur, quia non spectant per se ad aliquid operandum, ut technicae, sed circa obiecta mere speculabilia versantur. Quod si ad operandum adhibentur, iam desunt esse scientiae exactae iuxta usitatum dicendi morem, et ad technicam transgrediuntur.

37. *Cum Deus ab initio ... creaturae.* Concedo Deum in initio constituisse hominem, ut dominaretur creaturae, sed hic finis intra paradisum Edenicum continetur, a quo cum homo fuerit pulsus, et ad altiorem ordinem per reparationem a Verbo evectus et reformatus, non amplius est habendus pro vero ac praecipuo fine hominis haec dominatio et inlaboratio terrae, nec genus humanum retrahendum ad paradisum edenicum, quod ad paradisum caeleste immediate vocatum est. Unde nolim *ab initio,* tanquam constitutio primaeva etiam nunc maneat, sed tantum *in initio.* Ne technocratiam, imo technolatriam permittamus.

38. *Per se laudanda* (lin. 35). Non sunt per se laudanda, meo iudicio, sed eatenus laudanda, quatenus recto tramite in finem moralem diriguntur eique inserviunt. Nam per se indifferentia potius di-

[51] Cf. p. 37.
[52] Cf. p. 39.
[53] Cf. p. 40.

cenda sunt in ordine moralitatis, quandoquidem nullus est valor, ne subalternus quidem, quin ab essentiali ordinatione in ultimum finem viam suam accipiat, et per eam ex neutralitate morali egrediatur ad valorem verum. Ceterum subsequentibus verbis *si recte pertractentur* etc. et in fine commatis 20 in hanc sententiam ipsum schema devenire videtur.

39. *Felicitatem destinavit* (p. 25,[54] lin. 7). Velim determinetur quae sit ea *felicitas,* utrum aeterna, an temporalis. Aeternam vix dicere poteris, cum ea commoda et technicae per se indifferentiae sint. Temporalis autem nihil ad rem. Revera puto universas artes technicas indifferentes *adiaphora* prorsus esse nec ad virtutem hominis conferre, sed tantum posse ad virtutem per virtutem converti. At nihilo magis. Datae sunt ad exercitium virtutis, tanquam materia, non autem ad promovendam virtutem; nec faciliorem, sed difficiliorem faciunt virtutem: naturam enim perficiunt, at minime personam: populos faciunt potentes et magnos in mundo, « potentes a saeculo » (*Gen.* 6, 4), quos Dominus reprobavit, non autem pios et Deo servientes. Quibus de causis vel omiserim *felicitatem* vel saltem determinaverim adiecto verbo *temporalem.*

40. *Quia humanae culturae augendae sunt instrumenta* (p. 25,[55] lin. 17). Locutio non satis perspicua. Potest primo intelligi colligando phrasim *quia humanae ... instrumenta* cum verbis *impium ... est,* et tunc sonabit: *impium est etc. quia eae disciplinae humanae culturae augendae* [*solummodo*] *instrumenta sunt.* Potest secundo intelligi colligando phrasim *quia humanae ... instrumenta* cum verbo *identificare,* et tunc sonabit: *impium est ... identificare, propterea quod istae artes sint instrumenta augendae culturae.* Si secunda sententia erat in mente dicendum erat cum subiunctivo *sint instrumenta* (ratione, ut dicunt grammatici, obliquitatis). Si prima, ut probabilius videtur, evolvendus erat sensus: ex. gr. *sunt enim mera instrumenta nec rationem finis, idest Regni Dei, ullo modo gerunt.*

41. *Fervor retardatur* (p. 28,[56], lin. 12). *Fervor* contrariatur frigido, non tardo. Malim igitur propter convenientiam conceptualem *fervor refrigescit.*

42. Post *laborat* (p. 29,[57] lin. 5). Ad perspicuitatem sententiae in re magni momenti velim adiiciamus: *virtus enim non praesupponit libertatem ab influxu malorum effectuum, sed liberationem ab huiuscemodi influxu ipsa operatur.* Alioquin virtus seipsam praesupponeret.

43. *Peracto* (lin. 22). Propono *sese agitante.* Non enim iam peractus est hic conflictus, sed agitur. Quod si peractus esset, evanesceret an-

---

[54] Cf. p. 40.
[55] Cf. p. 40.
[56] Cf. p. 42.
[57] Cf. p. 42.

xietas. Unde psychoterapia tendit ad consummationem et resolutionem conflictus, ut morbus vincatur.

50. *Sequitur... ut considerentur et tractentur* (p. 33,[58] lin. 14). Conceptus patet. Locutio non satis accurata; *sequitur* non *ut considerentur et tractentur,* quod de facto intelligi poterit, sed *ut considerari et tractari debeant.* Non sufficit subiunctivus modus in tali constructu ad evidentiam necessitatis.

51. *Gaudeat etiam aliis qualitatibus* (lin. 21). Hanc pericopen non satis intelligo. Praeterea cur loqueris de *qualitatibus,* cum postea sermonem habeas de eius *fine* primario (ad matrimonium etc.). Nonne de *aliis finibus* potius erat dicendum?

52. *Vel in quibusdam casibus etc.* (p. 34,[59] linn. 3-4-5). In re tam gravi nimis generalis et indistincta formula non placet. Velim citaveris, quinam sint tales casus. Censeo omittendum.

53. *Etsi solus et verus progressus intenditur scientiae* (p. 34, linn. 10-11-12). Non placet et veritati obstare videtur haec hypothesis. Nullus adest verus progressus scientiae, quotiescumque cognitio rerum expetitur sine respectu legis moralis per illicitam experimentationem. Subrogaverim ergo *etsi progressus scientiae illicitis experimentationibus obtendatur.* Non enim quaecumque cognitio licentiatur ab ordine morali, sed sphaera cognitionis sphaera moralitatis circumscribitur, quemadmodum Pius XII docuit in Allocutione ad Congressum hystopathologicum 13 sept. 1953.

54. *Quo ... angelis quodammodo assimilantur* (p. 34, linn. 18-19). Vulgata quidem et apud Patres haec assimilatio. Sed in dubio mihi est, utrum ad paraenesim et poeticum sermonem propius accedat, an strictam rationem constituat. Nimis sunt heterogeneae natura angelica et natura humana; et quomodo hominem angelo comparabis in virtute, quae angelo *prorsus impossibilis* est? De Christo et B. Virgine contra stat exactissime similitudo, propter communem nobiscum humanam naturam. Dices fortasse non esse comparationem de virtute hominis ad virtutem angeli, sed de virtute ad statum. Sed tunc evanescit vis comparationis. Libenter totam phrasim omissam viderim.

55. *Animi ... redempti* (p. 36,[60] lin. 12). *Animus,* italice « anima », est usus classicus, sed minime concordat cum latinitate nostra. Vide in hac Constitutione cap. 5, n. 23. Malim *animae ... redemptae.*

---

[58] Cf. p. 45.
[59] Cf. p. 45.
[60] Cf. p. 46.

56. *Habendos* (lin. 36). Vox penitus supervacua et inepta: non accusant *habendos esse,* sed *esse.*

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta observationes ab Em.mis Döpfner et Alfrink factas.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: latum positivum magis inculcetur, pulchritudo ordinis moralis potius quam obligatio ostendatur, misericordia Matris Ecclesiae erga errantes, i. e. « lex nova gratiae » evangelica in clariorem lucem ponatur. Loco castitatis caput de Virtutibus addatur.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: secundum observationes quas scripto huic voto adiungo.[61]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: Constitutio reddatur adhuc magis positiva. Castitas et Pudicitia christiana tractentur melius cum matrimonio.

Adiungere velim aliquas animadversiones minoris momenti.

Ad p. 6,[62] linn. 13-21: sensus remanet obscurus; deest probabiliter membrum sermonis.

Ad p. 7,[63] lin. 12: proponere liceat: « diiudicare et agere possunt ».

Ad p. 7, lin. 26: sensus remanet obscurus: « et quam per Paraclitum docet omnem veritatem ».

Ad p. 8,[64] lin. 10: proponere liceat: « Reprobantur errores ».

Ad p. 8, lin. 27: proponere liceat: « in rebus fundamentalibus *esse* vicissitudinibus ... obnoxiam ».

Ad p. 9,[65] linn. 4-8: omittatur « Sed sicut » usque ad « accipitis (*Io.* 5, 43) »

Ad p. 13,[66] lin. 1: omittatur « Hic ».

Ad p. 31,[67] lin. 1: proponere liceat: « reprobantur ».

Ad p. 32,[68] nota 13, lin. 2: A.A.S.?

Ad p. 37,[69] lin. 16: dicatur « Eousque ».

Ad p. 46,[70] nota 27, lin. 15: dicatur « hodiernam ».

Ad p. 47,[71] nota 31, lin. 10: dicatur melius: « quidquid *est* ».

---

[61] Cf. pp. 76-77.
[62] Cf. p. 29.
[63] Cf. p. 29.
[64] Cf. p. 30.
[65] Cf. p. 30.
[66] Cf. p. 33.
[67] Cf. p. 43.
[68] Cf. p. 44.
[69] Cf. p. 47.
[70] Cf. p. 54.
[71] Cf. p. 54.

Ad p. 48,[72] nota 31 in fine: non clare videtur qualia sint verba Pii XII.

Ad p. 49,[73] nota 35, penultima linea: dicatur « libertà ».

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: res eaedem modo magis positivo magisque Sacrae Scripturae innixae efferantur. Caput 2 de Castitate ad locum aptiorem remittatur.

II

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

(Secunda Congregatio: 16 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM
A COMMISSIONE DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

CAPUT 1

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Communis omnium mater Catholica Ecclesia, sanctificationis filiorum suorum et perfectionis cupida, Sacramentum Conrfimationis, in quo Spiritus Sanctus datur « ad robur spiritualis pugnae » et promovetur homo « ad perfectionem spiritualis aetatis » (Sanctus THOMAS, *S. Th.,* III, q. 72, aa. 8, 9), omnibus fidelibus semper exhibere curavit, ut in praesenti peregrinatione gratiae augmentum fideique confessionis virtutem habeant, et in coelesti patria maius assequantur gloriae incrementum (*Catechismus Romanus,* P. II, n. 17).

Sacrum Tridentinum Concilium (sess. VII, *de sacr. confirmationis,* can. 3) declaravit ministrum ordinarium huius administrandi Sacramenti esse solum Episcopum; quod haec quoque Oecumenica Synodus iterum declarat ac definit. Omni igitur ope Pastores ecclesiarum ministerium hoc ipsis valde proprium exercere conabuntur, quod pro bono et exspectatione plebis per se ipsi ordinarie administrare tenentur.

Sollicitudo autem matris Ecclesiae, inde ab antiquis temporibus (cf. S. GREG. M., *Epist. ad Ianuarium Episc. Caralitanum,* ML. 77, 696), presbyteris quibusdam imprimis dignitate praestantibus per ministerium Summi Pontificis indulsit, ut, necessitate bonoque fidelium id flagitante, hoc Sacramentum Spiritus Sancti, tamquam extraordinarii ministri conferre valerent ad subveniendum sive infantibus, sive adultis in mortis periculo con-

---

[72] Cf. p. 55.
[73] Cf. p. 56.

stitutis, sive illis qui in certis rerum et personarum adiunctis a ministro ordinario sacramentum Confirmationis haud susciperent. Cuius rei argumentum Sanctae Sedis indulta et praescriptiones sunt.[1]

I. Ut maternarum Ecclesiae in filios suos curarum testimonium eluceat novum, auctis dominici gregis necessitatibus, ne plures fideles gratia tanti Sacramenti propria careant, Sacrum hoc Concilium largitur, ut in Ecclesia Latina Sacramentum Confirmationis ministrandi facultate ipso iure gaudeant, etsi episcopali charactere carentes, praeter S. R. E. Cardinales (*C.I.C.*, can. 239, § 1, n. 23; can. 782, § 3), Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, Administrator Apostolicus, qui tamen hac facultate valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum. Eamdem facultatem iisdemque conditionibus habent Vicarius Capitularis et Vicarius Generalis, hic autem de speciali Episcopi mandato. Praeterea Concilium derogare non intendit facultatem Cappellanis navigantium eorumque Directoribus a Pio XII tributam, *durante munere* (*A.A.S.*, v. 46 [1954], n. 82, p. 416).

II. Pro iis qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti, facultas conferendi sacramentum Confirmationis conceditur sequentibus presbyteris:

a) parochis intra limites proprii territorii paroecialis;

b) vicariis paroecialibus, qui locum parochi tenent in omnibus, quae ad animarum curam spectant, necnon missionariis emigrantium quibus curam animarum in propria dioecesi locorum Ordinarii commiserint (S. Congr. Consist., *Declaratio,* d. 7 octobris 1953, *A.A.S.*, v. 45 [1953], p. 758);

c) sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura, cum omnibus parochorum iuribus et officiis;

d) vicariis cooperatoribus paroeciarum de licentia saltem praesumpta parochi.

Parem habeat facultatem Cappellanus Vicariatuum Castrensium legitime constitutorum, si et in quantum ab Ordinario Castrensi stabiliter pro militibus sit deputatus, durante munere, aut si plures sint stabiliter constituti, eorum primus.

In publicis autem valetudinariis vel in hospitalibus infirmorum curandorum aedibus, Ordinarius loci moderatori cappellanorum concedere poterit facultatem, qua ille in memoratis valetudinariis domibusve tantum fruatur, sacramentum Confirmationis morientibus administrandi (cf. Ioannes XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 154, 2°).

---

[1] Decretum S. C. de Sacramentis, *Spiritus Sancti munera* d. 14 septembris 1946 (*A.A.S.*, v. 38 [1946] p. 349 ss.); Instructio S. C. de Sacramentis d. 20 maii 1934 (*A.A.S.*, v. 27 [1935] p. 11 s.); cf. Decretum S. Congr. de Prop. Fide, d. 18 decembris 1947 (*A.A.S.*, v. 40 [1948] p. 41); Decretum S. Congr. pro Eccl. Orientali, d. 1 maii 1948 (*A.A.S.*, v. 40 [1948] p. 422 s.).

Insuper Cappellani navigantium eorumque Directores gaudent facultate *durante munere* hoc sacramentum conferendi cuilibet christifideli in navi versanti, ex gravi morbo in periculo mortis constituto (S. Congr. Consist., *Normae et Facultates,* n. 8, 1°, d. 14 martii 1954, *A.A.S.,* v. 46 [1954], p. 416).

Hae facultates pro bono spirituali eorum qui vita periclitantur, conceduntur, ea lege ut Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo sacramentum conferre queat. Confirmatio in descriptis adiunctis gratis quovis titulo est conferenda.

Caput 2

DE AETATE CONFIRMANDORUM

In Ecclesia Latina sacramentum Confirmationis fidelibus ad septimum circiter annum convenienter administratur (cf. *C.I.C.,* can. 788).

Etiam ante septennium hoc sacramentum conferre licet si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas causas videatur. Equidem opportunum est et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Sacramentum Confirmationis, quod est veluti complementum Baptismi et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti; non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eamdem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt (cf. S. Congregatio de Sacramentis, decr. *Plures petitiones,* d. 30 iunii 1932, in *A.A.S.,* v. 24 [1932], p. 272).

Quodsi Ordinarius loci aetatem confirmandorum differendam esse crediderit usque ad duodecimum circiter aetatis annum, id non nisi ex iustis gravibusque causis fiat oportet, praesertim uberioris ac plenioris catechisticae instructionis ipsius confirmandi.

Caput 3

DE PATRINIS

Iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ut in baptismo, ita etiam in Confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit (cf. *C.I.C.,* can. 793).

Haec Sacrosancta Synodus Ordinarios loci aliosque animarum pastores hortatur, ut populum fidelem edoceant de munere praestantissimo patrinorum in sacramento Confirmationis, confirmatum videlicet perpetuo sibi com-

mendatum habendi eiusque christianam educationem curandi, praesertim si parentes propriam obligationem negligant vel non adimpleant.

Obligatio patrinorum nititur in cognatione spirituali per validam confirmationem inter confirmatum et patrinum exorta (cf. *C.I.C.*, can. 797).*

2) RELATIO EM.MI P. D. BENEDICTI CARD. ALOISI MASELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Commissioni Praeparatoriae de Disciplina Sacramentorum Beatissimus Pater primam quaestionem posuit de Sacramento Confirmationis, his verbis conceptam:

« Casus determinentur, in quibus facultas administrandi hoc sacramentum concedatur sacerdotibus, qui sacro ministerio incumbant ».

Huic quaestioni Commissio nostra, in usu facultatum concessarum, duas alias adnectendas credidit, de aetate, nempe, confirmandorum et de patrinis confirmationis, quoniam in Propositis et Votis Episcoporum peculiari modo de eisdem mentio fiebat.

Schema confectum est tribus constans Capitulis. In primo seu de ministro Confirmationis post breve prooemium, in quo doctrina theologica memoratur, duplici ratione extenduntur facultates:

A) Apud eos qui, etsi episcopali charactere careant, potestate gaudent quasi-episcopali, uti sunt Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, Administrator Apostolicus, Vicarius Capitularis. Vicarius Generalis hac facultate donatur de mandato speciali Episcopi ad expeditiorem solutionem casuum qui in dilatatis dioecesibus frequentes hodie fiunt;

B) Facultates a Pio XII concessas quibusdam presbyteris in favorem eorum qui in mortis periculo sunt constituti, satis extenduntur. In secundo capite agitur de aetate confirmandorum. In eo, praeter praescripta quae in usu Ecclesiae Latinae hucusque vigent, facultas Ordinariis loci conceditur differendi aliquatenus aetatem confirmandorum usque ad duodecimum circiter aetatis annum. In tertio capite venerandum institutum patrinorum sustinetur, quia perdurat etiam in moribus hodiernis usus actus principaliores vitae socialis quemdam introductorem habendi, et ideo munus patrinorum nostri temporis conditioni recte aptatur.

---

* Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita a die 24 mensis februarii usque ad diem 4 mensis martii 1961.

I. *De ministro confirmationis.*

In Ecclesia Romana, ut notum est, ab antiquissimo tempore, id est ab ipso Innocentio I (anno 416), collatio Sacramenti Confirmationis Episcopis reservata fuit. Quod quidem fundamentum habet in eo quod dein a Sacrosancto Concilio Tridentino definiendum erat, videlicet, ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum. Igitur disciplina Ecclesiae Latinae constanter praxim retinuit, extra casum necessitatis, collationem sacramenti baptismi et sacramenti confirmationis separatim fieri debere.

Sacramentum Confirmationis minus expedire conferri, antequam pueri rationis usum habuerint, Catechismus Romanus (Part. II, n. 18) sic exposuit: « Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi, et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset, ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse iudicarit » (Catech. Rom., l. c.).

Quibus prae oculis habitis, nullam substantialem mutationem in Ecclesiae Latinae disciplina esse inducendam, vel ipsa constans observatio argumentum praebet.

Quoad schema nostrae Commissionis attinet, haud difficile apparet quibus criteriis confectum sit. Nam ex una parte multum detulit canoni a Sacrosancto Tridentino Concilio definito: sanctae confirmationis scilicet *ordinarium* ministrum esse solum Episcopum; ex alia vero necessitatibus cotidie crescentibus aequilibrate subvenire quaesivit.

Notandum insuper est facultates quae in Schemate conceduntur esse in ipso iure et *in forma gratiosa* concessas, praeter unam quae *in forma commissoria* facta est, videlicet pro publicis valetudinariis et hospitalibus, cum conditio horum institutorum satis diversa in variis locis manifestetur.

Ceterum constans praxis Sanctae Sedis ostendit peculiaribus necessitatibus quarumdam regionum melius consultum iri per indulta unicuique concessa, quibus circumstantiae atque adiuncta singularia satius perpenduntur.

II. *De aetate confirmandorum.*

Quaestio haec impraesentiarum non parum agitatur. Et ideo Commissio nostra eam peculiaribus curis examinandam esse duxit, ea praesertim de causa, quod novae quaedam huius Sacramenti conceptiones illius collationem valde protrahendam esse propugnent.

Imprimis accurata disquisitio historica quaestionis in Ecclesia Latina praeparata fuit; dein considerata fuerunt ea quae adeo dispariter

in praxi diversarum regionum, quandoque etiam in Conciliis Plenariis sancita, observantur; tandem moderata quaedam apertura excogitata fuit, in eumdem sensum, quem tot Concilia particularia, sub moderatione Sedis Apostolicae, ultimis temporibus significarunt.

Quibus prae oculis habitis visum est canonem redigere, qui pro tota Ecclesia Latina inservire posset, large conceptum, quique Ordinariorum conscientiae relinquit accuratam observationem.

III. Quoad *munus* attinet *patrinorum* in confirmatione, visum est illud a fidelibus magis quam hodie aestimari oportere. Ideoque canon proponitur in quo de instructione patrinorum opportunis verbis cavetur. Ideoque commendatur Ordinariis ut populum fidelem edoceant de munere praestantissimo patrinorum in sacramento confirmationis.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. FERRETTO: Ad n. I a linea 17 ad 21 inclusive: Ibi sat opportune habentur « Praeterea Concilium derogare non intendit facultatem — forsan rectius " facultati " — Cappellanis navigantium eorumque Directoribus a Pio XII tributam — forsan rectius " tributae " — durante munere (*A.A.S.* 46 [1954] 82, p. 416) ». Revera corrigendum esse videtur: *A.A.S.* 46 (1954) pp. 416-417, II, 8, 1° et 2°.

At, quod maioris momenti est, adnotare auderem quod Pius XII priusquam Cappellanis navigantium eorumque Directoribus facultatem de qua agitur concederet, eadem facultate iam auxerat Cappellanos maritimorum eorumque Directores: *A.A.S.* 46 (1954), p. 250, III, 9.

Nec verbum *navigans,* in subiecta materia, idem valere ac verbum *maritimus* liceret asserere. Nam:

Navigans est qui actu in navi versatur iter maritimum aggressus, sive migrandi sive itinerandi causa ductus, per quodlibet temporis, quibusvis motus consiliis vel causis. Istiusmodi fidelis ad tempus tantum manet extra locum ubi iam pridem valuit, et, in patriam aliquando regressus, iterum valebit spirituali adsistentia perfrui, quae in relicta seu adhuc expetenda paroecia offerri solet.

Maritimus est qui habitualiter, vel officii vel laboris causa, sive in moderamen incumbens, sive operam navans, sive piscatoriam gerens artem, in navi versatur; quem ergo non obtinet spiritualis adsistentia neque in originis, neque in stationum paroecia. Item vero maritimum non obtinet, laboris causa, spiritualis cura, quae per navium cappellanum fidelibus maritimum iter peragentibus praebetur: patet enim eos, qui machinis, coquinis ceterisque necessariis operibus vacant, quominus Sa-

crosanctae Missae matutinis horis die festo celebratae rite intersint, persaepe prohiberi.

Curae spirituali navigantium solet incumbere sacerdos qui appellatur *cappellanus navium vel navigantium,* italice « cappellano di bordo » quo ordinarie fruuntur naves praesertim italicae et hispanicae ditionis.

Curae spirituali maritimorum solet incumbere sacerdos qui appellatur *Cappellanus Operis Apostolatus maris seu maritimorum.*

Summus Pontifex Pius XII facultates quas anno 1954 Cappellanis Operis Apostolatus Maris seu maritimorum tribuerat, easdem sollemniter confirmavit a. 1957 die 21 novembris in « Leges Apostolatus Maris » sua auctoritate conditae et quae publici iuris factae sunt per Acta Ap. Sedis a. 1958 vol. L.

Ibidem, pag. 381 n. 29, 1° et 2° quae sequuntur facultates recensentur:

1) Facultas administrandi, ad normam Decreti ... sacramentum Confirmationis maritimis ex gravi morbo in mortis periculo constitutis.

2) Facultas administrandi sacramentum Confirmationis, itinere maritimo perdurante, cuilibet puero vel adulto praesertim primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto...

Ideoque mihi humiliter satius videretur si verba, de quibus agimus, ita vel similiter immutarentur:

« Praeterea Concilium derogare non intendit facultatibus sive cappellanis maritimorum eorumque Directoribus, sive cappellanis navigantium eorumque pariter Directoribus a Pio XII durante munere tributis (*A.A.S.* 46 [1954], p. 250, III, 9 et pp. 416-417, II, 8, 1° et 2°; *A.A.S.* 50 [1958], p. 381, 29, 1° et 2°) ».

Card. Ruffini: Capite 1, pag. 4,[1] lin. 15 s.: Existimo nullam plerumque esse necessitatem tribuendi tam extensam facultatem Vicario Capitulari. Quod si habeantur conditiones peculiares et extraordinariae, v. gr. quia potestas civilis impedit quominus Episcopus legitimus sedem occupet, tunc S. Sedes facultatem concedat. Idcirco sicut pro Vicario Generali additur « de speciali Episcopi mandato, ita pro Vicario Capitulari adiciatur limitatio quaedam, ex. gr. in casibus urgentioribus ».

Pag. 5,[2] lin. 33 s.: « ... qui sine gravi incommodo sacramentum conferre queat ».

Comma istud dubiis multis occasionem praebere potest. Quis enim

---

[1] Cf. p. 97.
[2] Cf. p. 98.

iudicabit de gravi incommodo? Praeterea, si incommodum vere grave non sit et nihilominus conferatur Sacramentum, num id valide confertur? Existimo esse validum, sed hoc clare enuntietur.

Melius forsan esset, omittere simpliciter clausulam, quam supra retuli.

Deinde nescio cur nihil dicatur de congrua instructione praemittenda, excepto — ut clarum est — periculo mortis.

Fideles Sacramento Confirmationis militiae Christi adscribentur ut pugnare incipiant, intus et foris, contra aeternae salutis hostes, sed grave hoc officium rite explere non valent nisi congrua eruditione religiosa imbuti sint. Propterea aetas provectior — extra periculum mortis — a multis *in Ecclesia latina* desideratur in iis qui sacro chrismate sunt confirmandi.

Demum utiliter existimo adici: « *nomina confirmatorum* — si minister Episcopus dioecesanus non fuerit — Curiae Episcopali intra annum deferantur ».

Card. SIRI: Caput secundum « De aetate confirmandorum » (pagina 6)[3] videtur aliter esse componendum.

Etenim confirmat disciplinam Codicis et statuit septimum aetatis annum circiter pro recipienda Confirmatione cum dilatione ex voluntate Ordinarii usque ad duodecimum annum, iustis gravibusque causis.

Ratio allata est quia Confirmatio complet Baptismum. Haec ratio est certe vera et testem habet totam christianam traditionem; tamen hoc complementum vel haec ratio complementi non irritatur eo quod inter Baptismum et Confirmationem iusta de causa inseratur aliud Sacramentum, ut puta SS. Eucharistiam. Ratio est bona, sed non cogit.

Rebus sic stantibus cum evidenter agatur, non de dogmatis definitione, sed de opportuna disciplina statuenda, quae semper sit correspondens conceptui dogmatico de Confirmatione uti complemento Baptismatis, alia possunt equidem prae oculis haberi.

Et ea ita se habent: in pluribus locis pro maiori parte iuvenum seu adolescentium, nulla de facto habetur catechetica institutio post receptam Eucharistiam et Confirmationem. Saltem, nullus habetur cum parocho et sacerdotibus contactus. Si, e contra Confirmatio posset legitime differri aliquatenus etiam ultra duodecimum annum etiam sine iusta et gravi causa, non tamen ultra adolescentiam vel initam iuventutem, pro locorum commoditate possibilitas esset eos adulescentes vel iuvenes iterum reduci ad novam et profundiorem catechesim.

---

[3] Cf. p. 98.

Videtur ergo opportunius ita edicere rem: « Confirmatio, uti complementum Baptismi convenienter administratur ad septimum circiter annum. Tamen ratione melioris christianae institutionis seu ulterioris catecheticae instructionis ordinarii possunt differre usque ad decimum sextum aetatis annum ».

Rogantur Patres ut velint considerare antea parentes custodire filios suos, qui propterea poterant optime omnia sacramenta iuventutis recipere statim ac sufficientem rationis usum recepissent; nunc autem parentes parum curant de filiis suis et disciplina Ecclesiae hoc negligere non potest.

Card. Godfrey: Cap. 1. *De ministro Confirmationis*:

Ad II *b*), pag. 4[4], lin. 27. « Vicariis paroecialibus »: quaeritur si intelligatur sacerdos qui, *pro tempore,* supplet locum parochi, vel vicarii non stabiliter collocatus in illa paroecia?

Ad II *d*), pag. 5,[5] lin. 14, ubi de valetudinariis. « Moderatori cappellanorum »: quid significat phrasis « moderatori cappellanorum »? Cappellani in Anglia et Cambria saepe sunt cooperatores parochi et omnes habent curam aegrotorum in eodem valetudinario.

Quaeritur si *ipsi cooperatores* sacramentum administrare possint illis qui ex gravi morbo in periculo mortis constitutis, positis, uti supponitur, conditionibus indicatis in schemate (pag. 5,[6] lineis 30-35).

Caput 2. *De aetate confirmandorum*:

De aetate 7, omnia clara sunt.

Caput 3. *De patrinis*:

Difficultates practicae sunt, sed valde desideratur ut unusquisque confirmandus habeat suum proprium patrinum.

Evidens est quod, quando agitur de magno numero confirmandorum, difficultas oritur de capacitate ecclesiae.

Extensio facultatis administrandi ad Vicarium Generalem, mandato speciali, certe redderet possibilem magis frequentem administrationem sacramenti confirmationis, cum minore numero candidatorum.

Extensio facultatis administrandi sacramentum Confirmationis, etiam Vicariis Foraneis, mandato speciali, intra limites territorii proprii, esset adiumentum Episcopo ne multiplicetur numerus sive Episcoporum Auxiliarium sive Vicariorum Generalium.

---

[4] Cf. p. 97.
[5] Cf. p. 97.
[6] Cf. p. 98.

Card. MEYER: Valde mihi placent quae in numero I, pagina 4,[7] habentur de ministris extraordinariis Sacramenti Confirmationis. Attamen vellem ut haec facultas saltem in magnis dioecesibus etiam latius pateret. Ratio est: In magnis dioecesibus, ministratio sacramenti confirmationis secumfert multum et gravem laborem. Ad maiorem fructum spiritualem promovendum, mihi persuasum est hoc sacramentum quotannis in unaquaque paroecia debere ministrari, sicut mos est pro prima communione. Quamvis schema omnino bene describit hoc ministerium tamquam « valde proprium » Episcopis Ordinariis, ideoque ab ipsis personaliter quantum fieri potest agendum, nihilominus in magnis dioecesibus hoc physice impossibile est. Utique coadiutores episcopi auxiliares quandoque haberi possunt, sed si haec facultas aliquatenus latius pateret, non esset necessitas multiplicandi numerum horum episcoporum. Schema utique proponit ut facultas concedatur Vicario Generali, sed nec multiplicatio Vicariorum Generalium videtur iuxta mentem Codicis Iuris Canonici.

Quod attinet ad numerum II, pagg. 4-5,[8] vellem interrogare num rationes dogmaticae subsint conditioni « intra limites proprii territorii ». Si non, tunc mihi videtur quod consideranda sit extensio huius facultatis, pro iis qui in gravi periculo vitae versantur, omnibus sacerdotibus aliunde facultatem excipiendi confessiones habentibus.

Vellem etiam scire cur precise periculum mortis debeat esse « ex gravi *morbo* ». Item mihi videtur quod restrictio facultatis « *moderatori* cappellanorum in publicis valetudinariis, etc. » (pag. 5,[9] linn. 14-19) non sit practica. Cur iterum non simpliciter concedatur facultas omnibus cappellanis in his nosocomiis pro praedictis casibus?

Quoad aetatem confirmandorum vellem tantummodo hoc notare. Si utique, in Ecclesia Latina haec aetas, nempe « ad septimum circiter annum » serio sumi deberet, tunc rationes allatae supra de ministris extraordinariis huius sacramenti, praesertim in magnis dioecesibus, magis urgent. Immo urgent, etiamsi Confirmatio differatur usque ad duodecimum circiter annum, vel ad tardiorem aetatem.

Beat. SAIGH: Tout en approuvant les idées générales de ce Schéma, je me permettrais de faire certaines critiques de détail aux trois chapitres qui le composent.

---

[7] Cf. p. 97.
[8] Cf. pp. 97-98.
[9] Cf. p. 97.

Caput 1. *De ministro Confirmationis*:

1) Page 3,[10] lignes 4-6: La théologie scolastique en Occident a donné au sacrement de confirmation un aspect particulier de « sacrement de la lutte spirituelle » et de « sacrement d'entrée dans la vie adulte ». Cette théorie s'inspire de la pratique occidentale de ne conférer ce sacrement qu'à l'entrée du chrétien dans l'âge adulte. Or, selon la tradition ancienne et orientale, ce sacrement est d'abord et avant tout un complément indispensable et inséparable du baptême. Il forme avec le Baptême et l'Eucharistie les « trois sacrements de l'initiation chrétienne ». Je souhaite que ce préambule élargisse ses horizons de manière à décrire le sacrement de confirmation ou sainte chrismation en fonction de toute la tradition de l'Eglise, et non seulement en fonction de la tradition occidentale moins ancienne.

2) Page 3, lignes 13-14: Selon la terminologie du Concile de Trente, le Schéma appelle l'évêque « ministre *ordinaire* » du sacrement de confirmation. Expliquée, cette terminologie n'est pas inadmissible. Elle présente seulement le grand inconvénient de s'inspirer de l'usage occidental, où l'évêque est réellement le ministre qui *ordinairement* confère le sacrement de confirmation. En Orient, où le prêtre confirme en même temps qu'il baptise, cette terminologie est moins heureuse. Nous dirions plutôt que l'évêque est « minister *genuinus* vel *originalis* » de la confirmation, mais pas « minister *ordinarius* ».

3) Page 3, ligne 25: Il est dit que l'Eglise, « *per ministerium Summi Pontificis* », a accordé à certains prêtres le pouvoir de confirmer. Cela vaut pour l'Occident, mais nullement pour l'Orient. Rien, absolument rien, dans l'histoire, ne prouve que les prêtres orientaux confirment par concession du Pape. Dire qu'il y a eu une concession *tacite,* c'est faire violence à l'histoire et vouloir à tout prix concorder la réalité avec une théorie préétablie. Rien d'ailleurs ne nous permet de dire que le droit d'autoriser les prêtres d'Orient à confirmer est réservé au Pontife Romain, du moins selon la discipline authentique de l'Orient et non pas d'après la jurisprudence postérieure des dicastères romains, basée sur un postulat nullement prouvé.

Je dois dire que la perspective du préambule de ce premier chapitre sur le ministre de la confirmation est typiquement et trop exclusivement latine. On devrait davantage tenir compte de la tradition patristique, clairement manifestée par l'usage des Eglises d'Orient, afin d'assurer à nos déductions doctrinales une base moins étroite.

---

[10] Cf. p. 96.

Caput 2. *De aetate confirmandorum*:

J'approuve les nouvelles dispositions disciplinaires sur l'âge des confirmands dans l'Eglise latine. Cependant, contrairement à ce qui est dit à la page 6,[11] lignes 12-16, je crois qu'il n'est pas conforme à la tradition ecclésiale de donner l'Eucharistie avant la confirmation.

Caput 3. *De patrinis*:

J'approuve ce qui est dit dans ce chapitre au sujet des parrains de la confirmation. Cependant je crois qu'il est nécessaire de bien spécifier au début de ce chapitre qu'il ne s'agit que du rite latin.

Card. OTTAVIANI: In Constitutione « De Sacramento Confirmationis » optarem ut melius exprimatur conceptus expressus in forma negativa in pagina 4,[12] linea 15, cum verbis « Concilium non intendit derogare facultatem ... a Pio XII tributam, durante munere »; melius est si exprimatur formula positiva ut in praecedentibus.

De aetate confirmandorum propono ut protrahatur ad duodecimum annum:

1) quia opportunum est creare novam occasionem instructionis religiosae post primam Communionem;

2) quia non est necessaria praecedentia Confirmationis ad Communionem;

3) quia pro Confirmatione requiritur amplior cognitio rerum quae ad vitam christiani prout est militia super terram cognoscenda sunt;

4) quia generatim illa est aetas in qua transitus a scholis elementaribus ad scholas medias opportuniorem occasionem dabit pro maturiore examine praeparationis catecheticae et moralis iuvenum.

In capite « De Patrinis » optarem ut addatur exhortatio ut a munere patrinorum excludantur qui doctrinae marxisticae adhaereant: hoc modo datur indirecta instructio circa illiceitatem adhaerendi communismo.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: circa extensionem iuris confirmationem administrandi tantum.

Card. MICARA: Placet: adsentio iis quae proponuntur circa ampliores presbyterorum facultates pro conferendo Confirmationis Sacra-

---

[11] Cf. p. 98.

[12] Cf. p. 97.

mento, ea tamen lege firmiter declarata ut Episcopus praesto esse non possit. Insuper attendenda puto quae Em.mus Card. Ottaviani adiunxit.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: cum additamentis ab Em.mo Cardinali Ottaviani factis et explicationibus.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum:[1] scilicet ut verba quae habentur p. 4,[2] I, lineis 17-21 ita vel similiter immutarentur: « Praeterea Concilium derogare non intendit facultatibus sive cappellanis maritimorum eorumque Directoribus, sive cappellanis navigantium eorumque pariter Directoribus a Pio XII durante munere tributis » A.A.S. 46 (1954), p. 250, III, 9 et pp. 416-417, II, 8, 1° et 2° et A.A.S. 50 (1958), p. 381, 29, 1° et 2° et ut ratio habeatur votorum Em.morum Patrum Ruffini, Siri, Meyer et Ottaviani.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: secundum animadversiones expositas a Patribus Commissionis Centralis.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. de extensione pro ritu Latino.

Card. COPELLO: Placet iuxta dicta ab Em.mis Card. Ferretto et Ottaviani.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: Prae oculis habeantur animadversiones ab Em.mis Patribus et a Beat. Patriarcha Saigh factae. Ante redactionem definitivam prae oculis haberi debet schema analogum paratum a Commissione pro Ecclesiis Orientalibus.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: i. e. credo quod facultas confirmandi potest dari omnibus vicariis semper autem in casu necessitatis.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet in pagina 5[3] in mortis periculo concedatur facultas conferendi confirmationem in valetudinariis vel hospitalibus non tantum moderatori cappellanorum sed etiam omnibus cappellanis de licentia saltem praesumpta eorum moderatoris.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: tota haec res relinquatur Congregationi de Sacramentis vel potius iudicio Summi Pontificis, quia est

[1] Cf. pp. 101-102.
[2] Cf. p. 97.
[3] Cf. pp. 97-98.

nimis implicata. Vel revertendum ad disciplinam vigentem ante decretum S. C. de Sacramentis « Spiritus Sancti munera » d. 14 septembris 1946, quia nova disciplina ansam dat ad multas incertitudines iuris vel facti. Quoad aetatem confirmandorum maneant canones C.I.C.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[4]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu attendendum ad observationes ab Em.mis Card. Ruffini, Ottaviani et praesertim Meyer prolatas.

Capite 1, linea 15, supprimenda viderentur verba: « quod haec quoque Oecumenica Synodus iterum declarat ac definit » quod 1°) superflua post ea quae in periodo praecedenti dicta sunt, 2°) quia consideranda Disciplina Orientalis.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta ea quae scripta sunt in folio adnexo [5] et adhaerendo his quae dicta sunt ab Em.mis Ferretto, Ruffini et Ottaviani.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est, ampliando facilitates quoad ministrum Confirmationis.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: opportunum est facilius reddere administrationem sacramenti confirmationis pro iis qui in mortis periculo sunt constituti.

Sed ad hunc scopum melius attingendum, credimus quod tollendae sunt limitationes in schemate expressae quoad vicarios cooperatores (« de licentia saltem praesumpta parochi »), quoad cappellanos Vicariatuum castrensium (« eorum primus » tantum), quoad cappellanos valetudinariorum et hospitalium (eorum « moderatori » tantum).

Bene intelligitur quod minister ordinarius confirmationis est Episcopus. Sed hic agitur de casibus extraordinariis, ubi abusus difficile invenitur. In magnis paroeciis et hospitalibus urbanis, parochus vel primus cappellanus nequeunt semper providere omnibus necessitatibus eorum qui in mortis periculo constituuntur: haec est propria ratio cur habent vicarios vel assistentes. Et fideles non possunt intelligere quod, *ob rationes mere canonicas,* aliquando moribundi privantur sacramento confirmationis. Possumus etiam mentionem facere quod in ritibus orientalibus limitationes illae non habentur.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: ut bene dixit pro Ecclesia latina Em.mus Cardinalis Ottaviani, praesertim de aetate confirmationis.

---

[4] Cf. pp. 102-103.
[5] Cf. pp. 103-104.

Deinde nescio cur baptismi patrinus nequeat eodem patrini munere etiam in confirmatione fungere (cf. can. 796 § 3), cum e contra videtur idem tutor et sponsor in his duobus sacramentis relate ad eundem candidatum fructus horum officiorum melius obtinere.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: maxima debetur reverentia venerandis traditionibus Ecclesiae Orientalis. Ratio habeatur de opportunis observationibus Eminentissimorum Cardinalium. Aetas circiter duodecim annorum aptior esset ad meliori praeparatione recipiendum Sacramentum hoc, consideratum hodiedum ut ingressus christiani in maiorem aetatem, ut felix experientia demonstrat quarundam nationum.

Card. GODFREY: Placet iuxta observationes factas ab Eminentissimis Cardinalibus Ottaviani, Meyer et aliis oratoribus. Meo humillimo iudicio clarificatio desideratur eorum quae dicta sunt in pagina quinta [6] sub littera *d*), ut nullum relinquatur dubium de facultatibus uti dixi in folio adnexo.[7]

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet *a*) ut quae dicuntur in prooemio valeant pro Ecclesia Latina, *b*) ut ratio habeatur de praecipuis animadversionibus factis a Patribus, *c*) ut redactio n. 1 in capite 1 adaptetur iuri iam nunc vigenti.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Ferretto, Ruffini, Léger, Confalonieri, Ottaviani ac Beati Patriarch. Melchitarum.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: i. e. assentior eis, quae dicta sunt de extensione facultatis confirmationis (Card. Godfrey et Card. Meyer) et de libertate circa aetatem confirmationis maiorem (Card. Ruffini, Card. Ottaviani) et de bona compositione inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Latinam (Card. Agagianian, Patriarcha Maximus).

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: habita scilicet ratione omnium animadversionum ab Em.mis Cardd. Ottaviani, Ruffini, Siri et Meyer factarum. Insuper attendendum observationibus a Beatissimo Patriarcha Melchita prolatis.

Card. MUENCH: Placet iuxta modum: sc. iuxta commenta facta ab Em.mis Meyer, Ruffini et a Maximo Saigh, Patriarcha.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae ab Eminen-

---

[6] Cf. p. 97.
[7] Cf. p. 104.

tissimis Ruffini, Siri, Godfrey, Ottaviani, et a meipso in folio adnexo [8] dicta sunt.

Card. TRAGLIA: Placet iuxta modum: perpensis diligenter observationibus expositis, et deletis verbis in pag. 4,[9] cap. II « *ex gravi morbo* in mortis periculo sunt constituti ».

Et schema unicum paretur de confirmatione in quo ratio habeatur de diversis ritibus unius Ecclesiae Catholicae.

Permitti etiam debet patrino baptismi ut eodem munere fungi possit in confirmatione.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: 1) extendatur facultas Ordinariorum ad designandos Praelatos qui Sacramentum Confirmationis administrare possunt.

2) Donetur facultas administrandi Sacramentum Confirmationis in hospitalibus infirmorum non tantum *moderatori* capellanorum sed etiam sacerdoti qui *quomodocumque* eius vices gerit.

3) Nihil obstat quod patrinus Baptismi sit etiam patrinus Confirmationis.

Pag. 5,[10] regula 14 et seq.: In publicis valetudinariis vel in hospitalibus infirmorum Ordinarius loci concedere potest facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis *moderatori capellanorum*.

Rogare vellem ut in istis institutis facultas administrandi Sacramentum Confirmationis concedatur non tantum moderatori capellanorum i. e. unico sacerdoti, sed etiam ei qui eius vices gerit.

In regionibus sicuti nostris fere omnes catholici adulti iam acceperunt Sacramentum Confirmationis. Si ergo agitur de administrando Sacramento Confirmationis in periculo mortis, fere semper agitur de *infantibus* graviter infirmis.

Ubi autem sicut apud nos cura medica infirmorum maximam evolutionem sumpsit, infantes graviter infirmi fere semper in hospitalibus curantur.

Ideoque administratio Sacramenti Confirmationis in periculo mortis saepius in hospitalibus quam in domibus privatis fidelium locum habet.

Decretum autem in paroeciis pluribus sacerdotibus facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis confert — in hospitalibus

---

[8] Cf. p. 105.
[9] Cf. p. 97.
[10] Cf. p. 97.

autem unico tantum. Si iste unicus casu abest, nullus praesto est qui Sacramentum administrare possit.

Quare rogare vellem ut facultas donetur non tantum « moderatori capellanorum » sed etiam « ei qui *quomodocumque* eius vices gerit ».

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: secundum animadversiones factas.[11]

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: extendatur facultas administrandi Sacramentum et attendatur fides christiana patrinorum.

Card. JULLIEN: Non placet: agitur de Concilio Oecumenico. Res autem praesens quae agit praesertim de disciplina Ecclesiae Latinae, spectat ad futuram Commissionem instituendam pro Codice Iuris Canonici pro Ecclesia Latina complendo atque hodiernis temporibus aptando. Ad istam futuram Commissionem sane remittentur omnia acta praeparata ab hac Commissione de Sacramentis, ita ut tantus labor non sit cassus.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: collectis et concordatis tot optimis animadversionibus prolatis et illis minimis quas ipse scripto affero. Admissa etiam animadversione Em.mi Card. Agagianian, quoad illa quae relationes tangunt inter Ritus ex. gr. quoad administrationem Confirmationis, quoad iurisdictionem audiendi confessiones etc. Haec concordanda viderentur postquam diversa Schemata latina et orientalia fuerint discussa. Tunc videri practice potest Schema unicum, ut recte exoptant Cardd. Traglia et Ottaviani.

1) *Introductio* omnibus numeris absoluta apparet, sive rebus apte et opportunissime collectis, sive forma redactionis, sive denique allegationibus rite et accurate factis.

2) Ad c. I, n. 1, pp. 4-5.[12] Quoad *formam,* notari posset, melius post litteram *d*), sub aliis tribus litteris addendum *e*) *f*) *g*), tres subsequentes casus (*Cappellani Castrenses* - *Cappellani in valetudinariis* - *Cappellani* et *Directores navigantium*) ordinari posse (p. 5).

3) His casibus *c*) *d*) *e*) 1, *g*) (n. 2) adiungi etiam, *utiliter* et *logice* posset, *casus Superioris Religiosi, semper in periculo mortis,* pro illis « qui in *domo religiosa diu noctuque* degunt, *famulatus* aut *educationis* aut *hospitii* aut *infirmae valetudinis* causa » et *ab eo* sacramenta Eucharistici Viatici vel Extremae Unctionis recipiunt » (c. 514, par. 1).

4) In fine notari posset, in casu necessitatis, alio ministro proprii

[11] Cf. p. 107.
[12] Cf. pp. 97-98.

ritus deficiente, Sacerdos latinus qui facultatem confirmandi habet, valide et licite proprio ritu, servatisque quoad requisita *in subiecto* illis quae in huius subiecti ritu praescribuntur, Orientales confirmare posse, sicut Sacerdos orientalis latinos.

5) Illa quae p. 5[13] in fine dicuntur (« *Hae facultates... est conferenda* ») quia generalia sunt et omnes praemissas sub n. II recensitas facultates tangunt, sub numero separato (III) aptius ponerentur.

6) Ad c. 2 (« *De aetate confirmandorum* »). Videndum sane esset an admisso quod Sacramentum Confirmationis melius ante Eucharistiam administratur quae sive in periculo mortis (c. 854, par. 2) potest *et* debet ante septennium ministrari si infans sciat Corpus Christi a communi cibo discernere, sive extra periculum mortis, etsi plenior cognitio requiratur, tamen talis est quae frequenter ante septennium haberi potest (c. 854, par. 3) etiam pro Confirmatione eodem modo, *non de septennio* sermo fieret, sed de cognitione quae pro recipienda Eucharistia requiritur.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita voti Em.mi Meyer et Em.mi Ottaviani.

Card. BEA: Placet iuxta modum: secundum animadversiones propositas. Ratio habenda maxime dioecesium grandium. Condiciones in variis regionibus sunt diversae; videant Conferentiae Episcoporum. Clare dicatur in iure Orientalium nihil mutari; in Introductione habeatur ratio eorum quae ex praxi Orientalium sequuntur. Unicum schema fiat quod valeat de Ecclesia latina et orientali.

Beat. SAIGH: Placet iuxta modum: en tenant compte des remarques que nous avons faites sur ce sujet.[14]

Beat. GORI: Placet iuxta modum: praesertim in quantum facultas administrandi Confirmationem extendi possit. Et hoc de ritu latino loquendo, quia ritus Orientales non habent restrictiones.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. *a*) fortasse melius est ut inseratur in schemate caput speciale de subiecto Confirmationis; *b*) detur brevis conceptus historicus qui usum latinum et usum orientalem approbat; *c*) optatur ut aliquid dicatur de usu in Ecclesiis orientalibus conferendi sacramentum Confirmationis una cum sacramento Baptismi in eadem functione liturgica, ab eodem sacerdote et cum iisdem patrinis.

---

[13] Cf. p. 98.
[14] Cf. pp. 105-107.

Exc. Felici: Placet: auspicor tamen ut ex duobus decretis, hoc quidem, quod discutitur, et alio « de chrismate » quod discutietur, unum pro universa Ecclesia fiat. Id ut antea fieret, enixe ego rogavi duas Commissiones Praeparatorias: sed in vanum. Sed hoc consequi poterit, iuxta vota prolata, Subcommissio de materiis mixtis.

Exc. O'Connor: Placet iuxta modum: Facultas Confirmationis in articulo mortis omnibus sacerdotibus concedatur « ipso iure ». Insuper, Ordinariis ius concedatur delegandi, ad tempus, iusta de causa, alicui sacerdoti vel, ubi necessitas adsit, numero determinato sacerdotum, facultatem sacram Confirmationem administrandi.

Exc. Silva Santiago: Placet iuxta modum: cum observationibus factis ab Eminentissimis Cardinalibus Ferretto, Ruffini, Meyer et Siri.

Credo, praeterea, ea quae dicta sunt ab Excellentissimo Mons. Saigh Maximo IV, Patriarcha Antiocheno Melchitarum, magna consideratione digna esse ex parte Concilii, praecise quia Oecumenicum est. Hoc in sensu omnino cum dictis ab Eminentissimo Cardinali Bea sentio.

Exc. Antezana y Rojas: Placet iuxta modum: scilicet, secundum instructiones vel animadversiones Em.mi Cardinalis Ottaviani, praecipue, et aliorum Patrum circa aetatem et ministrum.

Exc. Beras: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Ottaviani, Ferretto et Ruffini, necnon ea quae dixit Em.mus Cardinalis Bea.

Exc. Lefebvre: Placet iuxta modum: secundum observationes factas ab Eminentissimis Cardinalibus. Adderem aliqua verba. Optandum, mihi videtur, extendere facultates quae nobis conceduntur in locis Missionum ad omnes Ordinarios: i. e. Ordinarius potest designare aliquos sacerdotes ad sacramentum Confirmationis conferendum. Deinde sacerdotes qui recipiunt consensum in matrimonio possunt conferre sacramentum Confirmationis iis qui ad sacramentum matrimonii accedunt et nondum receperunt sacramentum Confirmationis. Denique omnis sacerdos assistens moribundum potest conferre sacramentum Confirmationis huic moribundo.

Exc. Perrin: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Siri, Meyer et Traglia et Suae Beatitudinis Saigh Maximi, Patriarchae Melchitarum. Opto ut patrinus baptismi possit regulariter esse patrinus confirmationis.

Exc. Šeper: Placet iuxta modum: ea quae dicuntur de facultate confirmandi in periculo mortis coordinanda sunt cum iis quae habentur

in Schemate « De Ecclesiae Sacramentis » proposito a Commissione de Ecclesiis Orientalibus, ubi in parte I, n. VII sermo est de tali facultate, sed multo ampliore.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes ab Em.mis Cardinalibus Agagianian, Léger, Meyer et praesertim Bea. Vellem ut paucissimae sint distinctiones inter Ecclesiam Occidentalem et Orientalem. Cur enim id quod validum et licitum est in Ecclesia ritus Orientalis non ita sit in ritu Occidentali? Distinctio vel et oppositio quae adest in mundo in rebus politicis, existere non deberet in Ecclesia Romana quae est una.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: attentis dictis ab Eminentissimis Ruffini, Siri, Meyer de aetate Confirmationis et ab Eminentissimo Léger de ministro extraordinario Sacramenti.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: emisso voto ut disciplina Ecclesiarum orientalium quoque referatur, et in publicis valetudinariis omnes cappellani Sacramentum Confirmationis in mortis periculo conferre valeant.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Eminentissimi Meyer de extensione facultatis ministrorum presbyterorum et secundum observationes Eminentissimi Bea.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: id est attentis observationibus quoad praesertim aetatem differendam usque ad duodecimum annum.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de eis quae dicta sunt praesertim de praeparatione debita ad Confirmationem.

Exc. JELMINI: Placet: etsi non videatur Concilii Oecumenici esse materia.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta observationes factas speciatim quoad extensionem facultatum administrandi sacramentum Confirmationis.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: Ad evitandos inutiles scrupulos vellem expungere restrictionem p. 5 [15] lin. 33 additam: « qui sine gravi incommodo sacramentum conferre queat ».

---

[15] Cf. p. 98.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: i. e. attentis observationibus hic factis ex quibus videtur sequi novum studium unitivum, quoad quaedam, convenienter adhuc fieri secundum reflexiones factas ab Em.mis Ruffini, Traglia, Ottaviani, Bea et ab Exc.mo Patriarcha Melchita.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: scil. ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Agagianian, Meyer et Ottaviani; fiat unicum schema pro praxi latina et orientali.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: 1) Schema coordinetur et uniatur cum simili schemate pro Orientalibus; 2) practica et minuta quaeque, de quibus pp. 4 et 5,[16] determinanda linquantur administrationi ordinariae Ecclesiae, non autem ab ipso Concilio definiantur.

III

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

(Secunda Congregatio: 16 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus iudicialis (*Concil. Tridentinum,* sess. XIV, can. 9); et ideo ille iurisdictione in confitentes sibi peccata praeditus sit oportet, quae aut ordinaria aut delegata esse potest (cf. *Conc. Trid.,* sess. XIV, cap. 7).

Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas in universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt (*C.I.C.,* can. 873, § 1).

Ministerii autem apostolici in animarum salutem officium postulat, ut plures alii apti et animarum studio compulsi sacerdotes « confitentibus actionem poenitentiae dent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admittant » (S. LEO M., *Epistola ad Theodorum Episcopum Foroiuliensem,* ML, 54, 1011).

Quare, necessariam ad peccatorum absolutionem iurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam, Ecclesia quamplurimis sacerdotibus sollicita largitate concedit, prae oculis habitis personarum dignitate atque populi christiani necessitatibus.

Cum vero vitae consuetudines hodiernae celeriter se evolvant, et cum itinera impraesentiarum cotidie frequentiora evadant, plurimi locorum Ordi-

[16] Cf. pp. 97-98.

narii significarunt facultates audiendi confessiones adhuc extendi oportere, ut facilior et frequentior fidelibus occasio adsit ad poenitentiae sacramentum recurrendi. Huius extensionis necessitas exhibetur in haud paucis canonibus a Conciliis plenariis aut particularibus latis, necnon in conventionibus quas in plerisque regionibus locorum Ordinarii inter se inire voluerunt. Accedit commune votum ut casus Ordinariis reservati perpauci sint.

Haec igitur Sancta Oecumenica Synodus, quod sit huiusmodi exoptatis satis, per sequentia capita statuere decrevit.

Caput 1

DE IURISDICTIONE AD AUDIENDAS CONFESSIONES EXTENDENDA

1. *Privilegium Metropolitarum.*

Metropolita seu Archiepiscopus qui praeest provinciae ecclesiasticae, gaudet in eadem privilegio audiendi confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii.

2. *Privilegium Episcoporum.*

Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares gaudent ex iure privilegio audiendi confessiones ubique terrarum, et absolvendi a peccatis, exceptis iis tantum quae Sedi Apostolicae reservata sint, salvis iuribus Episcoporum in propria dioecesi (cf. Ioannes XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 69).

3. *Privilegium sacerdotum.*

Sacerdotes omnes peccata sua confiteri possunt apud quemlibet sacerdotem, qui nullo canonico impedimento sit irretitus et ab aliquo Superiore competente ad confessiones audiendas approbatus (cf. Ioannes XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 67).

4. *Facultates sacerdotum peregrinantium.*

Salvis facultatibus iam concessis sacerdotibus qui iter maritimum aut aereum arripiunt (*C.I.C.,* can. 883; Pius XII, Motu Proprio *Animarum studio,* d. 16 decembris 1947, *A.A.S.,* v. 40 [1948], p. 17), in sacris peregrinationibus aliisve itineribus religionis aut caritatis causa communiter susceptis, sacerdotes eisdem addicti vel quomodolibet in eisdem participantes, dummodo vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario loci in quo eisdem adiunguntur vel etiam ab Ordinario cuiusvis loci per quem in itinere transeunt facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere expe-

ditioneve, quorumlibet fidelium secum itinerantium et eorum qui ipsis confiteri petant confessiones excipere, eosque absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis (cf. IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 65).

5. *Facultates confessoris occasionalis.*

Sacerdos ad confessiones excipiendas ab aliquo loci Ordinario approbatus, nec canonice impeditus, etsi in loco quo versatur facultate confessiones audiendi careat, valide et licite, etiam a peccatis Ordinario reservatis, absolvere poenitentes potest qui eidem confiteri petunt, si difficilis sit recursus ad loci Ordinarium, nec praesens sit alius sacerdos in loco approbatus, vel, si adsit, poenitentes eidem confiteri nequeant vel recusent.

In iis adiunctis, idem sacerdos confessiones audire potest aliarum quoque personarum, quae ad eundem forte accedant.

6. *Facultates a parocho delegatae.*

Parochi et ii qui parochorum nomine in iure veniunt, facultatem audiendi confessiones in proprio dumtaxat territorio concedere possunt sacerdotibus ab aliquo Ordinario loci ad confessiones excipiendas approbatis nec ullo canonico impedimento correptis, non ultra octo integros dies, non computato die concessionis.

CAPUT 2

DE POTESTATE CONCILIORUM PARTICULARIUM

Salvis facultatibus ad audiendas confessiones ab hac Sacrosancta Synodo elargitis, Concilia plenaria vel provincialia ad normam iuris celebrata, alias quoque pro suo cuiusque territorio et iuxta necessitates eiusdem particulares concedere possunt, quas Episcopi in sua dioecesi revocare nequeunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.

A casibus vero reservandis abstineant.

CAPUT 3

DE PECCATIS RESERVATIS

Haec Oecumenica Synodus affirmat iterum potestatem Episcoporum reservandi sibi casus (*Conc. Trid.,* sess. XIV, cap. 11), limitando nempe inferioribus absolvendi potestatem et ad suum avocando iudicium quaedam peccata.

In mentem quoque revocare voluit verba Concilii Tridentini: « Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus, absolverentur » (sess. XIV, cap. 7).

Extraordinarium hoc remedium ad inolitum publicum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam perstringendum est (cf. *Instructio S. S. C. S. Officii,* d. 13 iulii 1916, n. 2, *A.A.S.,* v. 8 [1916], p. 313).

Non, enim, in eo consistit quod fideles a peccatis absterreantur quorum absolutionem noverint difficilem, siquidem temporibus nostris absolutio fere semper est impertienda, si peccator debite poeniteat. Reservationes potissimum valent ut fideles a peccatis arceantur quorum specialem malitiam et gravitatem inde saltem percipiunt quod reservata sint iudicio Superiorum, ita ut eorum absolutio non nisi ab eis detur aut saltem de eorum facultate.

Experientia vero satis comprobavit, reservationes peccatorum, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse (cf. *Instr. S. S. C. S. Officii,* l. c.).

Ideoque, attentis desideriis SS. Congregationum, Episcoporum et Superiorum Religiosorum Concilio Oecumenico expositis, haec Sancta Synodus censuit peccata ratione sui vel censurae reservata ulterius esse restringenda.

Quod ad reservationes Episcoporum attinet, ne plus quam duo peccata sint in dioecesi reservata, neve in vigore maneant ultra triennium, nisi Episcopus ob speciales rationes prorogandam reservationem esse censuerit.

* * *

Nota – Circa reservationes autem peccatorum ratione censurae, Commissio de disciplina Sacramentorum censuit quaestionem integre tractari non posse, nisi totum systema poenale Ecclesiae examini subiiciens.

At tale examen competentiam huius Commissionis excedere visum est; quin etiam alias Commissiones propriam competentiam hac de re potiori forte titulo affirmare posse.

Cum autem reformatio iuris poenalis ecclesiastici maxime in votis habeatur, Commissio desiderium expressit, ut Commissio Centralis illis providere ne dedignetur iuxta formam et modum quem aptiorem esse crediderit.*

2) RELATIO EM.MI P. D. BENEDICTI CARD. ALOISI MASELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

E multis Consiliis et Votis de rebus in Concilio tractandis a Sacrorum Antistitibus digestis, Beatissimus Pater circa Sacramentum Poenitentiae quaestiones a Commissione de disciplina Sacramentorum tractandas elegit sequentes:

---

* Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 4-11 maii 1961.

« Casus determinentur, in quibus extendere expediat iurisdictionem ad confessiones sacramentales audiendas.

De peccatis reservatis quaestio perpendatur ».

Neminem latet utrumque argumentum ad opus pastorale quod Concilium Vaticanum Secundum promovere intendit, magnopere conferre posse. Ea de causa diligenter a Commissione nostra pertractandum erat.

Imprimis igitur examinavit quaenam leges circa facultates audiendi confessiones in iure communi et in iure particulari vigerent, quonam fundamento niterentur, quibusnam necessitatibus satisfacerent.

Commissio nostra non solum iuris communis praescripta accurate perpendit, sed multa decreta in Conciliis aut plenariis aut provincialibus vel in ipsis Synodis dioecesanis lata consideravit, eum in finem ut melius apparerent et difficultates quae uberiori administrationi sacramenti poenitentiae obstare possunt et earum opportunae solutiones.

I - De iurisdictione ad audiendas confessiones.

Relinquendo Commissioni de Religiosis ea quae iurisdictionem audiendi confessiones in regimine Religionum exemptarum gubernant, atque normas speciales pro confessionibus religiosorum utriusque sexus, Commissio nostra consideravit iurisdictionem ad audiendas confessiones in regimine communi.

Caput primum schematis disciplinam audiendarum confessionum extendit, per concessiones quasdam.

Relate ad Metropolitas et Episcopos:

1. Primum, ratione dignitatis consulitur ut Metropolitae seu Archiepiscopi in tota provincia ecclesiastica cui praesunt, confessiones audiendi facultate gaudeant et absolvendi a peccatis et censuris quae non sint Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatae.

Haec facultas privilegiata est. Non dicitur ordinaria; neque delegata a iure, quia in actuali disciplina fervet disputatio de natura facultatum quae in iure conceduntur.

Melius quoque sic apparet Archiepiscopos eam delegare non posse.

Privilegium valere potest tantum pro foro interno.

2. Dignitas episcopalis est quoque fundamentum facultatis quae in numero secundo conceditur Episcopis extra propriam dioecesim. Opportunitas huius concessionis deducitur ex duabus considerationibus:

a) nam occasiones confessiones audiendi extra propriam dioecesim non subditorum multiplicatae sunt ratione conditionis socialis et cursus vitae hodiernae. Non autem decere videtur Episcopos in tali-

bus adiunctis se gerere debere tanquam confessores occasionales de quibus sermo fit in facultate numero quinto concessa;

b) revera praxis communis ostendit Episcopos mutuis conventionibus intra ambitum determinatum v. gr. totius Nationis, ad invicem facultates similes concedere solere.

Episcopali autem dignitati videtur esse magis consentanea concessio ab ipso iure facta, eam ad universum orbem extendendo.

Relate ad sacerdotes:

3. Reverentia quam Ecclesia erga suos sacerdotes fovet, hoc eorum privilegium inspirat. Neque enim videtur dubitari posse quantum puritati conscientiae sacerdotalis conferre valeat frequens usus sacramenti poenitentiae, qui per hoc privilegium redditur facilior.

Circa sacerdotes peregrinantes et confessores occasionales:

4. Ius commune sive in Codice Iuris Canonici sive in concessionibus Sanctae Sedis viam similem iam pridem aperuerunt. Nam ex una parte in sacerdotibus studium animarum excitat, et ex alia parte fidelibus pro usu frequentiori poenitentiae sacramentalis superare permittit difficultates quae proveniunt ex diversitate linguarum, ex necessitatibus urgentioribus quae in hodiernis moribus saepe saepius eisdem occurrunt, dum propriam patriam deserunt.

Circa facultates a parocho delegatas:

5. Sexta tandem facultas utilitatem trahit ex aucto ministerio in paroeciis occasione missionum popularium, aliorumque conventuum, necnon ex restricto numero sacerdotum qui stabiliter paroeciis addicuntur ob penuriam cleri. Oportebat igitur in adiutorium venire eorum qui curam animarum directe exercent.

II - De potestate Conciliorum particularium.

Concilia particularia plerumque concedunt facultates audiendi confessiones in toto territorio Provinciae ecclesiasticae sacerdotibus dioeceseon qui Provinciam constituunt, qui a proprio Ordinario approbati fuerint.

Circa facultates ita concessas pleraque dubia nonnullies excitata fuerunt. Etsi a Concilio statuta videantur, revera a singulis Episcopis per quamdam quasi conventionem delegatas esse apparent.

Etenim in iure Codicis nostri potestatem delegatam ad audiendas confessiones solum concedere possunt: Romanus Pontifex, Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur.

Conciliis igitur particularibus nullibi in Codice Iuris Canonici similis facultas conceditur. Ad omnes igitur difficultates tollendas, si

Concilia plenaria vel provincialia alias facultates, praeter eas quae in capitulo praecedenti recensentur, opportune concedere aestimabunt, in vim huius capitis in posterum id facere poterunt.

III - De peccatis reservatis.

Nota est Instructio Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii anno 1916 data, in qua efficaciter ostendebatur peccata reservari debere magna cum cautela, ne remedium hoc extraordinarium in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergat.

Examinata undique quaestione, Commissio nostra nullam difficultatem invenit in perstringendis reservationibus peccatorum ratione sui. Sed cum ad restringendas reservationes censurarum pervenit, statim eidem apparuit connexio quaestionis cum toto systemate poenali canonico. Reapse in iure vigenti censurarum reservatio sive Sanctae Sedi sive Ordinariis, et modus reservationis, nempe specialissimo, speciali aut ordinario modo, inductus est ut disciplina et ordo publicus Ecclesiae tueri possit.

Absolutiones autem censurarum in foro interno, forum sacramentale poenitentiae partialiter tantum tangunt. Inde Commissio nostra commode agere non poterat de reservationibus peccatorum ratione censurae, posito principio quod si agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit. Quaestiones igitur de relatione inter forum externum et forum internum praecipue sacramentale, necnon eventualis restrictio censurarum reservatarum competentiam Commissionis nostrae manifeste superabant, atque aliam Commissionem de momentosa ac desiderata re, qualis est reformatio iuris poenalis canonici, exigere videbantur. Cui Commissioni, si formaretur, etiam Commissio nostra calculum adiicere posset.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Ruffini: Pag. 8,[1] linn. 9-11: « quorumlibet fidelium secum itinerantium et eorum qui ipsis confiteri petant... ». Facultas quae his verbis exprimitur, nimis latet, cum nulla limitatione circumscribatur. Idcirco puto eam opportunam non esse.

Item (linn. 20-22) nimis ampla est facultas quae conceditur, nisi definiatur de qua sacerdotis *absentia* agitur.

---

[1] Cf. p. 118.

Pag. 8,[2] linn. 26-32: Nimium conceditur — ut mihi videtur — Parochis et iis qui Parochorum nomine in iure veniunt. Ut unum tantum dicam: quando potest constare Parochis ... sacerdotes, ex dissitis regionibus provenientes, nullo canonico impedimento detineri?

Card. LÉGER: Quoad 2. *Privilegium Episcoporum.* Opportune extenderetur privilegium ibi datum ad auditionem confessionum « etiam religiosorum utriusque sexus » sicut dicitur superius pro Archiepiscopis.

Quoad 3. *Privilegium sacerdotum.* Addendum est quod sacerdotes peccata sua « etiam Ordinario reservata » confiteri possunt apud quemlibet. In paragrapho quinta datur enim haec facultas confessori occasionali.

Quoad facultates pro sacerdotibus absolvendi extra propriam dioecesim. Quaedam occasiones dantur in §§ 4 et 5 ubi sacerdos, qui iam a proprio Ordinario recipit facultatem confessiones audiendi, potest peccata absolvere extra propriam dioecesim. Videtur tamen quod relate ad itinera (§ 4), circumstantiae ubi valet facultas sunt difficilis formulationis et maxime interpretationis; qualis enim erit interpretatio formulae « aliisve itineribus religionis aut caritatis causa susceptis »? Ex altera parte, videtur quod argumentum decisivum pro concessione facultatis valide et licite audiendi confessiones extra propriam dioecesim, sit voluntas quam habet fidelis sua peccata confitendi.

Iis in adiunctis, cum mens schematis sit « ut facilior et frequentior fidelibus occasio adsit ad poenitentiae sacramentum recurrendi », credo quod aequivalenter, clarius et, iudicio meo, sine maiori periculo abusus, exprimerentur sequenti formulatione facultates sacerdotibus datae:

Confessarius a proprio loci Ordinario sine ulla restrictione approbatus, in propria dioecesi, valide ac licite absolvere potest omnes fideles cuiusve ritus;

Extra propriam dioecesim, confessarius valide absolvere potest fideles cuiusve ritus. Tamen, hanc facultatem nequit licite exercere nisi cum permissione Ordinarii loci vel, in casu particulari, erga fideles qui eidem confiteri petunt.

Casus particulares sunt v. g. durante itinere erga secum itinerantes, in locis ubi catholicus sacerdos deficit, erga fideles aegrotantes qui illum postulant, si a fidele requisitus fuerit.

Curent locorum Ordinarii, ne iurisdictionem sacerdotibus delegent, nisi de eorum idoneitate ipsis sufficienter constiterit. Qui vero sacerdotes eam receperunt, dignos se tantae potestatis monstrare satagant.

---

[2] Cf. p. 118.

In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis praescriptis iuris de complicibus et censuris.

Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia, vel oratorium publicum aut semi-publicum.

Confessarii cuiusvis ritus non adscripti servitio alicuius ecclesiae vel oratorii, nequeunt ibi licite audire confessiones, nisi cum licentia, in casu urgenti praesumpta, rectorum horum locorum.

Beat. SAIGH: *Prooemium*: J'approuve ce préambule en général. Je me permets seulement de faire les deux remarques suivantes:

1) Page 5,[3] lignes 1-5: L'Occident ne doute pas que, pour la validité de l'absolution, il est requis que le confesseur ait une certaine juridiction sur le pénitent. Cette conviction découle sans doute de ce que l'Occident, ayant équiparé l'absolution des péchés à un jugement, a voulu retrouver dans l'absolution toutes les conditions d'un jugement humain au sens strict. Or, il nous semble que le sacrement de pénitence n'est un jugement que par analogie. Il n'exige donc pas, pour sa validité, toutes les conditions d'une vraie procédure judiciaire. L'Orient classique considère qu'un prêtre approuvé par son évêque pour les confessions — constitué donc comme père spirituel — peut absoudre partout les fidèles qui se confessent à lui. Les convenances ecclésiastiques exigeront certes de lui qu'il n'exerce ce pouvoir que sur le territoire qui lui est confié ou avec la permission du prêtre de l'endroit, mais la validité de son absolution reste toujours sauve. Je me suis permis d'exposer cette discipline de l'Orient chrétien classique pour deux motifs: 1) afin d'éviter de trop serrer la comparaison entre la confession et la procédure judiciaire; 2) afin d'appuyer doctrinalement l'élargissement de la discipline catholique actuelle.

2) Page 5, ligne 8: Parmi les Hiérarques qui ont le privilège de confesser partout, il convient de mentionner aussi les Patriarches.

Caput I. *De iurisdictione ad audiendas confessiones extendenda.* Page 7,[4] lignes 6-7: Il est question dans cet endroit des censures attachées à la révélation du « Secret du Saint-Office ». Personnellement, je suis opposé non seulement à ces censures, mais au « Secret du Saint-Office » lui-même. Les affaires de l'Eglise exigent certes beaucoup de discrétion. Mais il y a loin entre cette discrétion indispensable et

---

[3] Cf. p. 116.
[4] Cf. p. 117.

le « Secret du Saint-Office », tel qu'il est pratiqué aujourd'hui. Celui-ci a fini par donner à certaines administrations ecclésiastiques le cachet d'une vraie franc-maçonnerie et on en a plus d'une fois abusé pour condamner certaines personnes « ex informata conscientia », comme on dit, c'est-à-dire sans les interroger ou sans leur donner la possibilité élémentaire de se défendre. D'ailleurs il me semble qu'une réforme radicale du Saint-Office est aujourd'hui nécessaire, car le Saint-Office rappelle encore trop la « Sainte Inquisition ».

Cap. III. *De peccatis reservatis.* Page 11,[5] ligne 8 (Nota): Il est question de réformer le système pénal de l'Eglise. Nous ne saurions trop appuyer sur la nécessité d'opérer cette réforme. Le système pénal actuel de l'Eglise la réduit presque à une société profane, d'autant plus que la plupart de ces peines sont absolument inadaptées.

Card. LARRAONA: A) *Aliqua generalia.*

1) *Introductio* (pp. 5-6)[6] sicut omnes aliae, quas hucusque Commissio de Disciplina Sacramentorum nobis exhibuit, clara aptaque est. Ut crederem Concilio absque lima et correctione praesentari potest.

2) Aliqua circa *Ministrum Sacramenti Poenitentiae* (p. 7) concordanda essent, ad maiorem fidelium omnium utilitatem: et fructum, cum illis quae *Commissio pro Ecclesiis Orientalibus* proposuit, ut hic et ibi notabo. Concordatio nullo vel facili prorsus negotio fieri valet.

3) Si quid, salvo meliori iudicio, opinari licet quoad *terminologiam* et *materiae* ordinationem praecipue, in cap. I (pp. 7-8) forsan melius Commissionem pro Ecclesiis Orientalibus sequi possemus, ita ut non loqueremur, agendo de iurisdictione, nec de *privilegiis* (scilicet *Metropolitarum,* n. 1, p. 8;[7] *Episcoporum,* n. 2; Sacerdotum, n. 3), nec de *facultatibus* (nempe Sacerdotum peregrinantium, n. 4; Confessarii occasionalis, n. 5; Delegati a Parocho, n. 6), sed ex adverso de iurisdictione *ordinaria* et *delegata, a iure* et *ab homine.* Ita, omnia quae proponuntur, relictis privilegiis et facultatibus, iam ad generale et fixum iuris schema reducuntur (cf. Schema: *De Ecclesiae Sacramentis,* a Commissione de Ecclesiis Orientalibus propositum, II°, n. *A*) et *B*).

4) Convenienter in hoc Schemate ageretur et iam, ut fit in Schemate Commissionis de Ecclesiae Sacramentis pro Ecclesiis Orientalibus (cf. 1 c. I A, 3) saltem de potestate ad validitatem necessaria pro *audiendis confessionibus religiosorum* (*interna*) et praecipue de potestate speciali

[5] Cf. p. 119.
[6] Cf. pp. 116-117.
[7] Cf. p. 117.

necessaria ad confessiones *religiosarum*. Videndum sane esset, collatis in Commissione mixta consiliis cum Commissione de Statibus perfectionis, an post tot admissas exceptiones, principium de necessitate specialis iurisdictionis non comprehensae in generali *absoluta* vel *pro mulieribus* iurisdictione (c. 876), conservari expediat. Et iam hac abrogata necessitate specialis facultatis, normae vigentes circa confessarios *ordinarios, extraordinarios, speciales* et *adiunctos* ad liceitatem, in partem vel in totum, retineri possent. Haec iam ad Commissionem de Statibus perfectionis proprius pertinent.

B) *Ad singula.*

Cap. I. 1) Ad nn. 1 et 2 (p. 7 [8] Schematis) (Privilegium Metropolitarum n. 1, Privilegium Episcoporum n. 2). Redactio horum duorum numerorum satis cauta ac prudens apparet. In n. 1 extenditur Metropolitis, qui praesunt Provinciae Ecclesiasticae, pro integra eorum Provincia, *privilegium* quo pro integra Ecclesia ubique terrarum fruuntur Cardinales (c. 239, par. 1, I°). Extensio, ut legenti patet, iisdem verbis iisdemque ac pro Cardinalibus limitationibus fit. In n. 2 similis concessio fit etiam pro Episcopis residentialibus et titularibus quoad absolutionem a peccatis, exceptis casibus Sedi Apostolicae reservatis. Si has concessiones cum illis similibus comparare opportune velimus, quae inveniuntur in parallelo schemate Commissionis pro Ecclesiis Orientalibus, haec viderentur subnotanda: 1) Concessiones factae *Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis,* etc. sunt *a iure* et *ordinariae,* illae quae Episcopis titularibus et Sacerdotibus in aliquibus casibus largiuntur, sunt *delegatae a iure*; 2) Concessio specialis facta Patriarchis est universalis pro tota Ecclesia, sicut illa Cardinalium, concessiones factae Archiepiscopis Metropolitis limitantur ad proprium territorium; 3) Concessiones factae in Schemate proposito a Commissione pro Ecclesiis Orientalibus non distinguunt, quoad vim facultatum, inter Archiepiscopos, Metropolitas ac Episcopos residentiales aliosque qui a iure potestatem habent. Si haec attente ponderemus: *a*) absque difficultate admittere possumus potestatem universalem Patriarchis agnitam; *b*) potestas in Ordinariis proprie dictis, sive locorum (c. 198, par. 1) sive in Ordinariis personalibus (c. 198, par. 2), atque in aliis quibus ipsa ratione muneris conceditur, est in iure *ordinaria,* propria vel vicaria iuxta casus (cc. 197, par. 1 et 2, 199, par. 1); potestates seu facultates illis largitae qui ex munere non haberent sed quae ipsis conceduntur sive habitualiter *pro dignitate,* ut concessae Episcopis titularibus (p. 7, n. 2) sive pro casibus particularibus *ex occasione, pro necessitate* vel *utilitate*

---

[8] Cf. p. 117.

(cfr. p. 7, nn. 3 et 4; p. 8, n. 5) [9] sunt habendae ut *delegatae a iure;* potestas a parocho delegata (p. 8, n. 1) evidenter est delegata *ab homine*; *c*) relate ad vim et intensionem diversam potestatis a nostro Schemate recognitam seu largitam Archiepiscopis et Metropolitis (n. 1), Episcopis residentialibus (« salvis iuribus Episcoporum in propria dioecesi ») ac Episcopis titularibus (n. 2), rationabilem esse ac merito conservandam.

2) Ad n. 4 (pp. 7-8: *Facultates Sacerdotum peregrinantium*):

a) Possunt quidem allegari fontes ex quibus ad hodiernam redactionem perventum est, sed melius independenter ab eis redigeretur.

b) Concessio merito extendi posset ad imitationem schematis Commissionis pro Ecclesiis Orientalibus ita ut: 1° Non tantum complectatur *sacras peregrinationes aliave itinera* religionis aut caritatis causa communiter suscepta, sed generatim quaslibet excursiones seu itinera communia etsi non sint peregrinationes nec fiant directo religionis seu caritatis causa sed vel ad culturam, ad vires reficiendas (sport, campeggio), ad alias regiones noscendas (turismo, ecc.). Etiam ad Sacerdotes qui in iis partem habent convenienter facultates extenduntur. 2° Concessiones non limitantur ad iter maritimum vel aereum, sed extendi debent ad communia itinera quomodolibet ipsa fiant, scilicet sive curribus ferreis, vel curribus autosemoventibus, sive birotis, sive pedibus, sive equis et ita porro. 3° Si *quoad extensionem* sensibus dictis (1°, 2°) ex Schemate Orientali inspiratio sumi secure potest in Schemate Commissionis De Disciplina Sacramentorum *clausulae* habentur satis utiles ac prudentes, ex. gr. cavetur expresse casui Sacerdotis qui se adiungit itinerantibus, casui confessionum, aliorum non tantum itinerantium, etc.

3) Ad n. 5 (*Facultates Confessoris occasionalis*). Redactio accurata est, et haec satis larga concessio probanda in bonum animarum videretur. Forsan dum dicitur: « nec praesens sit alius Sacerdos in loco approbatus, vel, si adsit, poenitentes eidem confiteri " *commode* " (posset adiungi) nequeant vel recusent ». Si etiam recusantibus conceditur, concedi etiam potest illis qui *commode* approbato confiteri non possunt.

4) Applicatio horum, etiam n. 6 (*Facultates a parocho delegatae, quoad proprias ecclesias*). His attente ponderatis: 1° quod in omnibus quae praescripta fuerunt, mens est ut iuris normae bono animarum aptentur; 2° quod potestas audiendi confessiones religiosorum et eorum qui ad vitam religiosam accedunt, ut novitii, adspirantes, sit vel *ordi-*

[9] Cf. pp. 117-118.

naria ad normas iuris communis pro exemptis (can. 198), vel *ad modum ordinariae* a Sancta Sede concessa (cum facultate subdelegandi); 3° cum in Synodo Romana art. 68, par. 1 applicentur Superioribus Maioribus Religionum Clericalium pro tota Romana Dioecesi quod hic in n. 6 parochis pro paroecia conceditur; 4° cum in n. 3° (Privilegium Sacerdotum, cfr. art. 67, par. 1 Syn. Romanae) concedatur facultas cuilibet Sacerdoti peccata confitendi apud quemlibet Sacerdotem ab aliquo Superiore competente approbatum (Synodus adhuc benignior est dum dicit: « qui quidem si forte facultate audiendi confessiones non polleat eam assequitur vi huius synodalis legis »), consulto crederem ut non solum n. 3 (Privilegium Sacerdotum), quod est clarum, expressius de Superiore Religioso diceretur et n. 6 quod amplius patet in Synodo Romana pro Superioribus Maioribus (pro tota scilicet dioecesi) art. 68, par. 1, extenderetur pro propriis saltem ecclesiis Superioribus localibus, sed etiam n. 5 (limitare ad exemptos, vel ad eos qui in c. 514, par. 1 continentur) et n. 6 (in defectu aliorum).

Cap. II. Quia potestas Episcoporum est de iure divino, Summo Pontifici et Concilio Oecumenico subordinata, potestas vero Concilii Provincialis et Plenarii de iure ecclesiastico, etsi certo certius valide sit delegatio his Conciliis legitime facta, maiorem relinquerem Episcopis libertatem hanc delegationem in propria dioecesi applicandi, ita ut non tantum, ut recte dicitur, eam in singulis casibus et iusta de causa, revocare delegationem valeant sed etiam pro locorum adiunctis, eam aliquibus rationabilibus conditionibus subiicere possint.

Cap. III. Nota (p. 11). Prorsus notatio digna sunt quae *Commissio pro disciplina Sacr.* hic iure meritoque indicat. Commissio Centralis providere deberet ut Commissio mixta nominaretur ad aliqua generalia criteria stabilienda pro retractatione iuris poenalis ecclesiastici. Evidenter in Concilio *neque* poenae in singula delicta *neque* integrum systema poenale discuti possunt.

Commissio mixta, ideo hac in re necessaria, si necessaria videatur nominanda est, materia non potest relinqui uni S. Congregationi, sed omnium fere SS. Congregationum, speciatim quae de regimine curant, pari modo interest. Nec SS. Congregationum tantum sed et Tribunalium. In hac mixta Commissione partem habere debent Episcopi relate ad regimen administrativum sanciendum et ad processum ordinarium efficaciter confirmandum.

Card. Ottaviani: Quod attinet ad observationes factas, mihi videntur omnes optimae esse, sicut etiam placet ipsa Constitutio, in suo genere, adhibitis praecautionibus et correctionibus quae suggestae sunt.

Sentio autem officium quaedam declarandi circa ea quae audivi dicta de S. Officio, de eius secreto et de eius modo procedendi.

Sum in S. Officio, tamquam Consultor, iam ab anno 1929, igitur iam a 32 annis, deinde, ab anno 1935, tamquam Assessor et postea tamquam Pro-secretarius et Secretarius. Puto me optime cognoscere igitur, ex experientia non ex merito quodam, qui sint effectus, qui in omni orientatione certe sunt, quaenam sunt autem merita S. Officii et quaenam necessitates quae circumdant modum agendi ipsius S. Officii. Certissime B.mus Patriarcha loquutus est ex maximo desiderio maioris boni Ecclesiae et de hoc do ei testimonium. Sed puto non satis locutum esse cum sufficienti experientia de iis quae S. Officium tangunt et respiciunt. Immo ex eius modo loquendi hoc deduco. Dicit: videtur mihi, quaedam « massoneria ». Si esset massoneria, igitur primus massonis esset S. Pontifex, Praefectus S. Officii; essent massones Cardinales et Consultores ipsius S. Officii, si utique in sensu ordinario ipsius verbi « maçon », sumus massones quia laboramus omnes pro aedificatione aedificii Sanctae Matris Ecclesiae et pro reparatione eorum quae in ipso aedificio reparanda sunt, quia est semper societas humana.

Male mihi videtur etiam facta comparatio cum Inquisitione. S. Officium est prorsus diversum ab Inquisitione: hodie loquuntur de Inquisitione solummodo adversarii Ecclesiae qui volunt nocere S. Officio. Prorsus res totaliter diversa est. Nunc autem etiam ad assertionem de modo procedendi ex informata conscientia: non est modus procedendi S. Officii, est res quae praevidetur in C.I.C., idest, est res prorsus diversa quae relicta est Episcopis et est res prorsus diversa a modo procedendi S. Officii, quod habet suas regulas et agit tamquam tribunal in rebus quae sunt propriae fori externi, tamquam verum tribunal quod omnes cautiones adhibet pro iis qui iudicandi sunt, sive quoad libros et theorias, sive quoad peccata et quoad crimina. Et reapse Summus Pontifex Pius XII, quando habuit orationem ad iuristas et loquendo de elementis iudicii, habuit praecise specialem locutionem pro S. Officio qui dat optimam possibilitatem defensionis iis qui interrogantur et defenduntur. Quod attinet vero ad secretum, haec est res quae, mihi videtur, est applicatio principii evangelici a D. N. I. C. dicti, quod prudentes debemus esse sicut serpentes, secus res maximi momenti ipsius Ecclesiae essent non satis custoditae. Cogitate quod quandoque sunt iudicandi etiam, — loquor in secreto istius almi consessus —, quidam Episcopi. Quid si non esset secretum S. Officii, si res spargerentur? Quandoque agitur de defendenda etiam sanctitate confessionis. Quid si fideles scirent quod sint sollicitationes? Igitur erat tegenda praxis S. Officii propter ipsa obiecta quae exigunt, ad defensionem ipsius

Ecclesiae et fidei et morum populi christiani, hoc altum secretum. Et hoc tam verum est quod aliae quoque Congregationes (non solum S. Officium habet secretum S. Officii) adhibuerunt hoc systema secreti: S. Congregatio Consistorialis habet secretum S. Officii pro nominatione Episcoporum. Vae nobis! si populus hodie deberet libere loqui, et scire quae ad electionem Episcoporum pertinent. In omnibus difficultatibus quae hodie habentur specialiter pro factionibus politicis, videmus quomodo etiam « espionnage » damnum facit nationibus; quid esset de Ecclesia? Non habet postea facultates sese defendendi sicut habet ipsa societas civilis, quae habet poenas civiles fortes pro illis qui tradunt secretum; nos habemus tantummodo censuras. Si illas non habemus ad claudenda ora, in iis quae claudenda sunt, quomodo Ecclesia posset se defendere? Igitur nec Inquisitio (ubi erant olim carceres in Palatio S. Officii nunc sunt optimae domus Cardinalium et Praelatorum), nec informata conscientia, nec aliquid aliud quod possit revocare massoneriam, sed tantummodo bonum Ecclesiae, quod, ex experientia patet, exigit quasdam cautiones, praesertim nostris temporibus, in quibus nos scimus adversarios Ecclesiae velle « exploiter », uti quibusdam rebus, quae sunt minus rectae in Ecclesia ut damnum faciant fidei et religioni ipsi. Haec dicta sint cum maxima reverentia et aestimatione erga ipsum Patriarcham, sed debui, pro honore ipsius Sanctae Sedis, cuius primum officium est S. Officium, explanare.[10]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: facultatum extensionem fovendo.

Card. MICARA: Placet: eo vel magis quod nonnulla quae in Schemate proponuntur in Synodo Romana sancita fuerunt.

Card. PIZZARDO: Placent quae statuuntur de extendenda iurisdictione Metropolitarum et Episcoporum. Placent quoque cetera in capite I° proposita.

Placet votum expressum ad calcem capitis tertii, quod scilicet totum systema poenale Ecclesiae attento examini subiciatur.

Quaedam animadvertenda:

a) Introductio pressius redigatur vel in Decreti Commentario ponatur.

---

[10] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

b) Textus S. Leonis (in pagina 5,[1] linea decima tertia et sequentibus) est quidem perpulcher, sed minus apte hic ponitur, quia enuntiat tria characteristica elementa antiquae paenitentiae publicae (admissio ad statum seu ordinem poenitentium; — opera paenitentialia per determinatum tempus agenda; — denique absolutio in forma reconciliationis). Sed hic modus iam ex millenio circiter in Ecclesia derelictus est.

c) Quae habentur in pagina decima,[2] ponantur in Decreti Commentario, ita ut in ipso Decreto remaneant ea tantum quae in pagina undecima[3] (a linea tertia ad septimam) dicuntur de reservationibus reducendis.

d) Nihil dicitur de iure particulari quo regatur hucusque confessio peragenda a parte religiosarum.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet attente perpensis quae mira sapientia in disceptatione ab Em.mo Cardinali Relatore necnon ab Em.mis Patribus Ruffini, Léger, Ottaviani et Larraona et a Beatissimo Patriarcha Melchitarum expositae sunt; et habita ratione facultatis a Pio XII, Directoribus Nationalibus Apostolatus Maris factae, excipiendi confessiones in locis prope ora maritima suae Nationis: *A.A.S.* XLVI, p. 251, 11°.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: retentis animadversionibus a Rev.mo Patriarcha Melchitarum prolatis. Et voto, a Commissione de disciplina Sacramentorum expresso (in nota paginae undecimae), annuo ut opportunitas reformationis iuris poenalis ecclesiastici a Commissione Centrali proclametur et, per Commissionem ad hoc opus specialiter a Summo Pontifice delegatam, studeatur et proponetur.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: iurisdictio extendenda est et peccata reservata restringenda sunt.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: cum observationibus factis ab Em.mis Ruffini, Léger et Larraona.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: Fiat concordatio cum schematibus Comm. de Ecclesiis Orientalibus, de Religiosis. Attendantur animadversiones factae ab Em.mo Card. Larraona et ab aliis Em.mis Patribus. Assentio plene declarationibus ab Em.mo Card. Ottaviani datis circa S. Officium.

---

[1] Cf. p. 116.
[2] Cf. pp. 118-119.
[3] Cf. p. 119.

Card. McGUIGAN: Placet: secundum observationes factas a Patribus in quaestione tam delicata et aliquando perdifficili. Secretum S. Officii firmissime debet servari, licet forsan aliquando aliquid involuntarie et per accidens sciatur sine minimo peccato.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet videretur in hoc schemate loquendum esse de iurisdictione ad audiendas confessiones religiosorum et religiosarum. Quoad facultatem absolvendi a peccatis Ordinario reservatis non videtur ampliorem facultatem dandam sacerdotibus peregrinantibus et confessariis occasionalibus quam sacerdotibus propriae dioeceseos.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: Ad cap. 1: Extensio potestatis iurisdictionis ad confessiones audiendas in generali placet; singula relinquantur Commissioni pro Codice adaptando.

Ad cap. 2: Non placet, nisi etiam conferentiae nationales talem facultatem habeant.

Ad cap. 3: Placet.

Quoad reformandum totum ius poenale Ecclesiae videtur considerandum, an omnes censurae latae sententiae sint tollendae et remaneant tantum censurae ferendae sententiae.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[4]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu 1) magis generatim extendatur facultas absolvendi et 2) reformetur Ius Poenale Ecclesiae.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet: adhaereo observationibus ab Em.mo Ruffini prolatis, atque Léger et Ottaviani. Censeo generatim textum esse corrigendum sicut a pluribus hic dictum est, ne oriantur graves difficultates interpretationis, eo magis quia ministerium Sacramenti Poenitentiae est maxime defendendum ne tota disciplina relaxetur.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est, attentis observationibus Eminentissimorum Card. Ruffini, Léger et praecipue Em.mi Larraona.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. apud folium.[5]

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: habita ratione animadversionum a Patribus, praesertim a Card. Ruffini et a Card. Siri, factarum.

---

[4] Cf. pp. 122-123.
[5] Cf. pp. 123-124.

Et optandum mihi quoque videtur ut systema poenitentiale et poenale Ecclesiae maiore quadam perspicuitate praesentetur et ad principia a Christo statuta et a Traditione adprobata melius revocetur. Non videntur facile observandae leges quae ad censuras spectant, speciatim ad illas quae latae sententiae dicuntur.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: Schema inspiratur laudabili criterio rectae cuiusdam amplitudinis. Cum tamen Sacramenta sint propter homines, votum exprimo ut benevole accipiantur propositiones a quibusdam Cardinalibus prolatae, ut largius adhuc criterium istud applicetur.

Opportune insuper erit ut tractatio compleatur loquendo de facultate absolvendi religiosas. Votum tandem exprimo ut quae Patriarcha Melchitarum et Cardinalis Ottaviani dixerunt de Sancto Officio non ad distantiandum serviant Ecclesiam Latinam et Orientalem sed potius ad magis eas sese reciproce comprehendendum, in Christi amplexu.

Card. GODFREY: Placet: habita ratione de animadversionibus Eminentissimorum Ottaviani, Ruffini, Pizzardo et Siri. Quoad paginam octavam [6] n. 6, melius esset, meo iudicio, ut parochus qui concessionem fecit per octo dies confessario, referret nomen sacerdotis Ordinario. Placet omnino propositio de reformatione iuris poenalis ecclesiastici. Placent etiam omnia quae dixit Em.mus Card. Ottaviani de S. Officio.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: hic est *a*) Facultates Patriarcharum conferantur ex Schemate proprio a propria Commissione apparato; *b*) quoad facultates Episcoporum animadvertantur dicta ab Em.mo Cardinali Léger; *c*) in genere prae oculis habeantur observationes Em.mi Cardinalis Larraona; *d*) non est hic locus de pertractanda reformatione Sancti Officii (quod revera christiana caritate et cauto pede procedere solet), etsi fortasse in quibusdam accidentalibus maxima cum prudentia sapientes immutationes introduci possint.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: exoptans: 1) quod, in pagina 8ª, linea vigesima prima, tollantur verba « vel, si adsit, poenitentes eidem confiteri nequeant vel recusent ». Ratio est in periculo alicuius facilis abusus; 2) quod, in eadem pagina, linea vigesima nona, dicatur expresse « ab ipso proprio Ordinario » et non, sicut in schemate, « ab aliquo Ordinario loci »; 3) quod exigatur semper diligens inquisitio de idoneitate confessoris, praesertim si ab alio Ordinario dependeat.

---

[6] Cf. p. 118.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: cum animadversionibus Card. Ruffini et Card. Larraona, praesertim quae dicta sunt de « privilegiis » (n. 7) et de commissione de systemate poenali instituenda. Assentio etiam eis, quae a Card. Frings prolata sunt de conferentiis episcoporum.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis scilicet animadversionibus prolatis ab Em.mis Pizzardo, Liénart, Agagianian, Cento, et observatione a Card. Ruffini facta de verbo odioso « Privilegium » delendo ac cum verbo « Facultas personalis vel peculiaris » permutando.

Card. MUENCH: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis ab Em.mis Patribus.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: attentis observationibus praesertim Cardinalium Liénart, Agagianian et Frings de reformatione codicis iuris poenalis.

Card. TRAGLIA: Placet iuxta modum: iis perpensis quae dicta sunt, ita tamen ut reverentia sacramento poenitentiae non deficiat et salus animarum semper suprema lex sit.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: secundum quae sunt dicta a diversis Em.mis Cardinalibus. Insuper in pp. 10-11 [7] Concilium non statuat peccata reservata esse restringenda sed illa revera restringat.

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: [8] attentis quae dicta sunt ab Em.mis Patribus Ruffini et Larraona.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: attentis praecipue animadversionibus ab Em.mis Cardinalibus propositis.

Card. JULLIEN: Rursus non placet: quia versamur de parando Concilio Oecumenico. Hodie enim non agitur, uti in Concilio Tridentino, de erroribus circa fidem de Sacramento poenitentiae, sed agitur de disciplina, ac praesertim Ecclesiae Latinae. Quocirca praesens res deferatur ad futuram Commissionem pro Codice Iuris Canonici complendo atque nostris temporibus aptando. De necessaria sed difficillima quaestione de iure poenali Ecclesiae reformando, Concilium non potest nisi generalia decernere. De singulis autem legibus practice non potest videre nisi peculiaris Commissio de Codice reformando.

Card. LARRAONA: Placet *et ad mentem.* Mens est ut, prae oculis habitis iis quae animadversa fuerunt, concordentur Schemata Latinum et Orientale ac Commissionis pro Religiosis.[9]

---

[7] Cf. pp. 118-119.
[8] Cf. pp. 128-130.
[9] Cf. pp. 125-128.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: quae in schemate dicuntur placent, possunt certe admitti cum animadversionibus prudenter factis; sed quaeri potest num Concilium haec particularia summa sua auctoritate statuere debeat. Nonne melius esset Concilium tradere *principia* quae sunt communia Eccl. latinae et orientalibus, sed relinquere particularia Cod. Iur. Can. singularum Ecclesiarum particularium (Latinae et Orientalium).

Beat. SAIGH: Placet *pour tout excepté* pour ce qui est dit au « Privilegium Metropolitarum » dernière ligne de 1e alinéa: « et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii ». Pour cela non placet.[10]

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Patrum.

Exc. FELICI: Placet: iterum auspicor ut unum decretum fiat pro Ecclesia universa, si possibile erit.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: ex animo plaudens iis propositis normis iuxta quas extenditur iurisdictio ad confessiones sacramentales excipiendas, tamen mihi videntur ad simpliciorem formam reducendae normae sub capite tertio, numero quinto comprehensae, omittendo v. gr. in linea vigesima, pag. octava,[11] verba « nec praesens » et sequentia usque ad « recusent ».

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: cum observationibus factis ab Eminentissimis Cardinalibus Ruffini, Léger, Larraona et Pizzardo et a Patriarcha Antiocheno Melchitarum. Praeterea desiderarem ego in Prooemio Schematis Constitutionis seu Decreti de Sacramento Poenitentiae aliquas declarationes brevissimas circa divinam institutionem huius Sacramenti. Hoc dico, quia ad minus in tota America Meridionali Protestantes, praesertim, huiusmodi Sacramenti Poenitentiae divinam institutionem negant, et fallacibus cum argumentis ad protrahendum ab Ecclesia populum decipiunt.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: secundum animadversiones factas praesertim ab Eminentissimis Cardinalibus, Larraona et Ottaviani.

---

[10] Cf. pp. 124-125.
[11] Cf. p. 118.

Exc. BERAS: Placet iuxta modum: id est cum observationibus ab Em.mis Dominis Ottaviani, Léger et Larraona factis.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: i. e. perpensis dictis ab Eminentissimis Cardinalibus Ruffini et Léger. Restringantur tamen facultates Confessoris occasionalis, quae dantur pagina octava,[12] articulo quinto.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: cum sequentibus animadversionibus:

a) ad numerum quintum paginae octavae de facultate confessoris occasionalis: haec facultas confessoris occasionalis non est producenda ultra unum mensem commorationis in eadem dioecesi;

b) pagina undecima: [13] hoc est in votis: Commissio mixta instituatur ad ius poenale ecclesiasticum reformandum.

Exc. ŠEPER: Placet.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: i. e. suggero ut in pagina 8, n. 6, linea 27, post verba « audiendi confessiones », addantur haec verba: « etiam religiosarum extra casus in can. 522 et 523 iam praevisos ».

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: ratione habita de diversis animadversionibus factis; optatur ut ius poenale reformetur iuxta dicta ab Eminentissimo Cardinali Frings.

Exc. BERNIER: Placet.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: secundum observationes Em.mi Card. Léger. Sed mihi liceat aliquid addere. Sacerdotes qui in die dominica duas vel tres missas in plagis longinquis celebrant debent in regione nostra multos poenitentes velociter audire ante unamquamque missam. Hae confessiones, causa copiae poenitentium sunt onus gravissimum sacerdotibus. Optandum est, mihi humiliter videtur, ut concedatur his sacerdotibus facultas absolutionis generalis dandae, in aliquibus casibus, post praeparationem sufficientem ad contritionem.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: scilicet ad mentem Cardinalium Bea et Frings.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimorum Cardinalium speciatim Ruffini, Léger et Ottaviani.

Eandem opinionem habeo sicut Archiepiscopus Yago circa absolu-

---

[12] Cf. p. 118.
[13] Cf. p. 119.

tionem generalem dandam fidelibus poenitentibus congregatis in magna multitudine.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de eis quae dicta sunt de extensione iurisdictionis. Haec in regionibus missionum multum desideratur.

Exc. JELMINI: Placet: valde censeo necessariam ac utilem esse, ratione temporis nostri, extensionem facultatum confessiones audiendi, itemque censeo reservationem peccatorum restringendam esse.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: praesertim iuxta observationes Em.mi Cardinalis Frings et Em.mi Cardinalis Bea.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: expectanda est ab ipso Concilio magna censurarum restrictio ad paucissima et gravissima peccata. Plene consentio illis quae protulit Em.mus Cardinalis Frings hac de re.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimorum Cardinalium notando quoque respectu pag. 5 [14] quod etiam Superiores saltem Maiores Ordinum Religiosorum Clericalium gaudent facultate ordinaria administrandi Sacramentum Poenitentiae.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: scilicet 1) laudandum est schema propter amplitudinem facultatum concessarum; 2) reformetur et simplicior atque expeditior reddatur codex iuris poenalis; 3) Concilium det tantum normas generales.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: 1) uniatur cum correspondenti decreto pro Orientalibus; 2) Concilium Oecumenicum determinet principia generalia, nec descendat ad particularia (pp. 7-8,[15] nn. 3-6) quae melius relinquuntur administrationi ordinariae Ecclesiae.

---

[14] Cf. p. 116.
[15] Cf. pp. 117-118.

IV

DE SACRAMENTO ORDINIS

(Tertia Congregatio: 17 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Christus Dominus sacram hierarchiam in Ecclesia constituere voluit, quae Episcopis, presbyteris et ministris constaret. Officiis, enim, in sacrorum administratione et animarum cura fungi illos oportebat, qui potestatem haberent gratia divina concessam per manuum impositionem.

Sane, « sacramentum ordinis a Christo institutum, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad rite obeunda munia ecclesiastica, unum esse idemque pro universa Ecclesia, catholica fides profitetur ».[1] Totus autem ordo sacer ad sancti sacerdotii ministerium conducit.

« Consentaneum autem fuit, ait Sacra Tridentina Synodus, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines (*Matt.*, 16, 19; *Luc.*, 22, 19; *Io.*, 20, 22 ss.), qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent (can. 2). Nam non solum de sacerdotibus sed et de *diaconis* sacrae litterae apertam mentionem faciunt (*Act. Ap.*, 6, 5; *I Tim.*, 3, 8 ss.; *Philip.*, 1, 1), et, quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent » (*Conc. Trid.*, sess. XXIII, cap. 2).

Ab ipso autem Ecclesiae initio diversorum ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria in usu fuisse cognoscuntur, in minores et maiores ordines distributa, quique omnes in sacerdotale ministerium tendunt.

Porro sacrorum ministrorum ordinumque varietas et amplitudo in Ecclesia cum Latina tum maxime Orientali per multa saecula perduraverunt manifestae; sed quorumdam functiones pluribus in locis decursu temporis aliquandiu sunt intermissae (cf. *Conc. Trid.*, sess. XXIII, c. 17, *De reformatione*). Etsi ordines conferrentur maiores et minores iuxta traditiones ab ecclesiis receptas, tamen ministri in suo quisque gradu stabiles, ultimis praesertim saeculis, rariores facti sunt. Immo Codex Iuris Canonici edixit: « Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros » (*C.I.C.*, can. 973, § 1).

---

[1] Pius XII, Const. Ap. *Sacramentum Ordinis* d. 30 novembris 1947, *A.A.S.*, 1948, vol. XL, p. 5.

Legislator tamen expresse praecavere voluit, ordinatum, qui superiores ordines recipere recusaret, ab Episcopo ad eos recipiendos cogi non posse, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineretur, aliave, iudicio Ordinarii, obstaret causa (cf. *ib.*, § 2). Canon igitur ordinationis libertati consulere intendit, ac simul stabile officium in functionibus ministerii sacri infra presbyteratum non exclusit.

Praesentis temporis Ecclesia laetatur de cleri mirabili actuosaque in bonum animarum industria ac de populi quoque christiani aucto fervore; quare supernaturalis vita atque Dei regni in terris propagatio ac dilatatio magis magisque revirescunt pro honore Dei ac totius redempti generis salute.

In Domino igitur magnam spem fovere licet fore ut vocationes ad sacra ministeria cotidie numerosiores excitentur gratia Dei, adiuvantibus pastorum zelo animarum atque populi christiani collaboratione in aedificationem et perfectionem Corporis Iesu Christi Mystici (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi,* d. 29 iunii 1943, *A.A.S.*, 1943, vol. XXXV, p. 241). Non minuit sed auget illam fiduciam aetatis huius operositas christianorum, qui Ecclesiae sortes adeo diligunt ut in apostolatu sub ductu Episcoporum militare copiosius adspirent.

Tempus idcirco advenire videtur ordines minores et diaconatum, apte atque ad hodiernas exigentias accommodate, iuxta veterem praxim denuo instaurandi, illis praesertim regionibus, in quibus peculiares necessitates ob sacerdotum penuriam instant. Si autem ministri sacerdotibus inferiores istorum defectum iuxta proprium gradum in multis supplere valebunt, vel ipsi presbyteri cum ministrorum inferiorum actuosa participatione, curam populi pastoralem, propriis suis ministeriis incumbentes, exactius ac fructuosius gerere poterunt, neminem latet quam salutares fructus pro Ecclesia Dei inde oriri valeant.

Haec itaque Sancta Oecumenica Synodus ad sacra quoque officia peragenda in gradibus sacerdotio inferioribus stabiliter constitutis eos adsciscere desiderat, qui divinam vocationem sentientes et prosequentes sacerdotum ministerio postulent ac valeant inservire, iuxta proprium gradum in clerum adnumerati.

Quoniam autem huiusmodi instauratio nonnullas difficultates disciplinae clericali a saeculis servatae afferre poterit, Sancta haec Synodus exoptat ut ea sub immediata tutela fiat Sedis Apostolicae, cuius est debitis cum cautelis in arduis rebus procedere.

Imprimis clerici omnes, pro suo cuiusque gradu ministerii, idonei sint oportet, cum debita scientiae ac virtutis praeparatione, peculiari curae Episcoporum commissa; universum dein animarum ministerium sub regimine ac disciplina procedat necesse est Pastorum dioeceseon, qui clericos secundum potestatem receptae ordinationis in paroeciis, quasi-paroeciis, aut aliis officiis ecclesiasticis apte ac congruenter distribuant.

Omnes autem clerici speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi (*C.I.C.*, can. 127). Igitur clericis,

quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, reverenter suscipiendum erit ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum (*C.I.C.*, can. 128).

Quo vero efficacius haec principia in praxim deducantur atque universi cleri disciplina ad hanc nostram aetatem congruentius aptetur, Sancta haec Oecumenica Synodus per sequentia capita quaedam maioris gravitatis disponere decernit.

Caput 1

DE DIACONATU PERMANENTE SEU STABILI INSTAURANDO

1. *Instauratio.*

Haec Sancta Synodus censet diaconatum permanentem seu stabilem, uti in Ecclesia Orientali a saeculis viget (cf. Motu Proprio *Cleri sanctitati,* can. 62, § 2), etiam in Ecclesia Latina iuxta veterem praxim instaurari expedire.

Quod quidem pro illis dioecesibus ac regionibus potissimum valeat, in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum. Haec autem instauratio ne fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis.

2. *Quinam diaconi stabiles dicantur.*

Diaconi permanentes seu stabiles sunt clerici in sacro ordine diaconali constituti, ut in eo gratia sacramentali corroborati ministerium sibi peculiariter commissum exerceant, nec ad ordinem presbyteralem adspirent.

3. *Quibus diaconatus stabilis conferendus.*

Diaconi permanentes illi tantum ordinandi sunt, quos merito coniicere liceat hunc sacrum ordinem elegisse ut Deo fidelem cultum praestent et in bonum spirituale animarum adlaborent (cf. *Conc. Trid.,* sess. XXIII, cap. 4, *De reformatione*).

Ad illum autem ascendere non poterunt, nisi postquam eis ordines inferiores gradatim, servatis interstitiis, conferantur, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur (cf. *C.I.C.,* can. 977).

4. *Quod officium eisdem tribuendum.*

Ex Sacrarum Litterarum testimonio (*Acta Apost.,* 6, 2), apostolica traditione et ecclesiastica praxi constat diaconos fuisse constitutos tamquam Episcoporum et Ecclesiae ministros (Hippolytus, *Traditio Apostolica,* ed. H. Achelis, pag. 109; Cyprianus, *Epistola* 2, 3, ed. CV, 3, 471); nam diaconus « Episcopi auris et os et cor et anima » (*Didascalia,* ed. Funk, I, 102) sit oportet. Cuius ministerii explicatio in decursu saeculorum ad plura aptata est quae tum liturgiam cultus divini, tum administrationem sacrorum et

verbi Dei, tum disciplinam ecclesiarum, tum rerum temporalium curam et distributionem comprehendebant.

In praesenti autem instauratione diaconorum stabilium Sancta haec Synodus ad normam iuris sequentes functiones eisdem tribuere statuit:

a) *functiones sacras*: ad altare ministrare, « commentatoris » officium in s. liturgia peragere, baptizare, S. Eucharistiam etiam infirmis distribuere, matrimoniis assistere, sacramentalia, praesertim benedictiones non reservatas, dare, in expositione Sanctissimi Sacramenti etiam benedictionem Eucharisticam impertire, exequias peragere, Verbum Dei praedicare;

b) *functiones ministeriales seu pastorales*: catechesim peragere, adiutorium parocho praestare in cognoscendis ovibus et errantium correctione, aegrotos visitare et infirmis assistere, sodalitates et fidelium associationes dirigere, operariorum consociationibus adesse, nupturientium christianam praeparationem curare, actionem catholicam in diversis coetibus promovere, caritatis sive spiritualis sive temporalis opera iuvare, statum animarum conficere, libros paroeciales conscribere et alia eiusmodi;

c) *functiones iurisdictionales*: munera eis committi possunt aliquam participationem secumferentia potestatis ecclesiasticae iurisdictionis, quae in Curia dioecesana aut in Tribunali ecclesiastico absolvi debent, uti sunt officia cancellarii, promotoris iustitiae, defensoris vinculi, notarii; at eis officia conferre non expedit, quae iurisdictionem proprie dictam exigant;

d) *functiones administrativas*: munera explere possunt in Consilio dioecesano administrativo, aliisve consiliis quae in dioecesibus constitui debent, necnon bona ecclesiastica administrare sive dioecesana sive paroecialia sub regimine tamen Episcopi vel parochi.

Omnes diaconi suas functiones intra ambitum sacrum peragentes habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta induant necesse est.

5. Status canonicus.

Diaconi invalide matrimonium attentant, nisi ad statum laicalem auctoritate legitima reducti fuerint. Viri uxorem habentes, ex dispensatione generali a Sancta Sede pro certis regionibus statuta, aut ex dispensatione apostolica particulari, diaconi stabiles, observatis canonicis requisitis, ordinari poterunt.[2]

Clerici caelibes, in dioecesi cui diaconos stabiles habere Sancta Sedes permiserit, auctoritate Episcopi proprii ordines suscipere possunt usque ad diaconatum, in quo cum obligatione caelibatus permaneant. Non autem interdicitur, ut iidem, si secundum canonica praescripta omnes requisitas conditiones habeant, ab Episcopis propriis, accedente dispensatione apostolica, sacerdotes aliquando ordinentur.

---

[2] Hoc comma non adprobaverunt Exc.mi Fares (Archiep. Catacen.), Morgante (Ep. Asculanus), Chedid (Ep. tit. Arcen.) et Rev.mi Pinto et Bastnagel.

In Religionibus clericalibus iuris pontificii, necnon in Societatibus in communi viventium sine votis atque in Institutis saecularibus, si iuris pontificii ac clericales sint, diaconi stabiles sub conditionibus iisdem ordinarii poterunt, dummodo illarum Constitutiones a Sede Apostolica speciali modo approbatae id permittant.

6. *Scientia requisita.*

Diaconi stabiles congruam eorum statui scientiam habeant, quam ante ordinationem possidere debebunt. Scientia debita ad sacras disciplinas se referat, in quibus ea futuri diaconi addiscant, quae pro ministeriis iisdem committendis necessaria vel opportuna videbuntur; rectam ac solidam formationem attingant in rebus fidei et morum, in disciplina sacramentali et ecclesiastica, in praxi liturgica ac usu linguae ecclesiae, in normis adhibendis pro cura pastorali, in operibus caritatis maxime socialibus exercendis, in aliis quae dioecesibus aut missionibus secundum diversitatem regionum utilia reputabuntur.

Cum vero pro diversis locis scientia debita non aequalis appareat, ante ordinationem diaconalem ea requirenda erit, quae, per instructiones a Sancta Sede dandas, pro variis locis praescribatur.

7. *Titulus canonicus.*

« Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere » (*Conc. Trid.*, sess. XXI, cap. 2, *De reformatione*), etiam pro diaconis stabilibus titulus canonicus sustentationis haberi necesse est.

Si agatur de diaconis qui caelibatum perpetuum servant, unus praesto eis ante ordinis maioris susceptionem esse debebit ex titulis, qui iure communi tamquam securus pro ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem reputetur, secundum normas ab Ordinario pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas (cf. *C.I.C.*, cc. 979, § 2, et 980).

Pro diaconis coniugatis quoque titulus canonicus sustentationis requirendus erit, praesertim si totaliter servitio dioecesis sese mancipare debeant. Quodsi Sancta Sedes indulserit, ut diaconus ordinetur vir coniugatus, qui, in professione saeculari permanendo, servitium dioecesis praestet eidem ab Ordinario praecipiendum, tamquam eius titulus canonicus ordinationis admitti poterit, titulus subsidii suppletorii. Hic titulus in cuiusvis generis fructibus ac proventibus constitui poterit, dummodo hi reditus, complexive sumpti, iudicio Ordinarii, securam dent cautionem de congrua, sufficienti et perpetua diaconi eiusque familiae sustentatione.

Pro diaconis stabilibus regularibus titulus canonicus est solemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis.

Pro diaconis stabilibus religiosis votorum simplicium perpetuorum est

titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum.

Ceteri religiosi, sodales Societatum in communi viventium sine votis, ac membra Institutorum saecularium, quoad titulum ordinationis in diaconum stabilem, iure saecularium reguntur, salvis peculiaribus iuris praescriptionibus (cf. *C.I.C.,* can. 982 et can. 678).

Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum, omni vi caret (cf. *C.I.C.,* can. 980, § 3).

8. *Obligatio divini officii recitandi.*

Diaconi stabiles, si caelibes sint, tenentur obligatione divinum officium persolvendi iuxta praescripta iuris canonici.

Si coniugati fuerint, quamdam officii divini partem recitare debebunt, iuxta modum et formam eisdem praescribendam.

9. *De reductione diaconorum stabilium ad statum laicalem.*

Etsi sacra ordinatio, valide recepta, numquam irrita fit, diaconus stabilis ad statum laicalem redigitur aut rescripto legitimae auctoritatis iusta de causa dato, aut poena depositionis.

Caput 2

DE ORDINIBUS MINORIBUS INSTAURANDIS

1. *Instauratio.*

Sacrum hoc Concilium exoptat, quemadmodum Concilium Tridentinum (sess. XXIII, c. 17, *De reformatione*) desiderio flagrans pristinos mores restituendi decrevit, ut in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus, praesertim in missionibus aut locis dissitis functiones ordinum minorum propriae, in quantum commode fieri poterit, ab eis exerceantur, qui illos ordines susceperint. « Quodsi ministeriis ordinum minorum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent » (*Conc. Trid.,* sess. XXIII, c. 17, *De reformatione,* in fine).

2. *Modus instaurationis.*

Sacra haec Synodus imprimis vehementer commendat ut illi qui ad sacerdotium adspirantes ordines minores receperint, eo tempore quod post receptum unumquemque usque ad susceptionem superioris ordinis, iuxta inferius dicenda, intercedet, ordines exerceant sub ductu Superiorum Seminariorum aut parochorum aut alius Superioris proprii, ita ut initia ministerii apostolici vere et realiter sumant atque in eodem experimentum capiant.

Quoad coniugatos attinet, alii ad munera ordinum minorum propria assumi poterunt, ut in eo statu tamquam clerici minores aut subsidiarii maneant; alii qui ad diaconatum stabilem adspirant munia ordinum minorum exercebunt per tempus determinatum quo melius ad altiora munera se praeparent.

In Ordinibus et Congregationibus religiosis, in Societatibus in communi viventium sine votis necnon in Institutis saecularibus, sodales, qui sacerdotium non assument nec diaconatum stabilem, clerici minores constitui poterunt ad normam constitutionum speciali modo a S. Sede approbatarum.

3. *Singulorum ordinum minorum munia.*

Collatio ordinum minorum in posterum ita fiet, ut prior ordo conferatur simul cum prima tonsura. Ordines minores, qui iuxta traditionem Ecclesiae Romanae quattuor numerantur: videlicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus (cf. *Pontificale Romanum,* tit. *De Ordinibus conferendis; C.I.C.,* can. 949) ita conferantur ut duobus tantum ordinibus constent: *lectoratu* qui ostiariatum continet, et *acolythatu* qui exorcistatum continet.

Lectoribus assignentur munia quae sequuntur: legere ei qui praedicat; lectiones cantare; officium « commentatoris » peragere (cf. *Instruct. S. C. R. de musica sacra et sacra liturgia,* die 3 septembris 1958 promulgata, nn. 96, 14 c; *A.A.S.,* v. 50 [1958] pp. 636, 659); instructiones pastorales legere; fidelium precationibus moderari; processiones sacras aliasque sacras functiones, in quibus populus ordinatim participat, dirigere; disciplinam sacrarum aedium et praesertim ecclesiae curare; coemeteriorum custodiam ad clausuram necnon religionem pietatemque in eis servandam fovere ac cavere; pueros in catechetica et religiosa institutione sub ductu parochi erudire.

Acolythis autem munera propria sunto: altaris ministerium tam in Missa cum cantu quam in Missa lecta (cf. *Instruct. S. C. R.,* cit. loco, nn. 3, 26, 27); partes populi proprias in missis, quae « dialogatae » dicuntur (cf. *Instruct. cit.,* n. 31), dirigere; in liturgicis actionibus piisque exercitiis operam parochi aut sacerdotis iuvare; altarium, praesertim in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, curam habere; sacrae supellectilis conservationi et decori prospicere; aedem sacrarii curare; « parvum clerum », ut aiunt, seu pueros Missae in servitio liturgico apte erudire; benedictiones impertire aquae et salis, camporum, domorum, ciborum, atque animalium; parochum in visitatione infirmorum comitari, itemque in illius actione pastorali adiutorium praestare.

4. *Clericorum minorum assumptio.*

Assumantur in minoristas stabiles candidati selecti, qui primum temporaliter ad nutum Episcopi statum atque obligationes proprias experiantur, ut tandem perpetuo Ecclesiae servitio per convenientem promissionem se mancipent.

5. *Eorumdem eruditio.*

Instructioni et culturae saeculari pariter ac religiosae adiungere clericos minores oportet vitae interioris educationem ac formationem: per sacramentorum frequentiam, exercitia pietatis, studiorum ecclesiasticorum eorum munerum propriorum accommodatam renovationem. Praecipiatur minoristis ut a negotiis saecularibus se abstineant, quae iuxta proprium statum indecora aut periculosa videantur. Quorum omnium normae apte ab Ordinariis emanatae, iuxta principia in iure communi statuta, ac traditionibus, moribus, necessitatibus peculiaribus aptatae, eorumdem Ordinariorum vigilantiae executionique committuntur.

6. *Clericorum minorum sustentatio.*

Quoad ad minoristas stabiles attinet, ii adscripti intelligantur dioecesi (nisi candidatus sit religiosus) pro cuius servitio promoti ad ordines fuerint. Pro eorumdem sustentatione e reditibus ecclesiasticis stipendium assignetur, quo, prae oculis habitis conditionibus candidati qui proventus proprios habere potest, honeste vivat et suis familiaeque necessitatibus provideantur. Quodsi clericus minor ministerio ecclesiae totum se dedicet, honestam sustentationem ex stipendio Ecclesiae habere debebit.

7. *De ascensu clerici minoris ad superiores ordines.*

Clerici minores qui ad sacerdotium adspirant in ordinibus sacris recipiendis ius commune promotionis ad eos ordines servare tenentur.

Clerici minores stabiles qui ad diaconatum stabilem ascendere voluerint, si iudicio Ordinarii apti ad tale munus inveniantur, servatis conditionibus quae in capite praecedenti descriptae sunt, promoveri poterunt.

8. *De regressu ad statum laicalem.*

Clericus minor, qui nondum Ecclesiae servitium perpetuum assumpsit, ad statum laicalem regreditur sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario. Si vero servitio Ecclesiae in perpetuum se mancipare spoponderit, eius regressus ad statum laicalem eget Ordinarii loci dispensatione, gravi de causa danda. In religionibus vero professus sive votorum simplicium sive sollemnium, dum religionem legitime deseruerit, eo ipso ab ordine clericali quem forse habuerit decidit, nisi Episcopum benevolum receptorem inveniat, qui illum in sua dioecesi sive temporaliter sive perpetuo recipiat.

Clericus minor ad statum laicalem regreditur etiam Ordinarii loci decreto, si graves causae adsint iudicio eiusdem Ordinarii, praesertim ubi servitium Ecclesiae perpetuum iam assumpserit. Ordinarius loci ad decretum ferendum ne procedat nisi monitionem opportunam clerico dederit cum reductionis comminatione et tempus resipiscentiae assignaverit ad clerici emendationem. Quodsi Ordinarius pro conscientia sua prudenter aestimaverit nullam spem emendationis adesse, decretum reductionis ad statum laicalem ferre poterit.

Caput 3

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS AD ORDINES

Irregularitates atque impedimenta in iure canonico ad ordines suscipiendos stabilita, media sunt quibus Ecclesia utitur ad dignitatem et fecunditatem sacri ministerii tuendas per accuratam selectionem ministrorum Christi et dispensatorum mysteriorum Dei (cf. *I Cor.* 4, 1). Sollicitudo enim Ecclesiae a tempore apostolico manifesta fuit ut ii ab ordinibus arcerentur qui idonei et digni novi Testamenti ministri non aestimarentur. Nullis autem non temporibus disciplina canonica pro diversis rerum adiunctis tam consuetudine quam Conciliorum praescriptis atque Romanorum Pontificum legibus, determinavit casus in quibus collatio et susceptio ordinum et consequenter eorum exercitium prohiberentur.

Codex Iuris Canonici canones promulgavit, ubi natura, dispositio irregularitatum atque impedimentorum, disciplina dispensationum pro iure vigenti accurate exprimebantur. Sacrum hoc Concilium considerans candidatos Ecclesiae viros boni testimonii (cf. *Act. Apost.,* 6, 3) esse debere, statuta Codicis Iuris Canonici confirmare intendit, nonnulla tamen ad hodiernorum temporum mentem et vices accommodare desiderans. Etenim fieri non potest quin, consuetudinibus mutatis, amplius non exstet relatio, quae hactenus vigebat, inter determinatas quasdam irregularitates sive impedimenta et personae vel ordinis dignitatem, quae ratio fuit praecipua institutionis irregularitatis eiusque perdurationis. Itaque:

1. *Irregulares ex defectu.*

Irregulares ex defectu (*C.I.C.,* can. 984) amplius non censeantur bigami, iudex qui mortis sententiam tulit, qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae. Quod ad defectus corporis attinet, Ordinarii in eis aestimandis prae oculis habeant oportet progressus mediorum, quae scientia et technica huius aevi maximeque futuri corrigendorum corporum defectuum causa in dies perfectius adhibent, quaeque securitatem in altaris ministerii functione augent. Defectus quoque animi accurate perpendendi erunt per testimonia peritorum. Non solum morbus epilepticus vel amentia sed prae oculis habeantur etiam alii morbi, qui psychici dicuntur, quique peritorum iudicio ministerium ecclesiasticum impediunt cum decore et securitate exercendum. Quod si post receptos ordines morbum contraxerint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere. Antequam aliquis a daemone possessus declaretur signa possessionis certa sint oportet (*Rituale Rom.,* tit. XII, cap. 1); quare peritorum, qui in catholica fide eximii sint, iudicium exquirendum erit.

2. *Irregulares ex delicto.*

Cum delicta irregularitatem non pariant, nisi fuerint peccata gravia, externa, sive publica sive occulta (cf. *C.I.C.,* can. 986), irregulares habeantur apostatae a fide vel haeretici et schismatici qui haeresim aut schisma post septimum aetatis annum amplexati sint. Irregulares autem non sint qui baptismum ab acatholicis receperint.

3. *Impedimenta ad ordines.*

Nostrorum quoque temporum adiuncta postulant ut ex impedimentis in *Codice Iuris canonici* (can. 987) recensitis quaedam, ob mutatam aestimationem aut causae recessionem, dispareant. Talis est conditio filii acatholicorum, aut servi servitute proprie dicta. Abolitionis huiusmodi ratio abunde constat ex eo quod accessus ad ordines filii acatholicorum, si ceteras conditiones possideat, non impediri sed laudari oportet; conditio vero iuridica servilis iam penitus abolita ubique censenda est.

CAPUT 4

DE AETATE ORDINANDORUM ET DE INTERSTITIIS PRODUCENDIS NECNON DE CASTITATE SERVANDA

E Romanorum Pontificum sollicitudine sapientissima documenta recentiore tempore emanarunt, quibus sacerdotis dignitas in utroque clero, saeculari seu dioecesano et religioso, per plenissimam atque solidam quam exigit institutionem, in tuto collocaretur (cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Ad Catholici Sacerdotii* [*A.A.S.,* 1936, pp. 1 ss.]; PIUS XII, Alloc. *Sollemnis conventus* [*A.A.S.,* 1939, pp. 245-251]; Motu prop. *Quandoquidem* [*A.A.S.,* 1949, pp. 165-167]; Adhort. Apost. *Menti Nostrae* [*A.A.S.,* 1950, pp. 657-702]). Supremi Ecclesiae Pastores omnibus sanctuarii ministris sanctimoniae quoque officium, quo tenentur, exhibere, atque ad id eos adhortari non destiterunt, quippe quod « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » (S. THOMAS, *Summ. Theol., Supplem.,* q. 35, a. I, ad 3^{m}).

Nostrorum vero temporum discrimina suadent, ut pericula quae undique sacrorum ministrorum virtutibus insidiantur, quantum humanis remediis licet, evitentur; sin minus illorum formatio et educatio omnibus numeris praestent ad ministerium sacrum necessariis et opportunis. Alia ex parte non solum spiritualis et intellectualis alumnorum sacrorum institutio omnino est requirenda, verum etiam « praeter sanctitatem et scientiam congruentem, ad apostolicum ministerium rite implendum omnino postulari (dicendum est)

in sacerdote accuratissimam et omni ex parte perfectam pastoralem praeparationem, eam scilicet, qua vera peritia et dexteritas in multiplicibus christiani apostolatus muneribus rite obeundis gignatur et efformetur » (cf. PIUS XII, Const. Ap. *Sedes sapientiae,* IV, par. 35, in *A.A.S.,* 1956, vol. XLVIII, pag. 363).

Etsi ad id assequendum tempus formationis et educationis producere necessarium videatur, enixe tamen contendendum est, ut sanctuarii alumnus « ad omne opus bonum instructus » (*II Tim.* 3, 17) efficiatur. « Praeter igitur philosophica et theologica studia ad pastoralem quoque actionem opportune ordinanda, necesse omnino est ut futuris dominici gregis pastoribus per peritos magistros et ad Apostolicae Sedis normas tradatur ea de rebus psychologicis et paedagogicis, didacticis et catecheticis, socialibus et pastoralibus aliisque id genus eruditio, quae harum disciplinarum hodierno progressui respondeat, quaeque illos multiplicibus nostrorum temporum apostolatus necessitatibus idoneos paratosque efficiat. Quam doctrinalem de re apostolica institutionem et formationem, ut usu et experientia firmetur, practica quoque, quae dicitur, per gradus sapienter progrediens prudenterque moderanda exercitatio comitetur oportet » (cf. PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* l. c., par. 38-39).

Sacrum hoc Concilium bene novit hanc desideratam formationem sacrorum ministrorum obtineri non posse, nisi ex parte Episcoporum et religionum Antistitum multiplices adhibeantur curae, quae onera gubernationis ecclesiasticae peculiariter aggravant. Verum meminerint oportet « quaedam ad rei catholicae profectum ita necessaria (esse), ut cum iisdem ipsius Ecclesiae status atque incrementum coniungantur quam maxime. In quibus quidem recta adulescentis cleri institutio ac conformatio ponenda est » (PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem, A.A.S.,* 1949, pag. 165).

Ut autem his necessitatibus subventum maxime sit, haec Sancta Synodus quaedam stabilienda esse censet, quae in posterum accurate observari decrevit:

1. *De duratione institutionis clericalis.*

Imprimis clericalis informatio tamdiu durare debebit quamdiu necesse sit ut praescripta de aetate ordinandorum, de scientia debita et de interstitiorum observantia apprime teneantur. Omnis igitur dispensatio in dictis praescriptionibus, reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quovis contrario privilegio, uni Sedi Apostolicae sit reservata.

2. *De maiore aetate requisita ad clericum faciendum.*

Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur et primum ordinem minorem recipiat qui maiorem aetatem (cf. *C.I.C.,* can. 88, § 1) non attigerit, neve ante inceptum cursum theologicum, si de iis agatur qui ad sacerdotium adspirent.

3. *De aetate et studiis requisitis in ordinatione eorum qui ad sacerdotium adspirant.*

Subdiaconatus ne conferatur ante annum vigesimum tertium completum, neve ante expletum tertium cursus theologici annum; diaconatus ante vigesimum quartum completum, post expletum cursum theologicum; presbyteratus ante vigesimum quintum completum, post expletum saltem annum diaconalem in quo ministerium apostolicum diaconi exercere debebunt.

4. *Diaconorum institutio pastoralis.*

Diaconi post absolutum cursum theologicum, ad institutionem pastoralem rite accipiendam, saltem per annum in speciali tirocinio versentur, quo peritis magistris usi, ad studia et praxim theologiae pastoralis provehenda et perficienda incumbant, iuxta Apostolicas ordinationes et instructiones (cf. PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem* [*A.A.S.*, 1949, pag. 165]; Const. Ap. *Sedes Sapientiae* et *Statuta Generalia* adnexa, art. 48, § 1).

5. *Institutionis et exercitationis pastoralis continuatio.*

Post ordinationem presbyteralem neomystae curriculum pastorale saltem per unum annum continuabunt, vitam communem agent, sacris concionibus exercebuntur, impertiendaeque christianae doctrinae institutione; qua de causa in paroeciales aedes statis temporibus se conferent ubi eorum opera apte utiliterque dirigetur (cf. PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem*, l. c., pag. 166).

6. *De interstitiis observandis.*

In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, se exerceant (*C.I.C.*, can. 978, § 1).

Interstitia primam tonsuram atque lectoratum inter et acolythatum, itemque inter acolythatum et subdiaconatum unius anni sint; subdiaconus ad diaconatum ne antea promoveatur quam unum annum in suo ordine versatus fuerit; diaconus ad presbyteratum ne promoveatur nisi saltem annum diaconalem, iuxta superius dicta, consummaverit.

7. *De aetate requisita in ordinatione eorum qui ad sacerdotium non adspirant.*

Clerici caelibes qui ordines suscipere intendunt usque ad diaconatum, in quo cum obligatione caelibatus permaneant, lectoratum ne suscipiant nisi expleto vigesimo secundo aetatis anno, acolythatum autem non nisi post vigesimum tertium annum. Subdiaconatus iisdem ne conferatur ante expletum vigesimum quintum; diaconatus conferri poterit expleto trigesimo aetatis anno.

Qui coniugati sunt ordines minores suscipere nequeunt nisi vigesimum quintum aetatis annum expleverint, subdiaconatum non ante trigesimum, diaconatum vero non ante quadragesimum aetatis annum.

8. *De interstitiis observandis in ordinatione eorum qui ad sacerdotium non adspirant.*

Interstitia lectoratum inter et acolythatum sint saltem unius anni; acolythus ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum ne antea promoveantur quam acolythus duos annos, subdiaconus quinque annos in suo quisque ordine versati fuerint.

9. *De castitate servanda.*

Subdiaconi omnes et diaconi, qui ad sacerdotium adspirent, obligationem servandae castitatis perfectae et nuptias non contrahendi assumunt usque ad ordinis superioris receptionem, vel renuntiationem status clericalis coram Ordinario proprio, vel reductionem ad statum laicalem. Praesbyteri, necnon Diaconi stabiles, qui hunc sacrum ordinem caelibes susceperint, a nuptiis perpetuo arcentur et obligatione tenentur servandae castitatis.*

2) RELATIO EM.MI P. D. BENEDICTI CARD. ALOISI MASELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Ex quatuor capitibus Schematis de Sacramento Ordinis a Commissione de disciplina Sacramentorum elaborati, primum, secundum et quartum quaestionibus nobis a Summo Pontifice positis respondent. Tertium caput a Commissione praeparatum est propter connexionem materiae.

Quaestiones nobis positae erant sequentes:

« Disceptetur an et quomodo expediat veterem praxim instaurare quoad ordines minores et diaconatum.

De aetate, qua ordines maiores conferendi sint, et de interstitiis producendis ».

Haec argumenta difficilia esse ac salebrosa nemo negaverit. Si autem Summus Pontifex ea studio nostro commisit, id certo certius fecit quia eorum apta solutio in bonum Ecclesiae conferre potest pro discrimine actuali penuriae cleri et solidae ac completae eiusdem formationis necessitate.

Schema Decreti constat prooemio et quattuor capitibus. Prooemium potissimum introductioni inservit ad duo capita priora. Caput tertium

* Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 10-23 octobris 1961.

et quartum, suam unumquodque praeambulam introductionem continent.

I. *De instauratione diaconatus permanentis.*

Inter quaestiones ultimis temporibus magis agitatas sine dubio est quaestio de instaurando diaconatu permanente in Ecclesia Latina. Summus Pontifex Pius XII in Allocutione facta iis, qui interfuerunt Conventui catholicorum ex universo orbe, pro Laicorum Apostolatu, Romae die 5 octobris 1957 habito, haec memorabilia patefecit: « Scimus hodie cogitari de introducendo ordine diaconali, quod tamquam munus ecclesiasticum separatum a sacerdotio esset. Conceptus hic, saltem hodie, non est sufficienter maturus. Si tandem ad maturitatem perveniat, nihil mutandum erit in his quae hucusque dicebamus; nam et ille diaconus suum obtinebit locum penes sacerdotium, iuxta distinctiones quas Nos supra indicabamus ».

Ex quo haec verba fuerunt pronuntiata, in libris, dissertationibus, ephemeridibus periodicis studia adeo de hoc argumento creverunt, ut ingentem cumulum constituant. Sub omni aspectu theologico, iuridico, pastorali, sociali, diaconatus instauratio a praeclaris viris considerata est.

Nostrum Schema de diaconis permanentibus redactum est pluribus Votis in antecessum diligentissime praeparatis et singulis quaestionibus in eis contentis a Commissione large lateque exploratis, ita ut de unoquoque numero Schematis pluries actum sit per diversas et multiplices discussiones et suffragationes.

Tam ardua res imprimis postulabat ut cautelae definirentur quibus instauratio ab omni intempestiva ratione liberaretur.

Hae cautelae disponi non poterant, nisi vigilantiae immediatae Sanctae Sedis universam disciplinam novi instituti commendans. Quod reapse in omnibus fere numeris Schematis nostri apparet.

Principium fundamentale, seu omnes diaconos, cuiuscumque generis sint, inter hierarchiam cleri contineri debere, Pius XII in citata Allocutione dissertis verbis statuere curavit. Quod etiam in Schemate plene obtentum esse credimus. Nam sive ex prooemio sive ex singulis dispositionibus apparet, diaconos permanentes ad statum clericalem integre pertinere, ac proinde conceptionem cuiuslibet diaconi-laici omnino exclusam manere.

Igitur circa diaconatum permanentem, uti depromitur ex Schemate vestro examini subiecto, Commissio nostra proponit praecipue haec, quae sequuntur:

1) quod in Ecclesia Latina diaconatus permanens, iuxta veterem

praxim, instaurare expediet in illis praesertim dioecesibus ac regionibus in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum;

2) quod haec instauratio non fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis;

3) quod diaconi permanentes sunt clerici in sacro diaconali ordine constituti;

4) quod in Religionibus clericalibus, necnon in Societatibus in communi viventium sine votis atque in Institutis saecularibus diaconi stabiles ordinari poterunt, dummodo illorum constitutiones a Sede Apostolica speciali modo approbatae id permittant.

Indicantur pariter in Schemate quod officium eisdem sit tribuendum, et quaenam functiones seu munia exercere possint.

Decisiones igitur circa instaurationem hanc in concreto peragendam remittuntur ad Sanctam Sedem. Commissionis Centralis est manifestare an possibilis sit proposita instauratio.

Schema admittit etiam « viros uxorem habentes ex dispensatione generali a Sancta Sede pro certis regionibus statuta, aut ex dispensatione apostolica particulari, diaconi stabiles, observatis canonicis requisitis, ordinari » posse. Non multa dicenda sunt, ad enucleandum momentum huius dispositionis. Commissio consideravit rei novitatem, institutionis utilitatem pro multis regionibus, praesertim in terris missionum, ut sacerdotum penuriae remedium praesto sit. Larga maioritate rem approbavit; sed omnes sodales uno ore unaque mente retinuerunt: « ab ecclesiastici coelibatus lege, quae per saeculorum decursum fuit et est *sacerdotii* praeclarum et nitidissimum ornamentum » (IOANNES XXIII, in Secunda Synodi Romani sessione) numquam esse desistendum.

II. *De ordinibus minoribus instaurandis.*

Commissio nostra, antequam instaurationem ordinum minorum stabilium proponeret, quatuor haec puncta districte examinavit: 1) an reducendus esset numerus ordinum minorum; 2) quinam ordines minores essent conservandi; 3) quaenam functiones clericis minoribus essent tribuendae; 4) an denique repristinandi viderentur clerici minores stabiles, sicuti in Concilio Tridentino, sessione 23, capite 7, prospicitur.

Harum quaestionum resolutio clare in Schemate nostro proponitur, cum iis complementis a natura rei postulatis. Praeter opportunitatem instaurationis, et modum instaurationem faciendi clericorum minorum sive in clero saeculari, sive in Statibus perfectionis, Schema resolvit quaestiones de reductione ordinum minorum, ita tamen ut numerus septenarius in Ecclesia Latina conservetur. Munia autem horum clericorum minorum ita disponuntur ut in duos ordines conveniant, singulis ea tri-

buens quae traditioni quatuor ordinum minorum et bonae distributioni laboris ministerialis congruere videntur.

Cetera autem praecepta, capita praecipua describunt quae ad opportunam instaurationem necessaria videntur.

III. *De irregularitatibus et impedimentis ad ordines.*

Disciplinam irregularitatum atque impedimentorum ad ordines, simpliciorem fieri debere in multis Episcoporum Votis concorditer dicebatur. Commissio de disciplina Sacramentorum iis Propositis satisfaciendum duxit ea ratione et lege, quae in prooemio Capitis tertii Schematis dicitur.

Codex iuris Canonici primum in legislatione ecclesiastica argumentum in summam redegit. Commissioni nostrae visum est systema Codicis esse retinendum, quasdam tamen irregularitates derogans aliasque accommodans, prout ipse Codex perfecerat in legislatione tunc vigente. Immutationes, quas Schema nostrum affert, sufficientem explicationem in textu proposito habent, nec alias praebere necessarium videtur.

IV. *De aetate ordinandorum et de interstitiis.*

Argumentum hoc a Beatissimo Patre studio Commissionis nostrae commissum est. Quoniam documenta Sanctae Sedis, a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus et a Sacra Congregatione de Religiosis sapienter et instanter emanata, de perfectiori utriusque cleri formatione curanda saepissime monebant, nemo mirabitur si quaestiones de aetate ordinandorum, de interstitiis in ordinationibus servandis aliisque in novum examen venire deberent. Urgebat denique nobis argumentum, postquam deliberatum fuerat diaconatum permanentem et ordines minores in pristinam formam revocare. Super quibus aetas ordinandorum et interstitia determinare necesse erat.

Omnes igitur quaestiones pro singulis ordinibus et casibus organice solutae sunt. Conscii erant Commissarii nostri de onere novo quod imponitur dioecesibus ac religionibus. Verum, attente examinatis terminis in Schemate propositis, nemo non videt illos cum quadam moderatione esse statutos, praesertim comparatos ad eos quos multi Episcopi in suis Votis desiderare aiebant.

Tandem in ultimo numero de castitate servanda agitur, prout in Schemate proponitur.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. FRINGS: Ad cap. 1: Non videtur bonum erigere statum diaconi stabilis caelibis, quia tales iuvenes semper aspirabunt ad presbyteratum nec videtur, cur eis denegetur sacerdotium. Si eis hoc non concedatur, semper erunt incontenti, quia deest possibilitas ascendendi, praesertim in reputatione sociali.

Quoad diaconos stabiles uxoratos in nostris regionibus non video tantam utilitatem, ut bonum sit talem novitatem inducere, quia etiam laicis plures horum laborum possunt committi, prout officium « commentatoris » in s. liturgia, catechesis puerorum et adultorum, adiutorium parochi in functionibus pastoralibus et administrativis. Si autem ordo diaconatus eis datus fuerit, timendum est, ne multi post quid temporis incontenti reductionem in statum laicalem petant in scandalum fidelium. Pro regionibus missionum et Americae latinae iudicium ferre non possum.

Si quis diaconus caelebs remanere vult in gradu suo, nihil obstat.

Ad cap. 2: Concilium Tridentinum haec iam tentavit, sed sine ullo effectu. Etiam hodie vera innovatio horum ordinum exspectanda non est. Hoc schema videtur confectum esse a talibus, qui sunt in primo enthusiasmo motionis liturgicae et nondum sciunt fines eius.

Ad cap. 3: In n. 1 deleantur verba « Irregulares ex defectu... capitalis sententiae ». Reliqua placent.

Ad cap. 4: Apud nos instructio pastoralis per totum cursum theologicum perdurat (psychologica, paedagogica, didactica, catechetica, socialis); haec instructio sufficere videtur.

Experientia constat prolongationem studiorum a Pio Pp. XI p. m. introductam fere nihil attulisse ad studia profundanda, nec ab his duobus annis practicis tantus effectus expectandus est, ut « frustratio » duorum annorum iustificetur. Timendum est, ne alumni inviti tantum hos duos annos portabunt.

Quoad aetatem ordinandorum nil innovetur.

Card. RUFFINI: Quae capite I, pag. 7 [1] et subseq. *de Diaconatu permanente seu stabili* statuenda proponuntur videntur mihi gravissima.

Nihil dicerem si proponeretur solummodo aliquot clericos sistere posse in Ordine diaconatus, sicut temporibus actis a nonnullis viris sanctissimis factum esse a traditione didicimus. Sed magna mihi oritur diffi-

---

[1] Cf. p. 140.

cultas cum multa ministeria sacra quae usque ad hodiernam diem Sacerdotibus reservata sunt, dicantur committenda *stabiliter* diaconis, v. gr. facultas matrimoniis adsistendi, benedictiones omnes — exceptis reservatis — dandi, ac benedictionem Eucharisticam impertiendi.

Insuperabili porro impedimento detineor quominus adhaeream proposito admittendi ad diaconatum etiam viros uxoratos, ita ut *simul* in Ecclesia nostra latina habeantur diaconi coelibatui adstricti et diaconi cum uxoribus et filiis! Puto id — si fiat — esse primum gressum, equidem firmum et longum, versus abolitionem coelibatus ecclesiastici, qui inde a pluribus saeculis in Ecclesia latina inviolabilis habetur, quique nobis gloria est et decus. Insuper si tanta sanctae traditionis nostrae abruptio in Ecclesiam latinam induceretur, in quo Instituto, quaeso, diaconi huiusmodi congrue et efficaciter ad pietatem, disciplinam, scientiam efformerentur? Et in ipsis vocatio *divina* non requireretur?

Deinde nescio cur fere nihil dicatur de Subdiaconatu, qui Ordo sacer apud nos — hucusque — maximi est momenti voti castitatis gratia.

Pag. 19 [2] et s. Ad aetatem Ordinandorum quod attinet, puto non paucas in nostris dioecesibus orituras difficultates tum disciplinares tum oeconomicas si, curriculo studiorum expleto, candidati ad sacerdotium tres quattuorve annos expectare deberent. Forsan melius esset definire tempus expectationis, e. gr. « biennium », quo perdurante in studium disciplinarum pastoralium candidati incumbant. Opinor insuper facultatem relinquendam esse — in casibus peculiaribus — Episcopis dispensandi saltem intra certos limites.

Card. Siri: Liceat pauca edicere generali modo de duobus prioribus capitibus.

Gravitas huius Decreti patet in duobus:

a) inducit stabilitatem ordinum minorum et diaconatus,

b) inducit clerum, etsi minoris ordinis, sine coelibatu.

Habetur ergo duplex quodammodo clerus, duplex disciplina, probabiliter duplex praeparatio. Res est omnino gravis.

Equidem Ecclesia hoc potest facere si Sanctissimo et Concilio placuerit. Sed quia agitur de re tam magna, utiliter quaeritur: estne ratio adaequata ut hoc fiat? Saltem ea ratione quae in schemate proponitur?

Est ratio primitivae disciplinae. Ratio primitivae disciplinae valet modo dirimenti si primitiva disciplina est testis alicuius rei divinitus et immutabiliter constitutae. Sub hoc aspectu diaconatus nunquam defecit; etiamnunc adest, exercetur et cum quis presbyter fit eius onera cum

---

[2] Cf. p. 147 s.

oneribus presbiteratus cumulantur et ita pergunt. Quod latius vel minus diaconatus exerceatur pertinet ad necessitatem et convenientiam diversorum temporum.

Est ratio maioris similitudinis cum veneranda ecclesia orientali. Sed quod sit dissimilis disciplina in hac re, omnes norunt non esse substantiale. Agitur et hic de maiori vel minori convenientia.

Est ratio equidem notabilis: sperantur maiora adiumenta in apostolatu. Ubi — et hoc nostris temporibus frequentissime accidit — paucae et omnino insufficientes sunt vocationes, plures — ita speratur — in clerum minoris ordinis ingredientur si suam vitam pergere possint coniugati, hoc est nullatenus adstricti onere coelibatus. Haec ratio facilius intelligitur.

Sed bona quae sperantur talia sunt quae saltem ex aequo compensent inceptio vulneris in coelibatum? Hoc est maximum.

Res non mihi apparet sufficienter explorata et dubia supersunt.

Censeo bona sperata acquiri posse si stabilitas constituitur tantum in ordinibus minoribus et parum interest quod sint duo vel quattuor.

Hoc sensu immutatio fieret probabilioris rationis.

Pauca liceat addere de capite quarto (pagina 19 [3]) solummodo de aetate ordinandorum et consequenter de interstitiis producendis.

Haec productio aetatis pro ordinibus suscipiendis est certe in se optima, sed fert gravissimas difficultates, sive quia producit curriculum seminariorum minorum et maiorum ad quattuordecim et etiam sexdecim annos, sive quia magnae sunt difficultates pro vocationibus. Haec productio aetatis apparet difficulter compossibilis cum circumstantiis quae mutantur et decet Concilium etiam in disciplinaribus agere de his quae supponuntur perdurare.

Card. RICHAUD: Libenter admitto propositum de diaconatu stabili, vel sine adspiratione ad ordinem presbyteralem, vel cum possibilitate accedendi ad sacerdotium in conditionibus requisitis. Sed duplex periculum timeo, si agatur de diaconis iam uxorem habentibus. Primum ex hoc instauratur aliqua declivitas in mentibus ad notionem et praxim alicuius sacerdotii sine coelibatu. Insuper posthac constituuntur in clero duo classes: inferior ac vulgaris sine coelibatu, superior et eximia cum castitate perpetua.

De ordinibus minoribus instaurandis in perpetuo Ecclesiae servitio valde gaudeo, sed non sine aliqua haesitatione si agatur de clericis mino-

---

[3] Cf. p. 147.

ribus coniugatis. Facile ex eorum familia apparerent satis multae difficultates quae in Ecclesia redundarent.

Card. DÖPFNER: Valde laudandum est, quod Commissio haec problemata aggressa est. Ita spirituale officium in Ecclesia in suo momento suaque varietate magis elucebit.

Ad Caput I^{um}: *De diaconis stabilibus*: Institutioni diaconorum stabilium hic propositae libenter assentior. Diaconatu stabili instituendo in cura animarum novum et vere acceptum subsidium offertur. Ut tamen adiumentum hoc sit omnino efficax, praesertim in regionibus, e. gr. missionibus, ubi penuria sacerdotum deploratur, necesse est, ut via aperiatur etiam diaconis coniugatis, licet debitis cum cautelis, prout ab ipsa Constitutione iam provisum est. Secus tale institutum diaconorum stabilium maneret mera theoria. Certo certius ob oculos venit subito difficultas sic oriri duplicem clerum, nempe caelibem et coniugatum. Sed iustis ex causis praevidendum est populum christianum tali distinctioni mox assuefieri. Immo positio atque aestimatio sacerdotis caelibis, ut mihi videtur, sic augebitur. Patet pro instructione talium diaconorum congruas normas necessarias fore.

Ad Caput II^{um}: *De Ordinibus minoribus instaurandis*: Officium et munus Subdiaconatus in nostro Schemate parum respici ac definiri videtur, cum multa et optima dicantur de Lectoratu, Acolythatu, Diaconatu. Revera difficile est definire limitem Subdiaconatum inter et Acolythatum. Unde commendo: In reducendo numero ordinum minorum ita procedatur, ut tantum illi ordines retineantur, qui omnibus Ecclesiis communes sunt, scilicet Lectoratus et Subdiaconatus. Ita uno atque eodem modo per totam Ecclesiam Catholicam infra Episcopatum duo haberentur ordines ratione sacramentali carentes, scil. Lectoratus et Subdiaconatus, et duo ordines characterem sacerdotalem participantes, nempe Diaconatus et Presbyteratus. Obligatio coelibatus et Breviarii tunc Diaconatu imponeretur.

Ad Caput IV^{um}: *De aetate ordinandorum etc.*:

Ad n. 3: Secundum proposita admissio ad ordines suscipiendos a tribus dependebit, scilicet ab aetate, studiorum cursu, interstitiis. Desiderandum esse videtur, ne facultates Episcopi his normis nimis arctentur, ne forsan v. gr. inter alumnos eiusdem cursus theologici hunc vel illum ad alium cursum remittere debeat tantum propter defectum unius praerequisitorum supra nominatorum.

Ad n. 5: Curriculum pastorale post presbyteratum multis in dioecesibus maiores difficultates creare poterit, cum saepe revera difficile sit pro neomystis paroeciis per diversas dioeceseos partes distribuendis vi-

tam instituere communem. Cum insuper scopus istius curriculi iam magna ex parte in tirocinio sec. n. 4um pro diaconis introducendo expleatur, opportunum mihi videtur, quod in materia praeiacenti pro episcopis non statuatur obligatio, sed detur solummodo consilium.

Card. ALFRINK: Valde mihi placet quod Decretum de Sacramento Ordinis diaconatum stabilem in Ecclesia occidentali restituit, de quo multi magnos sperant fructus, specialiter in missionibus, de qua utilitate melius loqui poterunt Episcopi missionarii.

Et magis adhuc placet quod Decretum hoc fecit cum magna prudentia et maxima cum circumspectione.

Revera diaconi stabiles caelibes rarissimi erunt, sed porta aperta est ad diaconatum stabilem pro missionibus.

De cetero unam tantum animadversionem facere vellem, scl. ad pp. 21 et 22 [4] ad nn. 4 et 5 ubi agitur de speciali tirocinio diaconorum et de anno curriculi pastoralis neomystarum.

Finis huius anni tirocinii diaconorum et neomystarum sat clare elucet. Sed in istis paragraphis forse minus clare enuntiatur.

Quoad diaconos hic annus tirocinii serviet « ad *studia* et *praxim* theologiae pastoralis provehenda ».

Quoad neomystas dicitur « sacris concionibus exercebuntur impertiendaeque christianae doctrinae institutione ».

Nisi fallor « praxim theologiae pastoralis exercere » potius officium est sacerdotum quam diaconorum — quia diaconi praxim illam tantum exercere valebunt in quantum diaconatus illis tribuit facultatem, et quidem restrictam.

Ex altera parte, quod hic dicitur de neomystis scil. sacras conciones edicere et christianae doctrinae institutionem dare, est officium quod diaconi legitime facere possunt. In pag. 8 [5] num. 4, sub *b*) « catechesim peragere » inter primas functiones diaconatus stabilis nominatur.

Forse melius dicendum quod diaconi in isto anno *studio* theologiae pastoralis incumbent et instructionem doctrinae christianae facient, fortasse etiam conciones habere poterunt.

Et quoad neomytsas, quod illi *praxi* theologiae pastorali incumbent, quae praxis conciones habendas et institutionem doctrinae christianae tradendam non excludit.

Fortasse ex istis animadversionibus quidam concludet annum secun-

---

[4] Cf. p. 149.
[5] Cf. p. 141.

dum i. e. annum neomystarum esse quemdam duplicatum anni prioris i. e. anni diaconorum.

Mihi videtur hic periodus duorum annorum longior quam ut studiis et officiis practicis impleri possit, specialiter in illis regionibus, ubi educatio sacerdotalis in annis antecedentibus iam est magis aperta. Ideoque proponere vellem hunc periodum duorum annorum in unum annum redigere ita ut diaconi in decursu huius anni unici vel post illum annum sacerdotes ordinentur. Vel saltem Ordinariis locorum haec libertas donetur.

Card. JULLIEN: *Non placet* quod attinet *primum* de diaconatu permanenti et *alterum* caput de ordinibus minoribus instaurandis.

Revera, *tres ob rationes,* historicam, nempe, iuridicam et pastoralem, contra Diaconatum atque Ordines minores stabiles in Ecclesia latina instaurandos humillime animadvertendum censeo.

Primum: Propositum Decretum, si *historice* sumatur, in pristinum statum atque munus, saltem quoad partem, curat restituenda Diaconatus Ordinumque Minorum instituta: sed, timeo ne peior eventus fiat, melioris quidem conditionis intuitu.

Neminem sane latet eorundem Ordinum vetera munera desuevisse propter mutatas temporum necessitates, et multos Diaconos vel Minoristas, qui usque ad provectam aetatem ita permanserunt, cuiuscumque disciplinae impatientes exstitisse. Diaconi Presbyteris praeesse haud raro conabantur, Archidiaconi vero ipsis Episcopis. Quin etiam, frequens Clericorum in Ordinibus minoribus constitutorum numerus eam rationem saepissime habuit, ut matrimonio coniugati suae utilitati non vero Ecclesiae bono providerent.

Ideoque, quamvis alia prorsus sint consilia, per propositum Decretum haud iuventus Ecclesiae restituetur, sed potius incommoda instaurabuntur quae ut Sponsa Christi senesceret iam effecerunt utque disciplina reformaretur postularunt.

Secundo: Si *iuridice* quoque res spectetur, Diaconi uxorati admitti haud poterunt.

Etenim, ut gravissima sive sacra sive pastoralia munera, inter quae et Verbi Dei praedicationem, e proposito Decreto illis Diaconis consequentia, iidem obire possent, scientia praesertim philosophica necnon theologica atque spiritu ecclesiastico omnino imbui deberent: quomodo vero id, aetate atque familiae pondere gravati, assequi valerent? Quin etiam Presbyteris praeesse, propter superiorem aetatem, cupient. Igitur, et ecclesiastici coelibatus dignitati officient et ipsius Cleri dignitatem minuent atque consequenter vocationes.

Ceterum, Codicis disciplina, e canonis nongentesimi septuagesimi tertii paragrapho secunda (can. 973, § 2), Episcopis facultatem concedit ut sinant in receptis Ordinibus, quin ad Presbyteratum promoveant, eos qui ad superiores gradus ascendere nolint. Idcirco, singulis in casibus atque circumstantiis, Ordinarii poterunt, pro sua prudentia, proposito fini per exstantis Codicis applicationem providere de Diaconis deque Minoristis.

Tertio: Neque ratio *pastoralis* gravissimam huius Decreti novitatem suadet instaurandam. Non obstante etenim deminutione numeri clericorum in certis locis, Dei sapientissima Providentia effecit ut ecclesiasticae Hierarchiae, nostris hisce temporibus, perutile adiumentum, in pastorali munere obeundo, per duo praesertim media afferatur. Adsunt enim in Ecclesia Actio Catholica aliaeque institutiones apostolatus, quae, viris foeminisque christianis quos *militantes* vocant constantes, in religiosa catechesi tradenda optime adlaborant; insuper, unumquodque membrum earumdem institutionum, ex omni societatis coetu electum, in suo ordine apostolice operari poterit si a sacerdotibus omni exceptione maioribus formatum est. De qua re sane multa atque utilissima proponet Commissio de apostolatu laicorum. Quae nova dictio *apostolatus laicorum* maxima est spes.

Pariter et *Instituta Saecularia,* quippe quae singulorum membrorum optime formatorum artes vel socialia munera patiantur, sensum religiosum apud omnes civitatum ordines afferre valebunt: atque de iis, procul dubio, aget Commissio de Religiosis.

In regionibus vero Missionum, Missionarii et Ordinarii opera catechistarum, consecratione tantummodo seu benedictione ornatorum frui poterunt, quin eosdem clericos faciant.

Ne igitur, deficientis cleri causa, instauretur in Ecclesia duplex ordo clericorum: alter mediocris et praefestinatae institutionis spiritualis et doctrinalis; alter rectae et solidae institutionis ad normam Concilii Tridentini, Litterarum Apostolicarum de sanctitate sacerdotum, ad normam igitur Codicis.

Ne remedium malo peius fiat.

Caput tertium *de irregularitatibus*: Non placet. Pertinet ad Commissionem de Codice complendo.

Caput quartum *de aetate ordinandorum et de interstitiis*: Placet iuxta modum: ut res pertractetur etiam cum Commissione Seminariorum et cum Commissione Religiosorum necnon cum Commissione Missionum.

Enimvero cunctis seminariorum alumnis imponere *et* unum annum ministerii diaconatus ante ordinationem presbyteralem, *et* unum annum

vitae pastoralis communis: haec duo, inquam, cunctis imponere, est res gravissima, quae maxime interest seminariorum clericalium necnon studiorum ecclesiasticorum penes Universitates studiorum. Ergo ad Commissionem Seminariorum quoque spectat. Pariter res interest Religiosorum et consequenter Commissionis *de Religiosis*.

Caput quartum: De castitate subdiaconorum et diaconorum necnon de libera renuntiatione status clericalis ante ordinationem presbyteralem: Non placet, ratio est, quia gravissima ista mutatio contendit, ad deprimendum statum clericalem, uti de quibus supra dixi.

Card. LARRAONA: 1) Introductio perfecta et apta, Concilio sub omnibus respectibus est plene digna.

Cap. I - 2) Circa n. 1 (*Instauratio*) ultimis verbis in quibus merito dicitur quod haec instauratio fieri non debet nisi de iudicio Sanctae Sedis, adderetur: *praecedere debere* Ordinariorum conveniens informationem et iudicium, quae iuxta casus fieri possent in Conciliis Plenariis vel Provincialibus, in Conferentiis Episcopalibus, aliisve formis, sed serio ordinatis et plene liberis ne audax minoritas sese imponere auderet maioritati, esto non mala fide sed proprio ducti criterio.

3) Omnibus quae n. 4 colliguntur quoad officium his Diaconis tribuendum, probari sane possunt. Horum tamen singulorum diversis regionibus concreta applicatio forsan melius, in diversis regionibus Conciliis Provincialibus relinqueretur, quoad limitationem scilicet, non quoad extensionem. Revera, pro diversarum regionum sensibus, aliqua cum quadam difficultate vel ex adverso prorsus sine ipsa fieri possent, ex. gr. Expositio et Benedictio Eucharistica a Diacono uxorato (cf. n. 5), sane diversos suscitabit hic illic sensus.

4) Circa habitum dicitur quidem (p. 9,[6] linn. 7-10): « Omnes diaconi suas functiones intra ambitum sacrum peragentes habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta... ». Ex adverso nihil statuitur circa habitum *externum,* nec quoad caelibes nec quoad uxoratos, si qui sint « ex dispensatione generali a Sancta Sede statuta, aut ex dispensatione apostolica particulari ». Quoad *caelibes* videretur applicandus ex regula habitus ecclesiasticus seu clericalis (non sacerdotalis) regionis, relicta libertate Conciliis Provincialibus illum in aliquibus, si ita in Domino oportere iudicaverint, modificandi. Quoad *uxoratos, vel* integer habitus, ut in partibus Orientis (cf. can. 77 *C.I.O.*), ipsis imponendus est, *vel* si hoc Ordinariorum iudicio opportunum non videretur, aliquod saltem externum suscepti

[6] Cf. p. 141.

ordinis signum eis relinqueretur, ad ipsius Ordinis socialem honorem et defensionem. Concilium Tridentinum (Sess. XXIII, c. 17 de reform. in fine: cf. infra p. 12 [7] linn. 10-12) imponebat habitum et tonsuram *in ecclesia tantum, coniugatis in minoribus.*

5) Status canonicus satis clare, sufficienter et prudenter delineatus apparet. Plures quaestiones quibus ipse occasionem certo certius dabit, melius nec tanguntur nec insinuantur, sed futurae legislationi et iurisprudentiae relinquentur. *Dubitarem tantum,* an necesse sit exigere *dispensationem apostolicam* ut Diaconi caelibes si revera « secundum canonica praescripta omnes requisitas conditiones habeant, a propriis Ordinariis ordinari valeant ».

6) Quod proponitur de admittendis his Diaconis in Religionibus, Societatibus vitae communis et Institutis Saecularibus, dummodo illarum Constitutiones a Sede Apostolica *speciali modo* approbatae id permittant, absque dubio prudens est et satis diversis applicationibus, ut coniici iam potest, *sive* ad Oblatos sic dictos Regulares in Religionibus monasticis non raro ordinandos, *sive* ad novas formas Fratrum Coadiutorum passim nunc, nec in novis tantum Religionibus admissas, definiendas et in Missionibus vel in regionibus in quibus hic Diaconatus admittitur, plenius et amplius adhibendas, usufruendas, usurpandas.

Ceterum hi Diaconi caelibes religiosi vix aliquam admirationem alicubi movere possunt. Duo tantum animadvertere vellemus: 1°) forsan melius non requireretur quod hae Religiones, Societates vitae communis essent *iuris pontificii* ut dicit Schema, sensu huic voci nunc tradito, quia in hoc merito tenditur quod diversis rationibus vitae perfectionis sive monasticae etiam inter viros, sive Congregationum Religiosarum, sive Societatum vitae communis, sive Institutorum Saecularium possint admitti *formae dioecesanae* quae uni dioecesi limitantur, hinc possemus incaute hanc portam praecludere; 2°) hic non tangitur quaestio de applicatione huius possibilitatis Religionibus etc. *laicalibus* (ex. gr. Fratrum Schol. Christ.; Maristarum ab Scholis etc.), et dummodo hoc caute et conscie fiat, forsan melius est ut tangatur et generatim hoc fere sensu, ut modeste censerem, definiatur: in Religionibus laicalibus hi Clerici vel Diaconi interni admitti non debent nec possunt quando ex instituto a Sancta Sede approbato et legitime professo excludantur; in aliis vero non nisi ad normam constitutionum rite probatarum post Synodum.

7) Ad n. 7 (p. 11).[8] Quae dicuntur de titulo pro religiosis votorum temporariorum etiam definitivorum, pro Sodalibus Societatum in com-

---

[7] Cf. p. 143.

[8] Cf. pp. 142-143.

muni viventium sine votis publicis et pro membris Institutorum Saecularium, melius omittuntur quia non respondent nec vitae necessitatibus, nec iurisprudentiae approbatae a Pont. Commissione Interprete. Illae peculiares iuris praescriptiones de quibus loquitur can. 678, debuerunt fieri communes sub diversis respectibus (dimissoriae, titulus etc.) quia nec immerito Ordinarii locorum nolebant hos incardinare vel quomodolibet de his respondere.

8) Ad n. 9. Forsan agendo de reductione Diaconi ad statum laicalem *rescripto,* diceretur melius « dato vel *imposito* » vel melius *decreto* administrativo, ut alluderetur ad rescripta in poenam imposita administrative, quae hodie, quin recurratur *ad poenam depositionis* recepta generatim sunt.

Cap. II - 1) Quoad instaurationem Ordinum Minorum (n. 1) et modum instaurationis, nihil notandum est nisi, relate ad Religiones, Societates vitae communis et Instituta saecularia, illa quae ad n. 5 cap. I animadvertebamus.

2) Si recte textum intelligimus, hic (n. 4) apparet *ordinatio ad experimentum,* et quidem temporarium, data. Est conceptus canonice novus qui, ut admitti valeat, indiget elaboratione. Forsan facilius esset tempus clericalis probationis admittere, sed ante Ordines, ita ut de facto et obligationes clericales observent et prius quodammodo aliqua faciant quae postea ex ordinatione, iure et plenius complebunt. Forsan tonsura tantum ipsis dari posset.

3) N. 8, *De regressu.* Sub multiplici respectu laudandus est, ex. gr. 1°) parvus processus praevius ad decretum reductionis iure dandum; 2°) complementum can. 648, ex quo datur facultas Ordinario recipiendi ut clericum, temporaliter sive perpetuo, religiosum clericum votorum temporariorum.

Cap. III - 1) Introductio apta est. Tantum allusiones ad Codicem vigentem melius vitarentur, quia post Concilium et redacto novo Codice iam obscurae evadent.

2) Quoad n. 1, circa *irregulares ex defectu,* non pauca obiici possunt: *a*) circa rationem procedendi, facilius est aliquas ex his irregularitatibus de facto *in Codice* non inserere, quam hic eas expresse abrogare, ex. gr. loco dicendi quod illi qui *munus carnificis,* et *voluntarii ministri executionis capitalis sententiae* non sunt irregulares ex defectu, quod evidenter non amabilem inducit sensum ac si carnificem sacerdotem videremus, illos in Codice elencho non recensere.

b) Ex illis quae in textu recte innuuntur, possunt aliquae ex vigentibus auferri vel cautius circumscribi, sed dispensatio in illis quae relinquantur, non potest sini iudicio et bonae voluntati Ordinariorum quae

certo non erunt constantia et uniformia nec in nationibus, nec in regionibus, nec in eiusdem dioeceseos sese succedentibus Ordinariis. Hinc disciplina in re tam gravi mutabit et incerta evadet.

3) *Quoad irregulares ex delicto.* Cum ad irregularitatem requiratur peccatum grave et externum, apostatae et haeretici et schismatici *ante septennium* ab irregularitate excluduntur.

Quoad baptismum ab acatholicis extra casum necessitatis receptum, non auderem absolute cancellare irregularitatem, sed admitto ipsam melius esse circumscribendam. Factum, non raro nec obscure, secumferre poterit suspicionem saltem de haeresi, et communicationem in sacris cum ipsis haereticis. Haec parvipendi non possunt.

4) Plane assentiendum censeo illis quae circa impedimenta proponuntur.

Cap. IV - 1) Tam Introductio quam quattuor primi numeri probanda cum laude sunt. Tamen notare iuvat:

a) Novus annus, scilicet pastoralis institutionis Diaconorum, cursui studiorum ubique et pro omnibus imponitur. Res non ita facilis in Missionibus et in aliis non paucis regionibus erit.

b) Praeterea in n. 5 alius annus vitae communis, expleto anno Diaconatus, post Ordinationem sacerdotalem (25 an.) omnibus et ubique imponendus proponitur, et quidem optime. Sed non relinquetur margo pro introductione huius, sapientis quidem, sed non facilis disciplinae? Nonne de hoc audiendae essent SS. Commissiones in re diversimode competentes, scilicet Consistorialis, Concilii, Religiosorum, de Propaganda, Seminariorum...? Esset necessaria, ut videtur, *Commissio mixta* in qua correlatae Commissiones debita ratione et proportione repraesentarentur.

2) Quoad aetatem pro Diaconatu perpetuo caelibi (n. 2), forsan melius quam figere aetatem 30 annorum, relinqui posset Ordinarii libero iudicio pro Ordinatione intra quinquennium a 25 an., in quo fit Ordinatio Subdiaconorum huius classis, usque ad 30 an.

3) Forsan etiam pro Ordinatione coniugatorum aliqua intra certos definitos limites prudenter Ordinariis relinqueretur.

4) Quae n. 9 *De Castitate servanda* proponuntur levia quidem non sunt, sed probari forsan possunt ut clericalem definitivam castitatem clericorum securiorem reddamus. (Revera modificatur conceptus traditionalis).

Beat. SAIGH: *J'approuve le Schéma dans son ensemble.* Je me permets seulement de faire les observations suivantes:

Caput I. *De diaconatu permanente seu stabili instaurando*:

1) Page 7,[9] lignes 8-10: Il est dit que la restauration du diaconat permanent « *ne fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis* ». Cette prescription ne doit valoir que pour l'Occident latin, car, dans l'Eglise orientale, l'institution du diaconat permanent est reçue depuis toujours et n'a donc besoin ni de restauration, ni d'aucune autorisation du Saint-Siège Romain.

2) Page 7, lignes 14-15. Il est dit que les diacres permanents sont ceux qui *n'aspirent pas* à recevoir l'ordre presbytéral. Il faut ajouter: « normaliter » ou « generaliter », car rien n'empêche que l'un ou l'autre de ces diacres puisse ensuite être élevé au sacerdoce, si son évêque le juge opportun et s'il en remplit toutes les conditions. L'état de diacre permanent n'est pas une condamnation à ne pas monter à un degré supérieur, si toutes les conditions sont remplies. De même qu'un prêtre n'est pas nécessairement destiné à devenir évêque, mais peut cependant le devenir, ainsi aussi un diacre peut toujours rester diacre, mais peut aussi devenir prêtre, s'il en remplit les conditions.

3) Page 8,[10] lignes 15-22: Le Schéma expose les fonctions liturgiques du diacre. Pour rester dans le vrai, on doit ajouter à la fin une clause comme celle-ci: « Haec omnia iuxta disciplinam uniuscuiusque ritus ». Car les fonctions liturgiques énumérées dans ces lignes ne concernent que le rite latin qui, une fois de plus, n'est pas le rite unique de l'Eglise catholique et ne doit pas servir de point de référence exclusive dans les décrets du Concile.

4) Page 9,[11] lignes 13-17: On affirme que, « *ex dispensatione generali* » a Sancta Sede pro certis regionibus statuta, « *aut ex dispensatione apostolica particulari* », des hommes mariés peuvent être ordonnés diacres permanents. J'approuve entièrement cette nouvelle discipline, qui s'inspire de l'usage séculaire de l'Orient et répond aux nécessités de l'Eglise dans de nombreux pays. Mais il est bien entendu que cette dispense générale ou particulière du Saint-Siège n'est nécessaire que pour l'Occident latin. Dans l'Eglise orientale, l'ordination de diacres mariés a toujours été considérée comme licite, et est courante, indépendamment de toute dispense du Saint-Siège Romain ou du Siège Patriarcal.

5) Page 9, lignes 24-25: Il est dit que les diacres permanents, s'ils sont célibataires et remplissent toutes les autres conditions, peuvent être ordonnés prêtres par leur évêque, « *accedente dispensatione apostolica* ». Cette dispense me semble superflue, car, d'une part, ces dia-

---

[9] Cf. p. 140.
[10] Cf. p. 141.
[11] Cf. p. 141.

cres, quoique permanents, sont célibataires et remplissent toutes les conditions pour accéder au sacerdoce. Que faut-il de plus, et pourquoi faut-il une dispense apostolique? Pareille restriction rend la situation des diacres célibataires *pire* que la situation des laïques célibataires, ce qui est contraire à toute justice et à tout esprit ecclésiastique. Encore une fois, le statut des diacres permanents ne doit pas être considéré comme une chose exceptionnelle, à peine tolérable et restreinte par toutes sortes de prohibitions.

6) Page 10,[12] lignes 15-16: Le niveau d'instruction des diacres permanents, dit le Schéma, doit être fixé par des « *instructions émanant du Saint-Siège* », selon les besoins de chaque pays. Je pense qu'il est plus opportun de laisser plutôt aux conciles régionaux ou conférences nationales le soin de fixer le niveau des études, les évêques du lieu étant censés mieux informés des nécessités de leur pays. Puisque dans l'Eglise entière on parle de la nécessité d'une certaine décentralisation administrative, c'est ici un cas concret où cette décentralisation doit être appliquée.

7) Page 10, ligne 34: Un diacre marié peut continuer à vaquer en partie à ses fonctions civiles. Le Schéma dit que cela ne peut se faire que *par indult du Saint-Siège*: « Quodsi Sancta Sedes indulserit ». Je pense que l'autorisation de l'évêque suffit et qu'il n'est point besoin pour cela de recourir au Siège Apostolique. A mon avis, il ne faut pas charger l'autorité suprême du Pape de trop de responsabilité de détail. Cela ne diminue pas le prestige du Pape, mais le renforce au contraire. Il y a des affaires que l'autorité locale peut plus facilement régler sur place. L'autorité centrale n'interviendra que pour donner les règles générales et pour trancher les conflits. Cela soit dit en guise de principe général: la centralisation excessive est un danger pour l'Eglise.

8) Page 11,[13] lignes 35-36: Il est dit que le diacre permanent peut être réduit à l'état laïque par rescrit de *l'autorité légitime* et « *iusta de causa* ». Pour ne pas tomber dans l'arbitraire, il faut déterminer, me semble-t-il, quelle est cette autorité légitime et quelle doit être cette juste cause. L'autorité légitime est naturellement celle de l'évêque propre du diacre.

Caput II. *De Ordinibus minoribus instaurandis*:

Page 13,[14] lignes 5 sq.: En énumérant les charges des clercs mineurs, il est bon de spécifier, dès le début, que cette énumération ne concerne que le rite latin.

---

[12] Cf. p. 142.
[13] Cf. p. 143.
[14] Cf. p. 144.

Caput IV. *De aetate ordinandorum,* etc.:

1) Page 21,[15] lignes 6-10: *Toute dispense* concernant l'âge des ordinands *est réservé* par le Schéma au Siège Apostolique exclusivement. Si cette discipline doit s'appliquer à l'Orient, il convient que le même pouvoir soit accordé, en Orient, au Patriarche, comme chef d'Eglise. Il est d'ailleurs plus à même de juger de l'opportunité de cette dispense que le dicastère romain. De nouveau, je redis qu'il ne faut pas réserver à l'autorité suprême des charges que peut accomplir l'autorité locale.

2) Page 21, lignes 25-30: J'approuve l'idée de faire faire aux diacres, avant leur ordination sacerdotale, une année de pratique pastorale. Mais je crois que cette année ne doit pas nécessairement se passer dans un séminaire ou autre institution semblable. En Orient, nous considérons que la place normale du diacre est après de son évêque. C'est à son école, et en vivant avec lui, qu'il apprendra la pratique du ministère sacré.

3) Page 22,[16] lignes 28-29: Le Schéma prévoit que les candidats au diaconat permanent, s'ils sont célibataires, ne peuvent pas être ordonnés avant l'âge de 30 ans. Cette rigueur me paraît excessive. Je ne vois pas pourquoi on exige seulement 25 ans pour les prêtres, et 30 ans pour les diacres permanents, alors que le ministère de ceux-ci est plus facile.

4) Page 22, lignes 30 sq.: Pour les diacres permanents mariés, on exige l'âge de 40 ans. Il me semble que 35 ans suffisent.

5) Page 23,[17] ligne 8: Je voudrais spécifier que le sousdiaconat ne doit pas être, dans l'Eglise orientale, un empêchement dirimant du mariage. C'est là, malgré quelques fluctuations, la discipline classique de l'Orient et la pratique courante depuis des siècles.

Exc. LEFEBVRE: Multa videntur opportunissima et conformia necessitatibus hodiernis. *Attamen,* meo humili sensu, videtur quod instauratio diaconorum stabilium uxorem habentium multas difficultates affert — saltem in nostris regionibus Missionum.

Prima obiectio est: de facto, haec instauratio interpretabitur ut via ad matrimonium sacerdotum — unde servatio castitatis in sacerdotibus iuvenibus erit difficilior quam antea.

Secundo: adest periculum certum diminutionis vocationum sacerdotalium in favorem diaconatus matrimonium permittentis.

---

[15] Cf. p. 148.
[16] Cf. p. 149.
[17] Cf. p. 150.

Tertio: sustentatio diaconorum familiam habentium erit nimis onerosa pro dioecesibus pauperibus ubi generatim quaeruntur sacerdotes et diaconi.

Quarto: frequentatio clericorum in coelibatu viventium cum his qui uxorem duxerunt erit occasio difficultatum omnis generis.

E contra valde placet nova instauratio ordinis diaconi stabilis, in quantum non exiguntur ab iis diaconis nimia studia sed magis praxis vitae spiritualis et pastoralis.

Ubi sacerdos est solus, adiutorium diaconi erit pro eo maximi momenti. Iam sunt auxiliarii sacerdotis ut fratres religiosi, sed possunt hi auxiliarii multum adiuvare sacerdotes, si essent diaconi.

Quoad *studia requisita in sacerdotibus* (p. 21,[18] a. 3) videtur maxime necessarium annum studii et exercitii vitae spiritualis. Certe res pastoralis est necessaria sed vita spiritualis magis eminet.

Quoad castitatem servandam in diaconis et sacerdotibus quod dicitur in fine articuli noni (p. 23,[19] in fine), quomodo componi potest cum articulo 5 (p. 9 [20]), ubi dicitur « Diaconi invalide matrimonium attentant... » igitur valide attentant, si ad statum laicalem auctoritate legitima reducti fuerint.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: scilicet Diaconi et Ministae ordinentur in Ecclesia Occidentali extra Missionum territoria illi tantum qui professi sunt vota perpetua in Ordinibus vel Congregationibus, ne fiat clerus secundi ordinis. Nihil mutetur de aetate ordinandorum et de studiis seminaristarum.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: id est schema ad Commissionem remittatur de disciplina Sacramentorum, quae, consiliis habitis cum Commissione pro Ecclesia Orientali; novum schema conficiat, iterum Commissioni Centrali subiiciendum.

Prout sapienter adnotatum fuit pro schematibus de Confirmatione et de Paenitentia, Concilium Oecumenicum principia tantum et normas generaliores in hac materia tradere debet, id est ea quae Ecclesiae universae communia sunt, reliqua remittendo Codicibus pro Ecclesia Latina vel pro Ecclesia Orientali.

---

[18] Cf. p. 149.
[19] Cf. p. 150.
[20] Cf. p. 141.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Tutius esset in re tanti momenti Sacrarum Congregationum Seminariis et Religiosis praepositarum et forsan etiam Sacrae Congregationis Concilii sententiam habere; interim tamen, attentis gravibus rationibus ab Em.mis Patribus Frings, Ruffini, Siri et Jullien tam prudenter adductis ad dubium propositum respondeo: Non placet.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: Approbo enim institutionem diaconorum stabilium et Ordinum minorum, secundum modum propositum, ratione tamen habita de animadversionibus ab Em.mis Cardinalibus Richaud, Döpfner, Alfrink, Larraona, et aliquo modo a Beat.mo Patriarcha Melchitarum allatis. Idem dico de propositionibus super irregularitates. Sed mihi videtur quod aetas ordinandorum requisita pro pluribus gradibus tardior sit quam necesse est.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: in Ecclesiis Orientalibus, Subdiaconatus ordo est minor, consequenter non debet imponi duplex obligatio coelibatus et divini officii.

Mihi videtur etiam quod debet ripristinari antiqua traditio orientalis, quae effectum iuridicum non attribuat subdiaconatui ordinum maiorum, ut fecit « Motu Proprio: *Cleri Sanctitati* ».

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: secundum dicta ab Em.mis Card. Larraona et Tisserant.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: secundum observationes Em.mi Cardinalis Tisserant.

Card. PLA Y DENIEL: Non placet sed retinendus can. 973 § 1.

Card. FRINGS: Non placet.[1]

Card. RUFFINI: Non placet.[2]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: adhaerendo instaurationi Diaconatus stabilis cum coelibatu. Pro iis quae respiciunt religiosos vel Societates in communi viventium sine votis necnon Sodales Institutorum Saecularium in consideratione sumantur quae ab Em.mo Card. Larraona dicta sunt. Item pro instauratione Ordinum Minorum.

Instauratio Diaconatus stabilis pro uxoratis restringerem ad summum ad aliquas terras Missionum ubi extraordinariae necessitates et penuria sacerdotum vigeant, rem de coetero relinquendo iudicio S. Sedis.

---

[1] Cf. p. 154.

[2] Cf. pp. 154-155.

Card. SIRI: Non placet caput primum; secundum iterum redigatur.
Placet caput tertium.

Placet iuxta modum caput quartum, scilicet: non placet circa aetatem ordinandorum et interstitia; placet equidem circa castitatem servanda, attentis his quae dixerunt Em.mi Card. Jullien et Tisserant.[3]

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Non placet, quia 1) non videtur conveniens instauratio diaconatus stabilis, 2) tolerabilius esset instauratio ordinum minorum permanentium, 3) nihil innovandum a Concilio circa irregularitates, 4) nimis protractae sunt quae de aetate, interstitiis, etc.

Card. LÉGER: Non placet: propter gravitatem materiae et consequentias in tota vita clericali non placet haec praesentatio. Sed sum paratus omnia facere in adiunctis si Sanctissimus decretum ad Ecclesiam Universalem expedit. Unde animadversionibus Em.mi ac Rev.mi Cardinalis Jullien plene assentio.

Card. MONTINI: Non placet ob rationes a Card. Ruffini, Siri et Jullien allatas.

Dignae tamen adprobatione videntur observationes quae ab Exc.mo D.no Lefebvre expositae sunt circa stabilitatem diaconatus cum coelibatu coniuncti.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: argumentum hoc magni indubitanter est momenti ac eminenter actuale, ut patet ex hoc quod tercentum octoginta quatuor episcopi super illud attentionem futuri Concilii vocant.

Certis in locis diaconatus optime conveniret, e. g. in terris missionum.

Duplicitatem vero diaconatus, ita ut nempe aliqui ad castitatem obstricti sint, alii e contra matrimonio coniuncti, reor nullimode Ecclesiae Latinae convenire.

Ordines minores, numerice reducti, ut supra, nempe certis in locis, conferri possent laicis, at innuptis et viduis solummodo. Adiiciam etiam in re tam delicata et salebrosa caute et pedetemptim procedendum esse.

Iudico tandem mantenendam irregularitatem ex defectu pro iis qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae.

Card. GODFREY: Non placet de diaconatu stabili.

Placet iuxta modum: uti scripsi in folio adnexo, habita ratione observationum Em.morum Cardinalium Frings, Siri, Ruffini et Jullien.

---

[3] Cf. pp. 155-156.

Quoad paginam quintam,[4] *in prima paragrapho*:

Etsi video utilitatem instaurandi ordines minores et diaconatum *in illis regionibus in quibus penuria sacerdotum facit difficilem vitam pastoralem,* non est facile videre eamdem utilitatem in aliis regionibus.

Noto in pagina quinta quod in schemate innuuntur nonnullae difficultates disciplinae clericali quas instauratio afferre poterit; ac proinde proponit Commissio ut illa instauratio sub immediata tutela S. Sedis fiat: et bene proponit.

Caput primum: sub numeris 2, 3 et 4: Diaconi stabiles utiles essent in certis regionibus ubi Ordinarius iudicet de eorum necessitate in illis ministeriis indicatis in schemate (sub 4 *a, b, c et d*).

Diaconi omnes perpetuum caelibatum servent exclusis diaconis coniugatis.

Caput secundum: *De Ordinibus Minoribus*: Nil habeo dicendum de reductione numeri ordinum minorum nisi quod si preces in Pontificali pro Ostiariatu et Exorcistatu eliminentur, meo iudicio perdet Pontificale orationes et exhortationes sat pulchras et longa traditione fideliter custoditas.

Caput tertium: *De irregularitatibus et impedimentis*: Placet quod dicitur in schemate.

Caput quartum: *De aetate ordinandorum*: Sub n. 3 in pagina vicesima prima [5] agitur de aetate ordinandorum. Videtur sapiens dispositio de aetate proposita pro unoquoque ordine. Attamen speratur quod rigide adhaerere debetur ei quod a Concilio decidetur seclusis exceptionibus.

De studiis: Non facile erit prolungare cursum qui iam consistit ex duobus annis in philosophia et quattuor in theologia. Nonne satis est? Saltem pro cursu seminaristico ordinario.

Diaconorum institutio Pastoralis (pag. 21): Diaconus iuxta schema debebit per unum annum institutionem pastoralem habere, sed non dicitur ubi institutio pastoralis accipietur: in paroeciis? Difficile erit in collegiis, extra eorum nationes situatis, e. g. Romae. Idem dicendum de presbyteris qui deberent continuare curriculum per unum saltem annum. Ideale est sed in praxi non facile practicum in certis regionibus ubi penuria est sacerdotum.

De castitate: De caelibatu et castitate quae est gloria et corona ordinum sacrorum et praecipue sacerdotii, sedulo et strenue defendamus et conservamus ad gloriam Dei et ad aedificationem fidelium.

---

[4] Cf. p. 139.

[5] Cf. p. 149.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: 1) sicut dixi in disceptatione [6] quoad diaconos coniugatos vel quoad clericos minores coniugatos propter pericula manifestata a pluribus Patribus; 2) relate ad observationes allatas ab Em.mis Cardinalibus Tisserant et Siri de aetate ordinandorum.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: tantum, scilicet maxima cum cautela procedendum videtur. Ideo antequam talis praxis inducatur, experimentum fiat in regionibus circumscriptis. Conferatur experientia ecclesiae orientalis.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones prolatas.[7]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: plene adhaereo observationibus ab Em.mis Frings, Ruffini, Siri, Jullien et aliis factis circa diaconatum permanentem in genere et praesertim circa Diaconatum pro uxoratis. Eos tantum uxoratos fortasse putarem esse ad diaconatum permanentem admittendos in casibus particularibus qui erant uxorati ante eorum conversionem ad Ecclesiam Catholicam in nationibus ubi pastores protestantes adsunt. Quoad terras Missionum una cum Exc.mo Lefebvre puto quod speciatim illic ubi Ecclesia est fundanda oportet nullum elementum confusionis circa legem caelibatus inducere. De cetero multa officia et munia possunt a laicis in Ecclesia optime adimpleri.

Card. MUENCH: Non placet: difficile est videre utilitatem.

Card. MEYER: Non placet, iuxta mentem expositorum Card. Jullien. Res remittatur speciali commissioni pro maiori studio.

Card. TRAGLIA: Prout proponitur non placet. Ideoque perpensis animadversionibus, schema reformetur et iterum proponatur.

Card. ALFRINK: Placet non ut ubique terrarum innumeri diaconi stabiles coniugati instituantur, sed ut possibilitas adsit, ubi utilitas Ecclesiae id postulet; tantummodo duplex annus pastoralis post susceptum diaconatum in unum annum redigatur.[8]

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: pro diaconatu permanente: tantum pro locis missionum cum facultate S. Sedis; de ordinibus minoribus reducendis: placet; de aetate ordinandorum: nihil innovetur ne difficultates maiores fiant ad vocationes colligendas consentio cum iis quae ab Em.mis Cardinalibus Ruffini et Siri dicta sunt.

---

[6] Cf. pp. 156-157.
[7] Cf. pp. 157-158.
[8] Cf. pp. 158-159.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: pro Ecclesia Latina praesertim quoad diaconos coniugatos, adhaereo animadversionibus Em.morum Patrum Frings, Ruffini, Siri, Richaud et Jullien.

Card. JULLIEN: Non placet de 1°, de 2°, de 3° capitibus deque castitate in cap. 4°.

Placet iuxta modum: de 4° capite, de aetate ordinandorum, de interstitiis; res pertractetur de Ecclesia latina cum Commissione Seminariorum ac Studiorum; necnon cum Commissione Religiosorum et cum Commissione Missionum.[9]

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: hoc sensu, quod iterum Schema redigatur a Commissione mixta SS. CC. de Sacramentis, Consistorialis, Concilii, de Religiosis, de Propaganda Fide et de Seminariis, quae ea proponat in quibus Patres conveniunt et illa omittat in quibus nec immerito tam graves Patres repugnant. Schema emendatum, si possibile est, ad Commissionem Centralem redeat.[10]

Card. HEARD: Non placet: cursus seminaristicus esset nimis longus. Si post sex annos non formatur in alumno character solidus et ad sacerdotium aptus, parum iuvabit additio unius anni. Remedium quaerendum est; non ad finem, sed in principiis, per selectionem magis curatam candidatorum, per assistentiam iam a primis annis Patris Spiritualis, vere pii, periti et diligentis, per instructionem in scholis a magistris aptis, regularem et disciplinatam. Quoad ordines minores nihil habeo obiiciendum, sed quoad cetera stet Codicis Lex.

Card. BEA: Non placet prout proponitur: putaverim i. e. Ecclesia latina interim nihil definiti faciat, sed Concilium declaret diaconos perpetuos haberi posse, etiam uxoratos; sed experimentum faciendum, maxime in Missionibus, dummodo conventus Episcoporum id censeant faciendum et qua ratione censeant. Concilium igitur nihil in particulari determinet. De Ordinibus Minoribus vix videtur esse necessitas; rationes mere historicae rem non decidunt. Annus practicus neomystarum non placet; Ordinarii potius videant, ut neosacerdotes *apto* et paterno parocho assignentur ut cooperatores.

Beat. SAIGH: Placet iuxta modum: [11] selon l'observation de S. E. le Cardinal Tappouni concernant le sous-diaconat.

---

[9] Cf. pp. 159-161.
[10] Cf. pp. 161-164.
[11] Cf. pp. 164-167.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe iuxta animadversiones factas ab Em.mo Card. Tisserant.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: attentis iis quae dicta sunt ab Em.mis Patribus de non instituendo duplici modo clericorum.

Exc. FELICI: Non placet quod spectat restaurationem diaconatus permanentis, iuxta dicta praesertim ab Em.mis Card. Ruffini, Siri et Jullien.
Caetera placent.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: quaestio integra, ubique terrarum nondum satis matura mihi esse videtur ut Concilio Oecumenico proponatur. Remittatur potius eius studium competenti Congregationi Romanae.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum, scilicet: quoad Caput I me abstineo, quia ex una parte, plures rationes video pro instauratione Diaconati permanentis seu stabilis in Ecclesia Latina, praesertim pro missionibus et pro nationibus ubi desunt sacerdotes necessarii ad ministerium pastorale et apostolicum Ecclesiae implendum; sed, ex alia parte, rationes allatae contra talem instaurationem speciatim ab Em.mis Cardinalibus Siri et Ruffini mihi videntur esse revera gravissimae, tum in ordine doctrinali, tum in ordine practico, ita ut dubium habeam utrum instauratio istius Diaconati esset in bonum aut in detrimentum Ecclesiae.
Quoad Caput II et III et IV, admitto animadversiones factas ab Em.mis Cardinalibus Larraona et Jullien et ab aliis Em.mis ac Excellentissimis Patribus.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Non placet: nimis periculosa videtur instauratio diaconorum stabilium ad observantiam disciplinae clericorum speciatim super caelibatum propter diversas et multiformes tentationes vel libertates: sum ego cum contrariis rationibus et opinionibus Eminentissimorum Cardinalium. Videtur mihi non esse necessaria haec innovatio, quia hodie existit abundantia apostolatus laicalis.
In caeteris omnibus, placet iuxta modum secundum animadversiones prolatas.

Exc. BERAS: Uti proponitur non placet.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: secundum iam dicta.[12]

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: ianua aperta sit ad diaconos stabiles, etiam coniugatos, et alios ministros inferiores ordinandos sed

[12] Cf. pp. 167-168.

leges horum statuum non sunt adhuc stricte determinandae a Concilio Vaticano secundo. Res relinquenda est Sanctae Sedi. Optatur ut decisio ordinandi diaconos stabiles et alios ministros inferiores approbetur a coetibus nationalibus seu regionalibus episcoporum et eorum instauratio fiat sub immediata Apostolicae Sedis tutela.

Exc. Šeper: Placet.

Exc. Bazin: Placet iuxta modum: Omnino assentio observationibus factis ab Em.mo Card. Jullien et Archiepiscopo Lefebvre. De diaconis uxoratis, quoad Missiones spectat, *non placet.*

Dubium propono de modo quo tractatur caelibatus sacerdotii. Hodie enim, in multis locis ubique terrarum non desunt sacerdotes qui in quaestionem vocant caelibatum sacerdotum. Et multi pii sacerdotes ab hoc perturbantur. Sat implicite indicatur in schemate mens Ecclesiae de servando sacerdotii caelibato. Quaestio autem est an debeat poni explicite in schemate laus sed et lex caelibatus.

Exc. Bernard: Non placet: mihi videtur omnes difficultates enuntiatas ab Eminentissimis Frings, Ruffini, Siri, Richaud, Jullien et ab Excellentissimo Lefebvre exsistere etiam in nostris missionibus, scilicet:

de creatione duplicis cleri et duplicis disciplinae,
de dignitate vitae ipsius diaconi et eius familiae,
de periculo enervandi legem venerabilem caelibatus.

Insuper magna difficultas oritur ex studiis procurandis diaconibus uxorem habentibus.

Liceat mihi addere quod istorum diaconorum sustentatio perdifficilis erit.

Quoad diaconos caelibes liceat experientias particulares facere.

Exc. Bernier: Placet iuxta modum: attamen Diaconatus uxoratus non convenit, nec aetatem a ss. canonibus stabilitam ad Ordines suscipiendos mutare convenit.

Exc. Yago: Placet iuxta modum: attentis observationibus Exc.mi Lefebvre de diaconatu stabili caelibum.

Quoad annum pastoralem pro diaconis non placet, quia sufficit annus pastoralis post presbyteratum.

Caetera placent.

Exc. Rakotomalala: Non placet: ob rationes lucide expositas ab Em.mis Cardinalibus Frings, Ruffini, Siri et Jullien, et ab Exc.mo Lefebvre. Saepissime loquitur de adiumento quod instauratio diacona-

tus stabilis afferret ecclesiae in missionibus. In nostra regione minime optatur illa instauratio.

Exc. Ngô-dinh-Thûc: Non placet: institutio diaconatus stabilis sive uxorati sive non, non mihi placet, ex rationibus optime allegatis a multis Eminentissimis Cardinalibus. Illae rationes vim retinent etiam pro locis missionum; non desideramus pro missionibus munus quod ceteri nolunt pro seipsis. Cum munera implenda ab istis diaconis a laicis bene adimpleri possint, specialiter a seminaristis missis (ut ita dicunt ad probationem, duobus saltem annis) uti fit in multis locis missionum, secus crearetur clericatus secundi ordinis.

Ista probatio valde utilis pro seminaristis educatis a tenera aetate in seminario si admittatur etiam alibi, dilatio anni ordinationis facilius accipietur.

Credo tamen quod diaconatus potest conferri ab Episcopo exceptionaliter paucis laicis non uxoratis aut viduis tanquam remuneratio pro servitiis magni momenti quae praebuerunt Ecclesiae specialiter in campo apostolatus, actionis catholicae aut socialis.

Exc. Verwimp: Placet iuxta modum: consentio cum his quae dicta sunt ab Exc.mo Domino Lefebvre. Nempe in regionibus missionum ubi Ordinarius a Sancta Sede facultatem obtinuerit, diaconatum stabilem caelibem instituat. Ratio praecipua est quod functiones sacrae quae diaconis stabilibus tribuuntur, innumerae functiones sacerdotibus propriae melius ab iis exerceri possunt.

Exc. Jelmini: Placet iuxta modum cum animadversionis in folio adiuncto expositis:

1. *Ecclesia laetatur ... generis salute* (pag. 4,[13] lin. 23): Non placet hic cum tanto laetamine descriptus status Sanctae Ecclesiae, magis in spem, meo iudicio, quam ad veritatem. Cur enim *aucto fervore,* aut respectu cuius aetatis? Nonne in oculis habenda est ratio statistica, quam vocant, unde apparet cultum Dei, fidem catholicam, publicos mores apud plerosque collabascere ac paene dirui? Nonne status mentium generatim alienus est a catholica religione, discissis republica ab Ecclesia, philosophia a dogmatibus fidei, investigatio mundi a cogitatione Creatoris, inventione artium ab obsequio ordinis moralis? Nonne, quod ad praesentem quaestionem attinet, inopia operariorum laborat Ecclesia? Nonne nimis multae partes Sanctae Ecclesiae vel immanissime conculcantur a Gigantibus et Minotauris, qui superbiunt in mundo, vel schi-

---

[13] Cf. p. 139.

smate perversae sunt? Nonne missiones nostras ad infideles, tanto zelo ac caritate plantatas et rigatas, vastavit inimicus homo? Nonne atheismus non amplius per singulos, sed (quod prorsus inauditum est) per totas nationes celebratur atque instauratur? Nonne numerus noster (ut de hoc quoque mentionem faciam) quotidie proportionaliter imminuitur, Mahometismo et Gentilismo immodice gliscentibus? Nos enim quinta pars sumus humani generis, qui quarta fuimus paulo ante. Nonne mores nostri gentilizant?

Haec dico historice et humano more considerando Ecclesiae statum, quanquam certissime scio victoriam supernaturalem ab ea perpetuo celebrari in mysterio fidei et praedestinatione sanctorum. Unde, etsi longe abest quin fatear multas partes Ecclesiae splendidissimis virtutibus micare, nolim in Decreto conciliari statum nostrum aliter delineari quam revera est.

Hisce de causis totam hanc pericopen *expungendam* censeo.

2. ... *igitur magnam spem ... adspirent* (item pag. 4,[14] lin. 28): Non placet. Magnam spem in Domino utique semper fovere licet, imo et debemus, at causas, quas supra protulisti, ad tantam spem fovendam fundamentum praebere nego, cum ipsae causae non satis consistant, vel saltem non ea vi polleant, quam protulisti. Vox *igitur* videtur mihi prorsus aliena et totum comma delendum. Dicendum erat simpliciter: *quoniam inopia ministrorum Sancta Ecclesia laborat, de sacro ordine S. Synodus totum negotium pertractari censuit, ut necessitatibus hodiernis quam optime consulatur.*

3. ... *cuius est ... procedere* (pag. 5,[15] linn. 24-25): Mira admodum et ambigua propositio, quasi solius Sedis Apostolicae sit officium in arduis rebus cum debitis cautelis procedere, et non potius generale officium omnium hominum. Malim *cui difficiliora et universaliora Ecclesiae negotia committenda sunt.* Vel similia.

4. *Viri uxorem habentes ... ordinari poterunt* (pag. 9,[16] n. 5, lin. 14): Non probo ordinari coniugatos.

Causae autem improbationis sunt potissimum sequentes:

I) quia nihil unquam, nihil usquam invenire est in traditione disciplinari Ecclesiae latinae, quod tanquam fundamentum proferri ac stabiliri possit pro tanta ineunda immutatione: quod complures docuerunt auctores, praesertim Exc.mus D.nus I. Yubany, cfr. *Orbis catholicus,* 1958, pp. 114-159.

---

[14] Cf. p. 139.
[15] Cf. p. 139.
[16] Cf. p. 141.

II) quia, posita huiuscemodi praemissa historice certa, rationes ex opportunitate et praxeos gratia deductae, cum usque ad evidentem necessitatem non accrescant, minoris momenti sunt, quam ut tam magnam innovationem disciplinae clericalis transmittere possint.

Sint ergo diaconi in diaconatu permanentes eiusque officia perpetuo exercentes, at non sine caelibatus obligatione.

5. *De aetate requisita* (pag. 22,[17] n. 7): Terminus, a quo diaconus stabilis ordinari permittitur, ultra modum, meo iudicio, provectus est, ita ut commoda, quae ex hac instauratione sperantur, prorsus dilabantur. Malim ergo ut pro ordinatione diaconorum stabilium iidem termini praescribantur, qui iam praescripti sunt pro diaconis ad presbyteratum procedentibus, vel saltem ut termini notabiliter retro cedant. Non enim maior cautela est adhibenda quoad aetatem in iis, qui diaconatu insistunt, quam in iis, qui ad presbyteratum provehuntur.

His dictis, videtur schema decreti « De Sacramento Ordinis » optime exaratum esse.

Exc. Suhr: Non placet: res non satis matura videtur.

Rev. Gut: Non placet diaconatus sine caelibatu. Timeo ne diaconatus uxoratus noceat vocationibus sacerdotalibus. Non pauci iuvenes optimae indolis contenti erunt esse diaconi reverendi cum propria familia sine sacrificiis cum presbyteratu coniunctis.

Diaconatus stabilis et Ordines minores conferri possunt religiosis cum votis perpetuis, iuxta dicta Em.mi Tisserant et Archiepiscopi Lefebvre.

Rev. Browne: Non placet: sed tantum in hoc sensu quod quaestio, complexive sumpta, non videtur esse adhuc mature elaborata. Quaedam tamen in schemata contenta digna sunt seriae considerationis, maxime quoad territoria Missionis et aliorum locorum ubi clerus numero deficit. Ut de singulis in concreto prudenter provideatur requiritur consultatio Conferentiarum Episcopalium quoad necessitatem vitae pastoralis in eorum regionibus. Non essem contrarius institutioni novae Commissionis mixtae ad totam quaestionem iterum examinandam.

Rev. Sépinski: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita animadversionum Em.mi Cardinalis Valeri. Forsitan, accedente beneplacito S. Sedis, prudenter et pedetemptim fiat in Ecclesia latina experimentum pro diaconatu permanenti in America latina et bene circumscriptis regionibus.

---

[17] Cf. p. 149.

Rev. JANSSENS: Non placet, quia res nondum satis matura ut Concilio submittatur.

Card. ALOISI MASELLA: Commissio de Sacramentis animadversiones et emendationes propositas attenta consideratione examinabit et, omnibus bene perpensis, opportunas modificationes peragere in schemate decorabitur. Interea pergratum mihi est vobis omnibus gratias plurimas referre pro vestro labore.[18]

V

DE RITIBUS IN ECCLESIA

(Tertia et Quarta Congregatio: 17-18 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Ad catholicitatis notam, qua insignitur Ecclesia Dei, magis magisque illustrandam, eius Divini Conditoris providentia et dispositione factum est, ut varii in Ecclesia ritus, qui antiquissima aetate sunt instituti, per saeculorum decursum, salva fidei unitate, in diversis Orientis regionibus religiose servarentur. Huiusmodi enim rituum diversitas in Ecclesiae unitate luce clarius demonstrat, Ecclesiam Christi ut divinum salutis institutum suapte natura ad omnes prorsus spectare populos, nullo habito nationis vel stirpis discrimine. « Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit Davidico: " Adstitit regina a dexteris tuis... circumamicta varietatibus " (*Ps. 44*) » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894). Quare mirum non est si, vertentibus saeculis, hanc etiam ob causam, « Orientalem Ecclesiam peculiari quodam studio semper prosecuti sunt Romani Pontifices, qui, universitatem dominici gregis gubernantes, particularium Ecclesiarum saluti et incremento consuluerunt » (BENEDICTUS XV, *Alloc. cons.* 10 martii 1919); Christi enim in terris vicem gerunt et Principis Apostolorum sunt successores, cui a Domino pascendi oves agnosque commissa est cura (*Ioan.* 21, 15-17). Exinde pateant verba Benedicti Pp. XIV: « De ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali, aut episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorundem observationem imminuat » (BENEDICTUS XIV, *Demandatam,* 1743). Cui tandem favori et promotioni rituum orientalium

---

[18] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Ecclesia nullum alium imponere voluit limitem, nisi « quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati » (*Conc. Lateran. IV*, cap. 4), sive de sacris agitur Liturgiis divinisque officiis, sive de moribus et disciplina, sive tandem de ecclesiastico ordine.

Spectaculum hoc unitatis in diversitate, et varietatis in unitate prae oculis habens, et Pontificum Romanorum perennem curam documentis probatam considerans, Sancta haec Oecumenica Synodus peropportunum duxit mentem Sanctae Matris Ecclesiae clariore in sua luce ponere et unitatem Ecclesiae in varietate rituum confirmare, canonibus statutis, qui sequuntur:

I. [*De varietate « Rituum » in Ecclesia*]. 1. Sancta et Catholica Ecclesia, quae est corpus Christi mysticum, organice coalescit fidelibus individuis qui fide, sacramentis et regimine uniuntur in coetibus hierarchia iunctis, seu particularibus Ecclesiis, quae aliquoties ritus etiam dicuntur.

(Sess. plenaria XV, die 21-4-1961: unanimiter).

2. Isti ritus seu particulares Ecclesiae, etsi liturgia, constitutione, ecclesiastica disciplina spiritualique proprio patrimonio partim differant, aequali tamen modo concrediti sunt pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit.

(Sess. plenaria XIV, die 20-4-1961: maioritate suffragiorum).

II. [*De utilitate varietatis « Rituum »*]. Varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius declarat. Ecclesia enim catholica intendit ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque Ecclesiae traditiones, pariterque vult suam vitae rationem aptare variis pro tempore et loco necessitatibus.

(Sess. plenaria XIV, die 20-4-1961: maioritate suffragiorum).

III. [*De aequalitate « Rituum »*]. 1. Omnes particulares Ecclesiae seu ritus, quibus coalescit Ecclesia universalis seu catholica, aequali pollent sanctitate ac dignitate, aequalibus fruuntur iuribus ac privilegiis, atque aequalibus tenentur obligationibus.

2. Nulla proinde Ecclesia particularis seu ritus, ratione sui, caeteris praestat.

3. Eaedem vero Ecclesiae particulares seu ritus aequali pollent iure et aequali tenentur gravi obligatione fidem christianam ubique terrarum praedicandi, sub moderamine Romani Pontificis.

(Sess. plenaria XV, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

IV. [*De « Ritu » Romani Pontificis*]. Summus Pontifex, etsi quatenus est Episcopus Romae proprium habeat ritum, nullo tamen tenetur ritu prouti est successor Beati Petri in eiusdem primatu super universam Ecclesiam.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. [*De tuitione « Rituum »*]. 1. Omnes et singuli fideles proprium quem habent ritum ubicumque sunt servare debent; illumque colant et habitualiter exerceant.

2. Nemo proinde quemvis fidelem ad alium ritum assumendum ullo modo inducere praesumat.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: unanimiter quoad utramque paragraphum).

VI. [*De formandis novis « Ritibus »*]. Nihil neque ex doctrina, neque ex traditione et historia obstare quominus tempore debito debitaque adhibita prudentia et matura praeparatione, alii etiam ritus in Ecclesia Christi exsurgant floreantque, unde universalitas Ecclesiae magis magisque eluceret, bonoque animarum earumque saluti fieret provisum.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

VII. [*De « Ritu » redeuntium ad unitatem catholicam*]. Baptizati acatholici, qui in Catholicam Ecclesiam admittuntur, proprium quem habent ritum servare debent, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

VIII. [*De transitu ad alium « Ritum »*]. 1. Nemo potest sine licentia Sedis Apostolicae ad alium ritum valide transire aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti.

2. Inter causas, ob quas solet concedi transitus ad alium ritum, eminet reditus ad ritum maiorum.

(Sess. plenaria XVII, die 22-4-1961: maioritate suffragiorum).

IX. [*De « Ritibus » orientalibus extra regiones orientales*]. 1. Provideatur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium rituum constituendo pro quoque ritu propriam hierarchiam, ubicumque id postulat numerus atque bonum spirituale fidelium.

2. Si tamen propria hierarchia constitui nequit, erigantur ad minus paroeciae personales pro variis ritibus ubicumque fideles alicuius ritus inveniantur et auctoritas illius ritus id postulat.

(Sess. plenaria XVII et XVIII, diebus 22/24-4-1961: unanimiter).

X. [*De cooperandis « Ritibus »*]. Locorum Hierarchae in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, debent, collatis in periodicis conferentiis consiliis, unitatem actionis fovere et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.

(Sess. plenaria XVII, die 22-4-1961. maioritate suffragiorum).

XI. [*Adaptatio « Ritibus » orientalibus*]. Enixe suadetur ut religiosorum atque religiosarum Ordines Congregationesque et Instituta similia originis

latinae, quorum membra in oriente christiano laborant, sic dictos « Ramos » ritus orientalis habeant.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

XII. [*Institutio in rebus orientalibus*]. Illi qui sive ratione muneris in Ecclesiae universalis regimine sive propter apostolicum ministerium cum Ecclesiis Orientalibus earumque fidelibus frequens habent commercium, accurate, pro momento officii quod gerunt, in cognitione doctrinae, historiae ecclesiasticae atque indolis harum Ecclesiarum instituantur.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Allocutio praevia

Cum in Oriente Patriarchalis auctoritas tam ampla sit, ut ceteris antecellat, aequum erat studia praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II id sedulo spectarent, ut huiusmodi dignitas magno in honore et existimatione haberetur eademque, quantum fieri potest, ad nativum revocaretur splendorem. Hoc postulat ipsa Patriarcharum auctoritas, quae suapte natura magna est, itemque necessitas ut eadem talis appareat, etiam si cum auctoritate Patriarcharum orthodoxorum comparetur.

Probe animadvertendum est, huiusmodi dignitatis momentum in eo praesertim situm esse, quod scilicet penes Patriarchas potestas est eligendi Episcopos, erigendi novas dioeceses, iudicandi; quae quidem iura atque privilegia semper agnita fuerunt a Sede Apostolica, ab eademque nunc etiam sarta tecta studiose servantur.

Huius tamen dignitatis splendor, amplissimus sane intra fines Patriarchatus, non semper, uti patet, eodem modo fulgere potest extra eiusdem Patriarchatus territoria, scilicet in iis regionibus, in quas catholici orientales domo migraverunt. Etenim saepe accidit, ut ibidem christifidelium orientalium numerus parvus sit, atque ad eorum necessitatibus consulendum sacerdotes eiusdem ritus non satis sint, vel omnino desint.

Haec rerum condicio efficit ut nec novae dioeceses, atque interdum ne paroeciae quidem, constitui possint pro his fidelibus, qui proinde se conferre debent ad latinorum paroecias.

Nihilominus alicubi etiam provisum est, ut Orientales inter latinos commorantes vel suo ipsorum Seminario uti possent. Ut praetermittamus Seminaria S. Iosaphat pro Ucrainis et SS. Cyrilli et Metodii pro

Ruthenis condita, memorare sat est bina Seminaria quae in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus, faventibus Episcopis latinis loci, erecta sunt: alterum in civitate Bostoniensi pro Melkitis, alterum in urbe Washingtoniensi pro Maronitis (" St. Basil's Seminary for the Eastern Rites " Methuen, Mass.), quamvis alumni non plus quam decem adhuc numerentur. Quod palam demonstrat sive actuosam sollicitudinem, qua catholici variorum rituum adiutricem sibi invicem praestant operam, sive favorem, quo Apostolica Sedes haec incepta aperte prosequitur.

* * *

Quod Orientalibus in Concilio Oecumenico partes haud exigui ponderis tribuuntur, etiam ad decreta quod attinet, et quod de iisdem peculiari modo agitur, id profecto summi momenti est. Siquidem pars viva et electa Catholicae Ecclesiae iidem sunt, ac per ipsos vigere pergit catholicum nomen in regionibus, ubi olim religio nostra exordia coepit. Accedit quod iisdem communis patria est, communisque ritus cum tot christianis populis, qui ob infausta et infelicia temporum adiuncta extra catholica castra versantur. Qui quidem populi non sine magna expectatione magnaque spe in Oecumenicum Concilium intuentur, tamquam in grande Ecclesiae viventis et operantis eventum; idque eo vel magis aestimant, quod se pertinere affirmant ad « Ecclesiam Conciliorum », scilicet septem primarum Oecumenicarum Synodorum.

Certum omnino est, Orientales Catholicos, haud secus ac ceteros Ecclesiae filios, prompto libentique animo excepturos esse Concilii decreta, quae eos respicient. Nihilominus partem omnino propriam in Concilio habere voluerunt, ut Orientalium consuetudines, iura et privilegia solemni Concilii auctoritate in sua luce clarius ponerentur et confirmarentur. Tali modo vultus Ecclesiae prorsus apparet in sua oecumenicitate. Procul dubio id admodum placebit universis christianis proximi vel longinqui Orientalis quotquot sive intra cuiusque Patriarchatus fines degunt, sive inter Occidentis fratres sparsim commorantur.

Sed non in isto omnia. Orientales enim, sociam sollertem actuosamque operam in Concilio Oecumenico praestantes, sibi etiam proponunt ut obsequium exhibeant Summo Pontifici Ioanni XXIII, cuius paternae sollicitudini, sapientiae plenae, huius supremi Consessus convocatio debetur.

Pontificia Commissio Ecclesiarum Orientalium — quae magnum numerum Membrorum et Consultorum ex omnibus ritibus complectitur, ac moderatorem habet Secretarium Rev.mum P. Athanasium Welykyj ex Ordine Basilianorum a S. Josaphat — sedulo studio in examen

quarundam quaestionum incubuit, eiusque conclusiones, schemata et canones nunc proponuntur.

Initium facimus a schemate cui inscriptio est: « De ritibus in Ecclesia ».

Relatio de schemate apparato

Status quaestionis: Varietas rituum in Ecclesia est factum historicum et canonicum, plane respondens indoli humanae naturae, quae multiformem se ostendit ac multiplicibus rationibus operatur.

Nostris temporibus, cum facilius ac crebrius in dies evadat populorum commercium atque arctiores usque fiant mutuae hominum necessitudines, sponte fit, ut saepius quam antea quaestiones oriantur de relationibus inter varios ritus, de cura spirituali Orientalium qui in Occidentis regionibus degunt, de transitu fidelium ad alium ritum; et ita porro.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus, attentis ex una parte instantiis plus quam 110 Praelatorum, ex altera vero recenti codificatione orientali, quae primis 15 canonibus de hac quaestione quidem agit sed non omnibus hodiernis necessitatibus videtur satisfacere, unanimo consensu statuit thema sibi a Sanctissimo propositum « de transitu ad alium ritum », latius ac diffusius pertractare, quam hucusque de eo actum est.

In nullo Concilio Oecumenico huiusmodi quaestio expresse vel satis agitata fuit. Cuius quidem quaestionis gravitatem atque momentum hodie ostendunt praesertim accusationes et querelae non paucae, quae identidem sive in Oriente sive in Occidente, circumferuntur. Huiusmodi nempe questus moventur: quod ritus orientales quasi « tolerentur »; quod non pluris ritus habeantur, atque omnes inferiores existimentur. ritu latino; quod orientales ritus destinati sint paulatim ad evanescendum; quod Sancta Sedes — ita nonnulli vel dictitant — faveat sic dictae « latinizationi », e contra nullo favore ritus orientales prosequatur; quod latini « in Orientalium auxilium missi », potius ad destructionem rituum orientalium quam ad eorum tutelam atque incrementum agant, quod Orientales ut « fratres pauperes » in familia catholica habeantur; quod omni ope promoveatur hic et illic transitus ad latinum ritum, ac praeterea quod orientales catholici non honorentur iure merito; et cetera eiusmodi.

Ad demonstrandum quam infirmo fundamento hae opiniones nitantur, satis est in memoriam revocare praxim Ecclesiae inde ab antiqua aetate vigentem, ac praesertim sollicitudines Romanorum Pontificum et ea, quae ab ipsis statuta sunt, postremis hisce decennis.

Quae cum ita sint, Commissio censuit opportunum admodum fore, si nova solemnis declaratio in Concilio Oecumenico habeatur, ita ut timores, praeiudicia atque suspicionis causae ab animis removeantur. Hinc sequentes proponuntur articuli.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. TISSERANT: In prooemio verba tumida exstant, quae melius delenda sunt, ut « religiose » in pagina 3,[1] lin. 6. In lin. 7, sufficeret dicere: « Rituum diversitate manifestatur quod Ecclesia ad omnes spectat populos, nullo nationis habito vel stirpis discrimine ».

In principio textus, canon I, pag. 4,[2] linn. 19-20 scriptum est: « seu particularibus Ecclesiis, quae aliquoties ritus etiam dicuntur ». Ritus sic definitur in Lexico Forcelliniano: « Ritus proprie est mos et approbata consuetudo, et praecipue in sacrificiis administrandis ». Unde legitime dicitur de singulis caerimoniis christianis, ut Ritus baptismi, vel de summa caerimoniarum, quae celebrantur in quodam loco vel territorio, sicut « ritus Lugdunensis, ritus Romanus, etc. ». Sed omnino dedecet quod societas quaedam fidelium ritus dicatur. Unde dicerem: « ... in coetibus hierarchia iunctis, qui ritibus distinguuntur et particulares Ecclesias efficiunt ».

In linea 11 eiusdem paginae scriberem: « Istae particulares Ecclesiae... ».

In pag. 5,[3] linn. 1-5, scriberem: « Omnes particulares Ecclesiae aequali pollent dignitate, aequalibus fruuntur iuribus atque aequalibus tenentur obligationibus. Nulla earum ratione proprii ritus caeteris praestat; aequali pollent iure et aequali tenentur obligatione catholicae propagandae fidei sub moderamine Romani Pontificis ».

Can. IV, lin. 12, scriberem: « Summus Pontifex proprium habens ritum ut episcopus urbis Romae, potest aliis ritibus celebrare ut successor Beati Petri in primatu super Ecclesiam universam ».

Can. V, par. 1. Dicerem: « Omnes et singuli fideles ritum retinent ubique terrarum, quem debent colere et, prout possunt, observare ». Par. 2 sine mutatione.

Can. VI mihi videtur delendum: de futuribilibus nihil dicendum est.

---

[1] Cf. p. 179.
[2] Cf. p. 180.
[3] Cf. p. 180.

Can. VII, in pag. 6,[4] lin. 3, legatur: « proprium ritum », verbis « quem habent » deletis.

Can. IX. Ordo articulorum mutandus: « Pro rituum orientalium praeservatione constituendae sunt paroeciae personales quotiescumque fidelium numerus sufficiet ».

« Propria hierarchia constituenda erit ubicumque numerus paroeciarum postulaverit ad clerum gubernandum et iuvenum praeparationem ad sacerdotium procurandam ».

Can. XI, in pag. 7,[5] lin. 1, quid sibi vult locutio « Instituta similia »? Si agitur de Institutis saecularibus, vel de Societatibus presbyterorum sine votis, hoc aperte dicatur.

Card. RUFFINI: Pag. 4,[6] linn. 18 et 19: Mihi videtur non recte dici « ... qui fide, sacramentis et regimine uniri ... in particularibus Ecclesiis » cum praeter unitatem fidei, sacramentorum et regiminis, quarta servanda sit unitas, nempe *unitas communionis,* qua fideles universi inter se coniunguntur sicut membra unius corporis, quod est Ecclesia, non particularis, sed universalis.

Eadem pagina, lin. 22 et alibi incongrue omnino, ut opinor, promiscue adhibentur nomina *ritus* et *particulares Ecclesiae.*

Pag. 5 [7] ad III: loco vocabuli « aequalis » adhiberem « idem », saltem quando est sermo *de sanctitate ac dignitate;* idcirco dixerim « *eadem* pollent sanctitate ac dignitate ».

Pag. 5 ad VI: opinor non esse necessarium novos instaurare ritus, immo inopportunum esse.

Pag. 6, IX ad 2 « ... erigantur ad minus paroeciae personales pro variis ritibus ubicumque fideles alicuius ritus inveniantur... ». Quaero quot saltem debent esse fideles ut paroecia personalis erigatur? Occasione capta, fateor me non intelligere cur semper et ubique fideles cuiusvis ritus ab alio ritu frequentando se abstinere debeant. Si fideles, e. gr., alicuius ritus orientalis pauci sint, cur frequentare non possunt alium ritum, si in loco sit, non excluso ritu latino?

Card. LARRAONA: 1) Introductio solida et apta est, probatione digna (pp. 3-4).[8]

2) *Ad I* (De varietate « Rituum » in Ecclesia) (pag. 4).

a) 1. Textus, meo humili iudicio, aliquantulum confusus est. Definitio quam praebet *Ecclesiae particularis* contra mentem proponen-

[4] Cf. p. 181.
[5] Cf. p. 181.
[6] Cf. p. 180.
[7] Cf. p. 180.
[8] Cf. pp. 179-180.

tium applicari potest Dioecesi singulari, quae ceterum est Ecclesia particularis, hierarchiae iurisdictionis secundo membro respondens. 2. *Non distinguit Ecclesias particulares a Ritibus,* qui tamen sunt Ecclesiae particulares aliquibus peculiaribus notis distinctae.

b) Priora verba n. 2 (« Isti Ritus seu particulares Ecclesiae... differant ») (linn. 21-23) melius n. 1 transferrentur ad conceptum ritus figendum, reservato n. 2 ad unitatem Ecclesiae catholicae diversis Ecclesiis particularibus, Ritibus, Dioecesibus constantis sub Romano Pontifice B.ti Petri Successore et Christi Vicario.

c) Elementa pro nobis momentosiora et veluti essentialia Rituum sunt: 1. *Stricta unio hierarchica* sub Patriarcha, quae plures dioeceses, archidioeceses aliasque ecclesiasticas divisiones comprehendit; 2. *Coniunctio harum divisionum ecclesiasticarum* immediate inter se praeterquam regimine patriarchali etiam peculiari disciplina, liturgia, moribus.

d) *Fides* et *Sacramenta,* de quibus sermo fit in n. 1, sunt elementa christianis communia; non sunt elementa peculiaria nisi ex unione hierarchica, ex disciplina, ex liturgia peculiaribus.

3) *Ad III.* Sub n. 1 (p. 5).[9] Ad quaestiones elidendas potius dicerem: « Omnes Orientales Ritus qui in Ecclesia catholica sunt recogniti, aequali *coram Ipsa* sanctitate ac dignitate pollent, aequalibus communibus ligantur officiis, iuribus fruuntur, privilegiis gaudent »: ut non obscure indicetur hic agi et agi debere de foro externo ac sociali atque de iuribus, privilegiis ac obligationibus communibus, quae omnia non excludunt officia, iura atque obligationes magis peculiaria de quibus hoc loco sermo non fit, quae ceterum ius commune supponit atque confirmat, dummodo iuri communi non sint contraria vel ab ipso fuerint recognita (C.I.C. c. 4).

Sub n. 2 (p. 5). Dicerem « Nullus proinde Ritus ratione sui *coram Ecclesia catholica canonice praestat* ».

Sub n. 3 (p. 5). « Omnes Ritus, Romani Pontificis *iussu ac moderamine* eadem facultate gaudent ac ligantur officio cum Ipso in praedicatione Evangelii ac fidei diffusione, servatis ceterum servandis circa ministeria apostolica, extra proprios limites exercendi et hierarchiam ibi instituendi ». Redactio, prout proponitur, melius imprimis *doctrinae* respondere videtur quin ceterum ullo modo expansioni Rituum officiat quinimmo et ipsi faveat (cf. cc. 329 § 1 et 1327 § 1 cum fontibus C.I.C.; et cc. 216 §§ 1 et 2 (1°, 2°), 240, 248, 261, 262 et 392 C.I.O. cum fontibus - De Ritibus, Motu proprio *Cleri sanctitate,* 11-VI-1957).

---

[9] Cf. p. 180.

Ad IV. Ita corrigerem: « Summus Pontifex, etsi quatenus Urbis Romae et Romanae Dioeceseos Episcopus, ritum romanum habitualiter sectetur, prout est Beati Petri in Primatu super universam catholicam Ecclesiam Successor, nullo limitatur aut ligatur ritu et omnes pleno iure ubique exercere valet et potest.

Ad VI. Nihil quoad res notandum, forma limanda esset.

Ad VII. Modificatur can. 11 § 1 C.I.O., l. c. cuius en textus (an. 1957): « Baptizati acatholici qui in catholicam Ecclesiam admittuntur ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen est ut ritum proprium retineant ». Nunc in textu qui proponitur, imponitur obligatio « salvo iure recursus ad S. Sedem ». Relinqui etiam potest propositio quae certo non respondet plenae libertati in Codice latino, can. 98 §§ 1 et 2. Nisi fallimur sufficiebat illud « optandum tamen est ut proprium ritum retineant », citatae § 1 can. 11 C.I.O. cum cautelis § 2. Ceterum hic recursus qui conceditur nec Sedi Apostolicae nec baptizato amabilis esse potest.

Ad VIII. Respondet prorsus c. 8 §§1 et 2 C.I.O. Nulla in re difficultas esse potest. Si adsit, melius est ut confirmetur quia res pacifica esse deberet et debet.

Ad X. C. 4 C.I.O. l. c. addita clausula « collatis in periodicis conferentiis consiliis » cui, ut censeo, adhuc addi prudenter posset « et semper ac necessarium seu opportunum appareat ».

Ad XI et XII. Optime haec nova proponuntur, quae unioni ac mutuae cognitioni concurrere absque dubio poterunt.

Beat. SAIGH: Ce Schéma « de ritibus in Ecclesia » correspond aux idées que j'ai toujours défendues sur la situation et la mission des Eglises orientales catholiques au sein du Catholicisme. Je suis donc heureux d'*approuver entièrement la partie dispositive de ce Schéma.*

Je ferai seulement une *critique à un passage du préambule* (page 4, lignes 2 et 3) [10] où il est dit que l'Eglise catholique ne met d'autres limites à la reconnaissance et à l'expansion des rites orientaux que ceux « *quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati* ». Cette phrase, empruntée au IVe Concile du Latran, n'est pas heureuse. Il est indélicat, en effet, et d'ailleurs absolument faux de soupçonner seulement qu'il puisse y avoir dans les « rites orientaux » en tant que tels un « danger pour les âmes » ou une « dérogation à l'honnêteté ecclésiastique ». Les rites orientaux sont une partie intégrante de la tradition catholique. Il n'y a pas de rites hérétiques ou schismatiques.

---

[10] Cf. p. 180.

Même dans la discipline orientale il n'y a absolument rien qui constitue un danger pour les âmes ou une violation de l'honnêteté ecclésiastique. Cette phrase du IVe Concile du Latran rappelle trop, d'une part certaines expressions blessantes du Pape Innocent III contre les rites orientaux (p. ex. celle-ci: « ritus orientalium *in quantum cum Deo possumus tollerantes* »), d'autre part la mentalité de l'époque de la IVe Croisade... Il vaut mieux l'éviter, d'autant plus que tout le reste du préambule ne contient que des éloges pour les rites orientaux.

Card. TISSERANT: Nomina haereticorum quae sunt in certis liturgiis orientalibus scandalum dabant. Les noms des hérétiques qui figuraient dans un grand nombre de liturgies orientales causaient du scandale; et c'est pour ça que l'Eglise a voulu qu'on laisse ces noms dans la liturgie nestorienne, dans la liturgie monophysite, jacobite. C'est assez étrange l'allusion au Concile du Latran. C'est pour ça qu'on a demandé qu'on enlève dans des formules liturgiques les noms des personnages qui étaient des hérétiques. La parole « ritibus » n'est pas à prendre dans le sens tout à fait moderne, et que je dis faux, d'« églises particulières », mais est à prendre dans le sens de cérémonie ou de prière.[11]

Beat. SAIGH: Alors, approbation complète! [12]

Rev. BROWNE: 1) Minus placet terminologia in Schemate proposita secundum quam vox *Ritus* accipitur ut synonyma cum voce *Ecclesia particularis*. Vox *Ritus* potius accipitur, in communi loquela theologorum, ut quid *pertinens* ad *Ecclesiam particularem* etsi forte huius distinctivum.

2) Ad pag. 4,[13] linn. 15-20 proponerem novam redactionem par. I, n. 1, sic: « Sancta Ecclesia Catholica, corpus Christi mysticum coalescens fidelibus qui fide, sacramentis et regimine uniuntur *admittit tamen varietatem coetuum* sacram hierarchiam singulis propriam habentium et propriam quoque liturgiam seu Ritum ».

3) Ad pag. 5,[14] linn. 1-5 proponerem novam redactionem par. III, n. 1, sic: « Particulares Ecclesiae proprium Ritum habentes aequali iure participant Ecclesiae Catholicae sanctitatem, aequali quoque ratione fruuntur eius iuribus et privilegiis, aequali quoque ratione tenentur eius obligationibus iure divino exortis ».

---

[11] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[12] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[13] Cf. p. 180.
[14] Cf. p. 180.

4) Ad pag. 5,[15] linn. 12-16, pro paragrapho quarta proponerem hanc simplicem redactionem: « Romanus Pontifex nullo ritu particulari tenetur ».

5) Ad pag. 5, linn. 22-28, paragraphus VI non videtur necessaria, imo posset fieri incentivum pro quibusdam imprudentibus ad introducendum novitates in sacra liturgia in ordine ad fundandum novum Ritum.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: secundum quae scripsi.[1]

Card. MICARA: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: seu hac absoluta conditione, ut schema iuxta dicta ab Em.mis Cardinalibus Tisserant, Decano, Ruffini et Larraona integre reformetur et iterum huic Commissioni Centrali iterum subiiciatur.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: id est cum emendationibus propositis ab Em.mo Card. Tisserant.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: adhaereo scilicet animadversionibus expositis in primis a peritissimo Cardinali Decano et ab Em.mis Patribus Ruffini et Larraona atque a Patri Generali Ordinis Praedicatorum.

Card. LIÉNART: Placet.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: opportunum est ad vitandam confusionem, ut substituatur nomen « Congregationis Pro Ecclesia Orientali », hoc modo: « Congregatio pro Ritibus Orientalibus », vel « Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus », ut dicitur feliciter nunc « Commissio pro Ecclesiis Orientalibus ».

Card. COPELLO: Placet cum animadversionibus factis ab Em.mo Card. Tisserant et sine art. VI.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: iterum proponatur.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: i. e. post emendationes et coordinationem factam secundum Em.mum Cardinalem Tisserant aliosque Patres.

---

[15] Cf. p. 180.
[1] Cf. pp. 185-186.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut in canone VI « De formandis novis Ritibus » adiungatur: « cum approbatione Summi Pontificis » et in canone III demantur verba « atque aequalibus tenentur obligationibus ».

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[2]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu teneantur in consideratione observationes factae ab Em.mo Card. Decano.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet adhaereo his quae dicta sunt ab Em.mo Tisserant.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Em.morum Cardd. Tisserant et Cicognani.

Quando agitur de conservatione rituum, duo consideranda sunt:

Primo, quod peculiari studio tueri debemus diversos ritus in Ecclesia, quia illa diversitas pertinet ad thesaurum Ecclesiae; particulariter demonstrat catholicitatem Ecclesiae, respectat varietatem influxus Spiritus Sancti, in diversis regionibus et culturis humanitatis; et est maximi momenti pro reditu ad unitatem Ecclesiae omnium dissidentium.

Secundo, quod Christianus, pro seipso, habere debet aliquam libertatem, secundum particularia adiuncta in quibus versatur, seligendi ritum, vel transeundi ad alium ritum, quando hoc videtur necessarium pro conservatione vel incremento suae fidei. Diversi ritus vel Ecclesiae particulares sunt « propter homines » non e contrario. Sunt enim qui vivunt in regionibus diversis ab illa maiorum, qui habent linguam et culturam novam et non amplius participant in omnibus elementis quae originem dederunt ritui maiorum suorum. Immo, illi nullomodo cognitionem vel amorem habent culturae et ritus maiorum et, aliquando, definitive recusant adhaerere ad ritum quod non cognoscunt. In eisdem adiunctis et ob easdem rationes, acatholici saepe nolunt sese convertire ad Ecclesiam Catholicam si Ecclesia exigit quod fiant membri alicuius ritus quod non cognoscunt vel volunt. Credo quod, speciatim pro illis, obligatio recurrendi ad Sanctam Sedem si nolunt servare proprium ritum inutiliter difficultatem addit ad eorum conversionem.

Propono quod, in par. VII, praevideatur quod baptizati acatholici, etiam apostatae (quia reditus debet facilius reddi etiam pro apostatis), non cogantur contra eorum voluntatem adhaerere ritui quod nolunt.

[2] Cf. p. 186.

Propono quod, occasione conversionis, omnes etiam apostatae, habent facultatem seligendi ritum quod malunt.

Propono etiam quod, in par. VIII, inter causas ob quas solet concedi transitus ad alium ritum, expresse includantur conservatio fidei et unitas praxis religiosae in familia.

Propono etiam quod servatur privilegium mulieris seligendi ritum sponsi occasione vel durante matrimonio.

Card. CENTO: Placet, plene fisus tamen Commissionem « De Ecclesiis Orientalibus » rationem habituram esse de observationibus a praeopinantibus Patribus Cardinalibus prolatis, nec non a Reverendissimo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet iuxta modum: seu, cum hisce animadversionibus:

Ad art. I - Nonnulli obiciunt quod adhibeatur vox « Ecclesia » pro voce « Ritus ». Respondendum puto quod promiscue sumuntur hae voces ex veteri praxi; et revera receptae fuerunt a Summis Pontificibus (Benedicto XIV, Leone XIII, Pio XI, Pio XII, Ioanne XXIII in Encyclicis Litteris *Aeterna Dei*).

Ad art. III - Placet Orientalibus ut solemniter annuncietur rituum aequalitas, et ut excludatur praestantia alicuius ritus prae alio, ratione ritus qua talis: quod bonum videtur.

Maior tamen praestantia obvenire potest rationibus externis, e. gr. numero fidelium, meritorum, ordinamenti disciplinae, ordinis hierarchici, vitalitatis...

Brevior sit hic articulus et sine distinctione numerorum.

Ad art. V - Post verba « ubicumque sunt », haec addantur: « pro posse ».

Ad art. VI - Hic articulus omitti potest, cum perraro contingat quod proponitur; et tuto iam praevideri potest quod providens Mater Ecclesia omnem habebit sollicitudinem, ut egit nostris temporibus pro Malankarensibus, seu Syro-Monophysitis in Kerala.

Ad art. VII - « Non placet »; abrogare enim contendit seu extinguere legem promulgatam Motu proprio *Cleri sanctitati,* can. 11, § 1.

Ad summum stare posset pro acatholicis baptizatis qui in plagis orientalibus admitti cupiunt in Ecclesiam Catholicam; non vero pro iis orientalibus qui vivunt inter latinos in Occidente, praesertim si illic nati fuerint et ibi creverint. Experientia docet quod, cum iis declaratur ingressum faciendum esse in ritu orientali parentum seu maiorum, fere semper indignantur, omnino recusant et permanent extra Ecclesiam catholicam.

Hoc opponunt: se emigrasse ut vitam meliorem agere possent; omnia eis suppeditare auctoritates civiles loci pro meliori vita sociali; et quo iure Ecclesia pro sua parte negat, instando in huiusmodi restrictione, dum in Occidente ritus orientales catholici laborant maxima penuria cleri, absentia scholarum catholicarum etc. ...

Meo humili iudicio, servandus est memoratus can. 11 Codificationis orientalis, qui iure meritoque ac experientia magistra concinnatus fuit.

Si servandus videatur hic articulus VII, post verba « Baptizati acatholici », haec addantur: « in regionibus orientalibus »; et quidem de hac immutatione videndum esset, ut puto, in revisione Codificationis orientalis.

Ad art. VIII - Omitti potest Numerus 2, cum aliae adsint causae magni ponderis, prout « unitas familiae servanda ».

Ad art. IX - Numerus 2us inseri potest numero 1°, post verba « omnium rituum », seu: « erigendo paroeciae pro variis ritibus, et quidem » etc.

Ad art. X - Linea 3, loco « debent » dicerem potius « curent ».

Animadvertendum. Dispositum Art. VIII est can. 8 Motu proprio *Cleri sanctitati,* ipsis verbis; et dispositum art. X est can. 4 eiusdem Motu proprio.

Valde utilis tamen videtur haec solemnis confirmatio in Concilio Oecumenico.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet iuxta observationes factas ab Eminentissimo Cardinali Decano, et aliis Eminentissimis oratoribus.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet, ratione habita de animadversionibus praecipue ab Em.mo Cardinali Tisserant factis.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones Eminentissimi Cardinalis Decani et Reverendissimi Patris Magistri Generalis Praedicatorum.

Card. KÖNIG: Placet.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.mi Card. Tisserant et R. Magistri O. P.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis scilicet animadversionibus ab Em.mo Cardinali Decano, ab Em.mo Card. Cicognani et a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum prolatis.

Card. MUENCH: Placet.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: idest iuxta observationes factas ab Eminentissimo Cardinali Decano, et ab Eminentissimis Cardinalibus Ruffini et Cicognani, praesertim quoad numerum VI, qui mea opinione omitti debet, et quoad numerum VII secundum dicta ab Em.mo Card. Cicognani.

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: iterum proponatur.

Tueatur magis libertas fidelium mutandi ritum pro circumstantiis loci, praesertim pro iis qui stabiliter patriam proprii Ritus reliquerunt et inveniuntur in regionibus in quibus sacerdotes sui Ritus non adsunt. Et hoc etiam ad vitanda incommoda secutura ex diversitate legislationis.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: attentis quae proposita sunt ab Em.mo Cardinali Cicognani proponente in suo voto.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: sc. attentis praesertim animadversionibus Em.mi Card. Decani, Em.mi Card. A. Cicognani, Em.mi Card. Léger et Rev.mi Patris Browne Magistri Generalis O. P.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: cum animadversionibus Eminentissimi Patris Decani; sive quia per diversitatem Rituum Ecclesiae Catholicitas magis collustratur; sive quia, nostris temporibus, magis magisque Orientales cum Latinis ubique terrarum coniunguntur.

Attamen cum de Concilio Oecumenico agatur, cum Orientalibus et Latinis, advertenda censerem duo:

1) Iam in capite Schematis aperte proclametur eatenus Rituum varietatem Ecclesiarum Orientalium integram servari, quatenus *legitimae* uniuscuiusque traditiones recognoscantur. Ne inter Latinos Patres vexatae quaestiones denuo agitentur; nam Sancta Sedes abolere debuit nonnullos ritus latinos, quia, recentiores, arbitrarii aut infecti falsis doctrinis, non erant *legitimi*.

2) Videatur an melius in eodem unico Schemate tractetur et de ritibus et de usu linguarum vernacularum in liturgiis Orientalibus, sed de hoc usu, moderate ac breviter, ne in Ecclesia Latina sub praetextu praelaudati illius usus Ecclesiarum Orientalium exacerbetur vexata quaestio de linguis vernaculis in Liturgia Latina. Si isti et illi, cur non et nos?

Card. LARRAONA: Placet, ad mentem. Mens est ut emendetur iuxta observationes factas et iterum proponatur.[3]

Card. HEARD: Placet.

---

[3] Cf. pp. 186-188.

Card. BEA: Placet iuxta modum: etiam relate ad n. VI de novis ritibus. Posset enim accidere et probabiliter accidet, ut in casu conversionis « corporativae » aequum, immo necessarium sit concedere quaedam particularia circa « ritum », i. e. actiones liturgicas, nec deberet accidere, ut naufragaret illa conversio propter rem quae fidem et unitatem Ecclesiae non tangit. Quantum ad n. VII relinquatur omnibus *libertas* eligendi illum ritum quem praeferunt; recursus ad Sedem Apostolicam in hac re non videtur conveniens. Vox « ritus » adhibeatur tantum pro re Liturgica, non pro « Ecclesia orientali ».

Beat. SAIGH: Placet.[4]

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe: Art. VII coarctat vel saltem minuit libertatem personae. Ius naturae, fundatum in libertate, nobis videtur exigere ut persona eligere possit eam formam vitae spiritualis quam maluerit, dummodo ab Ecclesia adprobata sit.

Beat. CHEIKHO: Placet: considerentur ea quae dicta sunt ab Eminentissimis Cardinalibus et ab Exc.mis Membris huius Commissionis Centralis.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: prae oculis habitis animadversionibus Em.mi Cardinalis Ponentis.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: et secundum animadversiones ab Em.mo Relatore factas. Praesertim facilior reddatur fidelibus, e patria stabiliter egressis, transitus ad ritum in definitivae commorationis unice existentem, eo fine ut bono animarum melius consulatur.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet, iuxta animadversiones factas heri ab Eminentissimis Cardinalibus Decano et Ruffini et secundum observationes factas hodie a Rev.mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum et ab Eminentissimis Cardinalibus Cicognani, Ruffini, Léger et Ottaviani.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Em.mi Card. Decani et aliorum Patrum.

Exc. BERAS: Placet iuxta modum: id est cum emendationibus propositis ab Em.mis Cardinalibus Tisserant, Ruffini, Cicognani, Léger et Ottaviani.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: secundum observationes factas ab Eminentissimo Cardinali Tisserant, relicta tamen possibilitate novi Ritus instaurationis.

---

[4] Cf. pp. 188-189.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Eminentissimi Cardinalis Decani Tisserant et Eminentissimorum Cardinalium Cicognani et Léger.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: schema aliquatenus reformetur, et quidem nn. VII et VIII iuxta animadversiones Em.morum Patrum Cicognani, Léger et Ottaviani. N. VI de possibilitate formandi novos Ritus retineatur iuxta dicta ab Em.mo Frings.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes factas ab Em.mis Cardd. Tisserant, Larraona et Léger.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: scilicet iuxta emendationes factas ab Eminentissimis Cardinalibus Tisserant, Cicognani et Léger.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: habita scil. ratione animadversionum quas Em.mus Cardinalis Decanus, Em.mus Cardinalis Larraona et Rev.mus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum protulerunt.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimi Cardinalis Decani et Eminentissimi Ruffini.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae dicta sunt ab Eminentissimo Cardinali Decano et Reverendissimo Magistro Generali Fratrum Praedicatorum.

Exc. JELMINI: Placet.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: secundum observationes ab Eminentissimo Card. Cicognani et Em.mo Card. Léger factas.

Rev. GUT: Placet: num. IV de ritu Romani Pontificis mihi videtur superfluus, cum eius plena libertas per se pateat.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: iuxta observationes quas huic voto scripto adiungo.[5]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: scilicet ratio habeatur eorum quae exposuerunt Em.mi Cardinales Decanus et Hamletus Cicognani. Schema iterum proponatur.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: secundum emendationes propositas ab Em.mis Cardinalibus Tisserant et Hamleto Cicognani.

---

[5] Cf. pp. 189-190.

VI

DE PATRIARCHIS ORIENTALIBUS

(Quarta Congregatio: 18 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Romanus Pontifex, iure divino, et quidem directe et immediate a Christo Domino, Divino Ecclesiae Conditore, plenitudinem recepit potestatis regendi fideles totius orbis terrarum ad finem assequendum, qui Ecclesiae in terris est praestitutus.

Episcopi quoque, Apostolorum successores, ex divino iure, mediante tamen Romano Pontifice, plena pollent potestate in sua quisque eparchia gubernandi fideles in iis quae ad sanctitatem et salutem aeternam assequendam pertinent. Episcopi proinde ex eadem divina institutione aequalem inter se et parem cum ipso Romano Pontifice potestatem ordinis episcopalis habent. Si qua igitur potestatis diversitas inter Episcopos reperitur, ea in hierarchia ordinis non est nisi accidentalis vel ad hierarchiam iurisdictionis est referenda (Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 38, § 3; *Synod. Libanen.,* III, IV, *Coll. Lac.,* t. II, col. 289 sq., n. 4; Wernz-Vidal, *Ius Canonicum,* II, Romae 1943, n. 518).

Ex quo patet, ratione iurisdictionis ad sacram hierarchiam ex divina institutione duos tantummodo gradus pertinere, i. e. pontificatum supremum et episcopatum subordinatum, quibus, ex institutione ecclesiastica, alii gradus, supra-episcopalis nempe, quasi episcopalis et infra-episcopalis, successu temporum accesserunt (Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 38, § 3).

Patet etiam, Episcopos omnes iure divino aequales esse inter se quoad iurisdictionem et soli Romano Pontifici subici, ac neminem in alios superiorem auctoritatem exercere posse, nisi illam legitima consuetudine, aut expressa vel tacita concessione, aut legitimo consensu Summi Pontificis, ideoque iure humano obtinuerit.

Si autem legitimae consuetudines bene perpendantur, aut prae oculis iura habeantur, quae saeculorum decursu tacite vel expresse a Suprema Auctoritate concessa sunt et in canones sunt recepta, constat Patriarchis Orientalibus datam esse in Episcopos et christifideles potestatem ad normam iuris exercendam, cuius naturam Episcopi Melkitae, anno 1900, communiter hisce verbis declaraverunt: « Nos certissimum habemus, dignitatem patriarchalem non iure divino, sed tantum iure ecclesiastico constitutam esse, secus ac auctoritatem Romani Pontificis, quam solam agnoscimus divini esse iuris ac ceteris omnibus praestare. Huiusmodi enim auctoritas in universos terrarum orbis Episcopos exercetur, cum Iesus Christus Dominus Noster Petrum voluerit

Principem Apostolorum suorum fratrum, eique successores constituerit Romanos Pontifices, quos quidem Universae Ecclesiae praeposuit » (*Elenco dei privilegi patriarcali, presentato alla Propaganda dall'Episcopato Melkita nel 1900*. C. Korolevskij, *Studio di diritto comparato su l'odierna legislazione « de Patriarchis Orientalibus »*, Tip. Poligl. Vaticana 1936, P. III, p. 10).

Patriarchalis haec potestas canonibus sancita, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercenda, est potestas supra-episcopalis; immo, quaedam Pontificiae potestatis primatialis participatio dicenda est. Et proinde, ut talis maiore vel minore amplitudine gaudere potest, prout docet historia; quamobrem utpote institutum ecclesiasticum mutari, augeri vel minui potest.

Potestas igitur patriarchalis qua talis est proprie, formaliter et essentialiter potestas iurisdictionis institutionis ecclesiasticae, natura sua supra-episcopalis, vi cuius Patriarcha ex participatione Pontificiae potestatis propriam et ordinariam potestatem in alios Episcopos habet.

Hisce praemissis, ad quamlibet tollendam incertitudinem de patriarchalis potestatis natura et ad solidum quoddam eiusdem potestatis dignitatisque fundamentum constabiliendum, declarat Sancta Oecumenica Synodus quae sequuntur:

I. Nomine Patriarchae venit Episcopus cui canones tribuunt *iurisdictionem* in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitis, clerum et populum alicuius territorii seu ritus, ad normam iuris, sub auctoritate Romani Pontificis exercendam.

(Ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati*, can. 216, § 2, n. 1; sess. plenaria XXV, die 24-6-1961: unanimiter).

II. Secundum antiquissimum Ecclesiae morem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae, quippe qui amplissima potestate, a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data seu agnita, suo cuique Patriarchatui seu ritui tamquam pater et caput praesunt, eorumque iura atque privilegia, in bonum animarum, salva maneant.

(Ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati*, can. 216, § 1; sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter quoad textum, maioritate votorum quoad emendamenta).

III. In potestate vero hac patriarchali, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercenda, Patriarchae gaudent inter alia potestate: *a*) ordinationis, custodiae et tutelae ritus; *b*) vigilantiae et inspectionis in doctrinam, disciplinam, pietatem et mores; *c*) directionis et coordinationis activitatis pastoralis et apostolicae; *d*) recursus et appellationis; *e*) devolutionis et suppletionis, etc.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: maioritate votorum).

IV. Ut patriarchalis dignitas, quae ab antiquo Ecclesiae Catholicae ornamento fuit, in pristinum splendorem quantum fieri potest restituatur, Concilium exoptat ut Patriarchatus orientales magis magisque vigeant et floreant,

sive omni ope cleri populique ipsorum Patriarchatuum sive, praeterea, adiutorio totius orbis catholici et imprimis Sanctae Romanae Ecclesiae.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quoad textum primae partis: unanimiter; quoad secundam partem: maioritate suffragiorum).

V. Etsi Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium alii aliis tempore posteriores sint, deinceps omnes aequali erunt dignitate patriarchali, salva praecedentia honoris Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano a Conciliis Oecumenicis ab antiquo agnita.

(Sess. plenaria XXVII, die 27-6-1961: maioritate suffragiorum).

VI. Inter hos Patriarchatus, qui diversi quidem ritus, unius vero eiusdemque sunt tituli, praecedentiam obtinet qui prior promotus est ad dignitatem patriarchalem, et, si eodem tempore fuerint promoti, senior aetate.

(Art. ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 219, § 1, 2°, adiunctus in sessione plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

VII. Cum institutum patriarchale sit forma traditionalis et ingenio fidelium orientalium magis consentanea, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat, ut, si opus sit, novi erigantur in oriente Patriarchatus. Constitutio autem novorum Patriarchatuum, si id bonum Ecclesiae postulare videatur, Concilio Oecumenico vel Romano Pontifici reservatur.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

VIII. Quia bonum fidei christianae in vastissimis plagis Indiarum Orientalium efficacius propagandae id postulat, statuit Sancta Oecumenica Synodus ut Patriarchatus Orientalis Indiarum Orientalium quamprimum constituatur, cui titulum Ecclesiae et sedem residentiae Patriarchae, praemissis praemittendis, Romanus adsignabit Pontifex.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

IX. Patriarchatus latini titulares sedium orientalium supprimantur, nec in posterum amplius concedantur, salvo Patriarchatu Latino Hierosolymitano.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate votorum).

X. Ad bonum Ecclesiae in oriente efficacius promovendum, sacrosanctum Concilium exoptat ut unica sit in unoquoque territorio patriarchali auctoritas iurisdictionalis suprema, cui omnes sive Hierarchiae sive fideles cuiusvis ritus subordinentur, salva iurisdictione personali Hierarcharum cuiusvis ritus in proprios fideles.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: probatus maioritate suffragiorum).

XI. Sacrosanctum Concilium Romanum Pontificem rogat, ut, salva eius omnimoda libertate, Collegium Cardinalium aliquorum Patriarcharum Orientalium praesentia semper honestetur.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: maioritate suffragiorum).

XII. Sacrosanctum Concilium exoptat, ut Patriarchis Orientalibus, etsi dignitate cardinalitia non insignitis, ius concedatur ad electionem Romani Pontificis.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: maioritate suffragiorum).

XIII. Patriarchae qui non sint mere titulares, omnibus praelatis praecedunt, etsi dignitate cardinalitia insignitis, sive in proprio territorio sive extra proprium territorium, excepto Romani Pontificis legato qui dicitur *a latere.*

(Sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: maioritate suffragiorum: 11 ex 19).

* * *

Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudeant in proprio territorio etiam super Cardinalibus; extra proprium territorium, super omnibus locorum Hierarchis et Legatis Pontificiis, cardinalitia dignitate non insignitis.

(Art. in eadem sessione obtinuit: 6 vota ex 19).

* * *

Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudeant ubique terrarum super omnibus Hierarchis locorum et Legatis Pontificiis cardinalitia dignitate non insignitis.

(Art. in eadem sessione obtinuit: 2 vota ex 19).

ADD. – Studio benevolo submittatur, an non in dignitatem Sedis Patriarchalis sublevanda sit pro Ucrainis Catholicis Sedes ex antiquis temporibus clarissima Kioviensis.

(Propositio ad modum desiderii: sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: 13 ex 18 obtinuit vota, ut nomine Commissionis proponatur).

Studium fiat etiam de erigendo Patriarchatu pro Ecclesia Aethiopica.

(Propositio ad modum desiderii: sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: obtinuit 14 ex 18 vota, ut proponatur nomine Commissionis).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Status quaestionis. Commissioni de Ecclesiis Orientalibus quaestio maximi momenti visa est, quae Patriarchas Orientales respicit, propterea quod persaepe petitum est, ut figura iuridica Patriarcharum Orientalium in sua luce clarius poneretur. Nam ex modo intelligendi eorum privilegia, iura et « autonomiam », haud raro graves controversiae ortae sunt.

Iam Patres Nicaeni existimaverunt sedibus Patriarchalibus adnexam esse quandam participationem auctoritatis Sedis Apostolicae. Ac revera peculiares necessitudines inter Beatum Petrum et Sedes Alexandrinam et Antiochenam intercesserunt. Ex quo factum est, ut in praxi quaedam privilegia et facultates deinde evaserint propria harum Sedium, quae quidem usque adhuc Successores Beati Petri agnoverunt.

Supervacaneum adnotare est, hanc sic dictam « autonomiam » minime respicere res fidei, circa quas summa semper auctoritas Romanae Sedi tributa fuit. Agitur ideo de « autonomia » exclusive canonica.

Neque haec « autonomia » canonica significare potest plenam independentiam a Sede Romana; ceterum historia testatur, saeculorum decursu Romanos Pontifices auctoritatem suam interposuisse etiam in rebus mere disciplinaribus.

Manifesto denique patet, potestatem patriarchalem non ex divina institutione ortam esse, sicut de pontificatu supremo ac de episcopatu subordinato dicendum est, ad potestatem iurisdictionis quod attinet. Quod quidem aperte declarant tum Motu proprio *Cleri sanctitati* (can. 38, par. 3), tum ipsa verba Episcoporum Melchitarum, qui anno 1900 hoc clare asseveraverunt (cfr. Prooemium schematis).

Nihilominus, hac in re, saeculis labentibus, multae difficultates ac dissidia habita sunt; ac nostris etiam temporibus disputationes non defuerunt.

Harum difficultatum solutio viam quodammodo sternit ad alterum quaestionis aspectum pertractandum, qui respicit opportunitatem in suo proprio splendore ponendi iuridicam figuram Patriarcharum Orientalium.

Praecipua ratio, cur Orientales hoc instanter postulent, inde oritur, quod dignitas patriarchalis in Oriente longe aliter se habet atque in Occidente. Nam in Occidente dignitas patriarchalis geritur ab ipso Romano Pontifice, qui proinde etiam qua talis a christifidelibus honoratur.

Hoc autem dignitatis Patriarchalis incrementum, ut efficaci ratione obtineatur, necesse est ut ab ipsa Patriarcharum potestate proficiscatur. Ceterum haec est via atque ratio quam semper Sancta Sedes secuta est; quae quidem non solum Patriarchas Orientales maximo semper in honore habuit, verum etiam eorum amplissima privilegia agnovit, quorum praecipua latissimam potestatem eis tribuunt, quod attinet ad eligendos episcopos, ad novas dioeceses constituendas, atque ad iudicandum.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. TISSERANT: Qui in « Annuario Pontificio » nominantur Patriarchae triplicem originem habent. Antiquiores sunt quattuor illi, qui in primis conciliis oecumenicis citantur, iurisdictione gaudentes territoriali iuxta quattuor dioeceses civiles imperii Romani, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et Constantinopolitanus. Alii Hierarchae, qui iurisdictionem habebant ultra fines imperii proprium titulum habebant « catholici », sicut fuit pro Syris Orientalibus et Armenis. Caput Ecclesiae Armenae monophysiticae titulum « catholici » retinet et habet subiectos Patriarchas Constantinopolitanum et Ciliciae. Caeteri Patriarchae, Venetiarum, Lisbonensis, Indiarum Occidentalium et Orientalium titulum mere honorificum habent.

Cum Patriarchatus orientales, postquam sub dominatione Mohammedanorum fuerunt, nullas vel quasi nullas relationes cum Sede Romana habuerunt, in haeresi vel schismate vixerunt. Quapropter, tempore dominationis Francorum, Patriarchae Latini a Sancta Sede nominati sunt, qui parvo tempore tantum exstiterunt ut residentiales. Patriarcha Latinus Hierosolymitanus a. 1847 solus revixit.

Patriarchae Orientales catholici titulos gerunt Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum inter antiquiores, Babylonensem Chaldaeorum et Ciliciae Armenorum, iurisdictionem habentes territorialem et personalem, i. e. praesunt fidelibus tantum proprii ritus in territoriis Proximi Orientis. In Ecclesiis separatis crevit Patriarcharum numerus iuxta politicas divisiones, sed non omnes nationes Patriarcham habent. Si Patriarchae adsunt in Romania et Bulgaria, desunt in Grecia, in Cypro insula, in Polonia, ubi praesunt Archiepiscopi.

Nequit aliquis dicere quod titulus patriarchalis magis deceat in plagis orientalibus. Unde canonibus VII et VIII contrarius sum necnon additionibus in ima parte pag. 10.[1] Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus una Dioecesis est et Patriarcha nullam specialem iurisdictionem habet.

Sensus can. X non sufficienter declaratur. Status praesens certe dedecet, cum plures habent eumdem titulum, Alexandrinum vel Antiochenum. Sed idem status viget pro Dioecesibus, de quo alio in loco deceret loqui.

Nescio utrum deceat an non ut Concilium aliquid declaret de electio-

---

[1] Cf. p. 200.

ne Cardinalium, ut fit in Can. XI, nam Summus Pontifex solus responsabilitatem habet de compositione Sacri Collegii.

Ad can. XII nihil obicerem, si Patriarchae promittunt secretum servare iuxta praescriptum.

De praecedentia Patriarcharum, cum Leo XIII specialem Cardinalitiam Commissionem composuit et Patriarchas personaliter audivit, multum discussum est. Sufficiet, mea sententia, si Patriarchae Cardinales praecederint in templis proprii ritus Proximi Orientis. Patriarchae antiquiores nunquam habuerunt privilegia tam magna extra proprium territorium.

Card. FERRETTO: Quod ad nn. XI et XII:

In primis nescio utrum *Decretum Concilii Oecumenici* locum aptum sit ad petitiones Romano Pontifici porrigendas; secus haberetur quod Romanus Pontifex, Legislator Supremus, rogaret seipsum potius quam *decernere*.

Secundo: Ut Romanus Pontifex vere gaudere valeat omnimoda libertate in eligendis S. R. E. Cardinalibus, adhaerens his quae dixit Em.mus Cardinalis Decanus, censeo omittendum esse numerum XI; eo vel magis quod, uti feliciter prostat, nec desunt nec defuerunt, anteactis temporibus, S. R. E. Cardinales, qui Ritibus Orientalibus gaudent.

Tertio: Pariter censeo non esse hic locum agendi de gravissima re qualis est electio Romani Pontificis.

Ideoque omittendum numerum XII, praesertim ne differentia in disciplina eligendi Romanum Pontificem inter Praelatos Rituum Orientalium et Praelatos Latinos, qui Cardinalitia dignitate minime fruuntur, exurgere valeat.

Card. TAPPOUNI: Coram in oculis tam optatam unitatis christianae restitutionem habentes, ne inferiorem alioquin ostendant, prae separatis Patriarchis, conditionem catholici Patriarchae; opportunum valde videtur Concilium has magni momenti res, particulatim tractare:

1) Patriarcharum institutum antiquo restaurare splendore.

2) Patriarchis iam possessam et saepe amissam reddere iurisdictionem.

3) Ecclesiarum Orientalium sollemniter ius nativum legitimum declarare, et Earum Ritus in originis integritate potius tueri.

4) Patriarcharum, qui suas directe Ecclesias gubernant, personalitatem claris definire verbis.

Item optandum videtur, in nova codificatione orientali, terminis valde diminutis circumscribere casus in quibus Patriarcharum exercitium potestatis facultatibus indigeat.

Sanctae quoque Sedis directi interventus, in quaestionibus maioris momenti, utpote ad perfectam Ecclesiae unitatem et disciplinam servandam compellendi videntur: ita in fidei et morum argumentis; in electione episcoporum; firma Patriarcharum obligatione divulgandi Sanctae Sedis decreta, instructiones aliaque huiusmodi, necnon invigilandi ad eorum executionem, etc. etc.; ceteris ipsis Patriarchis cum Concilio aut permanente Synodo relictis, salvo semper iure Sanctae Sedis omni in casu interveniendi. Breviter, opportunum videtur, Patriarchas veluti propriis adhuc iuribus et privilegiis antiquitus traditis frui, secundum verba Benedicti Papae decimi quarti « De cetero fraternitatibus vestris intacta manere volumus iura omnia ac privilegia et liberum iurisdictionis vestrae exercitium » (*Demandatam,* 24-XII-1743); et Leonis Papae decimi tertii: « Nec enim quemquam fungere potest, quantum deceat et omnino expediat, apud Catholicos nullum dignitati Patriarchali deesse ex iis praesidiis ornamentisque quibus illa utitur apud dissidentes » (*Auspicia rerum,* 19-III-1896).

Relate demum ad iurisdictionis unificationem de qua in Schemate in articulo decimo, opportunum non videtur, saltem nunc temporis eam efficere.

Card. FRINGS: *Ad introductionem*: Expressio « mediante tamen Romano Pontifice » est formula nova; quaeritur, an habeat sensum dogmaticum, proinde semper et ubique sit et fuerit verificata, an sensum iuridicum, ideoque decursu temporum variabilem. In primo sensu sumptam negarem, in secundo concederem. Confer Concilium Vaticanum I: « ... ordinariae ac *immediatae* illi episcopalis iurisdictionis potestati... » (DENZ. 1828).

Ad expressionem « quaedam Pontificiae potestatis primatialis participatio » dico: *Non placet*.

Ad IX: Supprimatur etiam Patriarchatus latinus Hierosolimitanus.

Ad X: Quaeritur, quam et in quos iurisdictionem patriarchalem habeat, qui non est primus.

Ad XII et XIII: Patriarchae Orientales aequiparentur Cardinalibus quoad ius eligendi Summum Pontificem et omnia alia iura Cardinalibus propria; quoad praecedentiam dies electionis patriarchalis vel creationis cardinalitiae supputetur.

Card. RUFFINI: Pag. 6,[2] linn. 26 et 34. Dictio « *supra*-episcopalis » male sonat. Insuper puto non convenire cum rei veritate affirmationem: « Patriarchalem potestatem esse quandam Pontificiae potestatis prima-

---

[2] Cf. p. 198.

tialis participationem » cum Summus Pontifex dicatur Patriarcha Ecclesiae Occidentalis, non Ecclesiae universae, cuius est primas et caput. Nomen *Patriarchae* pro Papa est tantum titulus honoris ut sunt alii, sed non titulus iurisdictionis.

Pag. 8 [3] ad VII. Existimo esse supprimendum articulum totum; quod si substantialiter servetur, omittatur saltem id a Sancta et Oecumenica Synodo *exoptari*.

Pag. 9 [4] et subs. Articuli XI, XII, XIII mihi videntur omittendi. Multa enim quae his articulis sanciuntur, pertinent ad Summum Pontificem, cui libertas plena in rebus de quibus agitur est relinquenda. Cardinales Senatum constituunt Vicarii Iesu Christi, propterea unum quid sunt in pluribus cum Supremo Pastore; propterea ceteris omnibus praecedere solent.

Pag. 10.[5] De Patriarchatu pro Ucrainis et pro Ecclesia Aethiopica, pro mea parte dicam Patriarchatus qui sunt hodie maxima veneratione dignos esse, sed eos numero augere minime opportunum esse.

Card. Siri: Schema pertractat aliqua in canonibus VII-VIII-XII-XIII quae non tantum pertinent ad Orientales Ecclesias, sed ad totam Catholicam Ecclesiam. Breviter pertractare satago de his, quae in hoc schemate ad universalem seu Catholicam Ecclesiam pertinent. De Patriarchis orientalibus, uti hodie sunt in iure et in facto, non loquor et iisdem maximam reverentiam profiteor, hoc firmissimum habens nihil esse detrahendum ex iure quod ad eosdem sanctissimos praelatos pertinet.

Haec sunt quae in schemate pertinent ad totam ecclesiam:

1. Exoptat schema ut novi patriarchatus constituantur (VII-VIII).

Hoc pertinet ad organizationem Ecclesiae. Si agitur de locis in quibus fuit organizatio patriarchatus vel ubi praeminent acatholici qui habent patriarchalem organizationem, res est possibilis, quamvis agatur de negotio melius tractando in Commissione mixta. Si agitur de locis in quibus nec est nec fuit organizatio patriarchalis, res non videtur esse admittenda. Etenim non est necessaria, sicut experientia demonstrat (quia optime agunt coetus episcoporum cum suis praesidibus), induceretur complicatio et differentia perniciosa respectu aliarum nationum. Quod sint patriarchae a clarissima traditione probati nihil officit quia ratio historica iustificat; quod sint novi patriarchatus sine ratione historica

[3] Cf. p. 199.
[4] Cf. pp. 199-200.
[5] Cf. p. 200.

perantiqua et probanti induceret paulatim comparationes, appetitus et difficultates cuiuscumque generis. Censeo res esse consideranda, futura prospicientes ex his quae ab historia hausimus. Praeterea quia structura divina Ecclesiae constat in sua hierarchia solummodo episcopis, inter se omnino aequalibus et Romano Pontifici omnibus praestanti, ut res complicetur ratio debet esse gravis et evidens.

2. Immutatur aliquid de electione Romani Pontificis (art. XII).

Immutatio non ampliat solummodo numerum eligentium, sed variationem inducit in titulo iuridico quia titulus non amplius esset cooptatio in Collegium ad hoc specialiter deputatum, sed possessio alicuius sedis.

Immutatio est tam gravis ut res iterum atque iterum deberet explorari. Agitur de re maxime delicata, eo magis quia odiosa differentia induceretur respectu praesidum coetuum episcopalium praesertim magnarum nationum qui forte, sede apostolica vacante, non essent purpura ornati (et hoc potest accidere).

Alii aspectus rei deberent apte considerari sed practice non videtur quomodo hoc fiat utiliter cum, si meritum personae, sedis et circumstantiarum id postulent possint patriarchae a Summo Pontifici libere in sacrum Collegium cooptari. Nescio quomodo maneret libertas Summi Pontificis.

3. Inducitur aliqua immutatio canonis 239, par. 21 (art. XIII).

Haec immutatio non videtur convenire dignitati Sanctae Sedis. S. R. E. Cardinales quidquid sunt, qua tales, sunt ex reflexu Summi Pontificis cui assistunt in tota non in particulari Ecclesia regenda et quem generatim repraesentant in gerendis maioribus negotiis Ecclesiae universae, praesertim cum sacris dicasteriis praesunt, quibus in sua unaquaque materia largitur universalis competentia.

Card. CONFALONIERI: *Placet iuxta modum,* scilicet iuxta sequentia:

Pag. 8,[6] n. rom. VII: Prior periodus supprimatur; articulus incipiat a verbis: « Constitutio novorum Patriarchatuum... ».

Pag. 9,[7] n. rom. XI, lin. 18: Omittatur adverbium « semper », non quoad rei substantiam, sed quia potest incommoda procurare, plenam libertatem Summi Pontificis in re tanti momenti coarctando.

Articulus potest insuper temperari hac e. g. dictione: « Sacrosanctum Concilium difficultatem non videt si Romanus Pontifex, salva eius ... etc. ».

---

[6] Cf. p. 199.
[7] Cf. p. 199.

Pag. 9,[8] n. rom. XIII...: Ita circa positam quaestionem opinor:

1) Optandum esset ut Patriarchae iure praecedentiae iam ipsis recognito laetentur: scilicet ut in locis propriae iurisdictionis omnibus Hierarchis praecedant, exceptis Cardinalibus et extraordinario fortasse Legato Summi Pontificis. Tamen nulla obiectio ut ipsis concedatur, pro locis suae iurisdictionis, privilegium praecedentiae etiam super Cardinalibus, excepto Romani Pontificis Legato « a latere ».

2) Tamen, si maximus honor Patriarcharum nunc unica sit conditio « sine qua non », id est, absolute necessaria ad unitatem Ecclesiae perficiendam, libentissime ipsis agnoscatur vel tribuatur; nam Ecclesiae unitas, a Christo Domino corde tam adprecata, indiscutibiliter plus valet quam Cardinalium praecedentia.

3) In hac hypothesi, ex una parte dilectissimi Orientales Fratres considerare velint exteriores Cardinalium honores inductos esse, non intentione aliqua offendendi privilegia vel iura Orientalium Patrum, sed temporum et circumstantiarum, praesertim inde a saeculo XII, historico quodam processu, utique Ecclesiae Occidentalis proprio, sed omnino independenter a situatione Orientalium Ecclesiarum, quae tunc, iam inde a saec. XI, communionem cum Ecclesia Latina amiserant. Ex altera parte Occidentales Patres considerare benevolentissime velint historicas et simul psychologicas condiciones Fratrum Orientalium, et insuper Oecumenicorum Conciliorum priorum temporum maiestatem.

Duo ecclesiastica Instituta ergo, primi millennii unum, secundi millennii alterum, in Ecclesia legitime extant et eminent. Amice igitur componantur hinc inde rationes; ac revera eas componi posse mihi humillime videtur.

4) Exemplum imprimis afferam, minimum quidem sed ad rem nostram non inutile. Doctores Bibliothecae Ambrosianae privilegium habent, etsi Canonici non sunt, incedendi et sedendi una cum Canonicis Basilicae Sancti Ambrosii in urbe Mediolanensi existentis. Est ergo consideranda propositio ut Patriarchae Orientales, in antedicta hypothesi, praecise qua Patriarchae sunt (id est, simpliciter ut tales, independenter scilicet ab eventuali dignitate cardinalitia, qua ex libero beneplacito Summi Pontificis insigniri aliqui saltem possint), qua Patriarchae sunt, dico, procedere et sedere una cum Cardinalibus videantur.

5) Qua possibilitate supposita, ad praesignandum materialem locum, meminisse iuvat Cardinales omnes pares in dignitate esse, etsi unus post alium necessario locum habent: libenter ergo et Patriarchae iisdem invincibilibus exigentiis sese accommodare pergant.

Ad praecavendas vero incertitudines et contentiones expedit ut vi-

[8] Cf. p. 200.

gilantissimis Caeremoniarum Magistris modus seu regula iam indicetur agendi. Sit ergo — si Vobis, colendissimi Patres, placuerit — hic ordo, exempli tantum gratia, circa materialem locum servandus.

Primus ex quattuor Patriarchis conciliaribus seu primitivis (ita dicam ad brevius loquendum), qui conventibus sint praesentes, locum habeat alterna vice ante vel immediate post Cardinalem Decanum Sacri Collegii; reliqui ex quattuor locum habeant ante postremum Cardinalem ex ordine Episcoporum; Patriarchae adaucti seu tempore posteriores (si adprobetur n. V Schematis nobis propositi de Patriarcharum aequalitate) locum habeant inter Cardinales ex ordine Presbyterorum et Cardinales Diaconos.

Venerabiles huius sacri consessus Patres velint benigno vultu his quae dixi indulgere, sincera mente ductus remedium aliquod inveniendi ut tandem aliquando, si Deo placuerit, unitas illa fiat Catholicae Ecclesiae, quae per tot saecula ab omnibus fidelibus ardentissimo animo in Christo Domino desideratur.

Card. OTTAVIANI: Ad XI: Supprimatur: non est bonum coarctare libertatem Romani Pontificis in seligendis Cardinalibus; ei fidendum est. Ideo saltem superfluum esset et non spectat ad Concilium.

Ad XII: Supprimatur: si hodie aperitur porta Patriarchis non Cardinalibus cras haec porta, ut solet fieri, fiet magnum ostium per quod intrabunt vel conabuntur intrare v. g. Archiepiscopi magnarum urbium, expertes dogmatis et iuris. Igitur nihil innovetur quoad electionem Romani Pontificis quae a saeculis procedit sine strepitu et cum interna quiete fit ob prudentes regulas quibus a saeculis regitur.

Ad XIII: Non est derogandum dignitati Cardinalium etiam ob principium doctrinale: quia ipsi sunt administri Supremi Pontificis et ad regimen universale Ecclesiae cum eo adlaborant et quodammodo de Summi Pontificis dignitate participant. Est implicita et indirecta adfirmatio primatus Papae. Ceterum incommoda consequerentur quae mira certe essent plebi christianae v. g. Patriarcha Coptorum cuius iurisdictio exercetur solummodo in 27 presbyteros et minus quas triginta milia fidelium, praecedentiam habere deberet super Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem vel Cicagien. qui supra miliones fidelium iurisdictionem exercent. Habenda est ratio non tantummodo historicarum condicionum primorum saeculorum, in re humana et mutabili, sed potius hodiernarum realium circumstantiarum. Igitur res maneat prout statuta est in Codice Iuris Canonici sive latino sive orientali.

Beat. SAIGH: *J'approuve dans son ensemble ce Schéma,* qui est de la plus grande importance pour l'avenir de l'union des Eglises. Les

droits qui y sont revendiqués pour les Patriarches catholiques orientaux ne visent pas leur humble personne, mais leur mission. De la façon dont l'Eglise catholique traite ces Patriarches catholiques orientaux, l'orthodoxie conclura à la façon dont ses Patriarches seront traités dans le catholicisme le jour où l'union pourra se faire.

J'ai cependant *quelques critiques à faire* aussi bien au préambule qu'à la partie dispositive:

A) *Le préambule,* me semble-t-il, doit être refait. En premier lieu, ces lignes, destinées en principe à introduire et à justifier les droits reconnus dans la suite aux Patriarches, semblent vouloir plutôt minimiser ces droits, comme si l'on craignait qu'ils ne fussent une entorse à ceux du Souverain Pontife. Le but de ce préambule n'est pas clair. Il cache inutilement des sous-entendus. Non seulement les droits des Patriarches ne lèsent pas ceux du Souverain Pontife, mais ils les corroborent. « Honor meus in honore fratrum meorum », disait le Pape S. Léon. Aussi la rédaction de ce préambule apparaît plutôt compliquée. Voici quelques exemples:

1) Page 5,[9] ligne 6: « Episcopi quoque, Apostolorum successores, ex divino iure, *mediante tamen Romano Pontifice,* plena pollent potestate... ». Cette intervention ou « médiation » du Pontife Romain dans la transmission du droit divin aux évêques nous semble contraire à la tradition de l'Eglise. Je crains qu'elle ne prête à confusion et que certains ne veuillent lui donner un sens qu'elle n'a pas, p. ex. celui de dire que tout pouvoir dans l'Eglise émane immédiatement et exclusivement du Pontife Romain.

2) Page 6,[10] lignes 1-4: « Si autem... prae oculis iura habeantur, quae saeculorum decursu *tacite vel expresse a Suprema Auctoritate concessa sunt...* ». Ce membre de phrase prête aussi à équivoque. L'institution patriarcale n'a pas dépendu toujours et exclusivement d'une concession tacite ou expresse du Souverain Pontife. Elle a été aussi le fait des conciles œcuméniques, comme le reconnaît le n. II du Schéma proposé: « quippe qui amplissima potestate, a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data seu agnita... ». Or le Concile œcuménique, même s'il requiert la confirmation du Pape, n'est pas une seule et même autorité avec lui. L'expression « Suprema Auctoritas » désigne d'ailleurs dans le droit canonique aussi bien le Pontife Romain que le Concile œcuménique. Il serait bon d'éviter l'équivoque en clarifiant la pensée.

---

[9] Cf. p. 197.
[10] Cf. p. 197.

3) La même équivoque se retrouve un peu plus loin, page 6,[11] lignes 35-36, où le Patriarche est dit avoir un pouvoir supra-épiscopal « *ex participatione Pontificiae potestatis* ». En un sens, il est vrai de dire que les Patriarches, en tant que chefs d'Eglises particulières, participent en quelque sorte à la sollicitude universelle du Pontife Romain. Mais veut-on dire aussi que tout pouvoir supra-épiscopal, qu'il soit métropolitain, primatial ou patriarcal, est nécessairement une émanation ou une délégation du pouvoir suprême du Souverain Pontife?

L'auteur du préambule semble vouloir consciemment glisser vers une théorie, nullement définie, — et qu'il n'est pas opportun de définir ou même d'encourager aujourd'hui, — selon laquelle tout pouvoir dans l'Eglise serait une délégation ou une émanation du pouvoir du Pontife Romain.

B) *La partie dispositive* me paraît bien rédigée, et *je l'approuve, sauf les points suivants*:

1) Ad n. IX - Il est anormal et préjudiciable à l'œuvre de l'union des Eglises que les sièges patriarcaux de l'Orient soient occupés par des titulaires latins, même simplement honoraires. Ainsi l'Article IX propose de supprimer tous les patriarcats latins titulaires de sièges orientaux, mais, *illogiquement,* fait exception pour le patriarcat latin de Jérusalem dont il recommande le maintien. Nous dirions au contraire que c'est le patriarcat latin de Jérusalem qui doit être surtout supprimé. Ce patriarcat, fondé par les Croisés en 1099 selon la mentalité de l'époque, a disparu avec leur domination en 1273. Il n'a été restauré, comme siège résidentiel, qu'en 1847 par le Pape Pie IX. Depuis lors, et contrairement à la volonté expresse et plusieurs fois manifestée des Souverains Pontifes, ce patriarcat a essayé de toutes ses forces de latiniser les orientaux, soit orthodoxes soit catholiques, ce qui a constitué un démenti pénible aux déclarations des Papes promettant aux orientaux qui reviendraient à l'union de n'avoir pas à se latiniser. Notre patriarcat a longuement exposé son point de vue sur cette question dans une brochure intitulée: « Catholicisme ou Latinisme? A propos du Patriarcat latin de Jérusalem », Harissa (Liban) 1961. Qu'on veuille bien s'y référer pour plus ample information.

2) Ad n. X - Cet Article me paraît irréalisable et, dans les circonstances actuelles, nuisible. En effet, étant donné la mission de chaque Eglise orientale catholique, il paraît difficile de réduire, sur le même territoire, les sièges patriarcaux à un seul, comme il est difficile et nuisible de réduire les rites à un seul. Le fait qu'il y ait deux ou trois titulaires catholiques sur le même siège patriarcal est une donnée historique qu'il

[11] Cf. p. 198.

est difficile d'éviter maintenant. Il vaut mieux l'accepter telle quelle, l'organiser et essayer d'en tirer profit, en la considérant comme une division du travail plutôt que comme une dispersion des forces. Les inconvénients de cette situation peuvent être atténués s'il y a franche collaboration entre les Patriarches. Cela dépend des personnes plutôt que de l'institution elle-même. Dans tous les cas, ce phénomène est propre surtout au siège d'Antioche. Par ailleurs, là où il y avait depuis toujours un Patriarche catholique unique, comme à Jérusalem, le Saint-Siège a doublé la hiérarchie, en restaurant le patriarcat latin de Jérusalem. Le dédoublement n'est donc pas toujours la faute des orientaux. *Je rejette donc entièrement cet Article comme prématuré, irréalisable et nuisible.*

3) Ad n. XI - Cet article ne peut être accepté et il n'est pas de l'intérêt de l'Eglise catholique qu'il soit accepté. Si l'on comprend bien ce qu'est un Patriarche dans l'Eglise catholique, on ne doit ni souhaiter ni permettre qu'il devienne Cardinal, même à simple titre honorifique. Pour honorer l'institution patriarcale, point n'est besoin d'en faire une annexe. Elle a, dans l'Eglise catholique, une dignité suffisante par elle-même. Elle doit lui être conservée telle que les siècles l'ont définie.

4) Ad n. XII - En soi, il est contraire à la tradition ecclésiale que les Patriarches d'Orient participent à l'élection du Pontife Romain. Mais comme la tradition a été changée dans le sens d'une plus grande centralisation, de telle façon que le Pontife Romain intervien désormais dans la confirmation des Patriarches et, assez souvent même dans leur élection ou leur nomination, on peut admettre cette autre nouveauté que les Patriarches orientaux participent à l'élection du Pontife Romain. D'autre part, si, comme il est prévu à l'Art. XIII, on considère les Patriarches orientaux comme étant d'un grade supérieur à celui des Cardinaux, il est normal qu'ils soient les premiers aussi à participer à l'élection du Père commun de l'Eglise. En ce sens *j'approuve l'Article XII.*

5) Ad n. XIII - Cet Article propose trois rédactions, relativement à la préséance des Patriarches. *Seule la première rédaction,* qui maintient aux Patriarches le premier rang dans l'Eglise après le Pape, nous paraît conforme aux décisions des Conciles œcuméniques et à l'intérêt bien entendu de l'union. *Je rejette les deux autres rédactions,* et je souhaite qu'une décision soit prise en ce sens dès avant l'ouverture du Concile, afin que la présence des Patriarches catholiques de l'Orient ne tourne pas au désavantage de l'œuvre de l'union.

I. *Patriarcat et Cardinalat*:

Le patriarcat et le cardinalat sont deux institutions d'ordre différent. Un Patriarche est un chef d'Eglise particulière, généralement titulaire d'un siège apostolique. Selon les décisions des conciles œcuméni-

ques, l'Evêque de Rome, en plus de sa priorité universelle dans l'Eglise, est aussi considéré comme le Patriarche de l'Occident, le premier des cinq Patriarches classiques de l'antiquité. Après le Pape considéré comme Patriarche d'Occident, viennent par ordre de priorité, les Patriarches de Constantinople, d'Alexandrie, d'Antioche et de Jérusalem. Plus tard se sont constitués en Orient d'autres patriarcats, dits mineurs, et en Occident des patriarcats purement honorifiques.

Quant aux Cardinaux, ils furent à l'origine les auxiliaires immédiats du Pape en tant qu'évêque de Rome (Cardinaux-prêtres et cardinaux-diacres) ou en tant que métropolitain de la province romaine et Patriarche d'Occident (Cardinaux-évêques suburbicaires).

Au temps ou l'Orient et l'Occident étaient unis, il ne pouvait venir à la pensée de personne que ces auxiliaires immédiats du Pontife Romain pussent éclipser les titulaires des autres sièges patriarcaux d'Orient.

Puis, peu à peu, les Cardinaux sont montés dans la hiérarchie de l'Eglise, jusqu'à rejeter à l'arrière-plan même les primats des Eglises d'Occident. Mais cette montée du cardinalat s'est produite au moment ou Occident et Orient étaient en scission.

Lorsque des unions partielles se furent réalisées entre l'Eglise Romaine et la plupart des Eglises orientales, la question se posa de savoir quels sont les rapports de priorité entre les Patriarches catholiques d'Orient et les Cardinaux, promus, entretemps, au faîte de la hiérarchie en Occident.

Une double question se pose: la première est de savoir qui des Patriarches ou des Cardinaux doivent avoir la priorité dans la hiérarchie de l'Eglise catholique; la seconde est de savoir s'il convient que des Patriarches orientaux soient faits, de par le libre choix du Souverain Pontife, Cardinaux.

A la première question, à savoir l'ordre de préséance entre les Patriarches d'Orient et les Cardinaux, la Commission des Eglises orientales a répondu en votant à la majorité en faveur de la priorité honorifique des Patriarches d'Orient. Je prie les vénérables membres de cette Commission de ratifier le Schéma qu'elle nous a présenté dans ce sens. Il ne s'agit pas d'une question personnelle d'amour-propre ou de prestige humain. S'il ne s'agissait que de notre humble personne, nous ferions plutôt en sorte que personne ne nous ravisse la dernière place dans l'Eglise. Mais l'orthodoxie est aux écoutes. Le Saint-Père veut dans ce Concile préparer les voies de l'union chrétienne. Si les Patriarches orthodoxes d'Orient désiraient aujourd'hui l'union, nous devrions pouvoir leur montrer que l'Eglise Catholique leur réserve toujours la place qui leur revient par décision des conciles œcuméniques et par les promesses formelles des Papes. En outre, il n'est pas normal que les Car-

dinaux, qui sont les Auxiliaires et les fils du Pape, passent avant les Patriarches qui sont frères sur les sièges apostoliques.

A la seconde question, à savoir s'il convient que des Patriarches d'Orient deviennent des Cardinaux, je crois, contrairement a l'art. XI du Schéma qui nous est proposé, qu'on doit répondre par la négative. En effet, si l'on comprend bien ce qu'est un patriarche dans l'Eglise catholique, on ne doit, à notre humble avis, ni souhaiter ni permettre qu'il soit fait Cardinal. On ne doit pas le souhaiter, car de par le fait même qu'il est Patriarche, il jouit dans l'Eglise catholique d'un rang éminent, comme nous l'avons dit plus haut. On ne doit pas non plus le permettre, car il est impensable qu'un Patriarche devienne diacre, prêtre ou même évêque suffragant de l'Eglise Romaine. Même si ces titres sont purement honorifiques et ne répondent plus à la réalité il reste anormal qu'un Patriarche, chef d'Eglise, devienne membre du clergé d'une autre Eglise.

Mais rien n'empêche naturellement qu'un prêtre ou un simple évêque de l'Eglise orientale ne devienne Cardinal, comme jadis Bessarion ou Isidore de Kiev.

Il y a aujourd'hui dans l'Eglise catholique un courant nouveau tendant à revaloriser l'institution patriarcale. Or, le moyen le meilleur est encore de respecter le sens du patriarcat en Orient, de sauvegarder sa place authentique et de reconnaître ses droits légitimes.

En cela, on ne doit pas considérer le nombre des fidèles soumis à chacun des sièges patriarcaux ou l'efficacité de leurs Eglises respectives. Les critères du nombre et de l'efficacité ne sont ni les seuls ni les plus importants dans l'Eglise catholique, autrement l'archevêque de New York, ou de Paris, ou de Malines devrait passer avant tous les évêques suburbicaires, qui régissent des diocèses beaucoup moins importants.

En réalité, nous savons que l'Eglise chrétienne a une dette de reconnaissance envers ces grands sièges d'Orient qui ont répandu l'Evangile en Asie, en Afrique et même en Europe, et une dette de respect à l'égard des sièges fondés par les Apôtres. Voila l'origine des droits et privilèges des grands Patriarches d'Orient.

II. *Patriarcats latins de sièges orientaux*:

Aujourd'hui, dans l'Eglise latine d'Occident, il y a une double série de Patriarches: Patriarches latins de sièges occidentaux, comme Venise, Lisbonne et Goa, et Patriarches latins de sièges orientaux, tels que Constantinople, Antioche et Jérusalem.

Sur les Patriarches latins de sièges occidentaux (Venise, Lisbonne, Goa), je n'ai rien a dire.

Quant aux Patriarches latins qui occupent des sièges orientaux, je

dois distinguer ceux qui sont purement titulaires, comme ceux de Constantinople et d'Antioche, et celui de Jérusalem qui a été de nouveau rendu résidentiel en 1847.

En soi, il est anormal et préjudiciable à l'œuvre de l'union des Eglises que les sièges patriarcaux d'Orient soient occupés par des titulaires latins. En effet, ces titres patriarcaux latins furent créés au moment des Croisades, à la faveur de la domination politico-religieuse des Francs en Orient. En particulier, la survivance d'un patriarcat Latin de Constantinople est ressentie très douloureusement par nos frères orthodoxes qui ne peuvent oublier les excès de la IVeme Croisade. D'ailleurs le Saint-Siège Romain semble vouloir préparer la suppression pure et simple de ces titres, puisque depuis quelques années déjà, il laisse ces sièges sans titulaires. Je crois donc que la suppression de ce patriarcats latins honorifiques de Constantinople et d'Antioche ne fait pas grande difficulté.

Par contre, le Schéma qui nous est présenté, dans la deuxième partie de l'Art. IX, voudrait que l'on fasse exception pour le patriarcat latin de Jérusalem et qu'on maintienne sur ce siège très oriental un titulaire latin, non seulement honorifique, mais même résidentiel, comme il l'est aujourd'hui.

Ici je prie instamment les vénérables membres de cette Commission de ne pas considérer ce que je vais dire comme une question personnelle. J'ai ici, a côté de moi, S. B. Mgr Gori, le digne et très vénéré titulaire de ce patriarcat latin de Jérusalem, dont je voudrais demander la suppression, naturellement de la manière et dans le temps que le Saint-Siège Romain jugera opportuns. Sa Béatitude Mgr Gori, titulaire de ce siège, est notre confrère et notre ami. Ce qui va être dit de ce siège ne concerne nullement sa chère personne, que nous aimons et respectons a cause de sa dignité et de ses qualités remarquables, comme cela ne concerne pas non plus notre pauvre personne, qui a déjà un pied dans la tombe. Il s'agit là d'une question supérieure de principes qui affectent au plus haut point l'existence de l'Eglise catholique en Terre Sainte.

J'estime donc devant Dieu qu'il est illogique et nuisible au bien de l'Eglise catholique et au progrès de l'union de faire une exception en faveur du patriarcat latin de Jérusalem. Ce patriarcat latin du siège oriental le plus vénérable, celui de Jérusalem, doit être supprimé. Le patriarcat de Jérusalem doit être catholique, mais pas latin. Il doit rester oriental.

Le patriarcat latin de Jérusalem a été créé par les Croisés en 1099, à la faveur de la domination franque en Palestine. Il répondait à la mentalité de l'époque, selon laquelle à domination latine devait correspondre une hiérarchie latine. De fait, quand la domination latino-fran-

que cessa en 1273, par la chute de Saint-Jean d'Acre entre les mains des musulmans, le patriarcat latin de Jérusalem a également cessé d'exister. Il est devenu un titre purement honorifique, jusqu'en 1847, date à laquelle, pour des raisons politico-religieuse qu'il serait trop long de développer ici, le Pape Pie IX a jugé de le restaurer comme siège résidentiel.

Depuis lors, et contrairement à la volonté expresse des Souverains Pontifes, le patriarcat latin de Jérusalem a latinisé les orientaux, orthodoxes et catholiques, au lieu de les laisser dans leur rite oriental.

La présence de ce patriarcat latin à Jérusalem ne peut plaire aux Orientaux, leur rappelant la période de la domination franque et de l'exil de leurs propres Patriarches. C'est, quoi qu'on fasse, un patriarcat étranger. Dans les temps actuels, il ne faut pas que nous soyons, nous catholiques, les derniers a ouvrir les yeux. Ce qui se passe actuellement dans les pays afro-asiatiques est de nature à nous faire comprendre qu'il est bon pour l'Eglise catholique d'être partout représentée, non seulement par une hiérarchie locale, mais aussi par un rite local, surtout si ce rite est de la plus haute antiquité, répondant au génie et aux exigences du peuple pour lequel il a été fait. Tous les peuples acquièrent aujourd'hui leur indépendance. Faut-il que l'Eglise, pour des raisons humaines, soit la dernière à tirer parti de cette leçon de l'histoire?

La latinisation de l'Orient, entreprise par le patriarcat latin de Jérusalem, constitue enfin un démenti pénible aux déclarations formelles des Papes promettant aux Orientaux qui reviendraient à l'unité de n'avoir pas à se latiniser.

Si les orientaux peuvent être catholiques sans devenir latins, je le demande: pourquoi alors maintenir en Orient, et en plein xxe siècle, et en pays musulman, un patriarcat latin occidental qui ne peut vivre qu'en latinisant aux dépens de l'Eglise orientale.

Pour toutes ces raisons, je dois à ma conscience et à ma fidélité au Christ de demander de deux choses l'une: ou que le patriarcat latin de Jérusalem ne fasse pas exception dans la mesure générale qui nous est proposé de supprimer tous les patriarcats latins d'Orient, ou que cette question ne soit pas traîtée par le concile œcuménique, mais qu'elle soit laissée au jugement du Saint-Père, lequel, par la grâce qui lui est donnée, verra quelle mesure opportune il convient de prendre selon les exigences variables du temps. Il s'agit, en définitive, d'une question purement administrative que les conciles œcuméniques n'ont pas l'habitude de traîter.

Par ailleurs, ce que je demande, c'est la suppression du patriarcat latin de Jérusalem en tant que patriarcat, et non pas la suppression du

rite latin ou de la communauté latine en Terre Sainte. L'Orient est hospitalier à tout le monde. Loin de là, je souhaite au contraire que la présence latine en Terre Sainte soit plus vivante et plus forte encore, sans qu'il soit nécessaire que celui qui dirige cette communauté latine en Terre Sainte soit revêtu de la dignité patriarcale. Le patriarcat de Jérusalem est un patriarcat oriental, et j'estime qu'il doit rester oriental.

Beat. Gori: Quoniam quaestio agitata est circa existentiam Patriarchatus Latini Hierosolymitani, contra votum Commissionis pro Ecclesiis Orientalibus, aliquid addere debeo.

Erectio, suppressio vel divisio dioecesis non videtur mihi materia Concilii Oecumenici.

Personaliter loquendo hoc argumentum non multum mea interest. Revera, Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus restitutus est uti sedes residentialis anno 1847 a Sancta Sede ob rationes nimis notas. Sanctam Sedem propterea hoc argumentum respicit et interest. Ideoque cum maiore respectu huiusmodi subiectum tractandum esset, id mihi videtur.

Si tamen personaliter haec materia parum mea interest, experientia 43 annorum in Syria et praesertim in Terra Sancta me docuit quod si Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus uti residentialis non existeret, restituendus esset quam primum, et quidem propter sequentes rationes:

1. Terra Sancta est terra Redemptionis totius generis humani proinde est terra omnium rituum, etiam ritus latini;

2. Est quaedam coniunctio nunc inter situationem politico-internationalem Locorum Sanctorum seu Terra Sancta et Patriarchatum Latinum Hierosolymitanum et hoc propter particulare regimen Locorum Sanctorum quod vocatur regimen « Statu Quo »;

3. In Terra Sancta inveniuntur omnes ritus: catholici et non catholici:

a) Ritus antiquior fuit ritus syriacus et quidem per diversa saecula, quamvis usus sit lingua graeca in centris maioribus;

b) Ritus constantinopolitanus introductus est in Syriam saeculo XIII; in Terram Sanctam sero, probabilius saeculo XVI, post adventum Turcarum;

c) Ritus latinus nunquam abfuit in Terra Sancta: adhibitus est liturgice a saeculo IV ad saeculum X; hierarchice autem instauratus est a Crucesignatis anno 1099 usque ad 1291. Post eos, ab anno 1333 adhibitus est sine interruptione a Custodia Terrae Sanctae Patrum Franciscanorum qui successionem Crucisignatorum coeperunt et Loca Sancta Ecclesiae Catholicae servaverunt;

d) Spatio unius saeculi, Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus plus quam 45.000 dissidentium in sinum Ecclesiae Catholicae duxit (absque iis — circiter 30.000 fideles — qui emigrarunt). Hoc demonstrat quod Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus non est impedimentum et obstaculum reditus orthodoxorum.

Insuper, Patriarchatus Hierosolymitanus Orthodoxorum, in opusculo, edito anno 1959 uti responsio ad convocationem Concilii Oecumenici Vaticani II, ubi enumerat impedimenta et obstacula ad unionem cum Ecclesia Catholica nullam mentionem facit de Patriarchatu Latino Hierosolymitano. Idem in « Conférence orthodoxe de Rhodes » mensis septembris 1961.

Ne dicatur quod Ecclesia recusat Orientalibus quod ipsa permittit Latinis quoad iurisdictionem ordinariam: comparatio non valet quia:

a) Fideles ritus orientalis in regionibus occidentalibus sunt immigrantes; sunt alienigenae.

Econtra in Terra Sancta *Fideles ritus latini* et eorum clerus non sunt alienigenae sed indigenae. Hodie de 65 sacerdotibus, 50 sunt indigenae, inter quos Episcopus Auxiliaris; et in Seminario sunt 76 alumni indigenae de quibus 25 in seminario maiori.

b) Fideles ritus orientalis in regionibus occidentalibus sunt parvae minoritates, dum Catholici Ritus Latini in Terra Sancta sunt magna maioritas. Haec realitas probatur etiam politice.

In Jordania, ex. gr. parlamentum constituitur hodie a 60 membris quorum decem sunt Christiani; et de his decem deputatis 5 sunt Latini; unus Melkita, tres Orthodoxi et unus Protestans.

Si quis de hac quaestione ampliora documenta vult habere, ea obtinere potest.

Exc. YAGO: Sacrosanctum Concilium Romanum Pontificem rogat ut aliqui Patriarchae semper adsint collegio Cardinalium. Et bene facit.

Optandum est enim ut, salva libertate Romani Pontificis, pleraeque ecclesiae particulares semper sint praesentes in Collegio Cardinalium qui participant electionem Romani Pontificis.

Sed non mihi clare apparet necessitas concedendi Patriarchis, non dignitate cardinalitia insignitis, privilegium eligendi Romanum Pontificem, quando Ecclesia orientalis praesentia patriarcharum Cardinalium participabit electionem Romani Pontificis.

Nonne aliis praelatis non dignitate cardinalitia insignitis idem privilegium concedetur v. g. Delegatis Apostolicis?

Certum est privilegia ecclesiae orientalis sancita legitima consue-

tudine non esse tangenda, interest tamen, ad unitatem ecclesiae, favores non multiplicari pro quibusdam ecclesiis.

Itaque liceat mihi proponere ut deleatur articulus XII. Quoad articulum XIII debet deleri textus « sive extra proprium territorium ».

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: secundum quae dixi et scripsi.[1]

Card. MICARA: Placet iuxta modum, iuxta folium adnexum.

Ad VII quod attinet (p. 8 [2]), de exoptata erectione novorum in Oriente Patriarchatuum, puto quod si quando erectiones huiusmodi utiles vel necessariae videantur, Apostolica Sedes providebit.

Circa XII (p. 9 [3]), ius nempe ad electionem Romani Pontificis Patriarchis quoque Orientalibus concedendum, etsi dignitate cardinalitia non insignitis, minus placet. Privilegium hoc permaneat oportet — submisse videtur — tamquam singularis et exclusiva Patrum Cardinalium praerogativa, ut antiqua et veneranda fert Romana traditio.

Ceterum, aliqualis Patriarcharum Orientalium participatio in eligendo Summo Pontifice iam in schemate praevidetur, ubi (n. XI, p. 9) aliquos ex ipsis, praesertim qui praestantiores sedes incolant, si Ss.mo placuerit, in Sacrum Cardinalium Collegium cooptari poterunt: quod ultro conceditur.

In reliquo observationes et propositiones ab Em.mis Patribus Decano Collegii, Secretario Status et Ottaviani factas accepto. Insuper Em.mos Patres Cardinales semper iure praecedentiae gaudere retineo.

Card. PIZZARDO: Non placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Tisserant, Ferretto et Siri.

Card. FERRETTO: Non placet iuxta ea quae dixi et audivi in disceptatione.[4]

Card. LIÉNART: Placet ut unitas christianorum magis promoveatur.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: secundum quod scripsi de unificatione iurisdictionis.[5]

---

[1] Cf. pp. 202-203.
[2] Cf. p. 199.
[3] Cf. p. 200.
[4] Cf. p. 203.
[5] Cf. pp. 203-204.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: adhaerens ad ea quae dixerunt Em.mi Card. Tisserant, Ruffini et Siri (sine art. XII et XIII).

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: Articulus IX deleatur. Articuli XI, XII, XIII, iterato examine, studio remittantur peculiaris Commissionis, attentis animadversionibus Em.morum ac Exc.morum Patrum nec non Beatissimi Patriarchae Melchitarum.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: mens est quod maxima reverentia secundum historiam et traditiones debetur et omnino servari debet pro Patriarchis Orientalibus sed nihil innovetur quod habeat etiam apparentiam libertatem Summi Pontificis ullo modo restringendi. Unde videtur melius quaestiones nimis delicatas non tractare in Concilio Oecumenico sed relinquantur ipso Summo Pontifici.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut supprimatur paragraphus XII, cum in paragrapho XI iam optetur ut aliqui Patriarchae Orientales sint Cardinales et in paragrapho XIII non concedatur Patriarchis Orientalibus praecedentia supra Cardinales et Legatos Sanctae Sedis, sicuti non conceditur latinis qui eadem dignitate sint insigniti.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum.[6]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[7]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: assentio dispositioni propositae sub n. IX. Item assentio iis quae proponentur sub nn. X, XI — dempta particula « semper » — et XII. Numerus XIII sic, meo submisso iudicio, posset concinnari: « Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudent in proprio territorio etiam super Cardinalibus qui non sint a latere; extra proprium territorium super omnibus locorum Hierarchis et Legatis Pontificibus (exceptis iis qui a latere dicuntur) cardinalitia dignitate non insignitis.
Patriarchae Orientales in Curia veniant post Cardinalem Decanum ».

Card. SIRI: Non placet: videantur folia adnexa.[8]

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: quod pertinet ad rem dogmaticam debet clare exprimi iuxta animadversiones Em.morum Card. Siri, Confalonieri et Ottaviani. Quaestiones secundariae i. e. praecedentia et aliae huiusmodi ad nutum Sancti Patris relinquendae sunt, et propter hoc exopto ut nova redactio praeparetur.

[6] Cf. p. 204.
[7] Cf. pp. 204-205.
[8] Cf. pp. 205-206.

In § IV, dicitur in ultimis verbis paragraphi: « adiutorio... imprimis Sanctae Romanae Ecclesiae ». Melius diceretur « Sanctae Romanae *Sedis* », ne detur impressio quod Sancta Romana Ecclesia exterior est Patriarchis orientalibus.

Quoad § XIII nobis magis placet secunda formulatio de praecedentia Patriarcharum Orientalium.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: scilicet ita ut concessio de qua loquitur art. XII et regula praecedentiae Patriarcharum in art. XIII § 1 exposita solis Patriarchis antiquae institutionis referantur.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: magna quaestio nobis patefacta est et ad unionem ecclesiarum efficiendam maximi momenti: maturius tamen mihi videtur consideranda esse. Proponerem proinde ut obiectum fiat ulterius studii ex parte specialis coetus huius nostrae Commissionis, in qua duo ritus sint repraesentati et cuius conclusiones iterum nobis submittenda essent.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet iuxta modum: eadem sentio ac Em.mi Cardinales Tisserant, Ruffini, Siri et alii, et puto opportunum ut novum exhibeatur schema, cum nonnulli articuli omittendi vel delendi sint.

Adnotare haec mihi liceat:

Postrema verba art. IV obscura sunt. Nemo enim in dubium vocat privilegia, iura et auctoritatem Patriarcharum; haec a Romanis Pontificibus semper agnita sunt. Quid sibi volunt illa verba: « ... adiutorio totius orbis catholici et imprimis Sanctae Romanae Ecclesiae »?

Materia articuli VII pertinet ad organizationem Ecclesiae, et reservatur Summo Pontifici, qui Ecclesiam regit, eiusque necessitatibus providere sollicitus est. Delendus est proinde hic articulus.

Pariter delendi sunt articuli VIII, X (arduum sane esset ad effectum deducere rem propositam), XI et XII.

Absonum est libertatem restringere Summo Pontifici in electione Cardinalium. De cetero postremis temporibus placuit Romanis Pontificibus aliquem Patriarcham seu Metropolitam in Sacrum Collegium Cardinalium cooptare, et praevideri potest quod idem, plus minusve, habebitur in futurum.

Ad art. IX: Adnotentur quae de Patriarchatu Latino Hierosolymitano innuuntur. Sancta Sedes — et nostris diebus per multa et solemnia documenta Summi Pontificis Pii XII — strenue tuita est et propugnavit characterem supernationalem Palestinae, cum catholici et christiani universae terrae interesse vitale habeant in terram quam Filius Dei Iesus Christus elegit pro sua vita mortali. Sancta Sedes Latinis adsignavit

Patriarchatum Hierosolymitanum, cum ipsi fuerint et sint Evangelii praecones in illa regione (iam ab anno 1099 et iterum ab anno 1847). Quinquaginta millia fidelium ritus latini habentur illic.

Quoad art. XIII, omnino expungantur paragraphi prima et secunda. Unitas Ecclesiae, ad quam quidam appellant, utique fovenda est totis viribus, sed non dependet a praecedentia, aut rationibus huiusmodi.

Auctoritas Patriarchae circumscribitur intra fines patriarchatus, et respicit regimen dioeceseon illius ritus; Cardinales vero partem habent in administratione totius Ecclesiae, seu agunt auctoritate Summi Pontificis, vi facultatum ipsis a Ss.mo Domino tributarum pro Ecclesia universa.

Cardinalium, meo humili iudicio, praecedentia, semper et ubique terrarum recognita, servanda est omnino, etiam in casu heic proposito (pag. 10,[9] n. 5, canonis XIII).

De tribuenda praecedentia Patriarchis Orientalibus super omnibus Hierarchis et Legatis Pontificiis — de qua in paragrapho 2ª, huius art. XIII — multum disputatum fuit; concedi potest.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: habita ratione animadversionum Eminentissimorum Card. Ottaviani, Ruffini, Siri et Ferretto. Omittantur numeri decimus primus et decimus secundus.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet ut dixi et scripsi in folio adnexo.[10]

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: secundum observationes sequentes:

1) Non intelligo quomodo potest dici in Prooemio (pag. 6,[11] lin. 27) quod patriarchalis potestas participat *Pontificiae* Potestatis. Potestas enim Pontificia pertinet ad solum Sanctum Patrem.

2) Exopto praesentiam augendam aliquorum Patriarcharum Orientalium in Sacro Collegio.

3) Assentio ad praecedentiam Patriarcharum omnibus praelatis etiam Cardinalibus, sed in solo eorum territorio, excepto tamen Romani Pontificis Legato.

4) Puto Cardinales semper habeantur ut Senatus Summi Pontificis pro tota Ecclesia, etiam in temporibus primitivis dum non solum auxi-

---

[9] Cf. p. 200.
[10] Cf. pp. 206-208.
[11] Cf. p. 198.

liares in cura pastorali Urbis sed consiliarii Summi Pontificis ut talis et universalis.

Quaestio haec, meo sensu, referatur ad examen directum et solutionem Summi Pontificis.

Card. König: Schema non placet uti iacet, sed reformetur secundum dicta a Patribus. Numm. VII, XI, XII non a Concilio, sed ab iis quibus interest directe cum Summo Pontifice.

Card. Döpfner: Placet.

Card. Marella: Placet iuxta modum: Schema corrigatur, attentis observationibus ab Em.mis Cardinalibus Decano, Ferretto, Ruffini, Siri et Ottaviani.

Card. Muench: Placet iuxta modum: attentis dictis ut textus emendetur.

Card. Meyer: Placet iuxta modum: nempe iuxta dicta ab Eminentissimis Cardd. Ruffini, Siri et Ottaviani; item exopto ut nova redactio praeparetur a speciali commissione mixta; omittantur num. XI, XII et IX.

Card. Ottaviani: Non placet et iterum proponatur, attentis observationibus Em.morum Cardd. Ruffini, Siri, Cicognani, et meis.[12]

Card. Di Jorio: Placet iuxta modum: meo humili iudicio reformetur schema praecipue quod attinet articulos VII, XI, XII, attentis quae dicta sunt ab Em.mis Patribus Ruffini et Siri.

Card. Roberti: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus prolatis praesertim ab Em.mo Cardinali Decano et ab Em.mis Cardinalibus Siri, Ruffini et Ottaviani; omittantur numeri XI et XII; ceterum res remittatur iudicio Summi Pontificis.

Card. Jullien: Non placet: attente hodiernis adiunctis pensatis, res deferatur Summi Pontificis consilio, si velit.

Card. Larraona: Ut iacet Schema non placet: maior pars eorum quae proponuntur non sunt propria Concilii. Si aliqua videantur proponenda redigatur novum Schema. Pro hac hypothesi Votum quod scripseram depono.

1) *Introductio.* Solida et clara est. Aliqua breviter recensemus in quibus ipsa limari et expoliri potest:

[12] Cf. p. 208.

a) Melius *in textu,* ut credimus, non citantur auctores particulares, etsi ceterum magni nominis, sed notis amandantur (cf. Wernz-Vidal, p. 5,[13] linn. 18-19; Korolewsky, p. 6,[14] linn. 20-23).

b) In pag. 5, lin. 35, loco « humano » (iure « humano » obtinuerit), specifice « *iure ecclesiastico* » melius diceretur (« ex Ecclesiae institutione » ait can. 38 par. 1 C.I.O. *De Ritibus*; cf. 108, par. 3 C.I.C.).

2) Ad II. Respondet can. 216 par. 1 C.I.O. « De Ritibus » cum duabus additionibus quarum *prima* (p. 7,[15] linn. 11-12) non officit vel potest non officere (« a Romano Pontifice vel a *Concilio Oecumenico* »); *alia* potest difficultatibus ansam dare. Post verba « suo cuique Patriarchatui tamquam pater et caput praesunt », quibus clauditur citatus can. 216 par. 1 C.I.O., addita fuit confirmatio generalis iurium atque privilegiorum Patriarcharum, his verbis: « *eorumque iura atque privilegia in bonum animarum salva maneant* ». Ad vitandas faciles subtilitates interpretationum, etsi exulent a mente proponentium, id *de privilegiis et iuribus post Codicem hac in re promulgatum* (Motu proprio 11 iunii 1957 *Cleri sanctitate*) *vigentibus, clare* esset addendum, quod statim de potestate Patriarcharum in n. III dicitur, scilicet, ipsam esse exercendam « ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis », ne videatur « *potestatem* » veluti ordinariam quidem sed « ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis » exercendam, *privilegia* vero *ex se* tantum esse diiudicanda et exercenda.

3) Ad IV. Magis logicum videretur ordinem internum numeri invertere, ita ut diceretur patriarchalem dignitatem, quatenus fieri potest, restituendam esse in bonum Ecclesiae Orientalis et uniuscuiusque Patriarchatus. Sane, maius bonum Ecclesiae est, et esse debet, ratio et mensura ordinationis ecclesiasticae restaurandae, complendae, modificandae. Ita plus minus numeri redactio proponi posset: « Ut Patriarchatus Orientales magis magisque in dies vigeant, floreant, universumque cuiusque Ritus nunc separatum ex parte populum, ad catholicam unitatem redactum, amplecti et convenienter, ratione suis traditionibus, moribus et necessitatibus prorsus respondenti, regi ac gubernari valeant, Patriarchalis dignitas, quae ab antiquo a primis Ecclesiae temporibus ipsius fuit ornamentum, conservetur, in pristinum splendorem, quatenus fieri possit, restituatur, ac sub Romani Pontificis praesidio, totius Patriarchatus, Cleri ac populi opera, fraternoque adiutorio Romanae Ecclesiae et universi catholici Orbis, promoveatur ».

---

[13] Cf. p. 197.
[14] Cf. p. 198.
[15] Cf. p. 198.

4) Ad V. Absque ulla difficultate, ut credimus, numerus compleri posset, alludendo ad legitima privilegia *vigentia* et *recognita* uniuscuiusque Patriarchatus. « Etsi Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium alii aliis tempore posteriores sunt, salva praecedentia honoris Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano a Conciliis Oecumenicis ab antiquo agnita et *salvis legitimis privilegiis ad normam iuris vigentibus, unicuique Patriarchatui seu Patriarchae recognitis,* omnes deinceps dignitate patriarchali aequales erunt ».

5) Ad VII. Non una ratione disputari posset an expediat *hoc generale votum de multiplicatione Patriarchatuum praesentare* Concilio Oecumenico. Sapientioribus me remitto. Ceterum adsunt in numero clausulae ex quibus res denique prudenti iudicio Sanctae Sedis relinquitur (« si opus est », « si id bonum Ecclesiae postulare videatur »). Sed hoc non sufficit; et clare in fine dicendum est, *cum agatur de stricta quaestione regiminis,* constitutionem novorum Patriarchatuum Romano Pontifici reservari, qui in Concilio Oecumenico, si ita expedire videatur, quaestionem Concilio pro sua prudentia subiicere poterit.

6) Ad VIII. Totam hanc quaestionem Romano Pontifici prorsus relinquendam censerem. Agitur nempe de extensione regiminis patriarchalis aliis regionibus quae ipsam non habent. Ut patet, hic non agitur *nec* de expansione Patriarchatuum iam existentium, *nec* de multiplicatione Patriarchatuum in regionibus patriarchalibus, sed de subiectione regimini ecclesiastico patriarchali regionum quae sub ordinaria hierarchica forma sunt. Innuitur in Schemate ratio: « quod id postulat bonum fidei christianae efficacius propagandae ». Nemo non vult fidei propagationi favere, sed difficulter iudicia abstracta et generalia dari possunt de maiore vel minore utilitate, sive pro opera evangelizationis, sive pro facilitate regiminis ecclesiastici, sive pro Ecclesiae *strictiore unitate in hoc vel illo populo* formae autonomae patriarchalis vel formae ordinariae. Haec respiciunt *gubernationem* et tot elementa in concreto sunt ponderanda ut iudicium fieri valeat, quod prorsus inopportunum videretur iudicium generale Concilio praesentare.

7) Ad IX. Mutarem *formam,* et *propositionem* in *Votum* converterem, ita ut rogetur Sancta Sedes de suppressione.

8) Ad X. Forma mutanda, et res Sanctae Sedi deferenda est ut ipsa videat *an, quomodo, quando,* prudenter propositum ad praxim reduci poterit.

9) Ad XI-XIII. Melius haec omnia singillatim *non proponentur.* Horum omnium loco, Sancta Sedes roganda esset ut, salva Ipsius omnimoda libertate, circa tempus et personas, prae oculis quidem habitis ac ponderatis antiquitate, dignitate, testimonio, vi ad Orthodoxos at-

trahendos Ecclesiarum Orientalium etc., sed ex alia parte inoffensa proportione in Sacro Collegio, quod totius Catholicae Ecclesiae imaginem referre debet, aeque servanda, *Patriarchae ad S. Collegium* admittantur. In hac hypothesi quaestio de praecedentia *sive in S. Collegio, sive extra Ipsum,* multo facilior redditur. Sane, *in S. Collegio* vel servantur generales in Ipso vigentes praecedentiae regulae, vel placet in pignus venerationis erga patriarchalem dignitatem aliquo modo his regulis derogare, et tunc diversa proponi possent, ex. gr. 1) ut Patriarchae ex antiquitate et amplitudine Sedium, praecedant omnibus Cardinalibus intra Ordinem Cardinalium Presbyterorum; 2) ut novus Ordo in Collegio Cardinalium creetur, scilicet *Ordo Patriarcharum*; 3) ut in Ordine Episcoporum (in Ordine Cardinalium Suburbicariorum) collocentur et quidem post Decanum et Subdecanum ordine promotionis ad Collegium etc.

In proprio territorio omnes praecedere possent nisi Card. Decanum et Legatum a Latere cardinalitia dignitate insignitum. *Extra proprium territorium* praecedentia illa esse deberet quae Cardinalibus extra proprium territorium competit.

Quoad Patriarchas non Cardinales, seu antequam ad Cardinalatum evehantur, servandae sunt regulae quae in Codice Orientali, *ante quinque annos* hac in re promulgato (an. 1957 ex Motu proprio *Cleri sanctitate*), omnibus interesse quoquomodo habentibus auditis, post longas et serenas discussiones quarum accuratissima acta exstant, et fidele perpetuo cuique reddent testimonium, statutae fuerunt (can. 219).

Add. – Haec quae proponuntur, ut Vota a Sancta Sede rogentur sive nomine Commissionis, sive nomine Episcoporum Orientalium. Ceterum, si lubet, haec quae praecedentiam tangunt, non Commissioni De rebus Orientalibus soli relinquantur, sed iudicium ultimum Commissioni mixtae sub ductu Commissionis Coeremonialis relinquetur.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes factas ab Em.mis Ottaviani et Siri.

Card. BEA: Placet iuxta modum: deleatur n. IX; n. XI ita redigatur, ne libertas Summi Pontificis limitari videatur; n. XIII: habeant praecedentiam in solo proprio territorio. Fiat nova redactio et iterum proponatur. Cardinales, ut exposuit Em.mus Siri, hodie non sunt solum addicti dioecesi Romae, sed participant curam S. Pontificis de universa Ecclesia.

Beat. SAIGH: Placet iuxta modum: secundum quod dixi: [16] Canon IX, prima pars, placet; secunda pars, non placet. Canon X non placet. Canon XI non placet. Canon XII placet. Canon XIII, prima alinea, placet.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: [17] Art. X: quoad unificationem iurisdictionis: solutio exoptata, theoretice est laude digna, sed in praxi praesentat multas difficultates. Ideoque melius est nihil innovare.

Art. XIII: affirmative in proprio territorio, excepto Legato Pontificio.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: attentis ea quae dicta sunt ab Eminentissimis Cardinalibus.

Exc. FELICI: Cum multa animadversa iustissime sint, ipsam substantiam decreti tangentia, decretum non placet et iuxta n. 9 normarum sequendarum a Commissione Centrali ad Commissionem pro Ecclesiis Orientalibus una cum animadversionibus hic factis remittatur, ut illud iterum excutiat, emendet, immutet ac dein Commissioni Centrali iterum examinandum tradat.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: dispositiones sub numero duodecimo (XII) et decimo tertio (XIII) non videntur esse consonae iis quae opportune sub numero decimo primo (XI) statuuntur.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet, brevitatis gratia, secundum observationes factas ab Eminentissimis Cardinalibus Decano, Ruffini, Siri, Ottaviani et Ferretto.

Sed humiliter postularem ut exposita hac in sessione ab Excellentissimis Patriarchis Orientalibus considerentur in aliqua Commissione speciali ita ut Ecclesiae unitas in varietate rituum confirmetur et augeatur.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: Schema propositum videtur mihi opus esse ut remittatur ad Commissionem de Ecclesiis Orientalibus ut secundum diversas animadversiones ex animo sincero prolatas modificetur.

Exc. BERAS: Non placet: res debet maturius considerari a Commissione pro Ecclesiis Orientalibus.

Exc. LEFEBVRE: Non placet: de his quaestionibus quae tangunt caritatem et unitatem in Ecclesia provideat Ipse Summus Pontifex.

---

[16] Cf. pp. 208-216.
[17] Cf. pp. 216-217.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Cardinalium Tisserant et Confalonieri; pro iure praecedentiae adhaereo propositioni propositae in pagina decima [18] lineis tertia usque ad septimam. Pro suppressione patriarchatus latini Hierosolymitani res integra relinquetur Sanctissimo Patri secundum optionem a Beatissimo Patriarcha Melchita propositam.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: quoad n. VII attendatur ad emendationem Em.morum Ruffini et Confalonieri. N. XII expungatur. Quoad praecedentiam Patriarcharum Orientalium (n. XIII) retineatur praecedentia ante PP. Cardinales tantum in territorio proprio. Libenter assentio propositioni de constitutione Sedis Patriarchalis Kiowiensis pro Ucrainis ritus byzantini; est etenim Ecclesia martyr et numero fidelium pluribus aliis Ecclesiis Orientalibus praestans.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: iuxta observationes Em.morum Card. Tisserant, Ruffini, Siri, Ottaviani et Richaud. Propono ut haec tota quaestio relinquatur prudenti iudicio Summi Pontificis.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: ita ut fiat nova redactio attentis observationibus factis. Quoad praecedentiam quaestio relinquatur Summo Pontifici.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: excluso tamen articulo XII.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: sicut iam dixi.[19] Res apparet gravis et delicata. Textus a Commissione speciali emendetur secundum observationes a Patribus factas.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: id est fiat emendatio et correctio ad mentem Eminentissimorum Cardinalium, praesertim Frings, Ruffini et Siri.

Exc. NGÔ-DINH-THỤC: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimi Cardinalis Decani et Eminentissimi Siri.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita praesertim de iis quae dicta sunt ab Eminentissimis Cardinalibus Siri et Confalonieri.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: habita prae oculis unitate Ecclesiae quae omnimode consideranda est, schema decreti corrigatur iuxta

[18] Cf. p. 200.
[19] Cf. pp. 217-218.

animadversiones Eminentissimorum Card. Ottaviani, Ruffini, Siri sed et etiam Confalonieri.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: fiat nova redactio attentis observationibus factis. Verum est quod debemus Ecclesiam respicere ut est hodie sed oportet etiam unionem possibilem cum Ecclesia Orthodoxa prae oculis habere.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: quem exposuerunt Cardinales Siri, Cicognani et Ottaviani. Requiritur modus quo unitas Ecclesiarum promoveatur. Eliminetur num. XII.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis tamen multis quae adhuc considerari debent ut constat ex discussione et quae in folio separato referam.

1) Punctum essentiale huius Schematis videtur esse ut, salvo in omnibus iure divino primatus Romani Pontificis, determinentur iura et privilegia Patriarcharum Ecclesiarum Orientalium, ita quoque ut, ex hoc capite, pax earum promoveatur, et ut facilius reddatur reditus Ecclesiarum separatarum ad sinum Ecclesiae Catholicae.

2) Ut haec determinatio prudenter fiat attendenda sunt et earum historia et earum status secundum rei veritatem, coniunctus quoque cum habitudine comparativa earum ad magnas dioeceses et provincias ecclesiasticas Occidentis.

3) Quaestiones discussae in hodierna sessione Commissionis Centralis respiciebant principaliter ea quae continentur sub numeris IX, XI, XII et XIII, pagg. 9 et 10,[20] Schematis Decreti.

4) Quoad quaestionem motam sub n. IX de Patriarchatu Latino Hierosolymitano, puto melius esse ut haec propositio non mittatur ad Concilium Oecumenicum, sed ut remittatur determinanda ab Ipso Romano Pontifice.

5) Quoad ius eligendi Romanum Pontificem opinor illud esse reservandum Sacro Collegio S. R. E. Cardinalium.

6) Quoad propositum sub numero XI, attenta gravitate momenti in quo sumus respectu reditus Orientalium in sinum Ecclesiae, attenta quoque sensibilitate ipsorum Orientalium, auderem filialissime opinari quod Romanus Pontifex in Sua sapientia paterna, divina quoque gratia illuminata, posset considerare elevationem ad Cardinalatum Patriarcharum quatuor antiquarum Sedium de quibus in antiquis Conciliis, et quidem in Ordine Episcoporum. Iste honor multum conferret ad sensi-

---

[20] Cf. pp. 199-200.

bilitatem Orientalium leniendam, et, eodem tempore, non turbaret aequilibrium Sacri Collegii, cum Cardinales singulorum Ordinum, uti tales, aequalibus iuribus potiuntur.

7) Quaestiones de praecedentia possent dirimi ab Ipso Romano Pontifice, sive per Seipsum, sive per Commissionem Studii, sed non videtur opportunum ut ipsi Concilio Oecumenico praesententur.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: adhaereo plene eis quae Exc.mus Patriarcha Hierosolymitanus latinorum exposuit. Quoad singula:

Ad I-VI: placet.

Ad VII et VIII: non placet.

Ad IX: non tractetur in Concilio; relinquatur beneplacito Summi Pontificis.

Ad X: placet.

Ad XI: placet; supprimatur verbum « semper ».

Ad XII: placet; ad fovendam magis unionem concedatur antiquis Patriarchis ut, etiamsi dignitate cardinalitia non insigniti sint, Patrem communem eligere possint.

Ad XIII et sequentia minus placent; melius est standum praescriptis vigentibus; quoad praecedentiam assentio animadversionibus Em.mi Card. Valeri.

Exaretur novum schema et iterum proponatur Commissioni.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: capita IX et XI-XIII ne deferantur ad Concilium sed linquantur Summo Pontifici ordinanda.

VII

DE COMMUNICATIONE IN SACRIS

(Quinta Congregatio: 19 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM
A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Ecclesia Dei, quam Christus Dominus ad omnium prorsus hominum salutem condidit cunctisque sanctificationis instrumentis huic explendo muneri necessariis instruxit, materno amore semper prosecuta est non solum christifideles, qui catholico gloriantur nomine, verum etiam ceteros homines, quibus opportuna salutis media abunde praebuit, tamquam rationem de animabus eorum redditura.

Quodsi ipsa numquam destitit Evangelii praecones mittere ad gentes nondum Christo adiunctas, omnino par est, ut impensiore etiam sollicitudine afficiatur erga eos, qui etsi extra catholica septa degentes, tamen inter ipsius filios per lavacrum Baptismatis recensentur.

Horum filiorum saluti Ecclesia prospicit in primis illorum mediorum ope, quibus iidem, licet separati, adhuc potiuntur. Ad rem quod attinet, constat profecto Ecclesiae actionem circumscribi lege illa de « communicatione in sacris », a qua, si formalem errori adhaesionem includat, nemo iure divino eximi potest. Attamen praeter « communicationem in sacris » formalem, alia est quae dicitur materialis, et iure regitur ecclesiastico.

Id autem manifesto ostendit ipsa agendi ratio Ecclesiae, quae non eadem semper erga omnes dissidentes fuit, cum alia sit conditio auctorum separationis, alia eorum qui illos bona fide sunt secuti, in qua conditione, ut in comperto est, vix non omnes Orientales christiani dissidentes versantur.

Nihil inde mirum si aliquando Ecclesia ita se exhibuit ut, nedum rigidam de communicatione in sacris disciplinam urgeret, illam valde mitigatam voluerit.

Neque ceterum huic praxi decretisque obstant iuris canonici canones, cum de haereticis schismaticisque formalibus agant.

Nonnulla enim occurrunt adiuncta quae mitiorem rationem agendi suadent cum agatur de bono animarum. Suprema nempe *necessitas* aeternae salutis procurandae exigit ut omnis fidelis Sacramenta petat ubi valide conficiuntur et administrantur; deinde magna spiritualis *utilitas* intercedit, si per longum temporis spatium fidelis catholicus vel acatholicus proprio sacerdote orbatus sit; denique *caritatis ratio* sufficiens esse videtur ad christianorum officiis fungendum.

Plurimum in id conveniunt multi Antistites et evangelici operarii in Orientalium plagis, pertimescentes ne « impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur » (S. BASILIUS, *Ep. can. ad Amphil.*; PG 32, 669 B).

Quapropter suadenda est haec mitior ratio communicationis in sacris cum Orientalibus christianis non catholicis, nimirum:

A) *Quoad Sacramenta*

I. Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis formalibus, donec cum Ecclesia reconciliati fuerint.

(Sess. III, die 20-2-1961 et V, die 22-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Orientalibus, qui non formaliter separati sunt ab Ecclesia, et in sua confessione valida Sacramenta retinent, si sponte petant, rite sint dispositi et bene afficiantur erga veram Christi Ecclesiam, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis conferri possunt ad mentem sacrorum in loco praesulum, adhibitis cautelis ad arcendum scandalum et periculum indifferentismi.

(Sess. VI, die 23-2-1961 et VIII, die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Catholicis licet sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae seu Viatici et Extremae Unctionis petere a ministris acatholicis, in quorum confessione habeantur valida Sacramenta, in mortis periculo; et extra mortis periculum, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, deficiente catholico ministro per longum temporis spatium, vel recurrente gravi necessitate, ad mentem sacrorum in loco praesulum, adhibitis, in quantum licet, cautelis de quibus supra.

(Sess. V et VIII, die 22-2-1961 et die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Nova haec communicationis in sacris cum orientalibus christianis ratio prudentissimae commendatur curae et vigilantiae sacrorum in loco praesulum.

(Sess. VIII, die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

B) *Extra Sacramenta*

Cum vero christianorum sacra conversatio non solum in iis, quae Sacramentorum usum et ministrationem spectant habeatur, sed etiam in iis omnibus perficiatur, quae ad cultum Dei publicum vel privatum hominumque christianam pietatem in locis, functionibus caerimoniisque sacris exercendam pertinent, quaeque saepe cum profana hominum conviventia, ob civile officium vel honorem misceatur et evitari sine discrimine non possit, placuit huic Sanctae Synodo sequentia statuere:

I. Non licet catholicis formaliter partem habere in sacris acatholicorum.

(Sess. XXXV, die 14-10-1961: maioritate suffragiorum).

II. Materialis vero in sacris communicatio extra-sacramentalis catholicos inter et orientales separatos iusta de causa permittitur, sub vigilantia tamen sacrorum in loco praesulum et adhibitis debitis cautelis.

(Sess. XXXV, die 14-10-1961: maioritate suffragiorum).

Hortatio

Studeant tamen omnes Christifideles, qui divinae gratiae veritatisque sunt participes, ut, christiana conscientia moderante, in omnibus functionibus officiisque sacris, quibus glorificatur Deus et christiana promovetur pietas, in sacris locis, ubi divina peraguntur Deoque funduntur preces, in tota denique christianorum sacra profanaque conversatione, magis magisque quotidie eluceat veritas et mutua promoveatur charitas, quae omnia in unum iungit.

Sacrorum vero ministri populos gentesque christianas instruere et edocere de Ecclesiae unitate deque eius ad salutem aeternam necessitate ne cessent, ut scandala vitentur, ut indifferentismus undequaque serpens profligetur, et errores late grassantes eradicentur e christianorum sacra profanaque conviventia.

Locorum tandem sacri Antistites, consiliis secum Sanctaque cum Aposto-

lica Sede collatis, curent ut, opportunis efficacibusque praeceptis et dispositis, christianorum populorum moderentur conversationem, ad maius animarum bonum obtinendum, et Ecclesiae Christi in terris propagationem habendam.

(Sess. XXXIX, die 18-10-1961: unanimiter).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Status quaestionis. – Iam inde a primaeva Ecclesiae aetate, qua controversiae et haereses in Ecclesia oriri coeperunt, quaestio agitata est de ratione qua fideles sese gerere deberent erga eos, qui in haeresim vel in schisma lapsi fuissent.

In hac quaestione consideranda, plura occurrunt, quorum alia divino iure vetantur vel praecipiuntur, alia vero ad ius ecclesiasticum pertinent.

Ut in comperto est, postremis hisce temporibus ob peculiaria rerum adiuncta ac novas sociales et religiosas condiciones in populorum usum inductas, valde mutata est indoles ac ratio necessitudinum, quae inter catholicos et acatholicos intercedunt. Quare a multis quaeritur, quid Ecclesia, salvo iure divino, in animarum bonum agere possit, in hoc ecclesiasticae disciplinae campo. Hinc etiam ratio patet, cur haec quaestio Concilio Oecumenico Vaticano demandata sit.

Plusquam centum Praelati ad regiones pertinentes, ubi catholici una simul vivunt cum christianis, qui haeresim vel schisma profitentur, in sessionibus Antepraeparatoriis Concilii Oecumenici confirmaverunt opportunitatem hanc quaestionem Concilio proponendi. Plus quam quadraginta vota scripto exhibita sunt, et fere viginti quinque studia de hac re sunt apparata.

Unanimus fuit consensus Commissionis ut quaestio quoad Sacramenta et quoad res sacras extra-sacramentales distinctim tractaretur.

Muneris mei est exponere vota Commissionis de Ecclesiis Orientalibus.

In votis est, ut disciplina, quae can. 731, § 2 et 1258 C.I.C. continetur, mitigationem quandam, ad Orientales dissidentes quod attinet, recipiat, certis conditionibus et limitibus circumscriptam.

Non omnino nova disciplina proponitur, sed potius quaedam magis determinantur, quae iam pridem a Sancta Sede tolerata aut etiam concessa sunt, nempe a S. Officio et a S. Congregatione de Propaganda Fide.

Hi sunt limites et condiciones, quibus huiusmodi mitior disciplina continenda videtur:

1) quaedam mitigatio extendenda esset ad Orientales dissidentes tantum, apud quos Sacramenta valide conficiuntur et administrantur. Excluduntur igitur Protestantes, sive in Oriente sive in Occidente;

2) respiciat non schismaticos universos, sed bona fide errantes vel separatos, scilicet schismaticos materiales, qui uti tales sensu stricto censuris et prohibitionibus canonicis non ligantur. Cum fere omnes consentiant, simplices fideles orientales plerumque in hac condicione versari, cur Ecclesia non possit erga hos filios caritatem suam largius exercere? Eo vel magis quod mitior disciplina, in praesentibus rerum adiunctis, faciliorem efficere potest ipsorum reditum ad veram Christi Ecclesiam;

3) mitigatio haec non omnia Sacramenta respiceret, sed solummodo Eucharistiam ac Poenitentiam, quae magis necessaria sunt ad gratiam in singulis fidelibus tuendam et recuperandam, et Extremam Unctionem;

4) adsint bene determinatae circumstantiae. Id contingere potest, imprimis si periculum vel articulus mortis occurrat; atque detur vera et gravis necessitas non ad privatorum arbitrium, sed ad normas et praxim a Sacris Pastoribus probatas aestimanda. Quae gravis necessitas haberi potest pro catholicis et pro dissidentibus, si nimis diuturna videatur eorum ministrorum absentia;

5) mitigatio bene determinatis condicionibus obtemperare debet. Ad christianos separatos quod attinet, praeter bonam fidem et rectum sacramentorum usum, ab ipsis requiritur ut sponte petant, sint rite dispositi et bene afficiantur erga veram Christi Ecclesiam. Quoad vero catholicos, hae condiciones postulantur: *a*) tuitio validitatis Sacramenti, *b*) animarum salus in tuto ponenda, *c*) gravis necessitas ut, exempli causa, status gratiae recuperandus, *d*) defectus ministri catholici vel eiusdem nimis longa absentia, quod hodie facile accidere potest;

6) mitigatio applicanda est non ad singulorum arbitrium, sed, ut supra innuimus, secundum normas a sacris Pastoribus impertitas et sub eorum vigilantia et cura;

7) debitae adhibeantur cautelae, ut caveantur animorum damna et pericula, quae iure divino prohibentur. Quae cautelae, praeter condiciones iam memoratas, peculiari modo exigunt, ut christifideles apta de hac re institutione muniantur.

Ratio rigidioris disciplinae ex eo proficiscebatur, quod praeteritis temporibus raro in praxi illa immunitas a spiritualibus periculis et damnis obtinebatur, quae deinceps facilior evasit. Hinc etiam ratio est, cur orientales formaliter separati hanc timeant catholicae Ecclesiae indulgentiam.

Restat denique, *ut de communicatione extra-sacramentali* aliquid dicatur. Ratio mitigationis etiam in hoc disciplinae campo inde petitur, quod vincula necessitudinesque, quibus hodie homines nectuntur in re politica sociali atque oeconomica, efficiunt ut frequentissima inter ipsos commercia habeantur. Quare latior communicatio materialis opportuna videtur, debita vigilantia atque cautelis adhibitis, etiam si non de rebus ad salutem necessariis agatur.

Certo perpendendum est summopere, utrum expediat publice proferre — et cum solemnitate oecumenica! — huiusmodi res, quae forsan in territorio ubi orthodoxi praevalent aut in terra missionum aliquando tolerantur (cum fiant clam et quodammodo silenter, utique remoto periculo scandali).

Et quidem ponderanda essent pericula possibilis reactionis seu oppositionis, ex parte ecclesiasticorum orthodoxorum, quasi nos eos perturbemus in cura eorum fidelium.

De articulis ad hoc apparatis nunc est disserendum.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Etiam in praesenti schemate quaestiones sunt quas existimo maxima attentione esse perpendendas, ne in periculum incidatur offendendi fidem catholicam.

Pag. 6,[1] ad II. Praeter cautelas quae in textu significantur, addendum est quod S. Officium, Responso die 15 nov. 1941 dato, decrevit his verbis: « Etiam cum in periculo mortis constituuntur, requiritur ut (meliori quo fieri potest modo, pro rerum et personarum adiunctis) saltem implicite errores reiciant et fidei professionem faciant ».

Pag. 7,[2] ad III: Item anceps haereo circa ea quae hic dicuntur. Permitterem tantum petitionem Sacramenti Poenitentiae in periculo mortis, si desit sacerdos catholicus et scandalum removeatur.

Card. KÖNIG: Hoc schema, magna cum cura a Commissione de Ecclesiis Orientalibus confectum ea continet, quae ab Ecclesiis Orientalibus in hac materia valde exoptantur et earum desideriis satisfaceret. Cum autem in Ecclesia latina res non eodem modo se habent, dubium oritur, utrum scilicet haec omnia Concilio Oecumenico proponenda sint. Dubitatur propter has rationes:

---

[1] Cf. p. 230.
[2] Cf. p. 231.

1. Permagna pars patrum Concilii erit latinorum, qui situationem, ut ita dicam, vix possunt iudicare vel de ea male iudicabunt.

2. Quidam ex declaratione Concilii Oecumenici sequelas non optandas indifferentismi timebunt pro Ecclesia latina.

Ideo proponendum mihi videtur: Statuatur in hac materia, quae in Ecclesia orientali omnino alium aspectum prae se fert ac apud latinos, principium tantum in quantum de iure divino agitur et caetera directe tractentur cum Summo Pontifice a Commissione de Ecclesiis Orientalibus.

Simul cum hoc principio ea statuantur quae in hac materia Ecclesiam latinam respiciunt.

Beat. SAIGH: *J'approuve entièrement la partie dispositive de ce Schéma* sur la « communicatio in sacris » avec nos frères orthodoxes d'Orient. Je ne saurais dire assez combien le changement qu'il propose dans la discipline rigoureuse actuellement en vigueur est opportun et nécessaire. Puisque l'interdiction de la communion ecclésiastique avec les non-catholiques de bonne foi est seulement de droit ecclésiastique, il convient que l'Eglise, vu les circonstances et les aspirations actuelles, se montre plutôt large, comme vous le proposez.

Très souvent le scandale que l'on craint de l'inter-communion avec nos frères orthodoxes s'exerce en sens inverse. Je veux dire par là que les orthodoxes et les catholiques sont le plus souvent scandalisés, non de l'inter-communion, mais de son interdiction.

Il n'est pas normal, d'autre part, de traiter sur ce point à pied d'égalité orthodoxes et protestants. Les orthodoxes ont les mêmes sacrements que nous, les mêmes dogmes, la même organisation; et les espoirs d'union avec eux sont beaucoup plus forts.

Il fut un temps où l'Eglise s'est montrée très large avec nos frères orthodoxes sur ce point. Il nous semble que l'heure présente postule un retour à une discipline plus mitigée, telle qu'elle est excellement proposée par le Schéma en question.

Une seule critique de détail. A la page 6,[3] lignes 1-4, le Schéma semble vouloir démontrer que la nouvelle discipline qu'il propose ne contredit pas les dispositions du droit canonique, puisque celles-ci « de haereticis schismaticisque *formalibus agant* ». En réalité le droit canonique actuel interdit l'inter-communion même avec les non-catholiques matériels, de bonne foi. Il ne faut pas craindre de dire que le Schéma réforme le Code de droit canonique et propose une discipline nouvelle.

---

[3] Cf. p. 230.

N. B.: Dans ce Schéma et dans les autres, à l'expression « Extrema Unctio » nous préférons l'expression orientale, plus conforme à la tradition, d'« unctio aegrotorum ».

Sur cette importante et grave question de la « communicatio in sacris » avec nos frères orthodoxes d'Orient, je suis heureux de décerner des éloges sans réserve au Schéma qui nous est présenté par la Commission des Eglises Orientales. Un tel Schéma indique quel bon départ l'œcuménisme a pris dans nos milieux catholiques. Si ce Schéma, comme je l'espère, est admis par votre vénérable assemblée, je crois qu'un grand pas aura été fait dans la préparation de l'unité chrétienne.

Le premier avantage de ce Schéma est qu'il fait à nos frères orthodoxes d'Orient une situation canonique spéciale sur ce point de la « communicatio in sacris ». Je souhaite, certes, qu'un tempérament soit également apporté à la discipline de la « communicatio in sacris » avec nos frères des Eglises réformées. Mais il sera toujours juste que pour nos frères orthodoxes d'Orient la discipline sur ce point soit encore plus mitigée. Car nous avons à faire avec des chrétiens qui partagent notre foi, qui ont nos sacrements, qui ont une hiérarchie d'institution divine, qui ont les mêmes sources de la foi que nous, à savoir la Sainte Ecriture et la tradition de l'Eglise. Avec eux, il s'agit *plutôt de réconciliation* que de conversion proprement dite. Or, pour se réconcilier un frère, dans une querelle de famille où les responsabilités morales sont partagées, le meilleur moyen ne reste-t-il pas de multiplier les contacts?

Ce mot de « réconciliation » pourrait à première vue surprendre. Mais nous pensons qu'il répond du moins à une attitude d'âme chez nos frères séparés, attitude de la sincérité de laquelle on ne peut douter. Ils nous disent par exemple: « Vous, catholiques, vous nous demandez à nous, Orthodoxes, de nous convertir. Mais nous convertir à quoi? Nous avons gardé la foi, telle que nous l'avons reçue de nos pères; nous avons la Sainte Ecriture et la tradition; nous avons les sacrements, nous avons la hiérarchie apostolique; nous n'avons rien changé à tout cela. Si l'un de nos ancêtres revenait au monde, il reconnaîtrait parfaitement en nous l'Eglise qu'il a connue de son vivant. C'est vous plutôt qui innovez et qui voulez imposer vos innovations à toute la chrétienté, sous peine d'hérésie et de schisme ».

Certes, ces accusations ne sont pas sans réponse. Mais elles sont l'indice d'une sincérité dont il faut tenir compte dans l'œuvre de l'union. Le schisme a été surtout une rupture de charité. Une fois séparés et brouillés, orthodoxes et catholiques ont cherché et trouvé des raisons

de se brouiller. La réunion suppose que nous suivrons le processus contraire. Nous avons commencé par manquer à la charité, puis nous nous sommes divisés dans la foi. Il faut donc que nous commencions par nous aimer de nouveau, alors nous trouverons que la concorde dans la foi est plus facile que nous ne pensons. Pour travailler à l'union, il faut rendre le dialogue possible, multiplier les contacts de toute sorte. Il faut une ouverture d'esprit toujours plus grande.

En second lieu, le Schéma, tout en faisant très justement la distinction entre dissident formel et dissident matériel, ne présume pas, comme on le faisait trop souvent jusqu'ici, que tout dissident est un hérétique ou un schismatique formel jusqu'à preuve du contraire. Une connaissance objective et psychologique des âmes de nos frères séparés nous fait au contraire présumer de leur absolue bonne foi et ne nous fait admettre la mauvaise foi que comme une exception, d'ailleurs rarissime. Aussi le Schéma fonde-t-il sa partie dispositive, non sur la présomption qu'ils sont acatholiques formels sauf preuve du contraire, mais qu'ils sont acatholiques matériels, de bonne foi, sauf preuve du contraire. Ce changement de perspective comporte naturellement un changement d'attitude canonique.

Il faut observer, en troisième lieu, que lorsque une hérésie ou un schisme naissent dans l'Eglise, les autorités responsables prennent des mesures très sévères pour essayer d'étouffer le mal dans son germe et protéger les âmes faibles dans la foi. Puis peu a peu s'établit un état de fait. Des chrétiens naissent dans une chrétienté déchirée, sans qu'il en soit de leur faute. L'Eglise n'adopte pas la même attitude dans l'un et l'autre cas. Très sévère au moment de la naissance de l'hérésie ou du schisme, elle se montre plus indulgente une fois la division établie, de peur qu'une trop grande sévérité, nous disent les Pères de l'Eglise, n'éloigne d'elle les brebis perdues.

Ceci explique que sur ce point de la « communicatio in sacris » avec les non-catholiques de bonne foi, l'attitude de l'Eglise n'a pas toujours été absolument la même.

En outre, cette variation de la discipline de l'Eglise sur ce point nous prouve que l'interdiction de la communion ecclésiale avec les non-catholiques de bonne foi est, non de droit divin, mais de droit ecclésiastique, donc passible d'évolution selon la prudence des pasteurs de l'Eglise et selon les circonstances changeantes de temps et de lieu.

Or il semble que les circonstances d'aujourd'hui exigent de nous un redoublement de charité à l'égard de nos frères orthodoxes d'Orient surtout. Il est préjudiciable à l'œuvre de l'union de les traîter sur le même pied que les autres qui ne partagent pas notre foi: incroyants ou hérétiques.

Ce n'est pas faiblesse ou compromission de la part de l'Eglise Catholique. Ce n'est pas non plus une diminution de son prestige; il nous semble au contraire que dans cet effort de rapprochement qui porte les Eglises chrétiennes l'une à l'encontre de l'autre, celui-là doit faire le premier pas qui a reçu de Dieu plus de grâce, plus de lumière, plus de charité, et qui se sent plus affermi dans la foi.

Et que l'on n'agite pas sans cesse et sans distinction le spectre de l'indifférentisme religieux, de la corruption de la foi et du scandale. Ce danger existe sans doute, mais quelle est l'institution humaine qui ne présente aucun danger? Mais d'abord il ne faut pas l'exagérer; ensuite, les pasteurs de l'Eglise sont là pour doser dans le concret le degré de mitigation qu'il convient d'accorder et pour distinguer entre les personnes qui peuvent ou non, sans danger, entrer en contact religieux avec nos frères séparés; enfin, il ne faut pas oublier non plus que le scandale que l'on craint s'exerce le plus souvent en sens inverse: je veux dire par là que les catholiques, autant que les orthodoxes, sont plutôt scandalisés, non de l'inter-communion, mais de son interdiction. Nous disons cela d'après notre longue expérience.

A l'annonce du Concile, les chrétiens, catholiques ou non, se sont pris à espérer que l'union pourrait de nouveau s'y faire ou que, du moins, des mesures y seraient prises pour plus de compréhension et plus de charité entre les différentes confessions chrétiennes. Ne décevons pas les espoirs de tous ceux qui attendent du Concile une direction nouvelle dans les rapports entre les chrétiens, tels qu'ils sont excellemment codifiés dans le Schéma que la Commission des Eglises orientales nous propose. C'est vraiment un Schéma œcuménique, dont je suis heureux de la féliciter.

Rev. BROWNE: Plura video in Schemate, quae revera cum sympathia video; tamen tanguntur quaedam quae sunt summi momenti respectu fidei et suae custodiae et suae puritatis. Et inde, ad tranquillitatem omnium, antequam praesentetur Concilio schema tanti momenti, pro parte mea gauderem si hanc ultimam decisionem respectu huius praesentationis audiretur quoque Commissio theologica praeparatoria pro Concilio. Hic enim agitur de re utique disciplinari, sed non mere disciplinari, iuridica nec mere iuridica, sed de re etiam theologica. Utique, quantum ad punctum magis essentiale theologicum potest admitti, quod iam resolutum fuit in Decretalibus Martini V, sed hoc quantum ad obiectum; sed quantum ad circumstantias huiusmodi communicationis in Sacris, sunt etiam plura consideranda, de quibus, ni fallor, theologus ex Commissione theologica praeparatoria pro Concilio deberet dicere

suum verbum. Et omnia fiant cum illa cautela, quae in re tantae gravitatis necessaria est.[4]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. MICARA: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: seu schema remittatur ad Commissionem theologicam: praeterea non promulgetur in Concilio sed antea ut Orientales Schismatici ad unitatem alliciantur.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: id est iuxta votum Rev.mi P. Browne, Magistri Generalis O. P.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta votum Em.mi Cardinalis Aloisi Masella, id est ut ratio habeatur de iis quae dixit Magister Generalis O. P. qui gauderet si Decretum proponeretur Commissioni Theologicae antequam schema fiat definitivum.

Card. LIÉNART: Placet: assentio his quae dicta sunt a Beat.mo Patriarcha Melchitarum.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: promulgatio seu reductio in praxim fiat non per declarationem Conciliarem sed per instructiones et decreta competentis S. Dicasterii ex mandato Summi Pontificis.

Card. MCGUIGAN: Placet.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut antequam in Concilio haec quaestio pertractetur audiatur Commissio Theologica.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[1]

Card. VALERI: Placet: seu 1) quoad Sacramenta consentio cum animadversionibus factis ab Em.mo Card. König; 2) quoad communicationem extra Sacramenta omnino consentio.

---

[4] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[1] Cf. p. 234.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet praevia visione Commissionis Theologicae.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est, audiatur Commissio Theologica.

Card. LÉGER: Placet: et assentio eis quae ab Em.mo Agagianian dicta sunt.

Opportune schema proponit, ad bonum animarum fovendum, regulationem aliquam mitiorem de communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis.

Tamen mihi videtur quod habetur in schemate aliqua contradictio. Firmiter enim affirmatur (p. 7,[2] linn. 24-25) quod « non licet catholicis formaliter partem habere in sacris acatholicorum ». In schemate, hoc dicitur de relationibus extrasacramentalibus cum acatholicis. Credo tamen quod hoc principium generale a fortiori valet etiam quando agitur de relationibus « quoad sacramenta ». Et quoad sacramenta, schema proponit quod, aliquibus in circumstantiis, catholici possint recipere sacramenta a ministris acatholicis (p. 7 § III). Utrum hoc non est « formaliter partem habere in sacris acatholicorum »? Est enim v. g. receptio Eucharistiae participatio sacramentalis in sacrificio missae, quod vero sacrificium est centrum cultus christiani. Forsan haec contradictio solutionem suam habeat in definitione communicationis formalis in sacris. Tamen credo quod schema in sua actuali formulatione occasionem daret multis et gravibus dubiis pro catholicis.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: ab Em.mo Card. Agagianian propositum.

Card. CENTO: Placet, ad mentem. Plaudo huic schemati, practico criterio, quo animatur, valde conducenti ad meliorem comprehensionem cum fratribus ortodoxis. Bona cautela erit consultatio Commissionis Theologicae. Promulgatio decreti tandem non fiat in Concilio, prout Eminentissimus Ponens insinuavit.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet iuxta modum: seu « ad mentem » significatam in foliis adnexis.

An vero et quomodo haec omnia in praxim deduci possint, accurate perpendendum est, cum differant rerum adiuncta latinorum a conditionibus in quibus sueto versantur fideles rituum orientalium. In Occi-

[2] Cf. p. 231.

dente inter latinos, subsistunt pericula indifferentismi, confusionis, etc.; et rationes pro servanda vigenti disciplina validae dici debent.

In Oriente vero aliqua mitigatio videtur admittenda, nec putandum esset eam officere, si principia de hoc subiecto melius agnoscantur (validitas Sacramentorum, longinquitas ab ecclesia proprii ritus, absentia pastoris, et sic porro); in determinatis enim circumstantiis et ob bona motiva huiusmodi tolerantia laudanda et adhibenda esset, iuxta exposita in hoc schemate.

Verum ob id ipsum quod extendi posse ad totam seu universam Ecclesiam, videretur reapse statuenda non per dispositum Concilii Oecumenici, sed potius per instructionem Sanctae Sedis (seu S. C. Orientalis et forsan cuiusdam sacri Dicasterii).

Quod vero spectat ad humanas relationes seu ad socialem conversationem et ea quae indigitantur in can. 1258, § 2 Codicis Iuris Canonici, desideratur et in votis est ut practica mitigatio admittatur, ut in moribus hic et illic iam obtinuit.

Demum super hanc rem, antequam hoc schema integre apparetur, communicetur cum Commissione Theologica.

Card. GODFREY: Placet: vellem addere aliquas observationes quantum spectat speciatim ad Orientales degentes in Anglia. Res debet examinari a Commissione, habita ratione animadversionum Em.morum Card. Cicognani, Aganianian et Magistri Generalis Ord. Praedicatorum.

Pagina quinta,[3] linn. 17 ad 21: Noto verba « ... constat profecto Ecclesiae actionem circumscribi lege illa de " communicatione in sacris ", a qua, si formalem errori adhaesionem includat, nemo iure divino eximi potest... ».

Pagina sexta:[4] A) *Quoad Sacramenta.* Sub numero secundo: Certum est quod talis « communicatio in sacris » cum Orientalibus non catholicis in nostra natione Britannica requireret magnam cautelam ad arcendum scandalum et periculum indifferentismi sicut accidit cum protestantibus quibuscumque. Sed intelligo quod forsitan aliter esset in regionibus Orientalibus ubi non esset idem periculum et minores cautelae sufficerent.

Quoad tertium et quartum, pagina septima:[5] Prudenter relinquitur curae loci praesulum.

B) *Extra Sacramenta.* In diversis locis, uti patet, circumstantiae dif-

---

[3] Cf. p. 230.
[4] Cf. p. 230.
[5] Cf. p. 231.

ferunt. In Anglia communicatio in sacris orientales inter et separatos facilius scandalum causaret.

Hortatio in fine schematis (pagina octava) [6] valde utilis est in omnibus locis ubi, ni fallor, periculum indifferentismi serpit, nam, quod est verum respectu orientalium in *eorum* regione, verum est etiam *alibi* ubi exsules a patria vitam degunt inter sectas diversas. Sine dubio apud nos communicatio etiam materialis facilius male interpretari posset.

Card. Confalonieri: Placet, maxime attentis animadversionibus factis a duobus Venerabilibus Patriarchis Orientalibus: bonum et consentaneum est ut Concilium saltem principia de hac re aperte enunciet.

Card. Richaud: Placet.

Card. König: Placet iuxta modum: [7] i. e. non omnia Concilio proponenda sed principia tantum.

Card. Döpfner: Placet: assentior quae dicta sunt ab Em.mo Card. Agagianian et Beat. Patriarcha Melchitarum.

Card. Marella: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus ab Em.mo Card. Relatore et Magistro Generali Ordinis Praedicatorum prolatis; compositis, in quantum fieri potest, cum considerationibus a Beatissimo Patriarcha Melchitarum propositis et ad mentem quoque etiam Em.mi Agagianian.

Card. Muench: Placet schema Decreti.

Card. Meyer: Placet cum adnotatione Eminentissimi Card. Agagianian de modo quo totum schema in praxim reduci debeat.

Card. Alfrink: Placet; tantummodo in parte A) Art. III, linn. 1-4 addatur forse « *deficiente catholico ministro* », ubi agitur de catholicis qui Sacramenta petere possunt a ministris acatholicis *in mortis periculo*.

Card. Di Jorio: Placet.

Card. Roberti: Placent schematis principia, applicanda quidem cum prudentia.

Card. Jullien: Placet, attenta quoque dictione quater repetita *ad mentem sacrorum in loco praesulum,* ita ut res illa gravissima non sit ad arbitrium uniuscuiusque laici penitus relicta; praeterea promulgatio fiat iuxta modum prudentem ab Em.mo Relatore propositum.

---

[6] Cf. pp. 231-232.
[7] Cf. pp. 234-235.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut prae oculis habeantur observationes factae a Rev.mo P. Generali O. P. et ab Em.mis Patribus Agagianian, Ruffini, Valeri, Cicognani, Godfrey, König.

1) Res tractetur extra Concilium ut optime propositum fuit. 2) Res tractetur *communiter* in Commissione mixta, doctrinali et practica, cui adsint Commissio Orientalis, Theologica, de Disciplina Sacramentorum et de Propaganda Fide. 3) Doctrina theologica et etiam canonica accurate proponatur.

* * *

I - Generalia:

1) *Introductio* (pag. 5,[8] a lin. 15, et pag. 6 [9]), quae intentiones optimas prodit, in aliquibus non prorsus apparet clara et solida. Sane, nimis restringere videretur communicationem in sacris *formalem*. Haec, ut monent Doctores, non solum habetur quando quis *subiective* mente et voluntate interne communicat cum errore acatholicorum, sed etiam quando quis, *de facto, active* et *obiective* in cultu participat, ita ut implicitam obiectivam necessariam cultui falso agnitionem concedat, cui ut cultui, active cooperatur. Ideo, nec immerito practice Codex Iuris Canonici, ut recte animadversum fuit, *non* de formali et materiali cooperatione agit, sed de *activa* (can. 1258 § 1 quam absolute prohibet: « Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum ») et *passiva* « *seu materiali* » (§ 2).

2) Ideo in legislatione et in doctrina, inter communicationem in sacris *formalem subiectivam* et *materialem passivam,* atque intra ipsas alia adest communicatio quae *non est materialis tantum,* sed *qua activa,* tam *obiective* quam *socialiter,* secumfert activam cooperationem, *subiective* vero, *in iure* nec immerito, secumfert praesumptionem communicationis stricte seu strictius formalis, ita ut violatorem prohibitionis huius activae cooperationis (c. 1258 § 1) *suspectum de haeresi reddat* (c. 2311).

3) Cum fidei et morum doctrina in tota Sancta Dei Ecclesia, sive in partibus Orientis sive in partibus Occidentis, *una* esse debeat, antequam haec quae certo certius sincero atque aedificante zelo proponuntur discuti possint, audienda esset hac de re vel *Commissio Theologica* vel *Commissio mixta* inter *Theologicam,* pro Ecclesiis Orientalibus et forsan etiam de *Disciplina Sacramentorum* ut gravis quaestio, theoretice et practice, examini revocetur.

---

[8] Cf. p. 230.
[9] Cf. p. 230.

II - In particulari:

A) *Quoad Sacramenta.*

Ad I. Prorsus constat, et nisi quadam ratione redactionis vel alia extrinseca quae nos fugiunt res explicaretur, mirandum esset hic *suffragium unanime non fuisse* sicut nec in litt. B) I.

Ad II. Non possumus quin in mentem revocemus can. 731 § 2 quae est expresse contraria: « Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis et schismaticis etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius erroribus reiectis Ecclesiae reconciliati fuerint » (cum fontibus). Etsi sincere et candide fatear aliqua, quae favore nobis proposito Decreto allegantur et allegari possunt, leviter accipienda non esse, in primis satis gravis est illa obscuratio criterii illiceitatis *formalis et activae* communicationis, praecipue certo nostrorum cum illis, sed etiam illorum nobiscum. Etiam, si possibile esset ab hac consideratione abstrahere, serio pensanda erit tam gravis praxis pastoralis mutatio. Haec omnia Commissioni mixtae necessario subiicienda sunt.

Ad III. Cum certe agatur de communicatione *activa,* haec ex Codice latino graviter sunt prohibita (can. 1258 § 1). Etsi dici absolute non posset, abstracte loquendo, hanc communicationem de qua agitur, si ipsa obiective et subiective plene purificatur, ita ut nihil adsit obiective superstitiosi vel haeretici in ritibus et ex parte subiecti nec agnitionem practicam actu secumferat schismatis vel fidei periculum non contineat seu scandalum de facto non pariat, esse in casu IURE NATURAE vetitam, quia intrinsece malam, tamen, etiam hoc admisso vel relicto, nemo non videt quousque commune periculum immineat ex his communicationibus offuscationis verae fidei et fidelitatis. Sensim sine sensu, non tam illos ad nos venire quam nos ad illos pergere videbimur.

Ad IV. Haec ita periculosa et gravia non possunt tantum bonae voluntati, criterio, facilitati sacrorum in loco Praesulum relinqui, sed vigilantiae, iudicio et firmo criterio S. Sedis et sub ipsa supra-episcopali Hierarchiae (Patriarchae, Archiepiscopo, etc.) committenda sunt. Cf. infra p. 8,[10] lin. 17 ss.

B) *Extra Sacramenta.*

Ad I. *a*) Mirandum sane est hanc formalem, expressam communicationem, ut supra innuimus, tantum suffragiorum maioritate reprobari.

b) Ut supra innuimus, melius quam de formali et materiali communicatione, *de activa et passiva* sermo fieret, quia *materialis activa* ad formalem clare et proxime accedit.

Ad II. Redactio obscura est, cum non distinguat inter diversas clas-

[10] Cf. pp. 231-232.

ses communicationis materialis. Inde, quod de passiva admitti posset, ad activam extenditur. Ut textus sonat, posset catholicus ex iusta causa (ut puta ad fovendas bonas cum acatholicis relationes) partem activam, ut alius quidam schismaticus (non clericus), in cultu partem sumere. Etsi haec in mente proponentium forsan non sint, in textu tamen de facto vel sunt vel inveniri facile possent.

Ad *Hortationem* pag. 8:[11]

a) Hortatio nimis vaga apparet. Sane, in primis novem lineis (1-9), quae dicuntur tam fidelibus christianis catholicis quam orthodoxis aequivoce patent. Quae vero sequuntur a lin. 10 ad lin. 16 ab schismaticis de propria Ecclesia intelligi optime valent.

b) In lineis 16 et sequentibus praeter dicta (*a*) notamus quod iam supra innuimus: (A) ad IV). Dicit textus: « Locorum tandem sacri Antistites consiliis secum Sanctaque cum Apostolica Sede collatis ». In rebus quae ad unitatem Ecclesiae tam graviter ac directo pertinent non conferuntur consilia cum Sancta Sede, ut cum aliis locorum Antistitibus, sed *ab Eadem normae et criteria* implorari et recipi debent.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. iuxta votum Rev.mi P. Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. BEA: Placet; consentio omnino cum Card. Agagianian, Valeri et Beat.mo Patriarcha Melchitarum. Ceteroquin casus non est abstractus, sed in certis regionibus fit, et debet fieri ne diutius priventur Sacramentis (etiam in Occidente, ubi orthodoxi interdum per longissimum tempus non vident sacerdotem) v. g. studentes orthodoxi.

Efferre distinctionem inter protestantes et orthodoxos. Schema non per Concilium promulgandum, sed ab ipso *approbandum*.

Beat. SAIGH: Placet.[12]

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe iuxta animadversionem Rev.mi Magistri Generalis Ord. Praedicatorum. Puto multos fratres separatos esse in errore tantum materialiter. Ideoque communicatio concedenda in casu necessitatis. Sed multa prudentia adhibenda, secus habetur indifferentismus et considerantur uti catholici qui non sunt catholici.

Beat. CHEIKHO: Placet, re practice considerata non vero dogmatice.

---

[11] Cf. p. 231.
[12] Cf. pp. 235-238.

Exc. FELICI: Placet, iuxta animadversiones factas praesertim ab Em.mo Card. Agagianian et Beat.mo Patriarcha Melchitarum.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: et secundum animadversiones ab Em.mo Cardinali Relatore et Card. Agagianian factas. Agitur de materia pro diversitate locorum et temporum, diversimode statuenda iuxta sanae doctrinae normas; propterea mihi opportunum esse non videtur ut haec materia in iuris principium erigatur.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet, cum prudentissimis propositionibus factis ab Em.mo Cardinali Agagianian et a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: assentio secundum mentem Commissionis Theologicae atque cautelae iam expressae.

Exc. BERAS: Placet, quia ad unitatem christianorum ordinatur. Plaudo libentissime iis quae Beatissimus Patriarcha Melchitarum dixit. Habeantur tamen praesentia ea quae Em.mus Card. Larraona dixit.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: quoniam, si verum est fideles esse in bona fide, attamen cum agitur de fide in suprema auctoritate Summi Pontificis, communicatio in sacramentis est facienda cum maxima prudentia.

Extra Sacramenta, ut dictum est ab Eminentissimo Cardinali Valeri, placet maior facilitas in relationibus.

Quoad promulgationem, ut dixit Eminentissimus Cardinalis Agagianian, fiat per Decretum Summi Pontificis.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Eminentissimorum Cardinalium König et Agagianian et post consultationem Commissionis Theologicae. Assentio his quae dicta fuerunt a Beatissimo Patriarcha Melchitarum.

Exc. ŠEPER: Placet. Bonum esset addere in Schemate de liceitate celebrandi in ecclesiis schismaticorum, si desit ecclesia catholica, et vice versa. Item de usu campanarum v. gr. pro funere alicuius orthodoxi etc.

Exc. BAZIN: Placet omnino. Assentio dictis ab Em.mis Card. Agagianian, Cicognani et Alfrink.

Exc. BERNARD: Placet: promulgatio fiat secundum propositionem Eminentissimi Card. Agagianian et Em.mi Card. Ponentis sed fiat sine nimia mora.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: in praxim tamen deducatur per viam decretorum et instructionum Sanctae Sedis, praevio examine Commissionis Theologicae.

Exc. YAGO: Placet, et assentio iis quae dixit Em.mus Cardinalis Agagianian.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: nempe iuxta observationes Em.mi Cardinalis Ruffini et Moderatoris Supremi Ordinis Praedicatorum.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: attenta observatione Eminentissimi Relatoris de discreta publicatione huius Constitutionis et de examine faciendo a Commissione Theologica ad cautelam in re tanti momenti.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae dicta sunt de examine faciendo a Commissione Theologica.

Exc. JELMINI: Placet et quidem valde ad fovendam unitatem. Adhaereo animadversionibus Eminentissimi Card. Relatoris et Eminentissimorum Card. Agagianian, Valeri et etiam Patriarchae Melchitarum.

Exc. SUHR: Placet: promulgatio fiat secundum observationes Em.mi Card. Agagianian.

Rev. GUT: Placet: Decretum hoc erit summae laudis Concilio: correspondet exspectationi omnium, qui pro felici Concilii exitu orant.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum:[13] ita tamen ut audiatur quoque Commissio Theologica ad cautelam.

Rev. SÉPINSKI: Placet schema in omnibus et adhaereo animadversionibus Em.mi Cardinalis Agagianian. Concilium tantum principia enuntiet.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: cum Em.mis Cardinalibus König et Agagianian, et cum Rev.mo Magistro Generali O. P.

---

[13] Cf. pp. 238-239.

VIII

DE USU LINGUARUM VERNACULARUM IN LITURGIIS

(Quinta Congregatio: 19 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Romani Pontifices, quibus sollicitudo omnium Ecclesiarum a Domino fuit commissa, Ecclesiarum Orientalium ritus sartos tectosque custodientes, admodum laudaverunt et probaverunt usum linguarum quibus Orientales in suis Liturgiis laudes Deo tribuunt. Ecclesia enim Dei, quae a Divino suo Conditore mandatum accepit docendi omnes gentes (*Matth.* 28, 19), quaeque die Pentecostes, teste Petro et Apostolorum collegio, Parthos, Medos, et Aelamithas, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Iudaeos quoque, et Proselytas, Cretes et Arabes audivit loqui suis quisque linguis magnalia Dei (*Act.* 2, 9-11), numquam iam oblivisci potuit, laudare fas esse Dominum non una vel tribus tantum, sed linguis omnium gentium. Quae doctrina saeculorum decursu praxi quotidiana probata, mirabilem illam in Ecclesia Christi rituum varietatem effecit, qua Ecclesia Christi unitas non solum ullomodo vulnus passa est, sed magis refulsit in maius bonum animarum maioremque gloriam Dei. Eadem proinde praxi sollicitudineque ductus, Pius Pp. XI, rescripto quodam dato, noluit restringere Orientalium facultatem illas adhibendi in Liturgiis linguas, quas magis opportunas ad maius bonum animarum procurandum aestimarent (20 febr. 1929).

Proinde Sancta Oecumenica Synodus, doctrinam hanc et praxim laudare et comprobare percupiens, Orientalibus omnibus Ecclesiis ius hoc consuetudinarium confirmat, et Patriarchis supremisque singulorum rituum ecclesiasticis auctoritatibus ius id moderandi committit. Omnes tamen hortatur, ne abusus in hoc subrepant et ut semper servetur concordia et ecclesiasticae disciplinae observantia. Rituum enim diversitas et linguarum in Liturgiis celebrandis varietas, mutuae caritati nedum nocere, eorum mutuam aestimationem ita augere debet, ut omnes uno ore et uno corde, in eadem fidei christianae confessione, orbe terrarum mirante, magnalia proclament Dei. Quod ut fauste feliciterque eveniat, Sancta Oecumenica Synodus sequentia declarare et statuere proponit:

I. A tempore immemorabili Ecclesiae rituum orientalium iure consuetudinario gaudent in celebratione liturgica illas linguas adhibendi quas magis opportunas aestimant ad bonum animarum.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961: unanimiter).

II. Patriarchae cum Synodo vel Supremae cuiusque Ecclesiae Orientalis Auctoritati cum Consilio competit ius approbandi et moderandi huius consuetudinis usum.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961, et sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

III. Versiones textuum liturgicorum in linguam vernaculam, antequam in Liturgia celebranda adhibeantur, Auctoritati, de qua in n. II, subiiciendae sunt.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Sacerdos ritus orientalis qui propter bonum spirituale praesentium, in perficiendis sacris, ex parte vel integre linguam adhibere vult diversam ab illa vel ab illis quibus sua Ecclesia traditionaliter utitur, ne inconsulto Hierarcha loci, quo celebrat, hoc faciat.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961, et sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Status quaestionis. – Ante saec. XVI deerat lex scripta quae normas traderet de linguarum vernacularum usum in liturgiis; qui quidem usus proinde, usque ad illud tempus, tantum iure consuetudinario regebatur.

Ad evolutionem autem eiusdem usus quod attinet, duplex aetas distinguenda est, altera quae praecedit, altera quae Concilium Tridentinum consequitur.

Ut praetermittamus primaevas christianorum communitates ex Iudaismo ortas, quas veri simile est usas esse aramaico sermone, affirmari potest, officia liturgica primum lingua graeca celebrata esse tum in Oriente, tum in Occidente. At saeculis II et III, in Occidente, etiam lingua latina adhibita est, et quidem primum in Africa ac deinde in Italia; qui usus paulatim praevaluit. Idem in Oriente evenit, ac nominatim in Syria, in Armenia, in Aethiopia, in Mesopotamia, ubi christiani, sermone graeco relicto, textus liturgicos in suam cuiusque linguam vertere coeperunt.

Primum testimonium de auctoritatis ecclesiasticae interventu hac in re habetur saeculo IX, cum Summi Pontifices Hadrianus II et Ioannes VIII probaverunt linguae slavicae usum in liturgia occidentali apud Moravos invectum a Ss. Cyrillo et Methodio; qui usus, propagatus in quasdam Europae orientalis regiones, adhuc viget. Animadvertendum est, hac de causa acres ortas esse controversias apud Latinos, qui Cyril-

lum et Methodium accusaverunt, quasi disciplinam ecclesiasticam violassent. Non ita apud Byzantinos, qui, e contra, sine ulla difficultate usum linguae slavicae in propria liturgia exceperunt. Quam quidem agendi rationem secuti sunt Syri, Copti et alii, qui suos textus liturgicos in linguam arabicam transtulerunt.

Breviter, circa usum linguarum vernacularum apud Orientales, res ita se habebant ante Concilium Tridentinum:

a) Semper admissus fuit usus linguae nativae apud Orientales; ac proinde, quotiescumque populi non amplius obnoxii erant dicioni Constantinopolitanae, iisdem ex consuetudine acceptum fuit proprio sermone uti in liturgia celebranda.

b) Linguae nativae in liturgia adhibitae non eodem modo evolvebantur ac linguae vernaculae vivae, ita ut, tempore elabente, stabiles evaderent. Nihilominus populus, secus ac contigit apud Latinos, magna ex parte liturgiam suam intelligere pergebat.

c) Unus idemque ritus admittere poterat plures linguas. Quoad ritum Byzantinum res est notissima. Sed idem dicendum est de ritu Syro ac de ritu Chaldaico. Quare singulae communitates Orientales utique distinguebantur suo cuiusque ritu; et huic ritus unitati non obstabat multiplicitas linguarum.

Haec rerum condicio ex parte existimari poterat mutata apud Orientales Catholicos post saec. XVII, praesertim ob influxum Concilii Tridentini, quod, uti constat, damnavit usum linguae vulgaris in celebratione Missae. Mens Concilii erat ut reiiceret errores Protestantium, qui autumabant liturgiam solum lingua vulgari celebrari debere, cum hoc modo tantum excitare posset christianorum fidem.

Hoc Concilii Tridentini decretum non respiciebat consuetudines Orientalium; nihilominus influxum quendam habuit, saltem apud nonnullas communitates catholicas. Exemplo sit Synodus Maronitarum Montis Libani, anno 1736 celebrata, quae post concessionem usus linguae arabicae, haec statuit: « Quamobrem eos qui dicunt lingua tantum vulgari Missas et divina officia celebrari debere, anathematizamus ».

Hic influxus magis patet, si attendatur ad notionem linguae liturgicae, latinorum propriam, vi cuius lingua dicitur liturgica, si talis ab auctoritate ecclesiastica declaretur et admittatur. Hic conceptus a quibusdam communitatibus orientalibus catholicis receptus fuit, quamvis ex legitima consuetudine eaedem non tenerentur.

Quidquid de praeterito est, hodie usus novae linguae vernaculae in liturgia semper indiget auctoritatis ecclesiasticae approbatione, quae quidem facile tribuitur, si id postulet spirituale bonum fidelium. Id tamen nullo modo videtur fundamentaliter immutare antiquum ius con-

suetudinarium Orientalium. Ecclesia Catholica, enim, huiusmodi praxim agnovit eandemque integram vult custodire, ut Pius XI per rescriptum (20 februarii 1929) aperte declaravit. (Cf. Prot. N. 502/33 S. C. O.).

Immo, haec facultas plenam vim suam retinere dicenda est, etiamsi aliquando, ratione boni communis, eius usus in quibusdam locis nonnihil restringendus videatur. Id contigit in territoriis episcoporum latinorum, ubi Orientales commorantur et, cum nativam linguam iam non intelligant, sermo loci in officiis liturgicis adhibitus est. Quod, uti patet, difficultates gignere potest, cum legislatio latina de hac re diversa sit. Harum etiam difficultatum in schemate ratio habita est.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Quaestio haec iterari potest et probabiliter iterabitur pro Ecclesia latina, ad quam respicere iam nunc utile est.

Non agitur proprie de fide, sed potius de re disciplinari. Attamen velim consideretur linguam rituum antiquorum non esse perpendendam solummodo respectu populi, sed praesertim respectu fidei integritatis, cum sit in comperto omnium legem credendi legem statuisse supplicandi. Etenim difficilius est quam prima fronte appareat verba antiqua in sermones vernaculos — servata perfecte significatione originali — convertere. Praeterea, nonne divisionibus faveretur potius quam christianorum unitati et nationalismis — proh dolor! — in Religione quoque, si linguae liturgicae multiplicarentur?

Card. JULLIEN: Duo enim animadvertenda censerem:

1. Uti iam innuebam, ubi disseruimus de varietate rituum, melius videretur si unum redigeretur schema de ritibus deque linguis. Petivi quoque ut, si usus variarum linguarum in liturgiis Orientalibus non modo probaretur sed laudaretur a Concilio, id tamen fieret moderate, paucis verbis, ne si extollatur linguarum liturgicarum varietas penes Orientales, exacerbetur penes Latinos quaestio vexata de linguis vernaculis in liturgia Romana. Ne igitur Latini dicant: si isti et illi, cur et non nos?

2. Optarem ut in schemate de variis ritibus et de linguis liturgicis, adiungantur verba, pauca quidem, de spiritu unitatis.

Videlicet Concilium Oecumenicum, occasione illarum varietatum, paucissimis verbis commendet spiritum unitatis sive inter Orientales diversorum rituum, sive inter Orientales et Latinos.

Heic igitur longe abest gravis error unicitatis seu unificationis, quam dicunt.

Agitur de unitate in Domino. Haec unitas est fructus unius Fidei, fructus caritatis et prudentiae, fructus, ut ita dicam, boni sensus.

Late ac bene disceptatum est in hisce consessibus de variis ritibus deque praeeminentiis et honoribus; sed eiusmodi quaestiones, si necessariae sunt, ne obscurent viam salutis. Varietates illae rituum ne foveant divisiones quibus animi debilitarentur. Tempore belli vivimus. Communis inimici vires sunt divisiones nostrae. Communis inimicus valentissimus erit si divisi simus; atque eius igitur summa interest ut suos dividat adversarios, id est nos.

Quapropter, in casu, practice, in uno schemate de ritibus et linguis, legitimis regulis positis, addatur brevis paragraphus, in qua dicatur quod laudata haec varietas rituum foveat unitatem omnium filiorum Matris Ecclesiae, quae una est; ita ut ex paucis illis verbis, cuncti quod sit suum officium pro unitate servanda intelligant. Ita exempli gratia, magis ac magis conventus agant de re catholica tractanda in sua unusquisque regione. Beatissimi Patriarchae, Excellentissimi Episcopi, fraterna caritate coadunati. De quibus conventibus episcopalibus sane agat Commissio praeparatoria *de Episcopis*..

Fideles, suadentibus pastoribus, ne vereantur partem habere consociationibus interritualibus, pro operibus religionis, caritatis, puta pro actione catholica fovenda. De quibus sane agatur Commissio pro laicis.

Omnes in memoriam revocent: quod singuli non possunt, uniti possunt.

Beat. SAIGH: *J'approuve ce Schéma* qui correspond bien à l'attitude depuis toujours prise par notre Patriarcat dans la question de l'usage des langues modernes dans la liturgie byzantine.

Je demanderais seulement *une ajoute à la fin de l'Art. IV,* car la clause « ne inconsulto Hierarcha loci, quo celebrat, hoc faciat » peut donner lieu à l'arbitraire. L'ajoute devrait préciser que l'Ordinaire du lien ne peut s'opposer indéfiniment à ce droit, reconnu par l'Eglise, de célébrer dans les langues modernes. L'opposition ne peut être que provisoire et motivée.

Rev. BROWNE: Schema quantum ad quattuor numeros ubi de disciplina regulatur, bonum videtur et placet, sed prooemium, ut puto, moderandum esset. Prooemium valde laudat diversitatem rituum et linguarum. Ego puto quod sufficit dicere quod Ecclesia admittit hanc varietatem. Si incipimus laudare omnes istas varietates tunc facile prolabimur in laudatione varietatum in ritu latino. Et via aperiretur non prudentioribus et minus prudentibus ut instaurent huiusmodi mutationes. Insuper sine

ulla difficultate, sine ullo dubio Ecclesia accipit, et quodammodo etiam laudat varietatem rituum orientalium, sed tamen non debemus oblivisci emolumentum etiam cuiusdam unicitatis in ritu. Sumus in re valde intima in vita Ecclesiae; nam secundum vetus axioma: lex orandi statuit legem credendi. Inde exactitudo quantum ad modum orandi magni momenti est pro vita intima Eccelsiae. Insuper, saltem in ritu latino, omnes nos opinamur magni momenti esse ut Romano Pontifici, qui est Pater divinitus datus omnium animarum, utique, attento quoque munere Episcoporum omnium, reservetur, secundum ius nostrum, ut vigilantia fiat in omnibus quae concernunt ritum. Haec omnia dico, repeto, non ut moverem ullam difficultatem respectu Orientalium et respectu multiplicitatis rituum antiquorum qui veniunt etiam a tempore antiquissimo immo fere apostolico vel apostolico, sed tantummodo ut non exaggeremus; et prooemium in laudationibus, quas tribuit varietatibus rituum, mihi videtur aliquatenus exaggerare. Aliquis dicere poterit: in hoc non nocet; sed potest tamen nocere quia si huiusmodi prooemia approbantur legentur non solum ab Orientalibus sed etiam ab Occidentalibus.[1]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. MICARA: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: res remittatur Codici Iuris Canonici Orientalis.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet ut quae habentur sub nn. II et III et praesertim IV fiant accedente tandem adprobatione Sanctae Sedis, ne dicam ad puritatem fidei satius tuendam sed saltem ad unitatem disciplinae ecclesiasticae toto orbe terrarum, tum in Oriente tum in Occidente.

Card. LIÉNART: Placet, quia varietas illa non adversatur unitati, quae nullam uniformitatem exigit, sed magis illustrat catholicitatem Ecclesiae Dei.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet.

---

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: Remittatur ad Codicem Iuris Orientalis Canonici.

Card. McGUIGAN: Placet.

Card. PLA Y DENIEL: Placet.

Card. FRINGS: Placet. Prooemium videtur nimis patheticum et euphemisticum.

Ad IV: Quaeritur quid indicet locutio « ne inconsulto », an consentiente, an solum audito Hierarcha loci.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[1]

Card. VALERI: Placet, at res remittatur ad Commissionem pro Ecclesiis Orientalibus et pro Codice Iuris Canonici Orientalis.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet: iuxta observationes factas ab Em.mis Jullien et Agagianian.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est, cum praecisione facta a Beatissimo Patriarcha Melchitarum circa numerum IV pag. 6.[2]

Card. LÉGER: Placet. In hac materia utiliter ageret ut coordinatrix Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus.

Quoad § III (p. 6): Credimus quod opportunius subiiceretur iurisdictioni Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali approbatio versionum textuum liturgicorum in lingua vernacula. Ecclesiae orientales sunt enim sparsae in toto orbe terrarum. In his adiunctis, posset evenire quod existerent pro diversis Ritibus multae versiones eiusdem linguae vernaculae et consequenter possibilitas diversae interpretationis etiam quoad textus substantiales Liturgiae. Lex orandi est lex credendi. In hac materia utiliter ageret ut coordinator Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali. Videtur necessarium habere unica iurisdictio pro approbatione versionum textuum liturgicorum, salvo iure (in I et II) Supremae Auctoritatis cuiusque Ecclesiae Orientalis decidendi quam magis opportunas linguas adhibendi aestimant.

Card. MONTINI: Placet.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: salva, nempe, approbatione Sanctae Sedis, ad tuendam unitatem in varietate.

---

[1] Cf. p. 251.
[2] Cf. p. 249.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet. Animadvertendum est quod adest penes Sacram Congregationem de Ecclesiis Orientalibus Commissio Liturgica quae curam habet de revisendis et edendis Libris Liturgicis cuiusque ritus.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: ad mentem Em.morum Cardinalium Jullien et Agagianian. Convenio cum observationibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum relate ad Prooemium.

De lingua latina, uti spero, habebimus occasionem exprimendi votum in futura sessione de Liturgia in Occidente.

Card. CONFALONIERI: Placet.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: attentis observationibus Em.mi Cardinalis Jullien et Rev.mi Magistri Generalis Praedicatorum.

Card. KÖNIG: Placet, sed dubium adest utrum haec materia in Concilio tractanda sit.

Card. DÖPFNER: Placet.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: pro Ecclesiis Orientalibus schema omnino placet ad mentem Em.mi Relatoris et Magistri Generalis Praedicatorum quoad Prooemium. Quoad ad Ecclesiam Latinam attinet, nullam video necessitatem vel etiam utilitatem, ad mentem Em.mi Ruffini, cum translationes librorum Liturgicorum hodie ad manus omnium fidelium perveniant, atque magis ac magis mos introducatur habendi Commentatoris in Ecclesiis occasione Missarum et aliarum coerimoniarum diebus praesertim festivis.

Card. MUENCH: Placet.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: i. e. omnino adhaereo iis quae dixit Card. Jullien; quaestio de usu linguarum vernacularum in Ecclesiis Orientalibus non debet tractari independenter a quaestione de usu vernaculae linguae in Ecclesia Latina. Unum schema hac de quaestione, mihi videtur, parandum est.

Card. ALFRINK: Placet, diminuta quodammodo in prooemio laude varietatis rituum.

Card. DI JORIO: Placet.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus praesertim Em.morum Cicognani et Jullien nec non Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: uti in foliis adnexis.[3]

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita, ut 1) in primis prae oculis habeantur quae proposita fuerunt ab Em.mis Card. Jullien, Agagianian, Cicognani et a Magistro Generali O. P.

2) *a*) ad Codicem res remittatur;

b) ut corrigatur et brevietur Introductio;

c) salva approbatione S. Sedis ad I et III (c. 279 § 2);

d) quoad IV ut in voto Beatissimi Patriarchae Melchitarum, ita tamen ut ex venia fiat Ordinarii et sub eius vigilantia.

* * *

1) Aliqua temperarem in introductione, ceterum eleganti, circa argumentum ad rem de qua agitur evincendam ex *Actibus* (2, 9-11) et ex *Matth.* (28, 19) deductum. Ipsa urgeri nimis non possunt, nec recte contra usum liturgicum Occidentis traherentur.

2) Ad I. Pro nova lingua tamen introducenda, si non necessario, convenienter, S. Sedes consuleretur.

3) Ad III. Adderem praescriptum Codicis Orientalis in can. 279, § 2: « *Prima autem textuum liturgicorum approbatio Sedi Apostolicae reservatur* » quod, aliis omnibus hac in re Patriarchis agnitis, in pignus unitatis et catholicitatis consulto servari debet. Nec video, sincere dicam, qua nova pretiosa ratione haec clausula cancellanda esset.

4) Ad IV. Nimis blanda clausula videretur « *ne inconsulto* Hierarcha loci, quo celebrat, hoc faciat ». Saltem « *non absque praevia venia* ». Haec potestas utendi lingua, quae non est habitualis nec officialis in liturgia de qua agitur, non potest competere *ex se* Sacerdoti.

Ipsi quidem concedi potest, et si volumus non ita difficulter, ex receptis generatim criteriis orientalibus, sed *concedenda* est, et quidem sub elementaribus cautelis.

Card. HEARD: Placet, sed subscribo animadversioni Em.mi Agagianian.

Card. BEA: Placet. Certe aliqua vigilantia opus est, sed ad hoc adest S. Congr. Orient. (cf. Card. Agagianian). Hoc valet etiam de versionibus quae approbandae sunt. De lingua in ritu Latino agit Commissio Liturgica.

Beat. SAIGH: Placet avec la remarque ci-dessous.[4] A remarquer que

---

[3] Cf. pp. 251-252.

[4] Cf. p. 252.

le Canon IV dit à la dernière ligne « ne inconsulto Hierarcha loci... ». Il faut ajouter que l'Ordinaire ne peut s'opposer indéfiniment à ce droit reconnu par l'Eglise. L'opposition ne peut être que provisoire et motivée.

Beat. GORI: Placet schema propositum.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: Ea quae sunt essentialia, v. g. verba Consecrationis in Sacro Sacrificio Missae, recitentur in lingua liturgica. Idem dico de precibus quae a solo celebrante citantur secreta voce.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: id est ad mentem Em.mi Cardinalis Pizzardo et Em.mi Cardinalis Cicognani et Em.mi Cardinalis Agagianian. Etiam mihi videntur opportuna et necessaria ea quae dicta sunt a Rev.mo Ministro Generali O. P. quoad prooemium schematis decreti.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: unitas Ecclesiae Dei exigit ut manifestetur in catholicitate, secundum observationes factas.

Exc. BERAS: Placet.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimi Cardinalis Jullien et Magistri Ordinis Praedicatorum.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus ab Eminentissimo Agagianian factis.

Exc. ŠEPER: Placet.

Exc. BAZIN: Placet, iuxta observationes Card. Jullien et Alfrink.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab Eminentissimo Cardinali Jullien factis.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: Prooemium tamen revisetur iuxta observationes Rev.mi Prioris Generalis Praedicatorum.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. NGÔ-DINH-THÚC: Placet iuxta modum: attentione data observationibus Eminentissimorum Jullien et Agagianian.

Exc. VERWIMP: Placet.

Exc. JELMINI: Placet.

Exc. SUHR: Placet.

Rev. GUT: Placet. Unicum conficiatur decretum de diversis ritibus et de usu linguarum vernacularum agens sicut exposuit Cardinalis Jullien. Ne nimis laudetur rituum diversitas, sicut proposuit Pater Generalis Praedicatorum.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: i. e. ut non *nimis* in prooemio varietas rituum et linguarum laudetur.[5]

Rev. SÉPINSKI: Placet.

Rev. JANSSENS: Placet.

IX

DE ECCLESIAE SACRAMENTIS

(Quinta Congregatio: 19 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

I

DE MINISTRO SACRAMENTI S. CHRISMATIS

Sancta Mater Ecclesia de bono spirituali filiorum suorum semper sollicita, nihil umquam omisit, ut Christifideles sacro Baptismatis lavacro regenerati, gratia Sacramenti Chrismatis roborentur, qua idonei ad pugnam adversus animae hostes effecti, victoriam reportarent et aeternam salutem assequerentur. Quare, quamvis Episcopus isque solus sit minister ordinarius huius Sacramenti (EUGENIUS IV, *Exultate in Deo* in Conc. Florentino, 22-XI-1439; Conc. Trident., sess. VII: *De Confirmatione,* can. 3), notum tamen est in Orientis partibus ab antiquo praxim invaluisse, ut, Apostolica Sede annuente, etiam simplices presbyteri Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum in collatione Baptismi suis fidelibus ministrarent, adhuc et ministrent. Huius praxis testes sunt Sancti Patres, qui Orientalem Ecclesiam sua doctrina et sanctitate illustrarunt; et ipsi Pontifices Romani, qui non semel illam disciplinam in bonum fidelium sua Apostolica Auctoritate

[5] Cf. pp. 252-253.

confirmare dignati sunt; quamvis, ubi maius Ecclesiae animarumque bonum id postulare visum est, Romani Pontifices non dubitaverint illam facultatem presbyterorum orientalium pro determinatis locis aut limitare aut etiam penitus revocare. Hanc igitur praxim haec Sancta Oecumenica Synodus iterum sollemniter approbat et confirmat. Monetque autem presbyteros hac facultate donatos, ne modum excedant; meminerint se in administratione huius Sacramenti extraordinarios tantum esse ministros, qui tam venerandum Sacramentum conferre valent nonnisi per Supremae Auctoritatis Ecclesiae concessionem, et intra limites in praesenti Decreto definitos.

Haec Sancta Synodus maxime exoptat, ut Christifideles hoc Sacramentum a Christo Domino nostro institutum magni aestiment omnesque, quantum fieri possit, eiusdem gratia muniantur, qua roborati et signati, uti milites boni pro fide, in aedificationem Corporis Christi, nostris praesertim temporibus audacter decertare valeant omniaque maligni tela ignea extinguere (*Eph.* 6, 16). Quod ut efficacius obtineatur, et ne fideles tanto bono priventur, necessarium visum est opportuna illa adhiberi media, quibus disciplina de Chrismatis administratione nostri temporis necessitatibus et conditionibus, in quibus plerique fideles orientalium rituum versantur, sit accommodata. Quare haec Sancta Oecumenica Synodus, bonum spirituale omnium cuiusvis orientalis ritus Christifidelium maxime exoptans, quae sequuntur pro Ecclesiis Orientalibus dignata est decernere:

I. Episcopus est solus minister ordinarius Sacramenti Chrismatis.

(Ex Conc. Tridentino).

II. Iuxta traditionalem disciplinam orientalem, presbyter etiam illud administrat, chrismate ab Episcopo benedicto.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

III. Presbyter orientalis hoc Sacramentum Chrismatis omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, valide confert.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

IV. Presbyter latinus, qui indulto vel facultate hoc Sacramentum conferendi gaudet, etiam fidelibus cuiusvis ritus orientalis illud valide administrat.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. Presbyter orientalis, nisi iure particulari aliud caveatur, Sacramentum Chrismatis una cum Baptismo conferat.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

VI. Separatim a Baptismo, Chrismatis Sacramentum ne administretur nisi de mandato Hierarchae loci.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

VII. In periculo mortis, presbyter cuiusvis ritus orientalis facultate gaudet administrandi Chrismatis Sacramentum fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, sive cum Baptismo, sive etiam separatim.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

II

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

Sacramentum Poenitentiae, misericordia Domini Nostri Iesu Christi institutum, potestate data apostolis discipulisque ligandi et solvendi in coelis et in terra, Sacramentorum unica et universalis dispensatrix — Ecclesia, nunquam cessavit peccatoribus poenitentibus dispensare, eadem ducta misericordia. Ne tamen Sacra indigne tractarentur, sive ex humana fragilitate sive ex ministrorum negligentia, Sancta Mater Ecclesia potestatem hanc quibusdam normis et regulis circumsepsit, earumque curam Hierarchis commisit.

Aetate nostra, novis exsurgentibus necessitatibus et difficultatibus, Ecclesia Dei meliori qua potest mensura ac materna sollicitudine providere cupit, attenta praesertim illa hominum hinc inde cursitantium per orbem terrarum conditione et quidem considerato ministrorum Sacrorum insufficienti numero.

Ad hunc finem, Sacrosancta Oecumenica Synodus de Ministris Sacramenti Poenitentiae, penes Ecclesias Orientales, sequentia statuere opportunum censuit:

I. Ad confessiones sacramentales excipiendas potiuntur:

A) Ordinaria iurisdictione:

1) pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinales et Patriarchae;

2) pro suo quisque territorio, ad normam iuris: Archiepiscopi, Metropolitae, Hierarchae locorum, parochi aliique qui loco parochorum sunt;

3) pro suis subditis, ad normam statutorum, Superiores religiosi exempti.

B) Delegata a iure iurisdictione:

1) pro universa Ecclesia: omnes Episcopi, titulares quoque;

2) omnes Presbyteri, in determinatis casibus, iuxta articulos qui sequuntur.

(Sess. plenaria XXIV, die 23-6-1961: maioritate suffragiorum).

II. Ut ulterius provideatur necessitatibus Christi fidelium, statuit Sacrosancta Oecumenica Synodus, ut:

1) Confessarii a proprio loci Hierarcha sine ulla restrictione approbati, valide ac licite absolvere possint omnes fideles, cuiusvis ritus, in patriarchatibus, archiepiscopatibus, metropoliis, eparchiis vel exarchiis.

2) Extra autem haec territoria facultas haec limitetur ad fideles proprii ritus.

3) Ubi facultas, de qua supra, habitualiter exercetur, certiorari debet ad liceitatem, Hierarcha loci.

4) Curent tamen locorum Hierarchae, ne iurisdictionem hanc sacerdotibus delegent, nisi de eorum idoneitate ipsis sufficienter constiterit. Qui vero sacerdotes eam receperunt, dignos se tantae potestatis monstrare satagant.

(Sess. plenaria XXIV, die 23-6-1961: maioritate suffragiorum).

III. 1) Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia, vel oratorium publicum aut semipublicum.

2) Confessarii cuiusvis ritus non adscripti servitio alicuius ecclesiae vel oratorii, nequeunt ibi licite audire confessiones, nisi cum licentia, in casu urgenti praesumpta, rectorum horum locorum.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Sacerdotes omnes maritimum, aereum, ferreum vel aliud quodque iter arripientes, dummodo a proprio Hierarcha facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum itinerantium confessiones excipere in navi, aereo vel curru quocumque, quamvis in itinere transeant vel etiam aliquamdiu consistant in locis diversorum Hierarcharum iurisdictioni subiectis.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter).

V. Quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, transiens per loca ubi catholicus sacerdos deficiat, potest confessiones audire fidelium qui ad ipsum accesserint.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter quoad textum, maioritate suffragiorum quoad emendationes).

VI. Licite, nulla requisita licentia Hierarchae loci, confessarii legitime approbati absolvunt fideles diversi ritus, etiam latini, in aegritudine versantes, qui postulent apud ipsos confiteri.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quasi unanimiter, uno voto dempto).

VII. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis praescriptis iuris de complicibus et censuris.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter).

VIII. Ne fidelium libertas coarctetur vel bona dispositio pessum eat, quilibet sacerdos ad confessiones audiendas approbatus potest confessiones excipere cuiuscumque fidelis, ubique terrarum, si ab eo ad personam requisitus fuerit.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quasi unanimiter, duobus votis demptis).

III

DE DIACONATU PERMANENTI

« Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 2-4). Hisce verbis diaconorum permanentium in Ecclesia quodammodo data fuit origo et adsignatum munus. Diaconis Ecclesia saepe usa est ad opera caritatis ac pietatis promovenda. Orientales praesertim Ecclesias « diaconos... non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura » (*I Tim.* 2, 8) diu retinuisse et hucusque retinere, ad oblationem fidelium distribuendas, ad populum instruendum in fide in ecclesiis et scholis, ad supellectilem sacram curandam, ad quaedam officia divina celebranda, immo et nonnulla Sacramenta ministranda, omnino compertum est.

Cum vero ultimis hisce temporibus Ecclesia ad omnes gentes propagata, de innumeris fere spiritualibus temporalibusque necessitatibus hominum fidelium infideliumque curans, sacerdotum inopiam, magis magisque in dies experitur, magno cum discrimine animarum, placuit propterea huic Sanctae Oecumenicae Synodo ut diaconorum permanentium institutum, secundum antiquas traditiones, in Ecclesiis praesertim Orientalibus iterum vigeret. Ad hoc ipsa Synodus hortatur Ecclesiarum Orientalium Christifideles, quos Dominus in messem suam operarios vocaverit, ut, humanis terrenisque postpositis, gratia manuum impositionis roborati, propius ad Dei altaria promoveantur et sacerdotes uti diaconi adiuvent in spiritualibus temporalibusque iuxta antiquas traditiones.

Propterea Sancta haec Oecumenica Synodus sequentia constituit:

I. Plurima dantur argumenta et motiva, praesertim liturgica et pastoralia, pro reviviscendo instituto diaconatus permanentis in Ecclesia Orientali. Commendatur ergo ut Hierarchae locorum hoc institutum permanens restituendum studeant ipsumque revera reviviscere curent, communi tamen consilio Hierarcharum uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

II. Quod attinet ad coniugatos, ad subdiaconatum vel ad maiores ordines admittendos aut absolute aut cum dispensatione sive Patriarchae sive loci Hierarchae, non autem syncelli, vel etiam ad eosdem ab iisdem ordinibus arcendos, Sancta Synodus Oecumenica nihil innovat circa vigentem in unoquoque orientali ritu disciplinam.

(Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* a. 1957, can. 71).

III. Diaconi dissidentes uxorati redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, in ritu orientali ministerium sacrum exercere poterunt, iudicio Hierarchae loci.

(Sess. Plenaria XXI, die 26-4-1961: unanimiter).

IV. De aliis in instituto hoc reviviscendo providendi datur facultas Synodis singularum ecclesiasticarum provinciarum vel patriarchatuum.

(Ex mente Sess. plenariae XXI, die 26-4-1961).

IV

DE FORMA CANONICA CELEBRATIONIS MATRIMONIORUM MIXTORUM

Sancta Mater Ecclesia, unica Sacramentorum dispensatrix, per Litteras Apostolicas Pii Pp. XII Motu proprio datas (*Crebrae allatae,* 22 febr. 1949), unicam formam celebrationis ad validitatem matrimoniorum statuit, ab omnibus fidelibus rituum orientalium servandam, etiam in matrimoniis inter partem catholicam et non catholicam baptizatam (can. 90, § 1, n. 2).

Cum vero non raro contingat, praesertim in regionibus Medii Orientis, ut cum praedictae legis observantia incommoda quaedam non levia coniungantur, quae ipsam validitatem matrimoniorum pessumdant et domesticam pacem non modice perturbant, remedium adferre censuit Sancta Synodus ad consulendum matrimoniorum sanctitati et firmitati.

Ad hunc finem Sancta Mater Ecclesia in hac Oecumenica Synodo adunata decernit ut facultas in ipsa lege condita et promulgata Patriarchis orientalibus concessa (*Crebrae allatae,* can. 32, § 2, n. 5), dispensandi nempe a lege de forma celebrationis matrimoniorum mixtorum, extendatur ipso iure ad omnes Hierarchas locorum orientales, Syncellis sine speciali mandato exceptis. Quare, ad matrimonia mixtae religionis quod spectat, in derogationem legis vigentis (can. 90, § 1, n. 2), quae sequuntur sollemniter probat:

Ad praecavenda matrimonia invalida christifidelium rituum orientalium, qui cum acatholicis baptizatis — rite obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis cautelis praestitis saltem ex parte catholica sincere parata praestare quod potest ut proles catholice baptizetur et educetur —, matrimonia contrahunt,

1) concedit Sancta Mater Ecclesia auctoritate Oecumenicae Synodi omnibus Ordinariis locorum rituum orientalium, exceptis Syncellis sine speciali mandato, facultatem dispensandi proprios subditos a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis contrahendis, si pars acatholica nequeat suaderi ut se competenti parocho sistat, et timendum sit ne partem catholicam sibi adhaerendum adigat si praescriptum de servanda forma urgeretur in casu;

2) in ceteris onerata conscientia eorundem christifidelium ad observandam fideliter disciplinam canonicam de communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis.

(Sess. plenaria XXII, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

In Sacramentorum administratione plura occurrunt quae, attentis nostrae aetatis condicionibus, postulant ut aptiore ratione hodiernis necessitatibus accommodentur. Praecipuae quaestiones quae, ad Orientales quod attinet, dignae visae sunt, quae in Concilio Oecumenico tractarentur, respiciunt: 1) ministrum S. Chrismatis; 2) ministrum Poenitentiae; 3) diaconatum permanentem; 4) formam canonicam celebrationis matrimoniorum mixtorum.

Statum singularum quaestionum breviter illustramus.

1) *De ministro Sacramenti S. Chrismatis.*

Nota est consuetudo antiquissima apud Orientales vigens, qua sacramentum S. Chrismatis statim post Baptismum confertur. Haec enim habet, v. gr., Concilium Laodicenum anno 343 celebratum « Quod oporteat eos qui baptizantur, post lavacrum, chrisma caeleste percipere, et regni caelestis participes inveniri ». Ex hac consuetudine sequitur ut sacerdos, minister sit etiam huius sacramenti.

Huiusmodi disciplina hodie viget apud catholicos Orientales; tantum excipiuntur Maronitae, Aethiopes et Malabarenses, qui usum Latinae Ecclesiae sequuntur.

Cum Codificatio Orientalis nondum publici iuris fecerit canones de sacramentis, Commissio de Ecclesiis Orientalibus proponit nonnullos articulos de ministro huius Sacramenti, ut quaedam dubia de hac re tollantur.

2) *De ministro Sacramenti Poenitentiae.*

Cum Beatissimus Pater Commissioni de Sacramentis munus commiserit casus determinandi, in quibus extendere expediat iurisdictionem ad confessiones sacramentales audiendas, Commissio de Ecclesiis Orientalibus, pro facultate sibi concessa, praesens schema apparavit de ministro Poenitentiae, in quo ratio habita est tum Codificationis Orientalis, tum votorum quae a multis Praelatis exhibita sunt, ut facilior administratio huius sacramenti redderetur .

In disciplina orientali viget territorialitas iurisdictionis intermixta cum iurisdictione personali, secundum exigentias ritus.

Schema propositum hac ratione confectum est, ut salvum sit principium de iurisdictione territoriali, sed haec lex aliquatenus mitigetur, ut difficultatibus occurratur, quae ex strictiore observantia huius legis oriri possunt. Quae difficultates hodie valde auctae sunt cum frequentius in dies latini et orientales una simul vitam degant.

Schema propositum partim concordat cum schemate apparato a Commissione de Sacramentis, partim vero discrepant, ut Orientalium necessitatibus accommodetur.

3) *De Diaconatu permanenti.*

Circa hanc quaestionem apud Orientales res ita se habent: in Ecclesiis dissidentibus hoc institutum, ut plurimum, viget; apud catholicos viget tantum in quibusdam ritibus.

In Codificatione Orientali praevidetur existentia huius instituti; Episcoporum proinde est prospicere secundum necessitates.

Cum multa oriri posse videantur commoda hodie in Oriente ex diaconatu permanenti, ad ministerium pastorale quod attinet, schema hac ratione redactum est, ut hoc institutum quam maxime promoveatur, et reviviscat.

Satis tamen est ut principium solummodo asseratur, et pateat mens Ecclesiae in materia, omissis quaestionibus particularibus.

4) *De forma canonica Matrimoniorum mixtorum.*

Hac in re multae querelae et instantiae Sanctae Sedi exhibitae sunt ob innumera incommoda orta ex nova disciplina Codicis Orientalis circa matrimonia mixta. Hisce bene perpensis, votum Commissionis fuit: « non expedire stare pro praescriptis Motu proprio *Crebrae allatae,* sed providere necessitatibus fidelium orientalium decreto quodam generali ».

Animadvertendum est, ante Codificationem Orientalem matrimonia mixta coram ministro acatholico fuisse solum illicita, post Codificationem esse invalida.

Haec nova disciplina difficilem rerum statum induxit, praesertim in Medio Oriente, ubi matrimonia mixta, ob parvum numerum catholicorum et peculiares condiciones illarum regionum, sunt frequentissima, nec vitari possunt.

Hinc multa matrimonia mixta invalida et plura divortia.

Varia remedia allata ad haec incommoda tollenda, efficacia non fuerunt.

Post multas disceptationes, tandem praesens schema fere unanimiter exceptum est. Eius mens est ut forma canonica catholica requiratur ad validitatem, data tamen facultate Hierarchis dispensandi super forma vigenti, et in ceteris remittatur quaestio ad legem « de communicatione in sacris », rigidiorem vel mitiorem, prout Concilio Oecumenico placuerit.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Pag. 4 [1] ad I, « Episcopus est solus minister ordinarius Sacramenti Chrismatis », cum in Oriente omnes sacerdotes, et in Occidente sacerdotes haud pauci, id Sacramentum ordinario modo conferre possint, dicerem: « Episcopus est minister *primarius...* » ut proposuit Beat. Patriarcha Melchitarum.

Eadem pagina ad III « ... valide confert » sed adderem: « ad liceitatem vero, servare tenetur disciplinam ritus latini ».

Pag. 8 [2] ad VIII: Facultas quae hic concedenda dicitur *cuilibet sacerdoti adprobato* confessiones excipiendi cuiuscumque fidelis (etiam igitur si ritus latini sit) ubique terrarum, multum latius patet quam oporteat et deceat. In Ecclesia latina tantum Patres Cardinales hoc privilegio gaudent!

Pag. 12: [3] Adiungendam esse puto obligationem de cautelis: nimirum pars acatholica teneatur — etiam scripto — sicut fit in Ecclesia latina, 1) relinquere parti catholicae libertatem profitendi suam religionem et 2) permittere baptisma filiorum, qui nascantur, in Ecclesia catholica.

Demum quaero (pag. 7 [4] ad III), num sufficiat, ad locum sacramentalis confessionis excipiendae quod attinet, indicare Ecclesiam vel Oratorium, quin aliquid dicatur de Confessionali *pro mulieribus*.

Card. LARRAONA: Ad I - *De Ministro Sacramenti Chrismatis*:

1) Omnibus numeris absoluta sub respectibus doctrinali, canonico, historico, practico Introductio quae Concilio prompta videretur.

2) Omnia et singula quae proponuntur confirmari possent ac, ut credimus, debent:

a) Ad III. Hoc pro iure latino difficultatem parit. Correcte dici deberet ad normam ritus de quo agitur sicut in IV.

b) Ad IV. Recte et rectius quam in III haec concordanda essent.

c) Ad V et VI. Quaedam antinomia inter nn. V et VI existere videretur. Sane, in n. V dicitur quod Presbyter Orientalis, *nisi iure particulari aliud caveatur,* una cum Baptismo conferat. In n. autem VI praescribitur: « Separatim a Baptismo, Chrismatis Sacramentum ne ad-

---

[1] Cf. p. 259.
[2] Cf. p. 261.
[3] Cf. p. 263.
[4] Cf. p. 261.

ministretur nisi de mandato Hierarchae loci »: Salvo etiam hic, *iure particulari in n. V admisso* in quo mandatum Hierarchae potest non tantum non necessarium esse, imo nec utile forse nec possibile, ad separationem.

Ad II - *De Ministro Sacramenti Poenitentiae*:

1) Introductio clara aptaque est.

2) *In n. I*: *a*) Placet introductio *expresse* admissa non implicite tantum, iurisdictionis *delegatae a iure* pro universa Ecclesia pro Episcopis omnibus etiam Titularibus (B, 1), et pro Presbyteris in definitis casibus qui recensentur.

b) Meo humili iudicio, agnosci potest iurisdictio ordinaria pro universa Ecclesia, etiam Patriarchis. Nihil officit doctrinae de Patriarchis: sane, iurisdictio ordinaria potest esse propria et etiam vicaria (can. 197 § 2), ut esset in casu illa Patriarchae agnita. Hoc sensu admitti potest: Non iure proprio ac si esset Patriarcha universalis, sed vicaria iurisdictione.

c) Alia circa iurisdictionem Superioribus Religionum Clericalium pro suis subditis extendendam, postquam haec quaestio generatim discussa fuerit proponi forsan poterunt.

In n. II. Quoad ordinem paragraphorum numeris vulgaribus (arabicis) signatarum, notare merito potest numeros 1) 3) 4) de eadem facultate agere quae, in patriarchatibus, archiepiscopatibus, metropoliis, eparchiis vel exarchiis a Hierarcha proprii ritus absolute sine ulla restrictione delegata, ad omnes fideles aliorum rituum valide et licite absolvendos sit sufficiens. Ex adverso, n. 2 extra haec territoria facultates concessae a Hierarcha alicuius ritus limit*a*ntur (non limit*e*ntur) ad fideles huius ritus. Hic numerus vel cum n. 1) uniretur ipsum limitando, vel in numero 4) de potestate ad proprios fideles circumscripta ageretur, postquam in tribus primis numeris continuo de facultate generali loqutum fuerit.

In n. III. Sub 1) ex Codice Orientali (c. 54 *De Religiosis*) sicut in iure latino (c. 522 et resolutionem P. C. Int. 24-XI-1920, *A.A.S.* [1920] 575) constat addendum esset « vel locus ad confessiones legitime destinatus ».

In n. IV. Ad ea remittimus quae in animadversionibus ad Schema De Sacramentis diximus.

Si nn. V et VII huius Schematis comparemus cum n. V (facultates confessarii occasionalis) correlati Schematis Disciplinae Sacramentorum latini, possemus et hos numeros expolire et latinum non parum ampliare. Hac occasione insistere liceat in ponderanda, ne dicam necessi-

tate, sed magna saltem utilitate, concordandi has concessiones in parem profectum totius Ecclesiae sive latinae sive Orientalis.

Ad III - *De Diaconatu permanenti*:

1) *Introductio* digna est quae cum laude probetur.

2) *In n. I* cum agatur de re satis gravi, ad Diaconatum huiusmodi in aliquo ritu primo restaurandum et ad ipsum Provinciis applicandum, res deberet tractari, ut videtur, relative in Synodo patriarchali et provinciali. Admisso seu restaurato generatim in aliquo ritu hoc Diaconatu, ad ipsum applicandum singulis Provinciis sufficeret, ut proponit Schema, consultatio Hierarcharum a Patriarcha tamen confirmata.

3) *In n. III* adderem: « servatis normis in unoquoque ritu statutis vel statuendis iudicio Hierarchae loci », ita ut salvetur prudens facultas figendi criteria a Hierarcha loci servanda in admissione vel exclusione vel suspensione horum Diaconorum.

4) *In n. IV*. Quod in hoc numero recte statuitur de facultate danda Synodis Patriarchatuum vel Provinciarum *de aliis* providendis in hoc Instituto reviviscendo, *ut principium initio ponendum esset,* ita ut etiam ad illa quae in nn. I et III dicuntur extendatur. Quae ad *criteria generalia* pertinent, a Sancta Sede confirmanda essent; quae *ad applicationem* vero ad normam iuris particularis, iuxta casus, Patriarchis vel Hierarchis competerent.

Ad IV - *De forma canonica celebrationis matrimoniorum mixtorum*:

1) Censerem derogationem tam recenti legi modestiorem arctionem inducere facile posse ac debere. Illis quae in Introductione dicuntur usque ad lin. 15 retentis, alia, admissa illorum quae proponuntur substantia, ita modificanda essent ut extendatur facultas dispensandi a forma etiam Hierarchis, Syncellis exclusis sine speciali mandato.

2) Hinc, relictis lineis 16-25, simpliciter dici posset: « Ad praecavenda igitur matrimonia invalida christifidelium rituum orientalium qui cum acatholicis baptizatis contrahunt et ad consulendum domesticae paci ac nuptiarum sanctitati atque firmitati, Sancta Mater Ecclesia — rite prius obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, praestitis cautelis ad normam iuris saltem a parte catholica quae sese sincere paratam declarat ad illa fideliter praestanda quae poterit ut proles catholice baptizetur et educetur, et ceterum onerata conscientia eorumdem christifidelium ad observandam fideliter disciplinam canonicam de communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis — omnibus Ordinariis locorum rituum Orientalium, exceptis Syncellis sine mandato speciali, concedit.

Beat. Saigh: I - *De Ministro Sacramenti S. Chrismatis*:

A) *Le préambule* placé en tête de ce chapitre ne me plaît ni par ses idées ni par sa forme. Je propose qu'il soit entièrement refait, en tenant compte des observations suivantes:

1) Page 3,[5] lignes 4-6: L'auteur du préambule présente la grâce propre de ce Sacrement comme étant exclusivement pour les chrétiens une grâce de force et de combat, « qua idonei ad pugnam adversus animae hostes effecti, victoriam reportarent ». Cette conception, en ce qu'elle a de trop exclusif, est inspirée par la théologie occidentale, qui à son tour l'a construite à partir de l'usage latin selon lequel le Saint Chrême est un sacrement de l'âge adulte, conféré à un moment de la vie où le chrétien doit commencer à lutter. L'usage oriental reste plus fidèle à la tradition antique qui considérait la chrismation comme *faisant partie intégrante des trois sacrements de « l'initiation chrétienne »*. Suivant cette tradition, l'Orient orthodoxe continue à conférer à la fois ces trois sacrements: Baptême, Chrismation et Eucharistie, non seulement aux adultes, mais aussi aux enfants. Dans cette perspective, l'exposé du préambule n'est plus adapté aux canons disciplinaires qui suivent. Mieux vaut présenter la chrismation comme un sacrement dont le but est de conférer au baptisé *la plénitude des dons du Saint-Esprit,* parmi lesquels il y a naturellement le don de force.

Cette différence de perspective revient également à la page 4,[6] lignes 4-8. Là encore, il me semble qu'on ne doit pas prendre pour base de l'exposé l'usage occidental et la systématisation théologique qui en dépend trop exclusivement.

2) Page 3, lignes 6-8. Dans ces lignes du préambule, comme aussi dans les canons disciplinaires qui suivent, l'évêque est dit seul ministre *ordinaire* du sacrement de la chrismation. Je suis pleinement d'accord pour la doctrine qu'entend exprimer cette formule. Mais je propose que les mots « ministre *ordinaire* » soient remplacés par les mots « ministre *primaire* ou *authentique* ». En effet, dans l'usage occidental, c'est l'évêque qui *ordinairement* administre ce sacrement; la formule de la théologie occidentale est ainsi conforme à l'usage. Mais, en Orient, c'est le prêtre qui *ordinairement* et *depuis la plus haute antiquité* confère ce sacrement en même temps que le Baptême et l'Eucharistie. Dire du prêtre oriental qu'il est ministre *extraordinaire* de ce sacrement, c'est employer une expression qui ne correspond nullement à la réalité du fait. Il est vrai que ministre *ordinaire* ne veut pas nécessairement dire minis-

[5] Cf. p. 258.
[6] Cf. p. 259.

tre qui *ordinairement* confère ce sacrement. Mais alors pourquoi ne pas trouver une expression moins équivoque et dire, comme je le propose, ministre *primaire, primitif, authentique, de droit propre,* etc.?

3) Page 3,[7] lignes 10-19: « Notum est — dit le texte du préambule — in Orientis partibus *ab antiquo praxim invaluisse* ut, *Apostolica Sede annuente,* etiam simplices presbyteri Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum in collatione Baptismi *suis fidelibus* ministrarent, adhuc et ministrent ». Ce texte est tendancieux et, sur certains points, faux:

a) « ab antiquo praxim invaluisse ». La discipline orientale sur ce point est présentée tendancieusement comme un « usus contra vel praeter legem », toléré parce que très ancien, de temps immémorial. La réalité historique est autre: en Orient les prêtres confirment depuis le temps qu'ils baptisent séparément de l'évêque.

b) « Apostolica Sede annuente ». C'est une affirmation gratuite qui ne repose sur *aucune donnée historique.* Jamais, avant les déductions des théologiens et des canonistes occidentaux de l'époque moderne, les Papes n'ont pensé que les prêtres orientaux confirmaient en vertu de pouvoirs exceptionnels accordés par eux. Cette clause est une « deus ex machina » que les canonistes latins ou uniates ont inventé pour rester logiques avec les principes dont ils veulent partir à tout prix: seul le Pape peut autoriser un simple prêtre à confirmer; or les prêtres orientaux confirment; donc ils le font par autorisation du Pape. Le raisonnement est formellement exact, mais il pèche par la base, sa majeure pouvant faire l'objet d'une distinction importante. On dira: Seul le Pape peut autoriser un simple prêtre à confirmer; en Occident, oui; pour ce qui concerne l'Orient, rien dans la Sainte Ecriture ou la tradition ancienne et authentique de l'Eglise ne le prouve. Il y a eu certes une députation faite aux simples prêtres pour confirmer, mais rien ne prouve que cette députation ne peut être faite que par l'autorisation explicite ou implicite des Papes de Rome. Historiquement, elle s'est faite en vertu des usages consuétudinaires. Il ne faut pas prêter aux Papes des choses qu'ils n'ont même pas soupçonnées et, en outre, il ne faut pas faire plier l'histoire à des principes préconçus, mais plutôt établir les principes en conformité avec les données de l'Histoire.

c) « suis fidelibus ». L'auteur du préambule semble vouloir limiter tendancieusement l'application valide de la discipline orientale sur ce point aux seuls sujets du prêtre qui confirme. En réalité, si le prêtre oriental confirme selon la discipline de son Eglise, sa confirmation, com-

---

[7] Cf. p. 258.

me son baptême, est logiquement valide, quel que soit le sujet confirmé. C'est seulement en partant de principes dictés par la discipline différente de l'Occident qu'on a nié la validité de la confirmation administrée par le prêtre oriental à un fidèle qui n'est pas de son rite.

4) Page 3,[8] lignes 20-33: Il est affirmé que les Papes, pour le bien des âmes, ont parfois limité ou même révoqué ce privilège qu'ont les prêtres orientaux de conférer le sacrement de confirmation. On sait que ces limitations et ces révocations du légitime usage oriental des prêtres orientaux ont été, en réalité, une concession faite par les Papes au préjugé des canonistes occidentaux qui ne voulaient pas admettre qu'il pût y avoir dans la Sainte Eglise autre chose que ce qu'ils ont coutume de voir chez eux. Inutile d'en faire une question de bien des âmes, comme si l'usage oriental était une exception nocive.

Cette présentation un peu tendancieuse de la discipline orientale est d'ailleurs peu conforme à l'esprit qui a présidé à la rédaction des canons disciplinaires qui suivent. On dirait que le rédacteur du préambule veut, par certaines restrictions de principe, atténuer la libéralité des mesures disciplinaires proposées.

Le Préambule est mal fait et doit être entièrement revu.

B) *Au sujet des canons,* je me permettrais de faire les observations suivantes:

1) Can. I - Changer le terme « minister *ordinarius* » d'après ce qui a été dit plus haut.

2) Can. II - « Chrismate *ab Episcopo* benedicto ». La bénédiction du Saint-Chrême est réservée aux Patriarches. Il faudrait au moins dire: « *a Patriarcha* vel Episcopo... ».

3) Can. III et IV. - Je les approuve entièrement.

4) Can. V. - « Nisi iure particulari aliud caveatur »: Cette clause doit être expliquée. Le droit particulier qui existe encore dans certaines régions d'Occident et selon lequel il est interdit au prêtre oriental de confirmer avec le baptême ne peut être toléré. Quant au droit particulier de certaines Eglises orientales, comme l'Eglise maronite par exemple, on doit le respecter, bien qu'il eût mieux valu inviter ces Eglises orientales à revenir à la pure tradition de l'Orient sur ce point.

5) Can. VI et VII. - Je les approuve entièrement.

II - *De Ministro Sacramenti Poenitentiae*:

J'approuve tous les Articles de ce Schéma sans exception.

III - *De Diaconatu permanenti*:

J'approuve tous les Articles de ce Schéma. Je voudrais seulement,

---

[8] Cf. p. 259.

à l'occasion de l'Article III exprimer un souhait: celui de ne plus réserver au Saint Siège Romain l'admission des clercs orthodoxes qui se réconcilient avec l'Eglise catholique. J'estime qu'il vaut mieux laisser l'autorité locale à la fois libre et responsable sur ce point. Tout au plus pourrait-on réserver au Patriarche le droit d'autoriser ces passages de clercs orthodoxes au catholicisme sur le territoire du patriarcat, non pas pour accorder au Patriarche ce qu'on souhaite enlever au Saint Siège Romain, mais pour unifier l'attitude de toute la Communauté sur un point assez délicat.

IV - *De forma canonica celebrationis matrimoniorum mixtorum*:

J'approuve entièrement le Schéma proposé. Notre patriarcat a, dès l'apparition du Motu proprio *Crebrae allatae sunt* du 22 février 1949, fait parvenir à qui de droit ses observations sur les inconvénients nombreux qui découlaient de l'application rigide de la nouvelle loi sur la forme du mariage, aussi bien pour les âmes que pour l'Eglise catholique elle-même et l'avenir de l'union. La nouvelle loi devait être tempérée.

D'autre part, reconnaître purement et simplement la validité du mariage de la partie catholique devant l'Eglise orthodoxe comporte autant d'inconvénients et de dangers.

Il restait une solution moyenne, celle trouvée par le Schéma qui nous est proposé: laisser à l'Ordinaire du lieu le soin de dispenser cas par cas de la forme catholique du mariage. Chaque cas étant étudié en particulier, on évite ainsi les inconvénients d'une rigueur excessive, comme aussi d'un relâchement dangereux.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. MICARA: Placet iuxta modum: sc. attenta perspicua expositione Em.mi Cardinalis Cicognani et ut ratio habeatur de observationibus ab Em.mo Cardinali Larraona propositis.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: iuxta observationes ab Eminentissimis factas: tota res remittatur ad Commissionem Mixtam.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet praesertim relate ad matrimonia mixta audiatur antea Commissio Sancti Officii seu Theologica.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: ratione habita scilicet eorum quae exposita sunt a Cardinalibus Relatore, Pizzardo, Aloisi Masella, Ruffini et Larraona et a Beatissimo Patriarcha Melchitarum.

Card. LIÉNART: Placet ad mentem Em.mi Cardinalis Cicognani Relatoris et ratione habita de animadversionibus a Patribus expressis.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta observationes Beatissimi Patriarchae Melchitae.

Card. COPELLO: Placet iuxta dicta Em.mi Card. Larraona.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Em.mi Card. Relatoris i. e. Cicognani.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet in capite « De ministro Sacramenti Poenitentiae » articulus VIII vel supprimendus vel saltem supprimenda esse verba « ubique terrarum » et mutanda sic: « in ecclesiis orientalibus »; in capite « De Diaconatu permanenti » in prooemio ubi exprimitur desiderium ut iterum vigeat institutum diaconorum permanentium supprimatur verbum « praesertim », ita ut remaneant tantum « in Ecclesiis Orientalibus ».

Card. FRINGS: Placet. Sed, si possibilis est, duo decreta de Sacramentis pro Ecclesia Latina et pro Ecclesiis Orientalibus redigantur in unum.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[1]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: iuxta ea quae ab Em.mo Cardinali Ruffini circa redactionem Cap. I dicta sunt et ea quae circa Cap. IV a Beatissimo Patriarcha Melchitarum exposita sunt.

Card. SIRI: Placet, attentis animadversionibus factis ab Em.mis Ruffini, Frings, Aloisi Masella, Cicognani et — quoad prooemium — a Patriarcha Melchitarum.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est: attentis observationibus praecipue Em.mi Card. Larraona et Beatissimi Patriarchae Melchitarum.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: scilicet prooemium redigatur de novo, secundum sensum quem Patriarcha Maximus IV exposuit.

Sacramentum S. Chrismatis:

Relate ad administrationem Chrismatis separatim a Baptismate (§§ V, VI) credo quod opportunum est et conformius naturae et effectibus Sacramenti Confirmationis pueros ad Sacramentum Confirmationis accedere non ante septimum circiter annum. Confirmatio non est enim

[1] Cf. p. 266.

necessaria ad salutem et melioribus in conditionibus recipitur ab illo qui habet usum rationis.

De Ministro poenitentiae:

Credo quod aequivalenter et, salvo meliori iudicio, clarius exprimerentur facultates sacerdotibus datae, sequenti formulatione:

Confessarius a proprio loci Hierarcha sine ulla restrictione approbatus, in patriarchatibus, archiepiscopatibus, metropoliis, eparchiis vel exarchiis, valide ac licite absolvere potest omnes fideles cuiusve ritus;

Extra haec territoria, confessarius valide absolvere potest fideles cuiusve ritus. Tamen, hanc facultatem nequit licite exercere nisi cum permissione Hierarchae loci vel, in casu particulari, erga fideles qui eidem confiteri petunt;

Casus particulares sunt v. g. durante itinere erga secum itinerantes, in locis ubi catholicus sacerdos deficit, erga fideles aegrotantes qui illud postulant, si a fidele requisitus fuerit.

(Idem ac § II, 4). Curent locorum Hierarchae, ne iurisdictionem sacerdotibus delegent, nisi de eorum idoneitate ipsis sufficienter constiterit. Qui vero sacerdotes eam receperunt, dignos se tantae potestatis monstrare satagant.

(Idem ac § III). Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia, vel oratorium publicum aut semi-publicum.

(Idem ac § VII). In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis praescriptis iuris de complicibus et censuris.

Confessarii cuiusvis ritus non adscripti servitio alicuius ecclesiae vel oratorii, nequeunt ibi licite audire confessiones, nisi cum licentia, in casu urgenti praesumpta, rectorum horum locorum.

Card. Montini: Placet iuxta modum: habita ratione observationum a Cardinalibus Larraona et Pizzardo et a Patriarcha Melchitarum expressarum. Excessiva videtur facultas concessa in c. II, n. VIII circa confessiones audiendas ubique terrarum.

Card. Cento: Placet iuxta modum: non videtur aequum esse sacerdotes quoslibet orientales latiore in universo mundo frui facultate absolvendi, qua sacerdotes latini non gaudent.

Card. Cicognani H. I.: Placet iuxta relationem, et cum animadversionibus quae sequuntur.

Praesertim circa Matrimonia mixta consulantur Commissio Theologica et Commissio de Sacramentis.

In schemate decreti:

Pag. 3,[2] lin. 7: verba « minister ordinarius » mutentur in « minister primarius »; item in pag. 4,[3] lin. 18.

Pag. 3, lin. 12: supprimantur verba « Apostolica Sede annuente ».

Pag. 5:[4] nn. V et VI in unum componi possunt.

Pag. 6,[5] lin. 27: si desideratur etiam Patriarchas confessiones sacramentales excipere posse pro universa Ecclesia, a Summo Pontifice huiusmodi facultas obtineatur antequam in Concilio enuncietur.

Postremum votum exprimitur ut *Forma matrimoniorum,* quoad *validitatem spectat, unica* sit pro toto orbe terrarum.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita de observationibus Em.mi Relatoris et Em.morum Cardinalium Ruffini, Pizzardo et Larraona et Patriarchae Melchitarum. Tamen subiiciantur quaestiones de Sacramentis competentibus dicasteriis quum certae concessiones, v. g. de Poenitentia, videantur nimis latae, et etiam de Confirmatione.

Card. CONFALONIERI: Placet, ratione habita de votis quoad primum Prooemium.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: 1) sicut in meo voto iuxta modum relate ad Decretum de Sacramento Poenitentiae (cap. 1, n. 5), puto valde periculosam esse istam concessionem generalem quae fertur in hoc schemate nunc proposito pro Orientalibus (cap. 2, n. 8) scilicet possibilitatis tam facilis pro quoque fideli, ubique terrarum, accipere absolutionem validam si tantummodo praefert talem confessarium.

2) Necessarium mihi videtur, sicut in Ecclesia Latina, pro matrimoniis mixtis exigere in Capite IV, n. 2, quod salventur obligationes partis acatholicae erga iura partis catholicae in sua fide et fide eius liberorum.

Card. KÖNIG: Placet.

Card. DÖPFNER: Placet.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus ab Em.mis Relatore, Ruffini et aliis prolatis: habita quoque ratione observationum Beatissimi Patriarchae Melchitarum, circa desideratam harmoniam Prooemii cum canonibus Schematis.

---

[2] Cf. p. 258.
[3] Cf. p. 259.
[4] Cf. p. 259.
[5] Cf. p. 260.

Card. MUENCH: Placet schema propositum.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: iuxta observationes ab Em.mis Card. Ruffini et Cicognani factas.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: i. e. si in cap. IV de matrimoniis mixtis matrimonia mixta intelliguntur mixta inter orientales catholicos et orientales dissidentes, *placet.* Si autem etiam matrimonio mixta inter orientales catholicos et protestantes intelliguntur, *non placet,* quia catholici occidentales specialiter quoad cautelas praestandas alio iure reguntur et in ista materia uniformitas videtur praeferenda.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: attentis praecipue observationibus ab Em.mo Card. Ruffini et a Beatissimo Patriarcha Melchitarum propositis.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: perpensis animadversionibus propositis ab Em.mis Card. Ruffini, Cicognani, Richaud et Larraona nec non a Beatissimo Patriarcha Melchitarum.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: nempe res in Concilio Generali ne tractetur uti hodie nobis proponitur. Videlicet:

Proposita *de Sacro Chrismate, de Poenitentia,* ac praesertim *de Matrimoniis mixtis,* haec proposita, inquam, remittantur *ad Commissionem mixtam* de Ecclesiis Orientalibus et de disciplina Sacramentorum, ita ut unica proponantur schemata de Chrismate, de Poenitentia, de Matrimoniis mixtis pro Ecclesia tota.

Si proposita illa non remittentur ad Commissionem mixtam, videat de eis Dicasterium pro Ecclesiis Orientalibus vel Commissio pro Codice Ecclesiarum Orientalium complendo.

Ratio est quia de re Orientali agitur.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum:[6] praehabitis animadversionibus ab Em.mo Relatore et aliis Patribus factis illisque etiam quas fecit Beatissimus Patriarcha Melchitarum. Fiat unum Schema pro universa Ecclesia a SS. CC. Orientali et de Sacramentis paratum.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: in Prooemio et alibi exprimantur res ita, ut valeant etiam pro Orientalibus; de matrimoniis mixtis aget etiam Commissio de Sacramentis: quaestio etiam pro Ecclesia latina

---

[6] Cf. pp. 266-268.

Occidentali est magni momenti. Habeatur ratio eorum quae ab aliis Commissionibus de eisdem materiis proponuntur.

Beat. SAIGH: Placet iuxta modum: secundum quod dixi.[7]

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. *a*) adhaereo iis quae dixit Eminentissimus Card. Hamletus Cicognani de Sacramento Confirmationis.

b) De Sacramento Poenitentiae optatur ut eadem disciplina valeat pro tota Ecclesia.

c) De diaconatu permanenti, non video eius utilitatem.

d) De forma canonica celebrationis matrimoniorum mixtorum puto quod melius sit ut Concilium de hac re non agat, sed alio modo detur concessio desiderata.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: expositum ab Em.mo Card. Relatore et ab Em.mo Card. Jullien: Commissio de materiis mixtis condat, si possibile sit, decreta unica pro universa Ecclesia.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: et secundum animadversiones factas ab Em.mo Card. Relatore et ab Exc.mo Patriarcha Melchitarum.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta exposita ab Em.mis Cardinalibus Ruffini, Larraona, Cicognani et Masella. Praeterea iuxta observationes factas a Beat.mo Patriarcha Melchitarum et ab Em.mo Card. Alfrink quoad formam canonicam celebrationis matrimoniorum mixtorum. Denique credo necessarium esse componere ea quae dicuntur de diaconatu permanente inter orientales cum his iam dictis de diaconatu permanente inter latinos.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: iuxta observationes ab Em.mis Cardinalibus Pizzardo, Ruffini, Larraona et Beat.mo Patriarcha Melchitarum factas.

Exc. BERAS: Placet, sed tamen de diaconatu permanenti non placet.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis ab Eminentissimo Cardinali Relatore.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: placet iuxta animadversiones Eminentissimi Cardinalis Relatoris et Beatissimi Patriarchae Melchitarum. Si possibile redigatur unum schema pro latinis et orientalibus.

---

[7] Cf. pp. 269-272.

Exc. Šeper: Placet iuxta modum: ea quae dicuntur de ministro extraordinario Confirmationis in periculo mortis (I/7) et de speciali iurisdictione simplicium sacerdotum pro confessionibus audiendis (II/2, 4, 5, 8) coordinari deberent cum iis quae proposita sunt in Schematibus Commissionis de Sacramentis.

Exc. Bazin: Placet.

Exc. Bernard: Placet iuxta modum: hoc est: ratio habeatur de observationibus ab Em.mis Cardinalibus et a Beatissimo Patriarcha Melchitarum factis.

Exc. Bernier: Placet iuxta modum: dempto scilicet articulo octavo.

Exc. Yago: Placet iuxta modum: secundum observationes ab Eminentissimo Cardinali Jullien factas de schemate communi pro Ecclesia Orientali et Ecclesia Latina.

Exc. Rakotomalala: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimorum Cardinalium Relatoris et Richaud.

Exc. Ngô-dinh-Thûc: Placet iuxta modum: 1) Utile erit Commissioni Theologicae examinare argumenta Beatissimi Patriarchae Melchitarum circa episcopum ministrum ordinarium Confirmationis, et circa Apostolicae Sedis permissum sacerdotibus orientalibus ad conferendam confirmationem — ut res sit clara.

2) In regione vietnamiensi, mea patria, episcopi non libenter concedunt facultatem audiendi confessiones sacerdotibus omnibus etiam approbatis, simpliciter, indiscriminatim, sine consensu saltem praesumpto parochi loci, saltem ad liceitatem; nam ob ignorantiam personarum, possunt absolvi peccatores publici, quin exigatur ab eis praevia reparatio et ita scandalum oritur fidelibus, quando isti peccatores accedunt ad S. Communionem.

Tandem quoad facultatem audiendi confessionem tributam sacerdotibus peregrinantibus, credo quod sit utile determinare limites temporis commorationis in aliquo loco.

Exc. Verwimp: Placet iuxta modum: ratione habita de observationibus factis a Beatissimo Patriarcha Melchitarum, habita ratione etiam de his quae dixit Eminentissimus Cardinalis Alfrink de matrimoniis mixtis.

Exc. Jelmini: Placet iuxta modum: ad mentem Relatoris Eminentissimi Card. Cicognani et attentis quae a Beatissimo Patriarcha Melchitarum dicta sunt.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: perpensis observationibus factis.

Rev. GUT: Placet, iuxta dicta Beatissimi Patriarchae Melchitarum et dubium a Cardinali Cento motum.

Non placet quod cautelae tantummodo a parte catholica requirantur (p. 10 ss.).[8]

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: quamdam habeo haesitationem circa n. VIII, p. 8:[9] attentis quoque observationibus in consessu factis.

Rev. SÉPINSKI: Placet, habita ratione animadversionum Beatissimi Patriarchae Melchitarum. Unum schema pro tota Ecclesia exaretur.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: iuxta sententiam Em.mi Cardinalis Frings.

X

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Sexta Congregatio: 20 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

PROOEMIUM

1. [*Ius et officium custodiendi depositum*]. Sancta Vaticana Synodus, coram Deo atque Salvatore suo plene sibi conscia est, Ecclesiam missionem suam docendi, sanctificandi, regendi implere non posse, ideoque nec salem terrae esse, nec lucem mundi (cf. *Mt.* 5, 13-14), nisi depositum fidei pure atque intacte custodiatur. Haec autem custodia non solum sacrum officium est singulorum pastorum, de quo rationem reddituri sunt Domino (cf. *Hebr.* 13, 17), sed maxime toti Episcopatui incumbit, per Spiritum Christi in unum corpus apostolicum sub Romano Pontifice congregato. Ipse enim Dominus discipulis imponit: « Docete omnes gentes ... servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20); et Apostolus monet Timotheum: « Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates » (*I Tim.* 6, 20; cf. *II Tim.* 1, 14). Quare S. Synodus certo sciens etiam hisce temporibus plura spargi errorum semina, quibus multi sacram doctrinam non iam sustineant, sed a veritate auditum avertentes, ad fabulas convertantur (cf. *II Tim.* 4, 4), ut suo officio religiose satisfaciat, omni ope adnititur depositum sibi concreditum nunc quoque a quovis falsitatis contagio tutari, ne christifideles perniciosis huius aetatis fallaciis illaqueentur, iis potissimum, quibus ipsa religionis evertantur fundamenta.

---

[8] Cf. p. 263.

[9] Cf. p. 261.

Caput 1

DE COGNITIONE VERITATIS

2. [*Fundamentum theologicum*]. Cum fides rationem ab erroribus tueatur,[1] S. Synodus, innixa divinae revelationi de dignitate hominis ad imaginem Dei creati (cf. *Gen.* 1, 26-27; *Sap.* 2, 23; *Eccli.* 17, 1); de missione Christi, qui veritate nos liberavit (cf. *Io.* 8, 32); de Spiritu Sancto a Domino misso ut nos doceat omnem veritatem (cf. *Io.* 16, 13); de Ecclesia columna et firmamento veritatis (cf. *I Tim.* 3, 15), docet hominem natura sua gaudere dono adipiscendae veritatis, quo per actum sui intellectus, licet variis gradibus perfectionis, rebus ut sunt in seipsis conformatur.[2] Negata enim hac aptitudine, abnegatur ipsa ratio humana et frustra de revelatione et de fide sermo instituitur. E contra Ecclesia, a Spiritu veritatis edocta, non solum praedictam capacitatem agnoscit, sed insuper credit intellectum humanum ita a Deo elevari posse et elevari, ut fide illustratus cognoscat veritates captum cuiusvis creatae mentis omnino excedentes, donec in patria intueatur Primam Veritatem, nempe Deum Unum et Trinum, claritate visionis beatificae.[3]

3. [*Contra falsum existentialismum*]. Sicut autem Ecclesia, iugiter divino verbo freta, semper sibi persuasum habuit rationem veritatis non esse quid mere subiectivum,[4] sed potius existimari debere perfectionem humanae mentis, qua universitati rerum conformari potest, iuxta illud Augustini: « Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit »; [5] ita pari firmitate semper tenuit intellectum hominis veritates necessarias et immutabiles assequi posse,[6] ac de illis propositiones, quae mutationi non sint obnoxiae, enuntiare.[7]

4. [*De primis principiis*]. Quia vero super principia illa universalia, quae identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis efficientis et finalis ab eruditis vocari solent,[8] quaeque tam perspicua sunt, ut quasi sponte cuilibet innotescant, integrum aedificium cognitionis humanae innititur, immo ipse ordo doctrinae fidei quodammodo superstruitur,[9] ideo Sacrum Concilium docet, principia illa a nemine in dubium ullatenus vocari posse.

5. [*Obscurationis veritatis remedia*]. Cum autem homo inde ab initio inciderit in servitutem ignorantiae et passionum, quibus lumen naturalis rationis obnubilatur,[10] et difficilior redditur cognitio veritatis, maxime illius quae ad mores et religionem spectat (cf. *Sap.* 9, 13-19; *Rom.* 1, 18-32), hac de re, non obstante scientiarum hodiernarum miro progressu, « divinae revelationi tribuendum est, ut quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».[11] Quare iure merito Ecclesia numquam negavit utilitatem et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas: immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse, cur intellectus cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat.[12]

NOTAE

[1] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1799.

[2] PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Primo Symposio Internationali Geneticae Medicae,* 7 sept. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 601: « La pensée de tous les temps, basée sur la saine raison, et la pensée chrétienne en particulier sont conscientes de devoir maintenir le principe essentiel: la vérité est l'accord du jugement avec l'être des choses déterminé en lui-même ».

Cf. IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus,* 22 dec. 1960: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 7-8.

Cf. S. THOMAS, *Summ. Theol.* I, q. 16, a. 1.

[3] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1795-1796; PIUS IX, Epist. *Gravissimas inter,* 11 dec. 1862 (contra Iac. Frohschammer): DENZ. 1673.

[4] Decr. S. O.: *Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 58: DENZ. 2058 damnatur: « Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur ».

[5] S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* c. 39, n. 73: *PL* 34, 155.

[6] PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2320: « certae et immutabilis veritatis assecutionem ».

[7] Cf. Decr. S. Off. *Lamentabili,* prop. 58: DENZ. 2058.

[8] PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2320: « Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem »;

Cf. *Alloc.* 7 sept. 1953 ad medicos: *A.A.S.* 45 (1953), p. 601; *Alloc. ad Univ. Greg.,* 17 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 685;

S. THOMAS, *Contra Gentes,* II, c. 83: « Intellectus noster cognoscit *ens* et ea quae sunt per se entis, inquantum huiusmodi: in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia; ut, *non esse simul affirmare et negare,* et alia huiusmodi. Haec igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit, conclusiones autem per ipsa ».

[9] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1799: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum *recta ratio fidei fundamenta demonstret* ... ».

Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2321-2322.

[10] *Conc. Trid.,* Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 788: « Totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse »;

Cf. S. THOMAS, I, q. 95, a. 1.

[11] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: DENZ. 1786;

Cf. S. THOMAS, I. q. 1, a. 1.

[12] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2324.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Antequam ad ipsum prooemium procedatur, quaedam explico quae possunt magis opportune prae oculis haberi ut metiri possit ratio quorundam quae scripta sunt, quae ceterum in quibusdam etiam admittunt discussionem, quia non omnia sunt dogmata. Quaedam autem quae praesertim scientiam profanam attingunt possunt difficultatem ponere si nos dogmatice loquamur et erunt praesertim obiectum discussionum et libenter accipiemus omnes suggestiones prudentiales, quia prae oculis praesertim debemus habere ne ita Concilium sese pronuntiet quoad quaedam; sunt quaedam quaestiones, praesertim de monogenismo v. gr., quae possunt praeoccupare et facere difficultates pro futuro et in hac re etiam Commissio doctrinalis putavit caute esse procedendum. Debeo etiam prae oculis vobis ponere Commissionem non fecisse tractatum generalem et completum, sed tantummodo illas quaestiones tractavisse, quae ob hodiernas rerum condiciones, studiorum tractationes, petitiones adversariorum vel etiam in ipso campo catholico nutant et faciunt difficultatem, illa praesertim fuisse considerata et proposita pro Concilio, ne haberemus tractatum completum. Item noto Commissionem doctrinalem prae oculis habuisse praesertim desiderata ab Episcopis, ab Universitatibus, a Superioribus Generalibus Ordinum religiosorum, igitur maxime habuisse rationem postulationum factarum, quae collectae sunt in voluminibus a Secretariatu Centrali iam publicatis. Quoniam puto in hac re non posse loqui, prout dicitur vulgari « a braccio », quia sunt quaedam quae terminologiam exactam postulant, sumus enim in rebus quae frequenter dogmata tangunt, ego puto nunc esse legenda quoad singula capita quae praeparata sunt et veniam peto si, ne nimis fatigem oculos meos, postulo auxilium oculorum et oris alicuius coadiutoris, praesertim Secretarii Generalis si vellet legere pro meo loco. Ceterum paratus ero dare quasdam explicationes, si petuntur, praesertim rationem habebo eorum quae iam mihi dicta sunt ab Em.mo Card. Decano, quorum omnia mihi videntur acceptabilia, praesertim quod attinet ad caput III, ubi nimis fortasse videretur praeoccupata quaestio scientifica appellando tantummodo ad Concilium Tridentinum, etc. Et etiam quoad spiritismum, quod sit mittendum in evidentia quomodo multae sunt inventiones seu fallaciae quorundam et etiam reformando superstitionem eorum qui amuleta portant de quibus fortasse opportunum erit loqui.[1]

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Exc. FELICI: Hoc schema confectum est iuxta normas receptas ab ipso Summo Pontifice Ioanne XXIII, attentis etiam Voto Supremae S. C. Sancti Officii et Votis Exc.morum Episcoporum vel Superiorum Ordinum Religiosorum atque Universitatum Studiorum, contentis in voluminibus, quibus titulus: « Acta et Documenta ».

In opusculo: « Quaestiones Commissionibus praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticani II positae », haec declaratio Exc.mi Secretarii Commissionis Centralis legitur: « SS. D. N. Ioannes XXIII dignatus est studio Commissionum Concilio Oecumenico Vaticano II apparando committere quaestiones, quae sequuntur: facta tamen facultate Commissionibus singulis, aliis quoque quaestionibus studendi, quae, ipsarum iudicio et in proprio competentiae ambito, Ecclesiae bono prodesse videantur ».

Hac benevolentissima ac peropportuna facultate, ad defensionem et incrementum depositi Fidei, libenter sed discrete usa est Commissio Theologica, cuius laboris fructus sunt capita quae hodie submittuntur examini et iudicio Commissionis Centralis.

Prooemium in schema Constitutione « De Depositio fidei pure custodiendo ».

Hoc prooemium est veluti introductio in varia capita de praecipuis quaestionibus in Schemate tractatis. Imprimis enim conveniens visum est recolere ius et officium, quae toti Episcopatui incumbunt depositum fidei pure et intacte custodiendi sive pro singulis dioecesibus, sive in tota Ecclesia, quando ad tale munus adimplendum omnes Episcopi collegialiter convocantur a Romano Pontifice, cui personaliter idem munus atque officium est commissum.

Card. OTTAVIANI: In hac re ego facio opportunam animadversionem: Episcopos esse defensores fidei non solum in propria dioecesi et pro propria dioecesi sed pro tota Ecclesia. Quando loquuntur etiam in propria dioecesi eorum vox habet summum valorem etiam pro tota Ecclesia, tunc enim sunt depositarii et custodes fidei pro tota Ecclesia, semper utique sub linea quam solummodo Summus Pontifex etiam docet, quando autem collegialiter agunt, tunc directe responsabiliter pro tota Ecclesia agunt.[2]

Exc. FELICI: In Deposito autem, de quo loquitur Apostolus in I Ep. ad Timotheum (6, 20) et in II (2, 14), praecipuum locum habet doctrina fidei, quae tutanda est a quovis falsitatis contagio.

---

[2] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Caput I: *De cognitione veritatis.*

Inter varias quaestiones, quae ad depositum fidei aliquomodo pertinent, quaestio de cognitione veritatis tamquam praeliminaris ac veluti fundamentalis censenda est; nisi enim recta solutio problematis cognitionis praecedat, logicus gressus fieri nequit ad quaestionem de cognitione naturali Dei et de cognitione mysteriorum fidei.

Doctrina proposita in hoc primo capite, ut ex Notis appositis elucet, deprompta est ex variis documentis Magisterii Ecclesiae, ex operibus S. Augustini et S. Thomae. Methodus servata in enuntiatione doctrinae est methodus stricte theologica, quatenus argumenta desumpta sunt praesertim ex S. Scriptura et ex traditione catholica, tamquam ex fontibus seu locis theologicis necessariis, sive ad comprobandam notionem veritatis, quam ipsa ratio naturalis suppeditat, sive ad asserendum valorem primorum principiorum rationis et ad indicanda remedia, quae impedire valent obscurationem veritatis.

Errores, qui saltem implicite et indirecte sunt reprobati per hoc primum caput, plures sunt, videlicet: agnosticismus, idealismus, immanentismus, pragmatismus, existentialismus.

Redactio huius capitis elaborata est a Subcommissione de Deposito attentis animadversionibus propositis ab aliis membris Commissionis theologicae; quinque specimina redactionis apparata sunt, antequam redactio ultima, approbata a tota Commissione theologica, typis mandaretur.

Spes ergo arridet Commissioni Theologicae muneri suo sufficienter satisfecisse, ac simul satis rationem habuisse votorum Exc.morum Episcoporum et aliorum, qui postularunt ut in Concilio Vaticano II declaretur valor ontologicus primorum principiorum rationis, quae sunt fundamentum apologeticae; et ut damnentur agnosticismus, anti-intellectualismus, idealismus, immanentismus, phaenomenismus, pragmatismus, problematicismus (cf. *Acta et Documenta*).

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Liénart: Animadversio praevia super indolem generalem Constitutionis a Commissione Theologica propositae.

Fides nostra catholica nullum alium fundamentum habet nisi verbum Dei, nobis authentice transmissum per libros Veteris et Novi Testamenti et Traditionem Ecclesiae, Spiritu Sancto afflante et illuminante.

Sicut definivit Concilium Vaticanum primum, adhaesionem firmam

praestare debemus « ad omnia revelata ut vera, non propter intrinsecam rerum veritatem, naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest ».

Miror ergo quod in septem fasciculis de deposito Fidei pure custodiendo, nobis propositis recursus semper habeatur argumentis rationalibus e theologia, imo et de mera philosophia (v. g. probationes existentiae Dei) depromptis, potius quam revelationi divinae referatur.

Deplorandum mihi etiam videtur quod nihil dicatur de splendido deposito illo quod pure custodire debemus, sed solum exponantur errores qui illud maculare immineant. Melior erat via a primo Concilio Vaticano commendata, quando dicebat « salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus... damnatis ».

Longe a me quod negare vel minuere velim valorem obiectivum synthesis rationalis quam elaboraverunt theologi catholici, sed mihi dicere liceat quod non talis sit ut alliciat, sed magis repugnet, mentibus eorum qui formati sunt in aliis scholis aut aliam philosophiam profitentur.

E contra, si expositionem doctrinae nostrae recapitulemus a fonte Scripturae, ex qua nobiscum hauriunt aliae Ecclesiae christianae, et si ostendamus quomodo, Spiritu Sancto illuminante, authentica Traditio nostra explicitam reddidit et etiam ditavit, in sensu Deo accepto, doctrinam revelatam, via esset largius aperta ad conciliationem mentium et cordium.

Quapropter enixe peto quod Constitutio, de qua nunc agitur, incipiat per capitulum quo explicite proclamaretur fides nostra: fides erga verbum Dei in Veteri et Novo Testamento conscriptum; fides erga revelationem quam Deus ibi facit de seipso, tanquam Ens supremum, vivens et infinite perfectum et etiam trinum; fides erga conditionem hominis peccatoris; fides erga promissionem salutis, cuius realisatio toto decursu historiae parata est, et excellentius per Redemptionem quae est in Christo Iesu unico Salvatore, consummata est; et fides in revelatione definitiva quae per Filium Dei et Apostolis eius, completa nobis tradita est.

Capitulum istud lumen proiceret super totum progressum doctrinalem quem, vi Traditionis, Ecclesia a Iesu Christo fundata, paulatim eduxit sub auctoritate Supremorum Pontificum et Conciliorum Oecumenicorum, organorum legitimorum Infallibilitatis suae. Locum daret etiam ad denunciandos omnes errores in schema citatos. Sed adversus illos errores, doctrina Fidei, in sua realitate positiva et sua splendida amplitudine sic praesentata, facilius adhaesionem obtineret, fidelium qui non eam satis cognoscunt et christianorum separatorum qui pro motivis, saepe hodie antiquatis, steterunt in via et extra unitatem erraverunt.

Certe Ecclesia curam habere debet ut depositum fidei pure custodiat,

sed non minus satagere debet ut depositum sibi commissum omnibus hominibus communicet.

Card. FRINGS: Schema Constitutionis dogmaticae « De deposito fidei pure custodiendo » non videtur maturum. Loquitur de multis et diversis rebus et magis negative quam positive, interdum verbis, quae adversarios offendere possunt; ideo aptum non videtur ad alliciendos adversarios vel fideles aedificandos. Loquitur de rebus mere philosophicis relinquens tramitem Conciliorum antecedentium. Saepius repetit iam dicta et melius dicta in Tridentino et Vaticano I. Loquitur de quaestionibus modernis in re naturali, sed summarie, quin ostendatur auctorem funditus studuisse problemata ex scientiis naturalibus hodiernis promanantia. Quoad formam deest fluxus idearum et linguae.

Quapropter Constitutio, ut iacet, non videtur correspondere intentionibus Sanctissimi Patris nostri Ioannis XXIII et funditus retractari debet, donec Sanctissimo possit proponi, ut de eo agitetur in Concilio.

Ex hoc fasciculo placent nn. 1 et 2, reliqua non.

Card. RUFFINI: Quaestio haec est maximi momenti cum agatur de veritate obiectiva fidei, nimirum de fundamento rationali fidei.

Pag. 6 [1] et seq. Fides profecto innititur Revelationi divinae quam firmiter tenemus propter auctoritatem Dei revelantis. Sed mihi persuasum est opportunissime aperte affirmari prima principia verae philosophiae cum quibus fidei rationabilitas — ut ita dicam — arcte coniungitur.

Secus enim ansa praeberetur — saltem indirecte — theoriae perniciosissimae, et falsae, fidem a rationis humanae lumine esse plane alienam. Tritum est — etiam apud plures qui catholici dicuntur — aliud esse quod fides exigit, aliud quod ratio expostulat.

Bonum insuper esset, et textus melior fieret, si quadam accurata summula praecipuae fidei veritates, iam in Conciliis Oecumenicis praeteritis definitae, hic confirmarentur antequam errores refutentur.

Nunc paucas emendationes audeo proponere:

Eadem pag. 6, lin. 6 « gaudere *dono* » dicerem « gaudere *facultate* » vel « aptum esse ad veritatem adipiscendam ».

Pag. 6, lin. 9: « conformatur » aptius « adaequatur ».

Pag. 6, lin. 15: « *cognoscat* veritates »; accuratius dicatur, quia veritatum supernaturalium intimam naturam non cognoscimus, sed tantum existentiam et quamdam rationabilitatem.

---

[1] Cf. p. 280.

Pag. 6,[2] lin. 21: « sibi persuasum habuit » dicerem « tenuit »; « rationem veritatis » dicerem simpliciter « veritatem ».

Pag. 7,[3] lin. 13 loco locutionis « numquam negavit » ponerem: « semper agnovit ».

Card. DÖPFNER: Hodie fit votatio super Prooemium necnon Caput I^um Schematis Constitutionis « De Deposito Fidei pure custodiendo » propositi a Commissione Theologica.

Prooemium et Caput I^um tractari tamen nequeunt, nisi consideretur tota Constitutio. Hanc ob causam iudicium de tota Constitutione hodiernae votationi praemitti debere mihi videtur. Tale iudicium verificandum postea erit per applicationem ad singula Schematis capita.

Constitutio praeiacens specialem nostram attentionem ac diligentiam meretur. Schema a Commissione Theologica elaboratum, vestigiis strenui et fructuosi laboris praeditum, sub respectu Depositi fidei pure custodiendi principia quaedam fundamentalia fidei ac religionis nostrae tractat. Hodiernis temporibus homines non adeo de hac vel illa veritate revelata disputant vel dubitant, sed potius de ultimis fundamentis vitae christianae, immo humanae, incerti sunt. Homines diversas rationes sibi fingentes firmam fidem atque fiduciam in Deum invenire non valent. Tamen videntur intime agitari et vehementer pati ob vitae humanae sensum non impletum.

Quibus in circumstantiis necesse est Ecclesiam verbum loqui clarum et firmum ac simul suadens et corroborans de Deo, qui — non obstantibus difficultatibus apparentibus — etiam hodie in Christo Filio Suo per Ecclesiam sese manifestat et homines ad se trahit.

Ad hoc munus explendum Schema propositum in diversis suis partibus multa et optima Patribus Concilii offert. Ita v. gr. bene agitur de magno historiae salutis momento necnon de eventibus salutaribus a Deo in decursu historiae salutis praeparatis (Cap. IV, n. 18), de Christo Filio Dei uti plenitudine Revelationis (Cap. IV, n. 20), de viventi Ecclesiae magisterio, de thesauris fidei investigandis, de progressu doctrinali (Cap. V, n. 30 sqq.), de unicitate finis hominis, scilicet supernaturalis (Cap. VI).

In quibusdam tamen defectus non parvi momenti inhaerere videntur, quos modo generico ita resumere velim, remedia quaedam simul indicando:

1) *Indoles Constitutionis est aliquomodo nimis negativa.* – Ali-

[2] Cf. p. 280.
[3] Cf. p. 280.

quoties late errores exponuntur, iam in aliis magisterii documentis, uti videtur, sufficienter damnati. Unde reducatur, quantum fieri potest, eorum numerus et indicentur potius errores tantum fundamentales. Expositiones sunt saepe tam negativae, ut obscurari aliquomodo seu negligi videantur veritates fidei positivae. Quorum intellectus nempe necessario praesupponitur, ut etiam reprobationes plene intelligantur, non solum a catholicis, sed etiam a fratribus separatis, id quod certe a nobis omnibus exoptatur.

2) *Nonnullae partes nimis philosophicae esse videntur.* – Sane elementum philosophicum in omni enuntiatione theologica nequaquam negligi potest. Videtur tamen elemento mere philosophico nimium pondus in tota Constitutione attribui. Desiderantur enim et quoad expressionem et quoad contentum ea quae in Fontibus Revelationis de actu vitali, totali, concreto hominis fidelis inveniuntur.

Tali modo maius habebitur aequilibrium inter rationis capacitatem servandam et dominium gratiae Salvatoris inculcandum, quod optime respondet textibus S. Scripturae et Traditionis, imprimis etiam S. Synodi Vaticanae II^{ae}.

In his rebus tanquam principium dirigens illud sumi posset, quod nunc in Capite VI° (nn. 36 et 37) stabilitur, scilicet unicum dari de facto finem, nempe supernaturalem, quippe qui finem naturalem ut perfectibile in perfecto continet, et quidem ita, ut fine supernaturali amisso nec naturalis hominis perfectio remaneat. Talis doctrina, si cohaerenter applicetur, monstrat, omnem realitatem et omnem hominem, immo omnem actum humanum aliquo modo semper specificari ab ultimo fine supernaturali, i. e. omnia ad Christum Dominum relationem habere (sive positive, sive privative) quod quidem plane Fontibus Revelationis correspondet (scilicet: universa in Christo condita, Col. 1, 16; recapitulatio omnium in Christo, voluntas Dei salvifica universalis, 1 Tim. 2, 1-7).

3) *Ne damnentur doctrinae, de quarum sensu recte intelligendo et cum fide componendo, adhuc est discussio* inter theologos vere catholicos, exempli gratia de sorte infantium sine baptisma decedentium.

4) *Desideratur, ut doctrinae in diversis Capitibus propositae magis in unitatem internam redigantur.* – Quaerenda omnino est alia materiae tractatae distributio. Procedi secundum historiam revelationis et salutis, in cuius centro Christus, Verbum Incarnatum, stat, et cuius historiae valor in n. 18 iam inculcata est. Hoc modo etiam reprobationes errorum organice in Constitutione inseri poterint.

Liceat proponere hic schema alicuius novae dispositionis, minime uti schema omni ex parte perfectum, sed potius ut aliquod « schema laboris » ulterius perficiendum:

In prooemio imprimis dicatur, Concilium velle opem ferre exigentiis nostrae aetatis et homines adiuvare, ut Deum Patrem in Christo Domino sese revelantem quaerant et sine errore inveniant.

Tunc in novo quodam capite fundamentali (« fundamentum theologicum ») monstretur salutem, pacem, problematum solutionem nobis datum esse a Deo misericordi et omnipotenti in Christo Domino, qui est « lapis », « qui factus est in caput anguli » et praeter quem « non est in alio aliquo salus » (Act. 4, 11 sq.).

Post hoc caput, materia Constitutionis apte per sequentem triplicem considerationem Christi distribui poterit:

Christus ut Filius Patris
Christus ut ipsa Veritas
Christus ut Salvator mundi.

Christus est Filius Patris:

a) Verbum, per quod Deus omnia creavit (Io. 1, 2) — hucusque Caput III: De Creatione;

b) Filius, ad cuius filiationem adoptione participandam gratuite nos vocati sumus — hucusque Caput VI: De fine supernaturali.

Christus est ipsa Veritas (Io. 14, 6):

a) in qua plena Patris revelatio habetur — hucusque Caput IV: De Revelatione;

b) ad quam veritatem suscipiendam ipsa ratio humana miro modo apta est, cum sit de se veritatis qua talis capax — hucusque Caput I: De Veritate;

c) cuius Revelationem (positivam nempe VT et NT) praecedit (tanquam praeparatio quaedam) manifestatio Dei in operibus creationis — hucusque Caput II: De Deo;

d) quae veritas ab Ecclesia vivo magisterio inspirante Spiritu Sancto conservatur, profundius penetratur et hominibus omnium regionum ac temporum annuntiatur — hucusque Caput V: De progressu doctrinae.

Christus est Salvator mundi:

a) Novus Adam reparans praevaricationem primi Adami — huc spectant quae in Capite VIII de peccato originali et in Capite IX de Monogenismo dicuntur;

b) perficiens opus redemptionis morte et resurrectione Sua, quod continet aspectum satisfactionis — hucusque Caput XI;

c) in gloria apparituras die novissimo ad consummandam historiam salutis — hic inserantur, quae in Capite VII dicuntur.

Omnia Capita praeiacentis Constitutionis in hoc humiliter commendato schemate continentur praeter Caput X (De sorte infantium sine baptismo decedentium), de quo Capite loco competenti sermo erit.

Mutationem profundam modo proposito vel modo simili peragendam omnino necessariam duco. Aliter nempe non videtur, quomodo Constitutio praeiacens accipi possit, non videtur, quomodo gravibus Ecclesiae necessitatibus necnon intentioni Summi Pontificis de Concilio Oecumenico imminenti correspondeat. In decursu historiae Ecclesiae nonnumquam tales revisiones schematum conciliarium iam occurrerunt. Rationes graves allatae etiam nunc suadent laborem denuo suscipiendum.

ADNOTATIONES AD PROOEMIUM ET CAPUT I^{um} IN SPECIE:

Ad inscriptionem Constitutionis:

Quaeritur, utrum desiderata indoles magis positiva Constitutionis etiam in titulo exprimi possit, v. g. ita: « De deposito fidei nostris temporibus proponendo et custodiendo ».

Ad prooemium:

Desideratur, ut perficiatur secundum animadversiones generales.

Ut exemplum afferam, p. 5,[4] linn. 1-8 et 18-27 ita compleri possent, ut totum prooemium sic sonet:

Sancta Vaticana Synodus, coram Deo atque Salvatore suo plene sibi conscia est, Ecclesiam a Christo Domino Institutore suo depositum fidei seu thesaurum veritatum revelatarum suscepisse, ut doceat omnes gentes (Mt. 28, 19) viam salutis, easque sanctificet et regat in finem suum. Ita sal est terrae et lux mundi (cf. Mt. 5, 13 sq.). Ad fideliter explendam hanc suam missionem simul diligenter de deposito pure atque intacte custodiendo ut curet necesse est. Annuntiatio veritatum in deposito contentarum eiusque simul custodia non solum sacrum officium est singulorum pastorum, de quo rationem reddituri sunt Domino (cf. Hebr. 13, 17), sed maxime toti Episcopatui incumbit, per Spiritum Christi in unum corpus apostolicum sub Romano Pontifice congregato. Ipse enim Dominus discipulis imponit: « Docete omnes gentes... servare omnia quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 19-20); et Apostolus monet Timotheum: « Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates » (1 Tim. 6, 20; cf. 2 Tim. 1, 14).

Quare S. Synodus, sciens hisce temporibus homines perturbari maxime circa veritates fundamentales existentiae humanae, scil. de origine, natura, fine vitae humanae et de aditu inveniendo ad Deum et intimam

---

[4] Cf. p. 279.

propriam felicitatem ipsosque fideles aliquoties ab anxietatibus tangi et plura spargi errorum semina, quibus multi sacram doctrinam non iam sustineant, sed a veritate auditum avertentes, ad fabulas convertantur (cf. 2 Tim. 4, 4), ut suo officio religiose satisfaciat et homines temporis praesentis Deum et Filium eius Unigenitum quaerere et invenire adiuvet, in capitibus sequentibus ex deposito sibi a Domino concredito veritates quasdam ad ipsa religionis fundamenta spectantia pro bono fidelium et omnium Deum sincero corde quaerentium pandit et simul ab erroribus quibusdam perniciosis defendit.

Ad Caput I^um^: *De Veritate*:

Ad n. 2: Transitus a doctrina S. Scripturae de cognitione veritatis (scil. salutiferae) ope actionis liberatricis Christi et auxilio Spiritus Sancti (p. 6,[5] linn. 2-5) ad abstractam doctrinam de cognitione veritatis, homini vi naturae suae competenti, nimis abruptus esse videtur. Forsitan melius connexus habebitur, ubi primum hoc caput totum inseratur in loco supra indicato, i. e. ubi monstrandum erit naturam hominis ipsam ad suscipiendum Christum Dominum Veritatem aptam esse.

Capacitas rationis ad veritatem qua talem, ut patet, in plenitudine Revelationis in Christo suscipienda omnino supponitur. Unde illa capacitas tandem recte hic defenditur.

Tunc immediate recipi poterint, quae hucusque solum in n. 5 dicuntur de conditione luminis naturalis rationis post peccatum Adae, ne relinquatur consideratio ordinis concreti.

Quo facto notio veritatis compleri forsan potest his quae a S. Scriptura docentur, scil. in veritate sese manifestare realitatem ipsam divinam Deique fidelitatem, qua veritate homini datur orientatio ultima et certissima, unde haec veritas ut magnum Dei donum grato animo suscipienda est.

In fine huius numeri de ultima perfectione rationis humanae per fidem mysteriorum in via et per visionem in patria locutio sit, ut iam fit in Schemate proposito.

Ad nn. 3-4: Capacitate intellectus iam supra in tuto collocata, hi numeri omitti forsan possunt, cum insuper errores hic tractati iam in aliis documentis magisterii ecclesiastici reiecti sint.

Card. König: Schema hoc magno labore necnon opiniones valde diversas commissionis componens laudabiliter confectum est.

Attamen quaedam adhuc desiderantur ut mihi videtur.

1. Munus apologeticum in ecclesia semper valde necessarium fuit

---

[5] Cf. p. 280.

et erit. Sed Concilium Oecumenicum non tantum ad intra sed etiam ad extra loquetur et mundus universus suam unitatem quaerens, mundus sine pace et sine veritate, critice quidem sed etiam magno desiderio audiet quae ecclesia hac solemni occasione dicet. Ideo aspectus apologeticus ne nimis praedominet — sicut in schematibus quae sequentur mihi videtur — sed etiam synthesis positiva fiat eo sensu quod veritates revelatae, veritates quas ecclesia custodit, sunt solutio omnium difficultatum quibus mundus hodiernus laborat (cf. *Imitationem Christi*: Christus solutio omnium difficultatum). Ideo in fine cuiusvis capitis mihi videtur ponendum, quomodo veritates expositae cum doctrina universali fidei nostrae cohaerent.

2. In prooemio, ut mihi videtur, desiderantur quaedam de influxu sociali religionis (cf. evolutionem in Africa et Asia), quaedam de dignitate et libertate hominis et quomodo religione christiana proteguntur, quaedam de ideologiis hodiernis et quomodo tantum vivunt ex fragmentis religionis.

3. Non videtur necessarium tam extensive ea repetere quae dixit Vaticanum primum. Et quae in numero 2 ponuntur magis ad prooemium pertinere mihi videtur. Praeterea melius videtur verba Sacrae Scripturae in ipsis argumentis adhibere, sicut Vaticanum primum hoc fecit, et non numerum loci Sacrae Scripturae tantum citare.

4. Non bene consonare videntur quae dicuntur in pagina 6,[6] lin. 33 et in pagina 7,[7] linea tertia et sequens.

Card. ALFRINK: De Schemate de Veritate pauca quaedam minoris momenti et quaedam quae forse maioris momenti sunt, afferre vellem.

Ad n. 1: hic citantur duo loci Sacrae Scripturae qui nisi fallor non omnino juste adducuntur.

Mat. 28, 19-20 — in linn. 13 et 14 — citatur relate ad depositum fidei pure atque intacte custodiendum. Verba autem in textu S. Matthaei « servare omnia quaecumque mandavi vobis » potius ad regulas practicas agendi se referunt quam ad depositum fidei custodiendum.

1 Tim. 6, 20 — in lin. 16 — citatur forse propter verba « devitans profanas vocum novitates » in quibus verbis scriptor huius paragraphi monitum legit contra novas theorias et sententias relate ad dogmata fidei pure et intacte custodienda. Verba autem in textu graeco nihil aliud dicunt quam loquelas profanas, vacuas, inanes.

Oppositio ergo est non inter doctrinam, quam Timotheus debet cu-

---

[6] Cf. p. 280.
[7] Cf. p. 280.

stodire et novitates doctrinales, quas devitare debet; sed inter res fidei, quibus Timotheus se debet occupare, et loquelas et res profanas, nugaces, vanas, in quibus se non debet immiscere.

Ad n. 3: in titulo huius numeri legitur: « contra *falsum* existentialismum ». Sensus huius tituli non videtur sufficienter clarus.

Sensus esse potest hic agi de *falso* existentialismo, dum econtra etiam existit existentialismus verus, bonus.

Vel in sensu quodam generali dicitur ita ut redactores dicere intendant existentialismum semper esse falsum.

Si in hoc secundo sensu titulus intelligendus est, vox « falsum » melius eliminetur e documento Ecclesiae, propter caritatem quam Ecclesia etiam erga errantes manifestare debet.

Addere vellem me nescire an in hac paragrapho existentialismus recte et iuste describatur.

Si verba « rationem veritatis esse quid *mere* subiectivum » de existentialismo intelligenda sunt, dubito an sic vera mens existentialismi describatur. Nisi fallor, nullus existentialista dicet rationem veritatis esse quid *mere* subiectivum.

In n. 4: loquitur de principibus universalibus quae tam perspicua sunt ut quasi sponte cuilibet innotescant.

Nisi fallor principia philosophica enumerata non ab omnibus philosophis etiam catholicis et orthodoxis eodem modo intelliguntur, ita ut quae in hac paragrapho dicuntur, nimis generaliter dicantur et forse quadam ulteriore explicatione indigeant.

Haec ultima animadversio me adducit ad aliquam animadversionem magis generalem.

In diversis partibus huius Constitutionis de Deposito fidei pure custodiendo saepius quaedam philosophica enuntiantur, quae valde stricte cum quadam schola philosophica determinata coniunguntur.

De ista schola philosophica determinata nihil malum dicere vellem. Econtra. Insuper plene assentio, si Ecclesia determinatam philosophiam in suis scholis aliis philosophiae formis anteponit, et desiderat ut omnes sacerdotes ista philosophia imbuantur.

Sed alia quaestio est, an Ecclesia in suis declarationibus doctrinalibus se cuicumque philosophiae determinatae ita arcte coniungere debeat.

Ecclesia debet fidem et doctrinam evangelicam praedicare, non quandam philosophiam.

Non sum philosophus, sum simplex exegeta, biblista. Sed ut talis scio in Vetere et in Novo Testamento doctrinam revelatam praedicari alio modo cogitandi humano — dicamus alia philosophia — quam philosophia perennis.

Nec Sanctus Paulus in suis epistolis, nec Iohannes in suo Evangelio, nec ipse Christus Dominus erant philosophia illa imbuti.

Et nonne Ecclesia doctrinam evangelicam sic praedicari debet ut cum omni philosophia quae veritatem evangelicam sartam tectamque conservat, enuntiari queat.

In nostro tempore in quo praedicatio evangelica cum tot culturis diversis componi debet, hoc mihi videtur magni esse momenti.

Ideoque rogare vellem ut Constitutio quibusdam philosophis vere peritis e diversis scholis proponatur ut de istis rebus Commissioni Centrali votum dent.

Alteram quaestionem generalem addere liceat. In diversis huius Constitutionis paragraphis sermo est de scientiis hodiernis. In genere paragraphi istae de scientiis hodiernis parvo cum gaudio loquuntur et magno cum timore de erroribus, quae ex istis scientiis oriri possint. Ideoque Constitutio in istis rebus impressionem facit sat negativam.

Mallem ut Constitutio — quin oculos claudat relate ad errores reales aut possibiles — tamen aliquomodo laudet conatus scientificos tot hominum honestorum qui cum sua scientia et suis investigationibus saepe valde laboriosis fidei catholicae et Ecclesiae sincera intentione servire volunt.

Ecclesia in Concilio proximo non faciat impressionem ac si scientiae esset inimica.

Rev. Browne: Schema mihi optimum videtur.

In pag. 6 [8] n. 3 ponitur in uncinis (litteris italicis), ut titulus numeri *Contra falsum existentialismum.* Cum vero existentialismus sit error seu classis errorum nostri temporis, et cum revera contentum huius numeri respiciat plures alios famosos errores praeter ipsum forte melius esset ut numerus 3 coniungatur cum numero 4 et ut nova paragraphus sic constituta intituletur *De veritate primorum principiorum.*

Theologice loquendo Schema recte agit de primorum principiorum veritate. Pertinent ad sacram doctrinam ut praeambula eorum quae sunt Fidei sed insuper quia et ipsa, actu implicite, continentur in verbo Dei revelato.

Summi momenti est, et hic est locus ipsum dicendi, ut in his et aliis materiis analogis adhaereatur doctrinae Sancti Thomae ad normam praescriptorum Leonis XIII et Sancti Pii X. Sapientia, metaphysica praesertim, Angelici Doctoris est sapientia ipsius intellectus et rationis humanae toti generi humano conveniens. Inter partes huius sapientiae

[8] Cf. p. 280.

maxime necessarias ad fidem tuendam, exponendam et defendendam eminet illa quae de metaphysica ipsius veritatis agit. Hac metaphysica in dubium vocata omnia mutant.

Adiungo, sed ut aliquid minoris ponderis, ut bonum esset in pagina 6 [9] linea 13 dicere « ... capacitatem agnoscit *et inculcat,* sed... ».

Card. OTTAVIANI: Ante omnia gratias ago de animadversionibus factis, quarum certe habebitur summa ratio. Sed ceteri, qui nunc debent suum suffragium ferre, considerent quod si res est de ordinanda materia uno modo vel alio modo, omnes possunt proponere non unum, non decem, sed centum modos proponendi doctrinam. Quod necessarium mihi videretur esset potius dare suggestiones, prout factum est praesertim ab Em.mo Card. Ruffini, a Rev.mo Patre Magistro Generali O. P., ut amelioretur ipsa Constitutio, sed non proponere alios modos, secus hic faciemus aliquem canonem perpetuum, quia si nos proponebimus aliam formam, erunt tales quibus non placet illa forma, ille modus, sicut in itinere ut pergam Berolinum possum transire directe vel pergere prius Lutetiam Parisiorum, postea Amstelodamum, etc. et igitur non est quaestio de modo proponendi. Ceterum ego valde miratus sum audire quod omnia essent fundanda in revelatione. Igitur vane S. Scriptura Veteris Testamenti, in Novo Testamento S. Paulus fecissent appellationem ad rationem hominis ad probationem existentiae Dei. Si autem ipsa prima principia pervertuntur (et mihi mirum visum est datam esse pro legitima positionem quorundam catholicorum qui alio modo sentiunt de primis principiis; sumus in hac terribili condicione reapse quod sunt quidam catholici qui negant etiam valorem demonstrativum principiorum fundamentalium) actum est de ratione, actum est etiam de ipsa fide. Ut dictum est bene a quodam Em.mo, nos loquimur non tantummodo catholicis qui admittunt revelationem, sed nos loquimur pro toto mundo, pro iis etiam qui nunc non admittunt revelationem, pro iis qui persuadentur tantummodo rationibus humanis; si adducimus tantummodo argumenta ex Evangelio, pro illis nihil valent; pro existentialistis, qui negant ipsam existentiam Dei, quomodo possumus appellare ad revelationem a Deo factam? Igitur mihi videtur caput positum cum principiis philosophicis omnino necessarium esse et igitur principia philosophica, ibi exposita, esse omnino necessaria. Aliud est si amelioratur quibusdam suggestionibus, v. g. quando dicitur de falso existentialismo (convenio quia illic posita erat haec forma ad indicandum quod sit quidam etiam existentialismus christianus qui

[9] Cf. p. 280.

non esset falsus) qui est antichristianus. Kierkegaard, qui est pater theoriae existentialismi, dedit quemdam existentialismum christianum contra quem non possum dicere, sed ad tollendam aequivocationem potest bene acceptari ista propositio facta a Rev.mo P. Generali O. P. coniungendi caput III et IV sine dictione, ne confusio oriatur. Igitur si vultis pergere in infinitum proponatis aliam formam Constitutionis, postea fortassis quando adduceretur alia forma, petetur tertia forma, sed non est hic modus procedendi. Ceterum, bene dixit Em.mus Card. Ruffini, principia fidei, maxima pars dogmatum, veritatum, iam sufficienter exposita sunt praesertim in ultimis Conciliis Oecumenicis, in Concilio Tridentino, in Concilio Vaticano. Semper repetemus eadem? Concilium nostrum necessitatem habet aggrediendi illa quae hodie subvertunt tum fidem tum ipsam rationem naturalem. Igitur haec est, praesertim quod attinet ad doctrinam, necessitas Concilii: econtra haec necessitas impeditur quia timetur ne caritas laedatur; detis suggestiones ad reddendas magis caritativas, magis bonas et acceptabiles formulationes etc. Sed mihi videtur non posse negari rationem ob quam tractantur praecise quaedam specialia problemata.[10]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: secundum animadversiones praesertim Eminentissimorum Liénart, Frings, König, Döpfner et Alfrink.

Card. PIZZARDO: Placet. Aliqua minima dubia: sicut iam aliqui Em.mi Patres exposuerunt.

Ad par. 3. Dubitari potest de opportunitate inscriptionis « Existentialismi »: nomine enim existentialismi hodie imprimis multa alia comprehenduntur. Dubium moveri potest etiam de opportunitate citandi dictum S. Augustini, attenta eius conceptione de ideis innatis. Ad par. 4: notetur difficultatem et disputationes incipere maxime quando agitur de illis principiis apte formulandis, v. g. de principio « rationis sufficientis ».

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet iuxta vota Em.morum Card. Liénart et Ruffini ac Rev.mi Patris Browne, Magistri Generalis O. P.

---

[10] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Card. FERRETTO: Attentis his quae Clarissimus Relator disceptationi praemisit et respondens animadversionibus explicavit:[1] Placet.

Card. LIÉNART: Non placet: retentis observationibus ab Eminentissimis Cardinalibus Frings, Döpfner, König, Alfrink expressis, et animadversione quam ipse exposui.[2]

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: perpendantur quae dicta sunt ab Em.mis Card. Liénart, Frings, Ruffini, Döpfner et a Magistro Generali Ord. Praedicatorum.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: ratio habeatur observationum Em.morum Patrum et Rev.mi P. Browne.

Card. MCGUIGAN: Placet, consideratio autem dari debet omnibus dictis ab Em.mis Patribus et a Patre Browne Superiore Generali Ordinis Praedicatorum.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut antequam schema definitivum Concilio proponatur ratio habeatur observationum ab aliquibus Patribus factarum praesertim ab Em.mo Ruffini.

Card. FRINGS: Non placet.[3]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[4]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu ad numerum 3, modificetur; ad numerum 5 secunda pars quae linea duodecima incipit « Quare iure merito, etc. » non concordat cum antecedentibus sicut ab Em.mo Card. Ruffini notatum est.

Addo quod si nova dispositio Constitutionis possibilis esset — quod tamen nunc valde arduum videtur, sicuti ab Em.mo Relatore dictum est — placeret modum propositum ab Em.mo Döpfner.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet: desideratur redactio magis theologica et positiva (hoc obtinetur per citationem longiorem et aptam textuum revelationis, in hoc capite et in sequentibus); sit minus abundans et prudentior in rebus quae ad philosophiam spectant, praesertim nn. 3-4-5 (n. 3 revera non videtur esse valde pertinens); ne timeat tamen Constitutio ea affirmare quae omnino et directe coniungun-

---

[1] Cf. pp. 282-283.
[2] Cf. pp. 284-286.
[3] Cf. p. 286.
[4] Cf. pp. 286-287.

tur cum revelatione et sine quibus revelatio nec intelligi posset sufficienter et quidem certo ac sine evolutione ipsius dogmatis. Semper retinendum est non esse duas veritates. Hic est quaestio.

Card. Quiroga y Palacios: Placet, adiectis modificationibus admissis iam ab Em.mo Relatore in sua responsione.

Card. Léger: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones Em.mi Relatoris et Em.morum Ruffini et Siri et accepta suggestione Em.mus Döpfner quoad praesentationem schematis.

Prooemium. Pag. 5,[5] lin. 2: Quum illa expressio « Sancta Vaticana Synodus » pro prima vice appareat, nonne bonum esset si adderetur « secunda », ut statim in initio huius documenti appareat agere de Vaticana Synodo secunda?

Pag. 5, lin. 9: Loco dicendi « de quo rationem reddituri sunt », nonne textus clarior esset, si diceretur: « qui de illo rationem reddituri sunt »?

Pag. 5, lin. 10: Quum agatur de quaestione quae multum nunc agitatur inter theologos, forsitan utile esset si Concilium determinaret relationes quae vigent inter episcopos et Romanum Pontificem in Concilio Oecumenico: utrum tunc consideretur Summus Pontifex ut episcopus tantum, an formaliter ut Summus Pontifex, iam in se infallibilis?

Caput I: *De Veritate.* Pag. 7,[6] linn. 12-19: Iure meritoque illud schema attendit ad aspectum non tantum obiectivum, sed etiam subiectivum fidei christianae. Ille aspectus, qui est valor realis, aspectum obiectivum rite complet. Insuper, verum est quod ille aspectus subiectivus imprimis consideratur a modernis in genere: ideoque illi facilius dogma acceptabunt si vident Ecclesiam illum aspectum nullo modo negligere. Sic v. g., in fine capitis 1, p. 7, linn. 12-19, schema bene notat munus dispositionum interiorum relate ad fidem.

Card. Montini: Placet iuxta modum a Cardinali Siri expositum.

Card. Cento: Placet iuxta modum: ita ut opportune et sapienter thesaurizentur, iuxta ipsius Cardinalis Ponentis declarationem, ea quae a variis oratoribus prolata sunt, ad idem, sic, meliorandum schema, quod tanti momenti est pro universa Ecclesia.

Card. Godfrey: Placet ad mentem Eminentissimorum Cardinalium Ottaviani et Ruffini et praesertim habita ratione eorum quae dixerunt de

---

[5] Cf. p. 279.
[6] Cf. p. 280.

primis principiis. Concilium loquetur non solum ad domesticos fidei, sed ad omnes et debet considerare imprimis et inter alia hodiernas obiectiones. Clarior fiat numerus tertius ubi de existentialismo.

Card. Confalonieri: Placet iuxta modum: scilicet, ut adspectus positivus doctrinae evidentior fiat.

Card. Richaud: Placet iuxta modum: quia puto necessarium esset renuntiare principia philosophiae naturalis quae pertinent ad sensum communem secundum quem omnes homines possunt loqui et etiam veritates Revelationis definitae possunt exprimi. Quemadmodum Verbum Dei assumit naturam humanam, Revelatio divina eget aliquibus communibus et humanis notionibus quarum Custodes fidei munus habent protectionem tribuendi.

Attamen descriptio existentialismi in n. 3 videtur mihi insufficiens et non plene conformis, et alia systemata, ut dixit Rev.mus Magister Praedicatorum, offendunt rationem humanam in suo fundamento elementari. Sed de erroribus sentiendum est cum caritate comprehensiva et sine dependentia alicuius systematis.

Card. König: Placet iuxta modum expositum.[7]

Card. Döpfner: Constitutio, ut iacet, non placet; prooemium et 1° Caput placent iuxta modum secundum ea, quae dixi.[8]

Card. Marella: Placet iuxta modum: opportunum fortasse erit redigere Introductionem seu Praesentationem Generalem magis amplam de Doctrina Catholica circa Depositum Fidei iuxta Fontes Revelationis ad mentem aliquorum Em.morum Patrum. De caetero adhaereo ex corde animadversionibus propositis ab Em.mo Ruffini, a Rev.mo Magistro Generali Praedicatorum et ab Em.mo Relatore.

Card. Muench: Placet iuxta modum: secundum animadversiones varias textus redigatur.

Card. Meyer: Placet iuxta modum: attentis praesertim observationibus ipsius Em.mi Relatoris, Card. Agagianian, Card. Alfrink de usu S. Scripturae, et Patris Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. Alfrink: Non placet: secundum ea quae egregie sunt dicta ab Em.mis Liénart, Frings, König et Döpfner. Quaestio non agitur de

---

[7] Cf. pp. 291-292.
[8] Cf. pp. 287-291.

principiis rationis quae fidei fundamenta sunt, sed de modo quo praesentantur et quidem in documento doctrinali.[9]

Card. OTTAVIANI: Placet: ratio habeatur eorum quae dicta sunt a Card. Ruffini, Agagianian et a P. Browne.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: videtur doctrinam proponendam esse potius in forma positiva quam negativa, ut iam expositum est ab Em.mo Card. Liénart et ab aliis Patribus. Praeterea: adfirmetur doctrina Ecclesiae et relinquantur nomina specifica sistematum ratione philosophiae.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: sc. perpensis animadversionibus ab Em.mis Patribus propositis.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: plene probato quod Constitutio de deposito fidei incipiat cum doctrina de veritate deque vi rationis humanae, id est Commissio Theologica videat an et quo modo ratio habeatur de iis quae Patres animadverterunt.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut hoc prooemium et caput probem ut autonoma, admissis animadversionibus criticis factis ab Em.mis Ruffini, Siri, Alfrink et aliis; quoad alia, ordinem, characteres, terminologiam spectantia, ratio habeatur illorum quae dicta fuerunt a Card. Liénart, Agagianian, Ruffini, Siri, Döpfner, König, Alfrink et corrigatur.

1) Admirationem certo movent Schemata a Commissione Theologica praesentata, tam soliditate et amplitudine doctrinae, quam ex accuratissima et clara qua proponuntur forma, et pariter ex documentis allegatis quibus ipsa declarantur et vindicantur.

2) Aliqua non immerito quaeri sincere et humili mente possunt ex quibus scopus Schematum clarior evadere debet et criterium fieri securius ad animadversiones si quae faciendae obvenerint redigendas.

3) Hae fere quaestiones sunt:

— An Decreta omnia et integre tamquam stricte dictam infallibilem doctrinam continentia proponantur?

— An canones redigendi erunt in quibus doctrina definienda perstringetur?

— Quanam theologica censura vis et vigor Decretorum generalis fulcienda est?

4) Quoad notas, documentationis seu indicationis, etc. causa appo-

[9] Cf. pp. 292-294.

sitas, ut ipsae nunc sunt conservabunturne, vel ex adverso perstringentur et, relicta forma polemica, ad ea circumscribentur quae textum confirmant vel fundant?

Card. HEARD: Placet, ratione habita animadversionum Em.mi Agagianian.

Card. BEA: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Eminentissimorum Liénart, Döpfner, Alfrink, Frings. Ni fallor Ecclesia hodie non debet tantum respingere quae subvertunt doctrinam, sed etiam exprimere positive quomodo doctrina catholica satisfaciat exigentiis hodiernis. Modus loquendi non debet esse « scholasticus », sed talis qui intelligatur ab omnibus hominibus, etiam *alius* culturae. Pluries: « aliqui catholici »: multi? pauci? Cuius valoris? Schema ergo denuo redigendum.

Beat. SAIGH: Placet, en tenant compte des remarques du Card. Agagianian.

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: attendenda ea quae dixerunt Em.mi Patres et Rev.mus Magister Generalis Fratrum Praedicatorum.

Exc. FELICI: Placet, iuxta animadversiones ab Em.mo Cardinali Relatore factas.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab Em.mo Relatore factas.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet. Mihi placet et praesertim quia in schemate modo speciali agitur de veritate obiectiva fidei quae, iuxta meam opinionem, non solum opportuna sed necessaria est nostris temporibus. Simul puto suggerentias seu propositiones factas praecipue ab Em.mis Cardinalibus Ruffini, Agagianian, a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum et ab ipso Card. Relatore esse magna consideratione dignas in redactione definitiva schematis ad perfectionem ipsius.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: iuxta relationem Ponentis Em.mi Card. Ottaviani et animadversiones Em.mi Card. Ruffini, Generalis Ord. Praedicatorum, Card. Agagianian et aliorum Patrum.

Exc. BERAS: Placet iuxta modum: secundum animadversiones factas ab Em.mo Card. Agagianian.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: Prooemium sit magis explicitum ita ut quaestiones quae exponuntur magis clare appareant ut correspondentes ad theologiam pastoralem hodiernam.

Assentio animadversionibus factis ab Eminentissimo Cardinali Relatore et ab Eminentissimis Cardinalibus Agagianian, Ruffini et a Magistro Ordinis Praedicatorum.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: id est secundum animadversiones Eminentissimorum Liénart, Frings, Döpfner, König et Alfrink.

Constitutio redigatur denuo, modo positivo, secundum propositionem Eminentissimi Döpfner ut veritas magis et magis luceat omnibus hominibus eosque attrahat.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: Schema immutetur ratione habita animadversionum Em.mi Card. Bea.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: iuxta observationes factas praesertim ab Em.mis Card. Ottaviani, Ruffini, Agagianian et speciatim Bea.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: secundum votum ab Eminentissimo Bea emissum.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: aliquibus scil. meliorationibus adductis, ut Em.mus Cardinalis Relator admisit.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: attentis observationibus Em.mi Card. Bea ut schema hoc sit magis positivum.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimi Cardinalis Agagianian.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: id est secundum modificationes acceptas ab Eminentissimo Relatore: videtur mihi asiano, quod systema quod dicitur non recte thomisticum, sed melius systema communis sensus placeat etiam menti asianae, et etiam africanae ni fallor.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de votis expressis ab Eminentissimis Dominis Agagianian, Siri et Bea.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet ad proponendum schema definitivum habeantur prae oculis quae Eminentissimi Cardinales Ruffini, Siri et Rev.mus Magister Ordinis Praedicatorum dixerunt: adaptetur schema iuxta animadversiones Eminentissimi Cardinalis Bea.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: ratio habita eorum quae dixerunt Em.mi Cardinales Liénart, Frings, König. Döpfner, Alfrink et Bea.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: quo locuti sunt Card. Liénart, Frings et Bea de latere potius positivo et pulchro revelationis divinae. Certo veritates in periculo positae debent clare enuntiari et inculcari,

sed ita ut convincentur et allicientur etiam quaerentes Deum extra Ecclesiam stantes. Liceat citare psalmum: Concilio Vaticano II laetetur cor quaerentium Deum omnium!

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis quibusdam minoribus quas dixi in disceptatione.[10]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: schema bene exaratum.
1) Placet ordinatio capitis I, quae retineatur.
2) Adspectus apologeticus non nimis accentuetur.
3) Melius explanetur n. 3 de exsistentialismo.
4) Ad p. 7,[11] lineam 13, dicatur « Ecclesia semper affirmavit ».

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Cardinalis Siri et Em.mi Cardinalis Bea.

XI

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Sexta Congregatio: 20 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 2

DE DEO

6. [*Cognitio Dei, finis ultimi hominis*]. Ecclesia, innixa Sacrarum Litterarum testimoniis, semper tenuit in cognitione naturali exsistentiae Dei reponendum esse vitae religiosae principium illamque constituere veluti praeambulum ad cognitionem Dei, quae per fidem obtinetur. Immo, quoniam Deus caritas est (*I Io.* 4, 8) itemque lux veritatis (cf. *I Io.* 1, 5), atque adeo fons omnium bonorum, a quo et creati sumus et beatitatem exspectamus, ideo ipsa profitetur Deum, ad tanti momenti cognitionem hominibus perviam reddendam, se illis manifestasse tum supernaturali Providentia, tum etiam communibus creationis operibus, quae ita constituit, ut apertum testimonium de ipso redderent (*Act.* 14, 17).

7. [*Affirmatur Dei cognoscibilitas*]. Porro eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet invisibilis Dei exsistentiam vel solo naturali rationis lumine per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo co-

---

[10] Cf. pp. 294-295.
[11] Cf. p. 280.

gnosci adeoque et demonstrari posse; [1] nam, ut ait Apostolus, invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, qui veritatem Dei in iniustitia detinent (cf. *Rom.* 1, 20 et 18).

8. [*Argumentum perfectionibus mundi*]. Profecto sancti Patres et Doctores Ecclesiae [2] varia eaque firmissima argumenta protulere, quibus demonstrarunt Deum esse et « causam constitutae universitatis, et lucem percipiendae veritatis et fontem bibendae felicitatis ».[3] Re enim vera incomparabilis magnificentia et ordo ac pulchritudo necnon firma ad finem directio, quae in mundo conspiciuntur, certissime proclamant sapientissimum ac potentissimum Auctorem ac Gubernatorem, Deum nempe personalem,[4] adeo ut vani censendi sint qui operibus attendentes non agnoscant quis sit artifex, et illorum specie delectati non cogitent quanto his dominator eorum speciosior sit (cf. *Sap.* 13, 1-5).[5]

9. [*Argumentum ex imperfectionibus creaturarum*]. Imperfectiones quoque, quibus omnes res mundi ex profundo sui esse irretiri conspiciuntur, puta motus, dependentia causalis, contingentia, limitatio et si quae aliae, plane ostendunt eiusmodi res non esse ultimo a seipsis neque ab aliis mundanis principiis quae iisdem imperfectionibus laborent, sed a Creatore mundum transcendente, qui omnimodis perfectionibus polleat. Nec praeter ista argumenta, quae potiora sunt, Ecclesia alia parvipendit, v. g. quae ex desiderio quod habet homo felicitatis, vel ex absoluta obligatione legis moralis promuntur, quaeque aliquibus saltem hominibus multum sunt accommodata.

10. [*Errorum damnatio*]. Cum igitur exsistentia unius veri Dei tam egregie resplendeat, eo magis reprobandi sunt qui Deum misere abiiciunt.[6] Imprimis quidem Sancta Synodus damnat errorem eorum qui, unum et universale principium in materia reponentes, Deum esse omnino negant,[7] quinimmo impie satagunt, etiam vi adhibita, Dei nomen ex humanis mentibus eradicare. Etiam eorum reprobat errorem qui, falsi nominis scientia abutentes, loco Dei personalis figmenta impersonalia vel mere idealia adeoque inoperosa substituunt, vel, reiecta demonstratione quae sit obiectivae veritatis pignus, subiectivam tantum et mere voluntariam adhaesionem quoad Dei exsistentiam profitentur, vel probationes rationales congestis fallaciis universim enervare conantur.[8]

11. [*Doctrina de Deo commendatur*]. Demum Sacra Synodus fideles enixe hortatur ut rectam quam acceperunt de Deo doctrinam quibuslibet bonis anteponant, sollicite custodiant, ab impugnationibus defendant, tamquam totius vitae normam assumant, ingenii autem vires non in obnubilandis rationibus quibus mens humana ad Deum elevatur, impendant, sed iis elucidandis potius adlaborent.[9] Denique semper meminerint omnes se esse baptizatos in nomine Dei vivi, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut Deo, qui per nimiam caritatem se manifestavit nobis in Domino Iesu, credant eique serviant (cf. *I Io.* 1, 1-3; *Eph.* 2, 4).

NOTAE

[1] Pius IX, Epist. *Gravissimas inter* (contra Iac. Frohschammer), 11 dec. 1862: Denz. 1670;

Conc. Vat. I, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: Denz. 1785; coll. can. 1: Denz. 1806;

Iusiurandum contra errores modernismi: Denz. 2145;

Pius XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: Denz. 2317.

[2] S. Gregorius Nazianz., *Orat.* 28, nn. 6 et 16: *PG* 36, 31 et 45.

S. Ioannes Chrysost., *In Ep. ad Rom. hom.* 3, 2: *PG* 60, 412-413.

S. Augustinus, *Confess.* XI, 4, 6: *PL* 32, 811; *Serm.* 141: *PL* 38, 776-778; *De lib. arb.* II, 7, 15 usque 15, 39: *PL* 32, 1249-1262.

S. Thomas, I, q. 92, a. 3; *In Ev. Ioh.,* Prol. in prol. S. Hieronymi.

Cf. Pius XI, *Studiorum ducem,* 29 iun. 1923: *A.A.S.* 15 (1923), p. 317.

Pius XII, *Alloc. ad Pont. Acad. Scient.,* 22 nov. 1951: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 31 s.

[3] S. Augustinus, *De Civ. Dei,* VIII, 10, 2: *PL* 41, 235.

[4] Pius XII, Encycl. *Humani generis*: Denz. 2317; cf. *ibid.*: Denz. 2325;

Cf. Pius XI, *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 149.

[5] Cf. etiam *Rom.* 1, 20-21.

[6] Pius XI, *Mit brennender Sorge*: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 148-150; cf. Decr. S. Off. 1 iulii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 334.

[7] *Conc. Vat. I,* Const. *De fide dogm.,* cap. 1: Denz. 1782-1784 et canones correspondentes: Denz. 1801-1805;

Cf. Pius XII, Encycl. *Humani generis*: Denz. 2306 et 2323

[8] S. Pius X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: Denz. 2072-2074;

Pius XII, Encycl. *Humani generis*: Denz. 2325.

[9] Pius XII, Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.* 39 (1947), pp. 525-526.

Caput 3

DE DEO CREATORE ET EVOLUTIONE MUNDI [1]

12. [*De creatione mundi in initio temporis*]. Sacra Vaticana Synodus secunda, Sanctarum Scripturarum testimoniis innixa, doctrina ab Ecclesiae Magisterio pluries prolatam renovat docens Deum ita universum ex nihilo creavisse, ut aliquando cursum suae exsistentiae inchoaret. Solus enim « verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam, per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ».[2]

13. [*Reprobatio evolutionismi tum materialistici, tum pantheistici*]. Cui doctrinae maxime adversatur evolutionismus materialisticus, statuens mun-

dum, qui se evolvat, neque causatum esse neque gubernari a Deo, atque eius progressu aliud non proferri nisi materiam non factam et ea quae iam prius quodammodo in materia non facta praecontinebantur. Dogma autem creationis aperte etiam detorquetur evolutionismo illo pantheistico, quo admittitur quidem mundum procedere a principio uno et immateriali, quod divinum dicitur, sed quo ita res concipitur, quasi hoc principium produceret mundum ut summam immutationum sui, in quibus, per gradus et maxime in vita humani spiritus, ipsum se evolveret atque perficeret. Ex quibus sententiis prima Deum et religionem a limine tollit, altera ea quae ad religionem pertinent plane permiscet, cum Deo mundana humanaque assignet, homini mundoque divina.

14. [*Sententiae hodiernae falsae de creatione et evolutione mundi*]. Caveant etiam Ecclesiae filii ne, aberrantibus opinionibus decepti, inquinent plures veritates revelatas. Conceptum creationis ne solvant sibi fingentes, hanc in eo consistere quod Deus magis magisque in unitatem redigat multiplicitatem quamdam primordialem, iam praesentem ante omnem divinam actionem. Subsistentiam mundi in seipso et simplicitatem perfectionemque omnimodam Dei ne labefactent, arbitrari audentes Deum ita evolutionem mundi dirigere, ut universitatem rerum gradatim in seipsum colligat, eam sibi veluti incorporet, ipseque mundanae compositionis quadantenus particeps fiat. Neque investigatio scientifica, neque sana philosophia ullam causam praebent falsis huiusmodi opinionibus indulgendi.

15. [*Doctrina fidei et investigatio verae scientiae de evolutione*]. Ea autem quae veri nominis scientia de mundi evolutione prudenter investigat iureque ut certa inferre valet, sive sunt de formatione figurae universi, sive de historia terrae ascensuque multiplici vitae in ea, sive de origine et incremento humani generis, ea re vera detrimentum non inferunt doctrinae fidei. Quin etiam convenienter sese ei adiungunt eamque illustrant. Namque « nulla ... unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ».[3] Verum conclusiones indagationum scientificarum huiusmodi cedunt dignitate et certitudine sententiis fidei, quibus lumine gratiae adiuti assensu maxime firmo adhaeremus, innixi Deo ipso, qui summa veritas est. Quapropter quaestiones quaedam ad evolutionem mundi pertinentes, quae directe aut indirecte fidem catholicam tangunt, ita tractandae sunt ut genuinis fidei effatis minime contradicatur, ut eadem effata in periculum non adducantur, singulique parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est depositum fidei custodiendi atque interpretandi.[4]

16. [*De creatione hominis et evolutione vitae*]. Ad investigationem igitur scientificam de initiis vitae quod attinet, quatenus etiam in ea quaeritur, sitne humani generis origo quodammodo ab antea iam exsistenti viventique organismo repetenda, primum servanda est doctrina catholica de compositione hominis ex spiritu et corpore quae essentialiter inter se differunt,

itemque de divina et immediata productione animae hominis ex nihilo. Humana igitur anima ex nullo quod in mundo quomodolibet iam exstiterat, orta est. Insuper ipsa corporis humani prima origo cum debita moderatione ac cautela tractanda est. Nam hoc argumentum non spectat ad scientias naturales tantum, sed partim etiam ad philosophiam, immo tangit plures veritates quae in divinae revelationis fontibus continentur, nominatim de mirando illo iustitiae originalis statu in quo nostri protoparentes primum constituti sunt.[5]

NOTAE

[1] In tribus primis huius Constitutionis paragraphis agitur in primis de creatione mundi *universim* secundum *fidem catholicam* et doctrinis *philosophicis* quae hac in re eidem fidei adversantur.

In duabus ultimis paragraphis agitur de *doctrina fidei* circa creationem, maxime autem circa *creationem hominis* et de eius relatione cum *investigatione scientifica.*

[2] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 1: Denz. 1783; cf. *Conc. Lateranense IV,* cap. 1: Denz. 428.

[3] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: Denz. 1797.

[4] Cf. Pius XII, Encycl. *Humani generis*: Denz. 2326.

[5] Cf. Pius XII, Encycl. *Humani generis*: Denz. 2327.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Ego expecto etiam in hoc capite easdem animadversiones quae factae sunt circa desiderium quod magis positiva sit expositio, et magis pastoralis, sed debeo ego etiam ex parte mea insistere et revocare in mentem Em.morum et Rev.morum Membrorum istius almi Consessus, Concilia semper functionem habuisse defensionis Fidei, quia quod attinet ad partem disciplinarem, canones morum, illi canones possunt multa etiam repetere vel amplificare quae non habent relationem certe ad doctrinam, sed quando agitur de doctrina, Concilia semper propositum sibi habuerunt finem defensionis fidelium ab erroribus qui grassantur. Hodie enim scimus esse quosdam errores qui nedum propagantur ab incredulis, ab atheis, et ab ipsis etiam defendendi sunt catholici, sed etiam in ipso agmine catholicorum, eheu dolorosum est, multa sparguntur quae laedunt ipsam fidem. Igitur non debemus hic facere partem pastoralem; partem pastoralem facient Episcopi. Ecclesia in Concilio Generali dat lineas doctrinales quibus Episcopi postea et praedicatores et doctores in scholis, in Universitatibus agent; sed propositum Concilii est

praesertim depositum servare et servare ab illis qui impetunt depositum, non ab illis qui acceptant depositum ipsum. Igitur vanum esset repetere ea quae in Conciliis anteactis iam sufficienter sunt in possessione ipsius fidei et non impetuntur, v. gr. in hac parte Constitutionis, quam aggredimur, agetur de Deo et de Deo Creante. Utique, possemus amplam expositionem facere de Dei existentia, de eius attributis, de eius perfectionibus et placerent certe, sed non est hoc munus Concilii. Hodie id quod pertinet praesertim est quid sit ista idea Dei; hodie scimus materialismum dialecticum Deum non agnoscere nisi materiam. Item scimus quosdam, non quosdam tantum, multos Deum habere spiritum quemdam non personalem, non perfectissimum, qui afficit omnes; et inde ab istis erroribus defendendi sunt ii qui veram Dei fidem habent. Immo etiam quidam Deum habent personalem et perfectissimum, sed putant esse conceptionem ex infimo sensu caeco quae erumpit e corde hominum, sed hodie sic, cras quomodo, si id ad Dei tantummodo hoc fundamentum Concilium haberet? Igitur nunc in parvis animadversionibus quas leget Secretarius Generalis non agetur de tota quaestione quae respicit Deum et Deum creantem, sed de his quae actu necessaria sunt ad dandam lineam qua Episcopi, pastores, professores Universitatum et etiam publicistae debeant informare suas animadversiones, suas apologias etc.[1]

Exc. FELICI:[2] Caput II. *De Deo.*

Progressus quidam agnoscendus est in praesenti schemate si comparetur cum doctrina de Deo, quae habetur in Conc. Vaticano I, sess. III, cap. 1 (Denz. 1782) et in *Iureiurando contra Modernistas* (Ex Motu proprio *Sacrorum antistitum,* 1 sept. 1910; Denz. 2145); qui ulterior progressus consistit praesertim in brevi enumeratione argumentorum, quae desumuntur ex creaturis visibilibus ad probandam existentiam Dei, prout est Ens personale seu perfectissimum ac totaliter a mundo distinctum; finis ultimus ac supernaturalis cunctorum hominum.

Haec autem ulterior dilucidatio doctrinae fidei de Deo hodie postulari videtur ob repetita conamina vel statuendi materiam ut principium unicum et universale omnium rerum, prout philosophi marxistae praesumunt; vel agnoscendi spiritum quemdam absolutum ac universalem, qui tamen nec est personalis nec vere perfectissimus, iuxta doctrinam pantheisticam idealistarum; vel profitendi quidem Deum personalem ac perfectissimum, at prout postulatur ab exigentiis mere subiectivis, despecta

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[2] Exc.mus Secretarius Generalis legit relationem Em.mi Card. Ottaviani.

qualibet demonstratione e rebus externis, quae sit pignus obiectivi et universalis valoris.

Hoc schemate Commissio Theologica se satisfecisse sperat Votis tum S. C. Sancti Officii tum plurium Episcoporum ac aliorum. In quibus Votis legitur: « Cum hodie in discrimine ponatur tota doctrina catholica de Dei cognoscibilitate, resumenda est definitio vaticana atque integranda terminis *Iurisiurandi antimodernistici,* ubi de demonstrabilitate Dei contra molimina immanentismi ac psychologismi, nunc vigentis. Genuina autem notio Dei communienda est, quatenus Deus est finis ultimus hominis, et quidem unicus et supernaturalis, cognoscibilis ex visibilibus creaturis, tamquam causa per effectus ». Insuper in iisdem Votis postulatur ut damnetur atheismus et ut declaretur an sit fidei dogma rationali tantum lumine hominem posse existentiam Dei demonstrare (cf. *Acta,* Ser. I, Append. vol. II, pp. 12, 13, 198).

Denique prae mente habendum est praesens caput de Deo ter elaboratum fuisse a membris Subcommissionis, attentis etiam animadversionibus aliorum membrorum Commissionis Theologicae necnon Voto « circa cognoscibilitatem Dei via causalitatis », exhibito a Rev. P. H. De Lubac, S. I., consultore eiusdem Commissionis. Ultima redactio approbata fuit a Commissione theologica in sessione generali mensis septembris nuper elapsi.

Caput III. *De Deo creatore et evolutione mundi.*

Necessitas huius novi capitis ex eo repetitur, quod non defuerunt nostris temporibus auctores catholici qui, errores iam damnatos in Conc. Vaticano I plus minusve renovantes, vel negarunt mundum initium habuisse in tempore, vel contenderunt creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria liberalitate divini amoris procedat. Has falsas opiniones reiecit Pius XII in Encycl. *Humani generis,* de cuius tamen reprobationis efficacia dubitare licet. Insuper opportunum visum fuit respuere sententiam illorum, qui, sub specie profundioris conciliationis inter placita scientiarum naturalium et veritates fidei, evolutionem mundi ita explicant, ut libertas Dei ac eius omnimoda perfectio necnon a mundo independentia periclitentur; insuper non satis serventur veritates de origine mundi ex nihilo ac eius subsistentia in seipso, qualibet specie pantheismi exclusa.

Nec supervacaneum visum est confirmare ac perficere quae in eadem Encyclica *Humani generis* dicuntur de debitis cautelis servandis a cultoribus scientiarum naturalium, ne quid asseratur circa evolutionem mundi, quod puritatem fidei directe aut indirecte offendat, maxime dum agitur de prima origine corporis humani ac de productione animae hominis.

Etiam hoc capite Constitutionis satisfieri videtur postulatis ab Excellentissimis Episcopis vel Superioribus Generalibus. Legitur enim in « Acta et Documenta »: « Exponatur et illustretur doctrina catholica de creatione »; insuper: « Synodus dogma de Deo Creatore, quod a Marxismo negatur, praeclare confiteatur et inculcet hanc primam omnium veritatum minime a scientiis naturalibus non solum non revinci sed magis confirmari »; ac additur: « Contra quamdam propensionem pantheisticam, quae subruit notionem traditionalem creationis ex nihilo, expresse affirmetur creatio totius mundi ex nihilo sui et subiecti » (Ser. I, Append. vol. II, p. 121).

Denique adnotare iuvat hoc schema pluries elaboratum fuisse, attento etiam Voto Rev.mi P. Marcozzi, S. I., Professor in Universitate Gregoriana; forma autem, qua nunc proponitur, submissa fuit approbationi totius Commissionis theologicae, in ultima sessione generali.

Card. OTTAVIANI: Aliae explicationes mihi videntur esse addendae.

De primo quidem: fateor quod si sumantur ista singula capita, non inter se satis ligata videantur. Ratio est quia in subcommissione de Deposito Fidei, postea quidam adlaboraverunt ad determinatum quoddam punctum, alii ad aliud punctum expediendum secundum eorum specialisationes prout agebatur de professoribus qui in cathedris universitatum docent, sed necessarium erit certe eas ligare et in ligamine faciendo habebitur ratio eorum qui dicunt aliquam magis positivam expositionem esse producendam. Igitur quoad hoc punctum mihi videtur posse bene satisfieri iustis postulatis iam expressis a pluribus Membris istius almae Commissionis. Fortasse quidam mirabitur, me fecisse mentionem postulationum S. Officii, quasi succubes fuerimus exigentiarum istius Congregationis, sed vos admittetis S. Officium (sicut aliae Congregationes debuerunt, oboedientes mandato Summi Pontificis, exponere suam mentem circa ea quae essent necessaria ad Concilium praeparandum), fuisse organum specificum, qualificatum, ad quasdam petitiones faciendas. Iamvero S. Officium habet specialem praeparationem ob continuas relationes quas habet per consultationes, per significationes, per communicationes quas accipit ex universo orbe. Igitur ex sua experientia mihi videtur posse dare aliquam ideam eorum quae magis necessaria sunt, attentis hodiernis circumstantiis temporum, quod attinent ad doctrinam Fidei et morum. Sed non mirabitur quisquis quia ego feci etiam duo nomina, potuissem multa alia nomina facere hominum vere peritorum, sed ideo posui ut videatur, Commissionem Doctrinalem sibi adlegisse viros qui non sunt certe considerandi ut tenebrosi, sicut generatim describitur S. Officium: De Lubac, cui commissa est specialis quae-

dam expositio facienda, et Marcozzi pro rebus scientificis. Igitur videtis vos etiam nos cautos maxime fuisse. His dictis, libenter dico quod grati erimus pro omnibus quae nobis suggerentur ut melius studium fiat.[3]

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum:

Pag. 5,[1] lin. 9: « et beatitatem » adderem « aeternam ».

Pag. 5, linn. 20-24: In testimonio S. Pauli *perperam* versiculus 18 capitis I ep. ad Romanos posponitur versiculo 20.

Pag. 6,[2] lin. 17: « alia parvipendit » dixerim « alia quoque agnoscit ».

Pag. 6, lin. 33: « quae sit obiectivae veritatis pignus » dixerim: « quae in obiectiva veritate fundatur ».

Pag. 6, lin. 35: « quod Dei existentiam profitentur »; dicerem: « ... adhaesionem doctrinae quae Dei existentiam admittit ».

Pag. 9,[3] lin. 5: « ita universum » adderem « mundum ».

Pag. 9, linn. 7 et 8: « non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam »; dicerem: « non ad acquirendam vel augendam suam beatitudinem quae est infinita ».

Pag. 9, lin. 26: « quasi ex hoc principium produceret »; dicerem: « quasi ex eo oriantur res mundanae omnes ».

Pag. 9, lin. 31: « plane permiscet » melius « plane corrumpit ».

Pag. 10,[4] lin. 4: « ne solvant » melius « ne depravent ».

Pag. 10, lin. 7: « praesentem » clarius « existentem ».

Pag. 10, lin. 20: « inferre valet » dixerim « proponit ».

Card. LÉGER: Caput II. *De Deo.*

Pag. 5, lin. 2: Schema dicit tantum quod Ecclesia innititur Sacra Scriptura. Quod quidem fit etiam in multis aliis capitibus. Utrum hoc fit ad servandam sympathiam Protestantium? Num illa consideratio practica sufficit ad praesentandum textum minus completum? Nonne melius esset dicere quod Ecclesia innititur « revelationis testimonio », quod quidem includit Sacram Scripturam sed etiam traditionem?

Pag. 5, lin. 9: Estne opportunum introducere illam novam vocem

---

[3] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[1] Cf. p. 303.

[2] Cf. p. 304.

[3] Cf. p. 305.

[4] Cf. p. 306.

« beatitatem » quae minus in traditione invenitur, etsi vox eiusdem radicis adhibeatur ad designandos illos homines qui beatitudine gaudent, scilicet « beatos »?

Pag. 5,[5] lin. 16. Schema affirmat quod Ecclesia « tenet et docet ». Ordinarie, theologi distinguunt id quod a Concilio tenetur, docetur, aut definitur et illae variae veritates quae non eamdem qualificationem habent, neque eodem modo a fidelibus admittendae sunt. Iamvero ex textu schematis, non facile videri potest quasnam veritates Concilium intendit definire, et quasnam non. Nonne opportunum et utile esset quasdam indicationes in hoc sensu introducere in ipso textu schematis?

Pag. 6,[6] lin. 16: Optime ibi indicatur quod, praeter argumenta classica, adsunt etiam quaedam alia argumenta quae characterem magis subiectivum habent, sed quae tamen non sunt negligenda, etsi tamen non eumdem valorem metaphysicum habeant.

Caput III. *De Deo creatore et evolutione mundi.*

Pag. 9,[7] lin. 3: Denuo indicatur testimonium Sacrae Scripturae tanquam fons huius doctrinae. Cur non dicitur simpliciter quod illa doctrina innititur testimonio revelationis, quod quidem includit Sacram Scripturam sed etiam traditionem?

Pag. 9, linn. 5-8: Schema videtur dirimere quaestionem sese referentem ad initium mundi. Haec veritas est dogma (saltem veritas de fide catholica). Utrum insuper illa veritas sit definita in Concilio Lateranensi IV et in Concilio Vaticano I? Schema videtur interpretationem Concilii Vaticani I praesentare, affirmando scilicet quod initium mundi in tempore in Concilio Vaticano I definitur. Estne haec intentio Concilii Vaticani II? Sin, requireretur alia formula quae hoc punctum non tangeret.

Pag. 11,[8] linn. 13-15: Pro origine primi hominis, utrum, praeter iustitiam originalem, habetur aliquid aliud, in revelatione contentum, quod influeret in modo concipiendi originem primi hominis? Opportunum atque utile esset hoc cognoscere. Insuper, quoad originem Evae, num habetur nunc plena libertas quoad interpretationem textus Sacrae Scripturae, scilicet quoad modum quo prima mulier originem ducit « ex » primo viro? Illa quaestio multum nunc in theologia et in Sacra Scriptura agitatur. Utile esset habere solutionem.

Card. DÖPFNER: Ad Caput II: *De Deo.*

In tuto ponitur hoc capite cognoscibilitas existentiae Dei naturalis

[5] Cf. p. 303.
[6] Cf. p. 304.
[7] Cf. p. 305.
[8] Cf. p. 307.

rationis lumine. Repetuntur, quae iam in Concilio Vaticano I, tunc in Iureiurando antimodernistico et Encyclica *Humani Generis* explicando Concilium Vaticanum I dicuntur. Compertum est in Concilio Vaticano I sermonem fuisse de conditione humanae naturae in genere, abstractione facta ab iis, quae ei competant, prout nunc exstat.

Ut mihi videtur, hodie a Concilio magis exspectantur (quin ullo modo negetur vel debilitetur valor modo dictorum) quaedam dicenda de modo, quo homines de facto fidem inveniant in ordine concreto. S. Synodus hic exordiri posset a facto, quod Deus iam antecedenter ad revelationem positivam « non longe est ab unoquoque nostrum » (cf. Act. 17, 27) et « non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra » (Act. 14, 17), ita ut a paganis iam coli aliquomodo potuerit, quin eum novissent (cf. Act. 17, 23); et insuper exordiri posset a cognitione Dei, quam S. Paulus in loco Rom. 1, 18 ss. innuit.

Ad pag. 5,[9] linn. 3-6: Cum autem non constet et disputetur adhuc inter theologos, utrum talis cognitio Dei fuerit re vera mere naturalis et non simul salutaris, proindeque non illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti effecta, Concilium quaestionem hanc ne dirimat. In verbis illis (pag. 5, linn. 3-6) « in cognitione naturali existentiae Dei reponendum esse vitae religiosae principium illamque constituere veluti praeambulum ad cognitionem Dei, quae per fidem obtinetur » definiri autem videtur concreta et obvia existentia cognitionis naturalis Dei, quae naturalis appareret non solum eo sensu, quod ex operibus creationis et actu vero cognoscitivo humano fiat, sed insuper quasi solis viribus naturalibus et sine gratia adiuvante. Insuper impressio oriri potest, ac si haec cognitio Dei praecedere deberet cognitionem Dei salutarem (et non solummodo in hac virtualiter contineri). Nec haec praecedentia est communis inter theologos. Difficile etiam videtur saltem primo visu (cum quaestio de analysi fidei sit disputata), quomodo haec naturalis cognitio principium vitae religiosae qua talis esse possit, cum secundum Concilium Arausicanum II omnes actus, qui in salutem diriguntur, etiam initium fidei et credulitatis affectus, per gratiae donum fiant (D. 178 ss.). His de causis passus supra citatus plane omittendum mihi videtur.

Proinde Caput II — inserendum post caput de capacitate intellectus humani ad veritatem qua talem (secundum novam dispositionem a me propositam) — ita componendum esse videtur: Incipiatur a locis S. Scripturae a me supra allatis, resumatur doctrina eius verbis fere illis, quae exstant nunc in pag. 5, linn. 6-13: « quoniam ... operibus ».

---

[9] Cf. p. 303.

Tunc sequantur res quae in nn. 7-11 dicuntur, sed modo magis breviore. Atheismus nempe modernus minus in cogitationibus rationalibus radices habet, sed potius in fatigatione et indifferentia cordis; dici forsan posset, negata existentia Dei existentiam hominis vanam et inanem remanere, immo imperfectam et intime infelicem.

Ad Caput III: *De Creatione.*

Quoad substantiam retinendum mihi videtur et secundum propositum meum supra datum inserendum post desideratum capitulum fundamentale de Christo Domino.

Ad n. 12: Initium est immutandum, considerando loco et contextu, quo stat. Exordiri possumus a creatione per Verbum (Io. 1, 2). Innui deberet valor positivus, quem habet dogma creationis pro vita religiosa; scilicet propter creationem Deum esse Dominum, qui fortiter et suaviter dirigit cursum mundi; citari possunt verba Concilii Vaticani I (D. 1784).

Ad n. 14: Haec paragraphus contra sententias a P. Teilhard de Chardin propositas directa esse videtur; tamen non certo constare videtur, utrum illae sententiae revera tangantur. Nam quantum scio, auctor ille, statuens principium pro evolutione ex aliqua multiplicitate praeexistenti, noluit negare ipsam hanc multiplicitatem a Deo in initio causatam fuisse. Insuper scripta eius nondum sunt omnia publicata; lis inter ipsos interpretatores catholicos adhuc perdurat. Unde paragraphus omittatur, ne forsitan damnemus sententiam sic a nemine propagatam; insuper quodvis elementum actioni divinae praeiacens iam a Concilio Vaticano I (D. 1805) sufficienter reiicitur.

Ad nn. 15 et 16: Forsitan primo exponenda est catholica doctrina (n. 16; pag. 11,[10] linn. 8-13) et postea adiungenda invitatio ad scientiam naturalem excolendam (n. 15; pag. 10,[11] linn. 18-29), tunc addenda monitio de scientiis naturalibus (n. 15, p. 10, lin. 29 - p. 11, lin. 2; n. 16, p. 11, linn. 13-20). In monendis excultoribus scientiae naturalis magis positive procedatur, v. gr. inseratur in pag. 10, lin. 19 post vocabulum « prudenter » etiam sequens phrasis: « et feliciter ». Insuper inculcetur regula fundamentalis sequens: Tanquam conclusio certa et definitiva proponi nequit, quod est solummodo hypothesis. Sic periculum in dubio vocandi fidem minuitur.

Insuper, cur non dici potest etiam theologos errare posse et aliquando erravisse in praecise determinandis illis, quae ad genuina fidei effata pertinent vel non? Talis humilis concessio, scilicet etiam theologos

---

[10] Cf. pp. 306-307.
[11] Cf. p. 306.

labores inquisitionis et periculum errandi ferre debere, multa praeiudicia ex parte hominum scientificorum e medio tolleret.

Rev. BROWNE: Schema placet paucis notatis:

a) In cap. 2, pag. 5,[12] linn. 11-12 dicerem « ... se illis manifestam tum *operibus* supernaturalis Providentiae » (agitur de miraculis)...

b) In Cap. 3, pag. 9,[13] lin. 31 dicerem *confuse proponit* loco *permiscet.*

c) In Cap. 3, pag. 10 [14] *forsan* melius esset (ut evitarentur controversiae de facto praesentiae istorum errorum in quibusdam auctoribus) ut omitteretur in lin. 3 vox *decepti.*

d) In Cap. 3, pag. 11,[15] lin. 14 ponerem *summa* loco *debita.*

Card. OTTAVIANI: Laetor quod omnes fere animadversiones factae, sunt accipiendae et considerandae quia bonae mihi videntur et meliorabunt ipsam Constitutionem. Igitur harum omnium, si nobis afferrentur, ratio habebitur. Nescio utrum opportunum sit omittere ea quae reapse, uti suspicatus est Em.mus Card. Döpfner, referuntur ad theorias Teilhard de Chardin. Verum autem est non omnia eius studia adhuc publicata esse, verum nobis ante omnia dedit fundamentum ad cognoscendas ideas ipsum volumen « Le phénomène humain » in quo habetur substantia ipsius theoriae. Ceterum nobis nota sunt etiam quae docuit ipse Teilhard de Chardin ex variis manuscriptis dactylographatis vulgatis. Igitur perfecta habetur cognitio ex illis idearum Teilhard de Chardin et illa dactylographata scripta vulgata sunt nedum in Gallia, sed in toto mundo, et praesertim ex America Latina nos habemus relationes de damno quod facit illa theoria. Igitur quin nominemus Teilhard de Chardin, quod non esset praxis Concilii, sed ideas illas eliminandas esse, mihi videtur opportunum.[16]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta fuerunt ab Em.mo Card. Ruffini et a Rev.mo P. Browne Magistro Generali O. P.

---

[12] Cf. p. 303.
[13] Cf. p. 306.
[14] Cf. p. 306.
[15] Cf. p. 307.
[16] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum ab Em.mo Cardinali Relatore expositum.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: salvis animadversionibus iam allatis super indolem negativam et nimis philosophicam capitum istorum, dum deficit « ostensio veritatis revelatae », quae tamen est essentialis fidei ratio et ad errores expugnandos modus excellentior et expeditior videtur.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: secundum dicta ab Em.mo Ponente Card. Ottaviani.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: cum voto scilicet ut ratio habeatur earum animadversionum quae notatae fuerunt a Patribus, praesertim ab Em.mo Relatore.

Card. MCGUIGAN: Placet in genere secundum Em.mum Relatorem, sed consideratio dari debet dictis Cardinalium Léger, Ruffini, Döpfner et Patris Superioris Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet attentis observationibus praesertim Em.mi Ruffini et ut aliquantisper brevius schema constitutionis fiat.

Card. FRINGS: Non placet. Vide, quae dixi ad fasciculum 1.[1]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[2]

Card. VALERI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet:

Ratio habeatur observationum factarum ab Em.mis Ruffini et Döpfner, praesertim ad nn. 6 et 15.

Numerus 16 apparet (a linea 4 ad 11) ita conflatus quasi, firmo quod ipsum schema edicit, nimia in coeteris libertas implicite concedatur.

Sermo apparet in se et in terminologia aliquatenus complexus. Censeo semper prae oculis habendum esse textus Conciliorum definientes pro semper edici.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet cum modificationibus admissis ab Em.mo Relatore.

---

[1] Cf. p. 286.
[2] Cf. p. 311.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum:[3] i. e. iuxta animadversiones Em.morum Cardinalium Ottaviani, Ruffini, Döpfner et Rev.mi Browne.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus a Patribus expositis.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ad mentem eiusdem Cardinalis Ponentis, hoc sensu quod fere omnes observationes prolatae schema hoc in melius redigere poterunt.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet habita ratione observationum Eminentissimi Relatoris, Em.mi Ruffini et Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. CONFALONIERI: Placet. Habeatur ratio observationum trium Venerabilium Patrum qui in argumento locuti sunt.

Card. KÖNIG: Placet.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum:[4] i. e. secundum ea, quae dicta sunt.

Card. MARELLA: Placet secundum quae dicta sunt a Card. Relatore de correctionibus in Schematis textu introducendis ab Em.mis Patribus et a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum propositis.

Card. MUENCH: Placet schema propositum.

Card. MEYER: Placet, ad mentem Cardinalis Relatoris. Adiungo quasdam animadversiones.

Ad cap. 3, n. 12: Quaestio poni potest: utrum cum omnimoda claritate definiatur temporalitas universi in verbis « ut aliquando cursum suae existentiae inchoaret »? Tamquam ratio pro hac animadversione datur definitio Concilii Vaticani I. Notum est quosdam auctores (A. D. Sertillanges et alii post eum) dubitare de sensu verborum « simul ab initio temporis » in decretis Conc. Vat. I et Lateranensis IV. Forte clarius omnia dubia excluderentur si inter verba huius numeri 12 insereretur phrasis « in tempore », vel « cum tempore », ita ut legeretur (linn. 5-6): « ut aliquando in tempore (vel cum tempore) cursum suae existentiae inchoaret ».

Ad cap. 3, n. 16: Quaeri potest, an « doctrina catholica » in hac paragrapho significet doctrinam fidei, i. e. doctrinam de fide credendam. Terminus enim « doctrina catholica » apud theologos aliquando habet

[3] Cf. pp. 311-312.
[4] Cf. pp. 312-315.

sensum latiorem quam terminus « de fide ». Et revera spiritualitas animae et creatio animae numquam antea citra omne dubium definitae fuerunt. Haec igitur suggestio proponitur, ut Sacra Synodus, si placet, *doceat* vel *declaret* explicite tum spiritualitatem tum creationem animae humanae.

Card. Alfrink: Placet iuxta modum: secundum ea quae dixerunt Em.mus Card. Döpfner et Rev.mus Pater Generalis O. P.; in specie immutentur nn. 10 et 15 in sensu magis positivo ut Ecclesia non tantum defendatur, sed etiam aedificetur.

Card. Ottaviani: Placet cum animadversionibus Card. Ruffini et P. Browne. Maneat id quod se refert ad theoriam Teilhard de Chardin.

Card. Di Jorio: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus ab Em.mo Card. Ruffini et a Rev.mo Patre Magistro Generali Praedicatorum propositis.

Card. Roberti: Placet iuxta modum: sc. attentis animadversionibus ab Em.mis et Rev.mis Patribus prolatis.

Card. Jullien: Placet, attentis praesertim iis quae initio et in fine declaravit Em.mus Relator.

Card. Larraona: Placet iuxta modum: ita ut accurate illa ponderentur quae diligenter fuerunt animadversa et ab Em.mo Card. Relatore admissa.

Card. Heard: Placet.

Card. Bea: Placet, secundum animadversiones Em.morum Cardinalium Ruffini et Döpfner.

Beat. Saigh: Placet.

Beat. Gori: Placet.

Beat. Cheikho: Placet.

Exc. Felici: Placet.

Exc. O'Connor: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab Em.mo Relatore factis.

Exc. Silva Santiago: Placet schema cum dictis ab ipso Eminentissimo Cardinali Relatore.

Exc. Antezana y Rojas: Placet iuxta modum: scilicet, secundum optimam Relationem Em.mi Ottaviani, attentis animadversionibus Patribus Ruffini et Ministro Ord. Praedicatorum.

Exc. BERAS: Placet.

Exc. LEFEBVRE: Placet ad mentem Eminentissimi Cardinalis Relatoris.

Exc. PERRIN: Placet, id est iuxta animadversiones factas et ab Eminentissimo Relatore acceptas.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: Schema corrigatur iuxta animadversiones, stylisticas et reales, Em.morum Patrum qui in discussione locuti sunt. Aliqui textus clariores et magis intelligibiles reddantur (specialiter nn. 10 et 14).

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis a Ven. Patribus.

Exc. BERNARD: Placet, cum emendationibus admissis ab Em.mo Relatore.

Exc. BERNIER: Placet ad mentem Em.mi Cardinalis Relatoris.

Exc. YAGO: Placet ad mentem Em.mi Card. Relatoris.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de observationibus factis.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet ad mentem Eminentissimi Cardinalis Relatoris. Animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Ruffini et Döpfner prae oculis habeantur.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: attentis observationibus Em.mi Card. Döpfner.

Rev. GUT: Placet.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis paucis quae scripto trado hic adiuncto.[5]

Rev. SÉPINSKI: Placet, ad mentem Em.mi Card. Relatoris, additis aliquibus notis minoris momenti huic folio adiectis.

Ad pag. 6,[6] lin. 17: « alia agnoscit ».

Ad pag. 9,[7] lin. 3: legas « doctrinam ».

---

[5] Cf. p. 315.

[6] Cf. p. 304.

[7] Cf. p. 305.

Ad pag. 10,[8] linn. 18-24: textus est aliquatenus obscurus; proponere velim: « Ea autem facta et conclusiones quae veri nominis scientia ...; sive de origine et incremento humani generis, ea revera detrimentum non inferunt doctrinae fidei ».

Rev. JANSSENS: Placet ad mentem Em.mi Cardinalis Ottaviani.

XII

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Septima Congregatio: 22 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 4

DE REVELATIONE ET FIDE

17. [*Notio catholica revelationis*].[1] Revelatio externa et publica qua obiectum fidei catholicae divinitus communicatum est cum Ecclesia, est locutio qua benignissimus Deus, per ministros complures maximeque per Filium suum, humano sermone adhibito, mysteria salutis veritatesque connexas testatus est, « oboeditionem fidei » (*Rom.* 16, 26) omnibus praecipiens. Externae autem revelationis dono, Deus, qui interius etiam docet, ut singuli « verbum salutis » (*Act.* 13, 26) sicut oportet suscipere queant, illuminationem inspirationemque gratiae adiungit quae suavitatem confert in consentiendo et credendo veritati.[2]

18. [*Revelatio et historia salutis*]. Longa illa series eventuum salutarium quae in vita, morte et resurrectione Christi fastigium suum tandem attigit, inter obiecta divinae revelationis conspicue nobis prostat, et in eadem nobis altissima mysteria annuntiata sunt. Quapropter dicere fas est revelationem nobis datam esse in humanae salutis historia sive narrata sive praenuntiata.[3] Sed minime sentiendum est revelationem, ad substantiam eius quod spectat, prodientibus tantum illis eventibus iam constitutam esse, ita ut sermone Christi, Filii Dei, aliorumque legatorum divinorum secundarie tantum compleatur. Immo vero ad revelatum ordinem salutis ii eventus maxime pertinent per mysteria quae in eis latent aut cum eis connectuntur. Sed iidem eventus non patefaciunt nobis illa mysteria, nisi quatenus ipsi assumuntur quodammodo ac declarantur sermone legatorum Dei. Quo sermone etiam proponuntur ut veritates divinitus attestatae, ita ut obiecta fide divina credenda fiant, seu proprie revelentur.[4]

---

[8] Cf. p. 306.

19. [*Revelatio et doctrina*]. Neque praetermittendum est revelationem, ultra historiae salutis singularia facta, continere etiam veritates universales tum naturalis, tum supernaturalis ordinis, eamque primarie spectare Deum ipsum, in ineffabili mysterio trium Personarum divinarum electis in patria videndum. Ideo Patres primae Synodi Vaticanae summam veritatum revelatarum iure nuncupaverunt « doctrinae fidei » nomine,[5] vestigiis inhaerentes Domini nostri qui asseverat: « Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me » (*Io.* 7, 16), necnon Apostoli qui scribit ad Titum de vita sancta christifidelibus agenda, ut dignis moribus, « doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus » (*Tit.* 2, 10).[6]

20. [*Revelatio et manifestatio Christi*]. Divinae revelationis plenitudo in Christo Filio Dei recte dicitur apparuisse,[7] non solum quia ipse, auctor et consummator fidei (cf. *Hebr.* 12, 2), praecipuas fidei veritates homines docuit, sed insuper quia, per suae incarnationis redemptionisque mysterium, caetera fidei mysteria mirum in modum illustrat. Quod tamen non impedit quin revelatio integra servet suam indolem divini testimonii, totumque mysterium Christi propter auctoritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, sit credendum. Fides divina et catholica non constituitur primario experientia qua totum mysterium Christi in eoque omne revelatum verum perciperetur, et secundarie tantum actione reddendi per conceptus et verba, ea quae prior experientia altiore modo attigisset. Quin potius catholica fides complectitur agnitionem magisterii Dei et propter ipsius auctoritatem assensum veritatibus revelatis quales ab Ecclesia credendae proponuntur.[8] Eadem autem fides, caritate et donis Spiritus Sancti perfecta, augeri potest sensu Christi (cf. *I Cor.* 2, 16) ad veritates revelatas profundius intelligendas, immo fruitione obscura mysterii Filii Dei qui cum Patre et Spiritu Sancto animam iustorum inhabitat.[9]

21. [*Errores notioni catholicae revelationis plane adversi*]. Catholica revelationis notio penitus derelinquitur ab iis qui falso contendunt Deum non posse, per legatos ab ipso eruditos aut inspiratos, communicare cum hominibus prolatis verbis aut Sacris etiam Litteris. Quorum quidam dixerunt divinam revelationem nihil aliud esse posse quam acquisitam ab homine suae relationis ad Deum conscientiam; [10] quidam revelationem arbitrati sunt esse sensum quemdam divinae realitatis in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese in eodem sensu animis manifestantem; [11] quidam demum existimant divinam revelationem non tantum religionem Veteris Novique Foederis, sed omnes religiones protulisse, eamque in eo consistere quod homines religiosi, ut ad Deum in mente eorum latitantem spectare queant, obiecta sacra sibi reperiant, notionesque sibi effingant, quae, etsi conformitate cum re carentes, inservirent tamen ad Deum quodammodo mente prosequendum.[12]

22. [*Recens relativismi forma*]. Periculose etiam a vero discedunt qui sentiunt enuntiationes et conceptus quibus veritates revelatae communicantur, impares esse ad res divinas omnino vere significandas, etsi utique incom-

plete et imperfecte; sed habendos esse ut approximationes semper mutabiles semperque denuo corrigendas prout postulet sive altior quidam sensus mysterii quod creditur, sive ortus novae formae humanae cogitationis. Dum contra Deus revelans et Ecclesia quae, Deo adiuvante, munus exercet custodis et interpretis totius revelatae veritatis, aperte significant, se non intendere loqui symbolice tantum, sed saepe etiam proprie, atque assensum plenum immutabilemque postulant doctrinae fidei illo sensu intellectae quem eorum sermones declarationesque exhibent.[13]

23. [*Externa revelationis signa*]. Etsi fides salutaris qua Deo credimus procedit e lumine divinitus in mentem immisso, secundum illud Ioannis: « Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius » (*I Io.* 5, 20), nihilominus gratia fidei de more non prodit se aperte in mente, sed manet quodammodo velata in ea. Sapientissimus igitur Deus, volens ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset (cf. *Rom.* 12, 1), internis Spiritus Sancti auxiliis coniunxit multiplicia revelationis signa, eaque imprimis externa, congruenter ad indolem publicam revelationis necnon ad naturam socialem hominum qui ad fidem vocantur. Quae quidem signa efficiunt, ut recta ratio divinam revelationis originem certis argumentis probare valeat.[14]

24. [*Primatus quidam miraculorum et prophetiarum*]. Inter ea signa, pro conspectiore argumento quod praestant, eminent miracula et prophetiae, quae produnt singularem interventum summae potentiae et sapientiae Dei signa dantis hominibus; [15] quae nonnisi ob praeiudicatas falsas opiniones a limine negantur, et de quibus Dominus noster declaravit: « Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » (*Io.* 5, 36) etiamque: « Scrutamini Scripturas, ... illae sunt quae testimonium perhibent de me » (*Io.* 5, 39).

25. [*Resurrectio Christi, prophetiae messianicae, Christus ipse*]. Ecclesia autem maximum in genere miraculorum signum habuit et habet resurrectionem corporalem Christi quae, et sepulchro deprehenso vacuo, et apparitionibus ipsiusmet Redivivi, fulgens signum historicum facta est. In genere argumentorum ex prophetiis desumptorum, Ecclesia plurimum semper aestimavit admirandam in Christo Iesu adimpletionem propheticae exspectationis Messiae et regni eius. Qua de re scripsit iam S. Petrus: « Habemus firmiorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat » (*II Petr.* 1, 19). Non autem diffitendum est sublime signum divinum, ad quod humana ratio difficiliorem utique aditum habet, quod tamen humilibus corde, qui Spiritu Dei aguntur, plurimum splendere potest, esse ipsum Iesum Magistrum. Cuius extraordinaria sapientia et sanctitas confirmat testimonium quod de se dedit, ut ipse, inter se atque miracula sua distinguens, dicere potuerit: « Si mihi non vultis credere, operibus credite » (*Io.* 10, 38).[16]

26. [*Praestantia quaedam signi Ecclesiae*]. Ecclesia autem, pro sua

etiam nunc in orbe terrarum praesentia ac pro abundantia donorum quibus Christus eam ornare non destitit, et ipsa per se inter revelationis signa praestat. « Ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis »,[17] ac veluti signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12).[18]

27. [*Testimonia signaque interna*]. Sic fit, ut iis qui ad admirabilem revelationis lucem accedunt aut in eadem permanent, largus aditus pateat ad congruam notitiam acquirendam eamque augendam externorum signorum et probationum quae divinam revelationem invicte confirmant. Quibus signis et argumentis accedunt plures formae interni testimonii vocationisque ad credendum. Quibus Deus ita mentem percellere potest, ut complere etiam valeant ea quae obscura interdum manent in notitia signorum externorum; immo quae, aliquando, Deo largiente, proprii luminis abundantia sese substituere valent in aliorum signorum locum.[19] Talia autem interna testimonia atque signa, quibus Deus, ut ait sanctus Paulus, in cordibus illucet (cf. *II Cor.* 4, 6), sicut praetermittenda non sunt, ita neque in maius extollenda, praesertim cum externorum manifestiorumque signorum despectu. Synodus enim Vaticana Prima, de signis christianae revelationis agens, sollemniter prohibuit ne quis censeret « sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ».[20]

28. [*Credere Deum, Deo et in Deum*]. Quod si fides salutaris argumentis quae divinam revelationis originem probant, praeparatur atque protegitur, non tamen eisdem acquiritur; quin potius consensu humili suscipitur ut donum gratiae Dei. Ea enim fide non amplectimur divinam revelationem, nisi postquam haec credenda exhibita est iudicio ex divino lumine procedente; immo ipse fidei actus est plenum intellectus et voluntatis obsequium, quo homo, impulsus et tractus gratia Dei (cf. *Io.* 6, 44), credit Deo, Deum et in Deum: Deo nempe ut infallibili magistro innititur, ac Deum in tota doctrina revelata affirmat, dum sancto desiderio in Deum salutem nostram libere movetur.[21]

NOTAE

[1] Citantur in hac prima nota textus Magisterii qui directe aut indirecte conferunt ad iustificandam notionem revelationis ut locutionis Dei attestantis prouti declaratur in Constitutione. Quae declaratio opportuna videtur, ut traditionalis revelationis notio, in Sacra Scriptura etiam fundata, protegatur contra sententias minus rectas in quas, praeeuntibus auctoribus protestantibus, aliqui etiam catholici theologi inclinant. Sequuntur nunc textus Magisterii:

1. *Symbolum Epiphanii*: DENZ. 13: « Credimus et in Spiritum Sanctum, qui *locutus est* in lege, et per prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in apostolis *locutus est,* et in sanctis habitat ».

2. *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*: DENZ. 86: « Credimus ... et in Spiritum Sanctum, ... qui *locutus est* per sanctos Prophetas ».

3. *Conc. Constantinopolitanum II*: DENZ. 212: « Confitemur fidem tenere

et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo *praedicatam,* quam et sancti Patres confessi sunt et explanaverunt ... ».

4. *Conc. Lateranense IV*: DENZ. 428-429: « Haec sancta Trinitas, ... primo per Moysen et sanctos Prophetas aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, *doctrinam humano generi tribuit salutarem.* Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus ... viam vitae manifestius demonstravit ».

5. *Conc. Florentinum*: DENZ. 706: « Sacrosancta Romana Ecclesia ... unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem; quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti *Sancti locuti sunt* ».

6. *Conc. Tridentinum,* Sess. IV: DENZ. 783: « ... puritas ipsa Evangelii ... quod *promissum* ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius *proprio ore primum promulgavit,* deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae *praedicari* iussit ».

7. *Conc. Tridentinum,* Sess. VI: *Decretum de iustificatione,* cap. 6: DENZ. 798: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum ... fidem *ex auditu* concipientes, libere moventur in Deum ».

8. PIUS IX, Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: DENZ. 1636: « Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime *patefacta,* tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei *loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere* ».

9. PIUS IX, *ibid.*: cf. DENZ. 1637.

10. *Conc. Vaticanum I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: DENZ. 1785: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet ac docet ... placuisse eius [Dei] sapientiae et bonitati, ... seipsum et aeterna voluntatis suae decreta humano generi *revelare,* dicente Apostolo: "Multifariam multisque modis olim Deus *loquens* patribus in Prophetis: novissime diebus istis *locutus est* nobis in Filio" [*Hebr.* 1, 1 s.] ».

11. *Conc. Vaticanum I, ibid.*: DENZ. 1787: « Haec porro supernaturalis revelatio ... continetur in *libris scriptis* et sine scripto traditionibus, quae ipsius *Christi ore* ab Apostolis acceptae, aut (ab) ipsis Apostolis *Spiritu Sancto dictante* quasi per manus *traditae,* ad nos usque pervenerunt ».

12. *Conc. Vat. I, ibid.,* cap. 3: DENZ. 1792: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae *in verbo Dei scripto vel tradito continentur* »; DENZ. 1793: « Ecclesiam instituit [Deus per Filium suum] ... ut ea tamquam custos et magistra *verbi revelati* ab omnibus posset agnosci ».

13. *Conc. Vat. I, ibid.,* cap. 4: DENZ. 1800: « *Fidei doctrina,* quam Deus revelavit, ... tanquam divinum depositum Christi Sponsae *tradita* »; cf. Sess. IV, Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* cap. 4: DENZ. 1836: « *Traditam revelationem* seu fidei depositum ».

14. *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1791: « Nemo tamen "*evangelicae praedicationi* consentire" potest, sicut oportet ad salutem consequendam, "absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati" »; coll. *Conc. Arausicano II* (a. 529): DENZ. 178 s.

15. LEO XIII, Ep. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: DENZ. 1967: « Id

autem non de vivendi solum disciplina, sed de *doctrinis* etiam, quibus fidei depositum continetur, intelligendum esse multi arbitrantur ».

16. *Iusiurandum contra errores modernismi*: DENZ. 2145: « *Fidei doctrinam* ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque *transmissam,* sincere recipio ... Certissime teneo ... fidem ... [esse] verum assensum intellectus veritati *extrinsecus acceptae ex auditu,* quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac Domino nostro *dicta, testata et revelata* sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

17. Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907: DENZ. 2059 damnatur prop. 59: « Christus determinatum *doctrinae corpus* omnibus temporibus cunctisque hominibus acceptabile non docuit, sed potius inchoavit motum quendam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum ».

18. *C.I.C.,* can. 1322, 1: « Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, *doctrinam* revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret ».

19. PIUS XI, *Mortalium animos,* 6 ian. 1928: *A.A.S.* 20 (1928), p. 8: « Liquet inde, veram religionem esse posse nullam praeter eam quae *verbo Dei* revelato nititur ». *Ibid.,* pp. 11-12: « Utrumque Christi praeceptum ... alterum scilicet *docendi,* alterum *credendi* ad aeternae salutis adeptionem, ne intelligi quidem potest, nisi Ecclesia *evangelicam doctrinam* proponat integram ac perspicuam, sitque in ea proponenda a quovis errandi periculo immunis ». *Ibid.,* p. 14: « *revelatae doctrinae* » [p. 14].

20. PIUS XI, *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 156: « Revelatio sensu christiana est *verbum Dei ad homines* [Offenbarung im christlichen Sinn ist das Wort Gottes en die Menschen] ».

[2] Cf. *Conc. Arausicanum II,* can. 7: DENZ. 180;

Conc. Vat. I, Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1791.

[3] Ad rem S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* XXV, 46: *PL* 34, 142: « Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit [Deus] et per prophetiam ».

[4] Constitutio intendit ex una parte agnoscere ea quae vera sunt in eis quae multi dicunt de indole historica obiecti revelationis, sed ex altera parte improbare ea quae falso de ea re dicuntur. Non desunt qui, anti-intellectualismo imbuti, velint statuere revelationem constitutam esse eventibus salutaribus, quibus sermones legatorum Dei subsidiarie tantum additi essent; quod significat fidem christianam iis sermonibus adiuvari posse, sed non regi debere. Scripsit G. TYRREL, *Through Scylla and Charybdis,* London, p. 287: « Revelation is not a statement, but a "showing". God speaks by deeds not by words ». Plures protestantes similia placita proferunt; quidam catholici periculose efferunt solum adspectum historicum, solos eventus in divina revelatione.

[5] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800.

[6] Iam modernistae opponebant revelationem ut experientiam et impressionem eventuum, quam admittebant, revelationi ut doctrinae divinitus propositae ad credendum, quam reiiciebant. « Revelation — ita iterum TYRREL [*op. cit.*, p. 280] — belongs rather to the category of impressions, than to that of expression »; itemque [p. 213]: « Faith is now an intellectual assent to this revealed theology as deriving directly from the divine intellect; it is no longer the adhesion of the whole man, heart, mind and soul, to the divine spirit within—primarily a spirit of life and

love, and only thereby a guide or beacon leading the mind gradually to a fuller instinctive apprehension of the religious truth implicit in the inspirations of grace ».

Non desunt catholici qui ab huiusmodi placitis non satis se avertant, cum dicant Deum non revelasse doctrinam, et obiectum fidei esse historiam, non doctrinam.

[7] Pius XI, *Mit brennender Sorge,* 17 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 150: « In Jesus Christus, dem menschgewordenen Gottessohn, ist die Fülle der göttlichen Offenbarung erschienen ».

[8] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: Denz. 1789 et 1792.

[9] Tendentiae quae corriguntur in hoc numero 20 sunt veluti applicatio, ad adventum Christi, tendentiarum de quibus Constitutio egit sub duobus numeris praecedentibus. Quae hic corriguntur indebite efferunt adspectum mysticum fidei indebiteque deprimunt adspectum eius doctrinalem. Plura huiusmodi inveniuntur apud auctores protestantes, quorum opinione aliqui catholici quadantenus moventur.

[10] Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907: Denz. 2020.

[11] S. Pius X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: Denz. 2075.

[12] Primi duo errores hic notati sunt errores modernistarum quales damnantur in Decreto *Lamentabili* et in Encycl. *Pascendi.* Tertia opinio, quae a prioribus non adeo differt, desumitur ex auctore H. Dumery, qui inter alia sequentia habet: « Le sujet pénétré en son fond par la présence de l'Absolu, ne peut la reconnaître qu'en la réfléchissant; il la projette sur les objets extérieurs (le sacré) ou sur ses objets intérieurs (sanctification de ses intentions, de ses actes psychologiques, de ses conduites) » [*Philosophie de la religion,* t. II, p. 189, n. 4];

« Il n'y a de religion que révélante et révélée: le processus de révélation se confond avec la suite des démarches que la conscience doit accomplir pour viser l'Absolu *par* et *dans* les représentations qu'elle parvient à s'en faire » [*op. cit.,* p. 254, n. 4];

« Le christianisme obéit à une règle générale: il établit une visée de Dieu sur une sélection de faits ou d'objets "révélateurs de Dieu" selon le processus de toutes les hiérophanies connues dans l'histoire. Sa supériorité éclate néanmoins dans l'excellence de son choix: il n'insinue pas le sacré dans les choses, il ne le dépose pas sur des êtres dépourvus de raison; il le dépose sur des hommes — les écrivains bibliques — spécialement sur un homme en qui la "révélation" culmine parce qu'il professe l'universel de la charité et qu'on ne voit rien qui puisse être ajouté au commandement de l'amour » [*Encyclopédie française,* t. XIX, art. *Foi, dogmes et sacrements,* 19, 38, 10].

[13] Ea est relativismi dogmatici et theologici forma quae reprobatur a Pio XII in Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), pp. 565-567.

[14] Vide *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: Denz. 1795, et can. 4 *De fide*: Denz. 1813.

Haec paragraphus praesentis Constitutionis non multa nova addit (quaedam tamen circa congruentiam signorum externorum cum natura hominis). Est autem fere necessaria ad praeparanda ea quae sequuntur de diversis signis.

[15] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: Denz. 1790.

[16] Recolitur doctrina *Conc. Vat. I,* quia a pluribus oblivioni mandatur [Denz. 1795, 1813]. Praeterea explicatur in quo consistat primatus miraculorum et prophetiarum. Additur, quia hodie valde opportuna esse videtur, aliqua nota circa resurrectionem Iesu ut signum historicum et circa prophetias messianicas. Additur

etiam aliquid de signo quod ipse Iesus cum sua sapientia et sanctitate constituit, ne videatur Concilium hoc signum neglegere quod tanti momenti est multis fidelibus, divina gratia in Christum attractis.

[17] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1794.

[18] Explicatur in quo consistat primatus signi quod est Ecclesia. Nihil additur descriptioni signi Ecclesiae a Concilio Vaticano I datae, quia additio deberet rem perficere, sed nulli sententiae privatae magis quam alii etiam licitae favere. Hoc autem videtur difficile.

[19] Audiamus S. THOMAM, in: *Summa Theol.,* II-II, q. 2, a. 9, ad 3: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis, unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum. Et ideo non tollitur ratio meriti »;

Quodlib. II, q. 4, a. 6, ad 3: « Interior instinctus, quo Christus poterat se manifestare sine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutem Primae Veritatis, quae interius homines illustrat et docet »; cf. etiam *loc. laud.* ad 2.

In Adnotationibus in Schemata prosynodalia Concilii Vaticani, haec habentur: « Tenendum etiam est, gratiam Dei internam supplere id, quod pro huiusmodi hominibus [rudibus] deficit in propositione fidei externa. Sed non propterea propositio fidei per motiva captui accommodata et diligentia necessaria negari ac totum ad internam experientiam et ad internum instinctum revocari potest ». [*Coll. Lac.,* t. VII. col. 1623].

[20] *Conc. Vat. I,* Sess. III, *Canones* [*de fide cath.*]: DENZ. 1812.

[21] Cf. *Conc. Trid.,* Sess. VI, Decr. *de iustificatione,* cap. 6: DENZ. 798.

CAPUT 5

DE PROGRESSU DOCTRINAE

29. [*Thesaurus veritatis a Christo accipiendus est*]. Sancta Vaticana Synodus secunda firmiter profitetur thesaurum veritatis, quo vita christiana usque ad finem mundi alenda est, a Christo Iesu, auctore et consummatore fidei (cf. *Hebr.* 12, 2), hac ratione fuisse acceptum ut, postquam cum Apostolis completus fuit,[1] augeri amplius non possit,[2] sed tamquam pretiosum depositum (*I Tim.* 6, 20) ab Ecclesia fideliter custodiendus sit.[3]

30. [*Custodiendi thesauri fidei ratio*]. Quoniam vero hic thesaurus efficaciter et fructuose non custoditur mera librorum conservatione et verborum repetitione, sed viventi magisterio, quo Ecclesia fidem et mores vere dirigat,[4] utique prout postulant sincera revelatorum intelligentia [5] et errantium impugnationes [6] atque temporum necessitates noviterque ortae quaestiones [7] nec minus Christianorum pietas inducens ad altiorem divitiarum Christi investigationem,[8] idcirco Sancta Synodus docet ipsa natura sacri magisterii postulari tum investigationem revelationis fontium, tum ipsorum mysteriorum sedulam et piam atque sobriam inquisitionem.

Quae inquisitio mentes a divina revelatione nullatenus avellit; nam eo non tendit ut divinitus tradita humanis inventis transformet et substituat,[9]

sed ut divitias in ipsa revelatione latentes scrutetur atque declaret,[10] iis sane viis quae connexionem cum revelatis adamussim servent.[11]

31. [*Progressus doctrinalis affirmatio*]. Quapropter Sancta Synodus agnoscit et profitetur in Ecclesia Christi verum doctrinae progressum peragi, adeo ut etiam novae definitiones veritatis revelatae haberi valeant; [12] sed illum tantum legitimum declarat, qui incrementum humanae de revelatis cognitionis ita sequatur, ut omnis doctrina ab Ecclesia tradita Christi Iesu auctoritate fulciatur.

32. [*Privatarum revelationum valor*].[13] Circa privatas autem revelationes, quae post mortem Apostolorum ferantur, Sancta Synodus declarat eas iudicio Pastorum Ecclesiae penitus subiiciendas esse, ne fideles seducantur, cum Christus monuerit: « Pseudoprophetae surgent, et seducent multos » (*Mt.* 24, 11); docet insuper easdem tunc solum consideratione dignas esse, si cum veritatibus in publico fidei thesauro contentis omnino concordent et ad vitam christianam sub Pastorum ductu exercendam impellant; eas ecclesiasticis institutionibus occasionem dare non posse, nisi aliunde fundamentum dogmaticum habeant; numquam earum praetextu novas doctrinas induci, vel coepta nova invita Ecclesia inchoari posse.

Ceterum, cum ipse Dominus significaverit charismata et miracula semper fore in Ecclesia, Apostolus vero monuerit: « Spiritum nolite extinguere » (*I Thess.* 5, 19), has revelationes privatas necnon alia dona charismatica, dummodo idonea divinae originis signa ostendant, Ecclesia reverenter suscipit secundum verba Doctoris gentium: « Omnia autem probate, quod bonum est tenete » (*I Thess.* 5, 21). Attamen christifideles strenue cohibeant curiositatem, qua immoderate ad mira, non satis probata ab Ecclesiae Pastoribus, feruntur. Sunt enim qui talia prosequuntur ac si Depositum ipsum insufficiens esset ad vitam christianam fovendam, vel extra Depositum spes ovibus Christi foret uberiora pascua reperiendi.

NOTAE

[1] *Conc. Trid.,* Sess. IV: DENZ. 783; Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 21: DENZ. 2021.

[2] Breve *Eximiam tuam* ad Archiep. Coloniensem, 15 iun. 1857 (contra Guenther): DENZ. 1656; PIUS IX, *Syllabus,* prop. 5: DENZ. 1705; *Conc. Vat. I,* Cost. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800.

[3] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800; PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2307, 2313, 2314.

[4] LEO X, *Exsurge Domine,* 15 iun. 1520: DENZ. 767; PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2313.

[5] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1796;
PIUS XII, *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2314.

[6] S. SIMPLICIUS, Epist. *Quantum presbyterorum* (ann. 476): DENZ. 159: « ... Hortor (ergo), frater carissime, ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in

pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas ... »;

S. Gelasius I, Epist. *Licet inter varias*: Denz. 161;

Pius IX, *Gravissimas inter* ad Episc. Monaco-Frising. (contra Frohschammer): Denz. 1675;

Pius XII, *Humani generis*: Denz. 2308; *Mystici Corporis*, 29 iun. 1943: *A.A.S.* 35 (1943), pp. 197-198.

[7] Pius XII, *Mystici Corporis*: *ibid.*, p. 196.

[8] Maxime in re morali, progrediente cultura, oriuntur nova problemata; attamen etiam in ordine magis speculativo progressus fit ob necessitates religiosas recenter exortas: cf. *Mystici Corporis*: *ibid.*, pp. 196-197.

[9] Pius IX, *Eximiam tuam*: Denz. 1656; *Syllabus*, prop. 5: Denz. 1705;

Conc. Vat. I, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 4: Denz. 1800; Const. dogm. I *De Eccl. Christi*, cap. 4: Denz. 1836; « ... Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».

[10] S. Simplicius, epist. *Quantum presbyterorum*, 9 ian. 476: Denz. 159; S. Gelasius I, epist. *Licet inter varias*, 28 iul. 493 (?): Denz. 161.

[11] *Conc. Vat. I*, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 4: Denz. 1800; coll. can. 3: Denz. 1818;

Decr. S. Off. *Lamentabili*, prop. 59-65: Denz. 2059-2065; S. Pius X, Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907: Denz. 2080.

[12] Pius IX, *Bulla Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: Denz. 1641;

Conc. Vat. I. Const. dogm. *De Eccl. Christi*, cap. 3: Denz. 1831; cap. 4: Denz 1838;

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: Denz. 2332.

[13] Benedictus XIV: *De servorum Dei beatif. et beat. canoniz.*, Prati, 1840, l. III, c. 52-53. Ita, cap. 53, n. 15: « Revelationibus [privatis], etsi approbatis, non debere, nec posse a nobis exhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, iuxta regulas prudentiae, iuxta quas praedictae revelationes sunt probabiles et pie credibiles »;

Cf. etiam, *ibid.*, II, 32.

Benedictus XV, *Ecclesiae consuetudo*, 13 maii 1920: *A.A.S.* 12 (1920), p. 486.

S. Pius X, Encycl. *Pascendi*: *A.A.S.* 40 (1907), p. 649: « Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis XXX, edicebat [Decr. 2 maii 1877]: " Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam ". Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti:

prout vero absoluta est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur ».

PIUS XI, *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.* 20 (1928), pp. 177-178.

PIUS XII, *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 328, 346-348; cf. *ibid.,* p. 340: « non proprie rationem habens privatae cuiusvis patefactionis divinitus patratae ... ».

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Card. OTTAVIANI: Antea Exc.mus D. Secretarius pergat in lectionem eorum quae iam sunt praeparata; postea, quando tempus erit opportunum, potero quasdam animadversiones addere ut facilius res procedant et minus tempus teratur, quia urget nunc labor et si non procedimus cum quadam celeritate puto cras nos non posse finire studia nostra.[1]

Exc. FELICI: Caput IV: *De Revelatione et Fide.*

Ad momentum percipiendum doctrinae in hoc capite propositae, attente consideranda sunt verba, quae leguntur in Nota 4, quibus intentio huius partis Constitutionis clare manifestatur. « Constitutio intendit ex una parte agnoscere ea quae vera sunt in eis quae multi dicunt de indole historica obiecti revelationis, sed ex altera parte improbare ea quae falso de hac re dicuntur. Non desunt qui, anti-intellectualismo imbuti, velint statuere revelationem constitutam esse eventibus salutaribus, quibus sermones legatorum Dei subsidiarie tantum additi essent, quod significat fidem christianam iis sermonibus adiuvari posse, sed regi non posse ».

Caput *De revelatione et Fide* complectitur 11 paragraphos, de quibus singulis ratio datur in Notis. Per hanc partem Constitutionis, Concilium Vaticanum II confirmare ac complere deberet doctrinam Concilii Vaticani I. Progressus autem quidam in eo in primis reponendus est, quod notio ipsa revelationis ulterius elucidatur, dum asseritur esse « locutio Dei attestantis ». Haec declaratio, quae in Notis comprobatur per citationem plurium textuum Magisterii Ecclesiae, sive extraordinarii sive ordinarii, opportuna visa est Commissioni Theologicae, ad hoc ut traditionalis notio revelationis, quae ex verbis ipsis S. Scripturae desumitur, firme vindicetur contra sententias quorumdam catholicorum, de quibus agitur in paragraphis 18, 19, 20, reticitis tamen nominibus.

In paragrapho 21 Constitutio denuo refutare intendit conceptum

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

subiectivisticum revelationis, iam damnatum in Litteris Encyclicis *Pascendi*; insuper excludit conceptum, quem de revelatione proposuit auctor quidam hodiernus, satis notus, cuius opus in indicem librorum prohibitorum fuit insertus.

In paragrapho 22 bonum visum est confirmare reprobationem relativismi dogmatici et theologici, quae legitur in Litteris Encyclicis *Humani generis,* ob minorem efficaciam quam hoc tam momentosum documentum obtinuit apud quosdam auctores catholicos, ut Acta Supremae Congr. S. Officii in his ultimis annis luculenter ostendunt.

In par. 23 et 24 agitur de externis revelationis signis, inter quae praestant miracula et prophetiae. Ut scite animadvertitur in Nota 14, doctrina proposita videri posset simplex repetitio doctrinae iam clare assertae in Concilio Vaticano I; attamen quaedam adduntur circa congruentiam signorum externorum cum natura hominis, et ea quae ibidem asseruntur retineri debent veluti praeambulum necessarium ad sequentes affirmationes de diversis signis.

Paragraphus 25 agit de resurrectione Christi, de prophetiis messianicis, de Christo ipso, prout sunt signa revelationis. De his nihil expressis verbis docetur in Concilio Vaticano I; unde non immerito opportunum visum fuit de iisdem mentionem facere, cum retinenda sint praecipua signa ab ipso Christo indicata vel proposita, ac iugiter valitura, ad ipsius divinam legationem evidentissime comprobandam.

Paragraphus 26 recolit doctrinam Concilii Vaticani I de praestantia signi Ecclesiae. Et haec repetitio superflua videri non debet, cum post Concilium Vaticanum usque ad nostra tempora non defuerint auctores catholici qui, falso spiritu irenistico vel reformatorio agitati, ita loquuntur de Ecclesia, ac si in illa non amplius fulgerent, immo quasi deperditae sint, notae unitatis et sanctitatis.

In paragrapho 27 resumitur ad mentem S. Thomae doctrina de valore signorum internorum, quae iam enuntiata fuit in Adnotationibus in Schemata prosynodalia Concilii Vaticani I. Convenientia huius paragraphi ex eo apparet, quod quidam apologetae post Concilium Vaticanum, tum tempore modernistarum, tum etiam nostris diebus, momentum signorum internorum plus aequo extollentes, valorem signorum externorum vel despexerunt vel non satis aestimarunt.

In paragr. 28 confirmatur doctrina Concilii Vaticani I de natura fidei, de eius origine divina, de iudicio sic dicto « credentitatis », ad quod efformandum lumen divinae gratiae exigitur; insuper de perfectione actus fidei, prout est plenum intellectus et voluntatis obsequium praestitum Deo, tamquam infallibili magistro, complectens ipsum Deum

principaliter in tota doctrina revelata, ac tendens in Deum, tamquam in perfectam beatitudinem repromissam credentibus.

Et haec pars Constitutionis satis respondere videtur Votis expressis. Nam petitum fuit ut firmetur accurata notio revelationis contra theorias modernisticas; ut agatur de revelatione obiectiva et publica, seu generi humano destinata ad salutem; necnon de divino sigillo revelationis seu de miraculis et de vaticiniis eorumque valore, attentis hodiernis falsis opinamentis. Inter postulata vero Episcoporum vel Superiorum generalium, haec leguntur: « Illustrentur fundamenta Apologeticae catholicae; agatur de validitate argumentorum traditionalium apologeticae ac de relationibus inter rationem humanam et Revelationem; declaretur doctrina de obiectivo sensu divinae Revelationis cognoscibilis per Magisterium Ecclesiasticum » (*Acta et Documenta,* Append. vol. II, pp. 11-12).

Denique repetere non piget et hanc partem Constitutionis, postquam ter elaborata fuit iuxta placita Subcommissionis de Deposito, ultimam formam adeptam esse ad mentem membrorum Commissionis theologicae.

Caput V: *De progressu doctrinae.*

Commissio Theologica hoc altero capite Constitutionis humiliter petit a Patribus Conc. Vatic. II ut confirmentur ea quae Conc. Vatic. I perpulchre edixit de rationis parte in excolenda veritate supernaturali (cf. Sess. III, cap. 4: Denz. 1796); insuper quae leguntur in Litt. Encycl. *Humani generis* de necessitudine inter Sacrum Magisterium et theologiam.

Proinde, in par. 29, 30 et 31, asseritur depositum doctrinae fidei, seu thesaurum veritatis revelatae, a Christo ipso Apostolis communicatum et ab ipsis completum ac Ecclesiae sive verbo sive scripto traditum, amplius in seipso augeri non posse. At simul rite affirmatur progressum doctrinalem, cum dogmaticum tum proprie theologicum, fovendum esse sive quoad veritates credendas sive quoad veritates etiam in praxi deducendas. Quapropter unice tantum admittitur progressus in intelligentia dogmatum et in vita christiana veritatibus fidei magis ac magis conformanda; doctrinalis autem progressus maxime obtinetur per acta Magisterii Ecclesiae, cui adlaborant, sive praevie, sive concomitanter sive consequenter, viri catholici, qui sunt cultores theologiae quae vel positiva vel speculativa seu scholastica nuncupatur.

Paragr. 32 valorem privatarum revelationum ad debitos limites revocat, contra exaggerationes quorumdam qui, etiam nostris temporibus, ita momentum doctrinalem aut practicum privatarum revelationum extulerunt, ut amplius non servaverint necessariam concordiam cum veritatibus contentis in thesauro Ecclesiae concredito, nec iudicium de revelationibus aut incepta propria, iudicio legitimae auctoritatis submiserunt.

Etiam in hoc capite Constitutionis elaborando, menti membrorum sive Subcommissionis de Deposito sive totius Commissionis Theologicae, praesentiam fuerunt vota quorumdam Exc.morum Episcoporum, qui petierunt ut « pressius examinaretur doctrina de evolutione dogmatum et urgeretur valor definitionum dogmaticarum, perfectibilium quidem et irreformabilium, nec de uno sensu in alium se evolventium » (cf. *Acta,* Append. vol. II, pp. 61-62).

Redactio autem huius capitis, postquam quinquies perpolita fuit a membris Subcommissionis, tandem approbata fuit a Commissione Theologica in ultima sessione generali.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Pag. 8,[1] linn. 4-7: « nihilominus gratia fidei de more non prodit se aperte in mente, sed manet quodammodo velata in ea » dixerim: « veritates divinitus revelatae per lumen fidei non plene in mente nostra clarescunt, sed manent quodam velamine obtectae ».

Pag. 9,[2] lin. 30 et seqq.: « ut complere valeant etc. » dixerim: « ut confirmare et roborare valeant ... immo interdum, peculiarem gratiam Deo largiente, ipsa signa externa supplere possint ».

Pag. 10,[3] lin. 10: verbum « potius » omitterem.

Pag. 16,[4] lin. 6 s.: « ... ut, postquam cum Apostolis etc.) » dicerem: « ut, cum ultimi Apostoli morte sit completus, augeri obiective non amplius possit, sed... ».

Pag. 16, lin. 12: « librorum conservatione et verborum » dicerem: « librorum sacrorum conservatione et verborum quae in ipsis continentur ».

Pag. 16, lin. 30 et seq.: bene et clare distinguendum esse existimo *inter progressum obiectivum et progressum subiectivum*: progressus obiectivus ullus non datur, *subiectivus vero satis multus et frequens habetur.*

Pag. 17,[5] lin. 8: « ferantur » adderem: « quaeque proinde novas veritates fidei inducere non possunt ».

---

[1] Cf. p. 322.
[2] Cf. p. 323.
[3] Cf. p. 323.
[4] Cf. p. 327.
[5] Cf. p. 328.

Card. LÉGER: Caput 4. *De revelatione et fide*:

Pag. 5,[6] lin. 7: Obiectum fidei recte indicatur per expressionem « mysteria salutis ». Sed quum obiectum fidei fundamentale, seu primarium, sit ipse Deus, melius et formalius exprimeretur obiectum fidei, si diceretur illud obiectum esse « Deum eiusque consilium salvificum », secundum formulam quasi identicam quae in Concilio Vaticano I habetur.

Pag. 5, linn. 9-14: Optime hic coniunguntur, et quidem in eodem loco, obiectum externum fidei et gratia interna ad credendum requisita.

Pag. 5, linn. 29-32: Optime et iure indicatur relatio inter factum historicum et ipsa verba hagiographi relate ad revelationem salutiferam.

Pag. 6,[7] linn. 29-34: Sese rogant theologi utrum solae veritates an etiam formulae definitae sunt obiectum fidei? Utraeque, ut videtur, sunt revelatae et sunt obiectum fidei, etsi hoc sit titulo differenti: veritates sunt obiectum fidei tanquam id quod creditur, dum formulae sunt obiectum fidei tanquam id quo exprimitur realitas credenda. Notatio quaedam, data a Concilio in hunc sensum, utilis esset.

Pag. 6, linn. 34-39: Nonne fides potest dici « crescere » etiam in quantum novae veritates incipiunt cognosci ut formaliter contentae in Revelatione, dum antea non erant, v. g. Assumptio Beatae Virginis Mariae?

Pag. 8,[8] lin. 17: Valde opportunum erat revocare quod, etiam nostris temporibus, miracula et prophetiae adhuc remanent praecipua signa divinae revelationis.

Pag. 9,[9] lin. 27: Illa doctrina mirabiliter complet id quod dictum est de signo externo. Sic omnia dicuntur, et in pleno aequilibrio.

Pag. 9, linn. 34-38: Optime revocat schema quod signa externa non sunt despicienda, beneficio signorum internorum.

Caput 5. *De progressu doctrinae*:

Pag. 17,[10] lin. 1: Forsan bonum esset ibi repetere quod, etiam si illae sunt « novae definitiones veritatis revelatae », non sunt tamen novae revelationes seu novae veritates revelatae.

Exc. SILVA SANTIAGO: Opportunum videtur quaedam ad Caput 4 « De Revelatione et Fide » a Commissione Theologica propositum subiicere.

---

[6] Cf. p. 320.
[7] Cf. p. 321.
[8] Cf. p. 322.
[9] Cf. p. 323.
[10] Cf. p. 328.

In Capite 4 doctrina in Prima Synodo Vaticana declarata reperitur novis tamen et opportunis adiunctis circa materiam de Revelatione et Fide propositis.

Scopus princeps huius Capitis obiectivitatem divinae Revelationis et publicae, quo melius moderna tendentia qua subiectivitas revelationis propugnatur ut aliquid internum religiosae conscientiae uniuscuiusque, vindicandam videtur.

Hac super re nobis dicendum est doctrinam esse clarius et positive proponendam, siquidem in textu tantummodo deductione vel ex condemnatione oppositi erroris (cf. nn. 17-18), patere videtur.

Eodem fere modo, dicendum videtur, propter huius Capitis IV scopum, desiderandam esse quamdam pleniorem expositionem doctrinae a SS. PP. Pio IX (Encycl. *Singulari nos affecerant gaudio,* 25 iun. 1834, Denz. 1617) et a Concilio Vaticano I (Const. Dogm. de Fide Cath., c. III, De Fidei Obiecto, et c. IV, De vero scientiae et naturalis et revelatae profectu, Denz. 1792 et 1800; C.I.C. can. 1322, 1) circa Ecclesiae Infallibile Magisterium tanquam proximam Fidei normam fidelibus propositam, nempe uti « medium proximum, universale et perpetuum cognoscendi, citra erroris periculum, omnes veritates in divina Revelatione contentas ».

Non agitur sane quidem de fidei norma remota, quae « est ipsum Verbum Dei scripto vel ore traditum », sed de norma proxima quae quidem est infallibilis Ecclesiae magisterii auctoritas; quae autem norma conditio est sine qua non ad actum fidei credentium, iuxta Pauli verbum dicentis « Fides ex auditu » (*Rom.* X, 17), propterea quod Magisterium Ecclesiae infallibili auctoritate fidelibus veritates in Revelatione contentas proponit tanquam « columna ac firmamentum veritatis » (*I Tim.* 3, 15).

Huius rei gratia Sanctorum Patrum prolata pulchrum meminisse videtur:

Sanctus Irenaeus nempe (*Haer.* IV, 33, 7): « Qui sunt extra Ecclesiam, sunt extra veritatem ».

Sanctus Cyprianus (*De Unit. Eccl.* 6): « Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet *matrem* ».

Optime denique Sanctus Augustinus (*Contra Epist. Fund.* c. 5; MSL. 42, 176): « Ego vero evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».

Si hac in re sistere videmur ratio est quia subiectivismi et relativismi errores circa Revelationem in Capite 4 « De Revelatione et Fide » impugnatos, labefactari et dissolvi consideramus eatenus quatenus mo-

mentum et praestantia infallibilis Ecclesiae magisterii aperte manifestetur.

Nunc vero, debita reverentia, quaedam circa formam Capitis 4 proponenda videntur.

Quod quidem ad latinum pertingit, non semper idearum manifestatio facilis et liquida videtur, quapropter nonnulla perpoliri proponimus.

Ad particulare quod attinet, in pagella 5,[11] n. 18 (in margine n. 20), dicitur « ad substantiam », cum agatur de iis quae ad revelationem pertinent, ad manifestandum id quod maioris momenti est et fundamentale circa revelationem. Iamvero, in hoc loco potius de vitae Domini Nostri Iesu Christi historicis factis peragitur, de factis nempe quae etsi ad revelationem pertineant, non tamen sunt ea quae maioris momenti vel fundamentale in revelatione continentur.

Modus autem loquendi de « substantia revelationis », theologico more, potius adhibetur ad significandum id quod in thesauro revelationis progressu et evolutione doctrinae immutabile permanet; hac de causa talis terminorum abusus aequivocis locus praestare videtur.

Pariter, in pagella 8,[12] numero marginali 5, dicitur: « ... gratia fidei *de more* non prodiit se aperte in mente, sed manet quodammodo velata in ea ».

Actus attamen fidei natura sua obscurus est, quia est actus circa veritatem non evidenter perspectam a Deo autem testatam, sicuti a Vaticano I definitum est (Denz. 1796, 1816). Iamvero, verba « *de more* » idem sonant ac « frequenter » vel « generatim », quod quidem non constare videtur cum iis de quibus in paragrapho tractantur. Hoc propter verba « de more » supprimenda proponimus.

Rev. BROWNE: Ista duo Capita bene, ut puto, exhibent doctrinam. Quoad expressionem eiusdem, limpiditas pluries mihi videbatur deficere.

In particulari noto, magnum momentum n. 22 p. 7,[13] et humiliter suggererem ut phrasis adverbialis quae linea 25 invenitur scilicet « *etsi utique incomplete et imperfecte* » transferatur ad lineam 23 ita ut incompletio et imperfectio non cadant super ipsam veritatem enuntiationum sed tantummodo super modum earum. Propositio ergo ita sonaret: « Periculose etiam a vero discedunt qui sentiunt enuntiationes et conceptus quibus, *etsi incomplete et imperfecte,* veritates revelatae com-

[11] Cf. p. 320.
[12] Cf. p. 322.
[13] Cf. pp. 321-322.

municantur impares esse ad res divinas omnino vere significandas sed habendas esse etc. ».

Item in secunda parte huius numeri suggererem ut vox *saepe* quae invenitur in linea 33, transferatur ad lineam 32 ita ut dicatur « ... *saepe* aperte significant ».

Dubium quoque mihi in mentem venit: utrum, scilicet, non esset melius paulo aliter redigere istum numerum, ita ut distinctim agatur de relativismo ut respicit formulas dogmaticas Ecclesiae, et de eodem ut respiciente verbum ipsum divinum in sacra revelatione? In hoc secundo casu minus proprie quis loqueretur de imperfectione communicationis. Problema quoque ipsum, per se primo, respicit formulas ab Ecclesia propositas in suo munere declarandi revelata a Deo:

2) Ad pag. 10,[14] n. 28, linea 13 suggererem ut diceretur « ... nisi postquam haec *ut* credenda exhibita etc. ».

3) Ad pag. 17,[15] linea 5 suggererem ut diceretur ... tradita *Dei* potius quam Iesu Christi auctoritate fulciatur. Fieri enim potest ut aliquid definiendum sit quod in ipso Vetere Testamento revelatur.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: adnecto folium.

Ad Caput 4. *De Revelatione*: Placet iuxta modum. Constitutio laudabiliter quaerit agnoscere ea quae recte affirmantur de indole historica obiecti revelationis, improbare autem ea quae falso de ea re dicuntur. Sed ipsum schema non videtur harmonice proponere diversos aspectus qui considerari deberent.

In numero 17 ubi datur notio Revelationis sermo est solummodo de *locutione Dei* (in nota 1: « locutio Dei attestantis »). Quae in manualibus plerumque intelligitur « locutio conceptualis ».

In numero 18 autem agnoscitur, Revelationem non constitui tantummodo locutione (« sermone humano adhibito »), sed eam comprehendere non tantummodo verba et locutiones, sed etiam facta (eventus historici salutares): Ex ipsa dictione numeri decimi octavi apparet revelationem *etiam* illis eventibus constitutam esse.

Non obstantibus plurimis testimoniis allatis non potest affirmari

---

[14] Cf. p. 323.
[15] Cf. p. 328.

definitionem Revelationis (« locutio Dei attestantis ») reddere integram notionem revelationis sicut in universa Ecclesiae traditione invenitur.

In Manuali Theologiae Dogmaticae a clarissimo Membro Commissionis Theologicae conscripto legitur, revelationem Dei historicam fieri aut actionibus divinis aut locutionibus divinis aut utrisque simul (M. Schmaus, *Kathol. Dogmatik* I, ed. 5, 1953, pag. 9).

Ad Caput 5. *De Progressu Doctrinae*: Placet.

Animadvertuntur tamen duo:

1) In numero 30 prius ponendae videntur rationes *positivae*:

— sincera revelatorum intelligentia,

— Christianorum pietas inducens ad altiorem divitiarum Christi investigationem.

Postea *ponantur rationes* magis defensivae:

— errantium impugnationes,

— temporum necessitates, etc.

2) In numero 32: prius agnoscatur positive momentum charismatum in Ecclesia, sicut fit in secunda paragrapho; postea enuntientur cautelae contra quemlibet abusum.

Animadverti etiam debet schema pauca dicere de argumento tanti ponderis.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet.

Card. LIÉNART: Placet, ratione tamen habita de emendationibus a Patribus propositis.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: iuxta additum scriptum et habita ratione animadversionum ab Em.mis Patribus, ac Exc.mis ac Rev.mis Patribus.

De Revelatione: pag. 6,[1] n. 20: « Divinae revelationis plenitudo in Christo Filio Dei recte dicitur apparuisse, non solum quia ipse, auctor et consummator fidei, praecipuas fidei veritates homines docuit, sed insuper quia, per suae incarnationis redemptionisque mysterium, caetera fidei mysteria mirum in modum illustrat. Quod tamen non impedit quin revelatio integra servet suam indolem divini testimonii, totumque my-

[1] Cf. p. 321.

sterium Christi propter auctoritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, sit credendum ».

Haec verba: « Quod tamen non impedit » etc., saltem impressionem relinquere possunt ac si Christus non esset Deus sensu stricto: Revelatio, *quamvis* suam plenitudinem a *Christo* receperit, *tamen* est testimonium divinum, et mysterium *Christi propter* auctoritatem *Dei* est credendum. Loco ergo verborum: « Quod tamen non impedit quin ... » dicerem potius: « *Cum autem Christus verus sit Deus,* revelatio integra *servat* suam indolem divini testimonii totumque mysterium Christi propter auctoritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, *est* credendum ».

Sententia utique haec in toto ratiocinationis decursu suum habet sensum; sed puto aliam formulam eundem habere valorem in ratiocinatione quin aliae interpretationi det locum.

Card. McGuigan: Placet, attentione facta ad dicta a Patribus et praesertim a Patre Generali Ordinis Praedicatorum.

Card. Pla y Deniel: Placet iuxta modum: scilicet attentis observationibus Em.mi Cardinalis Ruffini et Exc.mi Archiepiscopi Conceptionis.

Card. Frings: Placet. Accuratius indicetur qualificatio theologica singularum positionum. N. 32 corrigatur « immoderat se » in « immoderate ». Assentio iis quae dixit Card. Pizzardo de conceptu revelationis.

Card. Ruffini: Placet iuxta modum.[2]

Card. Siri: Placet, ratio habeatur observationum factarum ab Eminentissimo Pizzardo et a Magistro Generali O. P.

Card. Quiroga y Palacios: Placet.

Card. Léger: Placet iuxta modum:[3] i. e. iuxta dicta et desideria expressa a Rev.mis Patribus.

Card. Montini: Placet iuxta modum: ratione habita observationum a Patribus expositarum, praesertim a Card. Pizzardo et a Patre Browne.

Card. Cento: Placet. Schema hoc quod supremi ac fundamentalis momenti est, ratione tamen habita observationum a Patribus prolatarum.

Card. Godfrey: Placet iuxta modum: habita ratione de emendationibus propositis et in particulari de eis quae dixit Magister Generalis

---

[2] Cf. p. 333.
[3] Cf. p. 334.

Ordinis Praedicatorum de mutatione in pagina 17 [4] linea 5 de auctoritate Christi Iesu.

Card. CONFALONIERI: Placet.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: attentis observationibus specialibus Em.mi Card. Pizzardo de factis dogmaticis atque Em.mi Card. Ruffini de progressu obiectivo et de progressu subiectivo, et aliunde in concordantia plena cum animadversionibus Em.mi Card. Léger.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: Schema hoc magno cum labore a commissione factum est et permulta optime dicta sunt.

Sed animadvertere liceat:

1) Pag. 5,[5] linn. 21-22 difficulter intelligitur « salutis historia sive narrata sive praenuntiata », quia ea quae praenuntiata verbis narrari debent.

2) Pag. 6,[6] linn. 26-39 mihi videtur non satis distingui inter revelatione vi verborum et vi factorum (eventuum) peracta dubitari potest, utrum hic numerus 18 Concilio iam proponendus sit.

2) Pag. 6,[22] linn. 26-39 mihi videtur non satis distingui inter revelationem divinam quamcumque et revelationem divinam externam et publicam cui fide catholica credendum est et ad quam pertinent verba legati et magisterium Ecclesiae; quod non dici potest de revelatione divina quacumque (cf. quae S. Thomas dicit de voluntate salvifica Dei et de gratia quae omni homini offertur).

3) Pag. 7,[7] lin. 12 et sequentes, ubi tertia opinio falsa reicitur, i. e. quae dixit Duméry (uti ex adnotationibus elucet). Timeo ne his verbis ea quoque reprobentur quae dixit ille ethnologus P. Gulielmus Schmidt S. V. D., qui ostendit apud populos antiquissimos et remotissimos indigenos notionem monotheisticam Dei inveniri et, uti putavit (et alii adhuc hodie putant) elementa cuiusdam revelationis primitivae.

4) Pag. 7, linn. 21 usque 36. Distinguendum mihi videtur illa relativismi forma a desiderio laudando scilicet doctrinam revelatam melius, perfectius cognoscendi. In hoc etiam progressus et quaedam correctio fieri potest, quod est aliud ac illa relativismi forma.

5) Pag. 8,[8] lin. 32 sermo est de « signo historico ». Mihi videretur

---

[4] Cf. p. 328.
[5] Cf. p. 320.
[6] Cf. p. 321.
[7] Cf. p. 321.
[8] Cf. p. 322.

melius dicendum « signum obiectivum », quia illud « historicum » diversis interpretationibus obnoxium potest esse.

6) Pag. 9,[9] lin. 29 adderem quoad mentem ea quae dixit S. Thomas vide in pagina 15,[10] adnotatio 19: ... esset illustratio optima eorum quae hic dicuntur.

Pag. 9, lin. 6: Cur « esse ipsum Iesum *Magistrum* », et non « Iesum » sine addito, quia hic agitur etiam de Iesu sacerdote et pastore.

Pag. 16,[11] lin. 12 addenda quaedam videntur quoad cognitionem veritatis absolutae, utpote in thesauro ecclesiae semper aliquod impeditur ex circumstantiis historicis et ideo semper investigandum in revelationis fontibus.

Pag. 17,[12] lin. 1 sermo est « novae definitiones veritatis », cur non etiam « novi aspectus » qui implicite continentur et antea non tam bene cognoscebantur.

Card. Döpfner: Placet iuxta modum: collatis, quae adnexa sunt, et bene examinatis, quae a diversis prolata sunt.

Ad Caput 4. *De Revelatione*:

Caput praeiacens multa bene dicta habet.

Ad nn. 17-20: Quae hic dicuntur, retinenda omnino et secundum nostram lineam generalem perficienda esse mihi videntur.

Ubi in n. 18 (pag. 5,[13] lin. 20) locutio est de momento, quod habet aspectus historiae salutis, loco locutionis « dicere fas est » magis mihi affirmandum esse videtur: « oportet dicere », ut intentio redactionis sine ambiguitate clarescat.

Ne tamen valor aspectus historiae salutis modo stabilitus nimis coarctetur, mitigetur formula (pag. 5, lin. 29): « ... eventus non patefaciunt nobis illa mysteria, quae in eis latent, ... nisi quatenus ipsi assumuntur quodammodo ac declarantur sermone legatorum Dei ». Dicatur forsitan loco « non patefaciunt » solummodo « parum patefaciunt ».

In formula « Christi, Filii Dei, aliorumque legatorum divinorum » (pag. 5, lin. 25 sq.) corrigatur expressio « legatorum divinorum » in: « legatorum Dei ».

Ad n. 19: Hic et aliis in locis aspectus doctrinalis sublineatur, et hoc fit bene, cum ipsum N. T. praeter « kérygma » noverit etiam « dida-

[9] Cf. p. 323.
[10] Cf. p. 327.
[11] Cf. p. 327.
[12] Cf. p. 328.
[13] Cf. p. 320.

chén », quae est doctrinalis explicatio nuntii salutis. Ne tamen doctrina sacra tantum propter studium scientiae data videatur! Etiam finis doctrinae revelandae formalis innuatur, qui idem est ac finis eventuum salvificorum, nempe reconciliatio nostra cum Deo et salus nostra in Christo.

Ad nn. 21 et 22: Errores in n. 21 compositi iam aliis temporibus damnati hodie minorem influxum habere videntur. Unde hic numerus omitti potest. E contra in n. 22 recentior quidam error reiicitur, qui revera periculum creat hodie. Haec reiectio magis in lucem ponitur, si omittitur n. 21.

Ad nn. 23-27: Forsitan doctrina de signis hic prolata abbreviari poterit, cum multa iam in Concilio Vaticano I dicta sint. Quaeri etiam potest, utrum ordo inter signa hic statutus ab omnibus theologis in Ecclesia probatis sic proponatur, et iam illam habeat maturitatem, ut a Concilio statuatur.

Exegetae forsitan consulendi sunt, utrum textus pag. 8,[14] lin. 22 sqq. allatus praecise thesim probet: « opera » enim Christi non ad sola miracula coarctanda sunt.

Ad n. 25, pag. 8, lin. 30: Exegesis hodie generatim apparitiones facto sepulcri vacui praeponit, quod et hic observetur, commutando duas in pag. 8, lin. 30 allatas rationes.

Ad n. 25, pag. 9,[15] lin. 1 sqq.: Legitur: « Non autem diffitendum est sublime signum divinum, ad quod humana ratio difficiliorem utique aditum habet, quod tamen humilibus corde, qui Spiritu Dei aguntur, plurimum splendere potest, esse ipsum Iesum Magistrum ». Haec valde placent. Tamen aliquomodo oppositio inter rationem et humilitatem apparere videtur. Unde in pag. 9, linn. 2-4 deleantur verba: « ad quod humana ratio difficiliorem utique aditum habet » et « tamen ».

Ad n. 27: Quae hic dicuntur, omnino servant, quae de convenientia signorum externorum et internorum retinenda sunt, et bene placent.

Ad n. 28: Forsan etiam hic considerandum est, quod alibi de cognitione Dei iam dictum est, scilicet: non a limine excludatur possibilitas, ipsam cognitionem divinae originis revelationis signorum in ordine concreto forsitan esse actum salutarem (ergo non mere naturalem) gratia iam excitatum. Propter talem considerationem verba in pag. 10,[16] lin. 9 posita: « praeparatur ac protegitur » forsan substituenda sunt per vocabulum illud: « fulcitur ».

---

[14] Cf. p. 322.
[15] Cf. p. 322.
[16] Cf. p. 323.

Ad Caput 5. *De Progressu Doctrinae*:

Doctrina hic proposita, bene aequilibrata, omnino placet. Locus huius capitis erit in fine sectionis de Christo Domino Veritate secundum dispositionem Constitutionis a me in initio commendatam.

Card. MARELLA: Placet, cum aliquibus emendationibus ab Em.mis Patribus, ab Exc.mo Ep. Conceptionis et a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum propositis.

Card. MEYER: Placet, cum quibusdam animadversionibus hic adiectis:

Ad cap. 4, n. 20, pag. 6,[17] lin. 37: Non clare patet sensus verborum « fruitione obscura ». Forte significant vel insinuant directam cognitionem vel experientiam SS. Trinitatis inhabitantis, et in hoc sensu exprimunt aliquid valde dubium, saltem relate ad fideles iustos qui non habent dona mystica (cf. John F. Dedek, *Experimental Knowledge of the Indwelling Trinity: An Historical Study of the Doctrine of St. Thomas,* Mundelein, 1958).

Ad cap. 4, n. 28: Haec paragraphus videtur non esse definitio doctrinae sed potius aliqua explanatio. Sed si intentio est *docere* vel *declarare* aliquid determinate, tunc admirationem excitat per verba lineis 14-15 « iudicio ex lumine divino procedente », nam sic definiretur ut dogma, quod iudicium credibilitatis non propositum est solummodo ut *doctrina certa.*

Ad cap. 5, n. 31: Ultima verba huius paragraphi (pag. 17,[18] linn. 4-5), « ut omnis, etc. » forsitan nihil aliud volunt dicere quam id quod verum est de omni actu magisterii Ecclesiae, i. e. agit et docet auctoritate Christi. Si tamen aliquid aliud vellent significare, bonum esset clarificare sensum eorum verborum.

Ad cap. 5, n. 32, lin. 30: Forsitan hic habetur error typographicus: « Immoderat*e* ad mira... feruntur » deberet legi?

Card. TRAGLIA: Placet; tamen perpendantur diligenter quae dicta sunt ab Em.mis Ruffini, Pizzardo, Meyer et a Rev. P. Magistro Generali O. P.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: i. e. nn. 17 et 18 clarius dicantur secundum ea quae dixit Em.mus Pizzardo.

Num. 31 (de progressu doctrinali) clarius videtur concipiendus. Fateri debeo me secundam partem huius paragraphi non intelligere.

---

[17] Cf. p. 321.
[18] Cf. p. 328.

Quoad primam partem huius paragraphi quaeri potest an in lin. 32 non melius legatur loco « *verum doctrinae progressum* » alia verba nempe: « *in doctrinae revelatae cognitione verum progressum peragi* ».

Card. OTTAVIANI: Placet.

Quae paraveram ut responderem eventualibus difficultatibus feliciter sunt inutilia, quia ego expectabam alias difficultates, quia haec Constitutio, praesertim, est Constitutio de modernis et actualibus doctrinis quae circumferuntur. Ideo timebam ne quis haberet difficultates circa quaedam, quae statuta sunt in ipsa Constitutione. Igitur abstineo me ab iis proferendis et libenter dico nos posse acceptare fere omnes observationes factas: deberent omnes nominari, ab Em.mo Card. Pizzardo, ab aliis Em.mis usque ad Cardinalem Alfrink, ad Exc.mum Archiepiscopum Silva et ad P. Browne etc. Certe Constitutio facta est stylo quodam professorali et igitur, sicut iam innui, debet quoad stylum et quoad claritatem evolvi et melius explicari, v. g. quando illud « de more », circa quod agit etiam Card. Ruffini; evidenter aliud volebat dicere Commissio quam quod videtur in ipsa scriptione. Igitur Commissio semper habebit prae oculis omnia quae heic tradita sunt. Vellem autem ut explicitius aliquid dicatur de gravissima quaestione, quam tetigit Em.mus Card. Pizzardo, quia est res fundamentalis in ipsa Constitutione. Vos vidistis in hac Constitutione fidei quendam progressum quoad definitionem Concilii Vaticani I, circa definitionem ipsius revelationis; circa hanc definitionem posset etiam igitur omitti illud incisum, quod est in principio, quod agit de obiecto fidei catholicae, quia hoc melius exprimitur in fine, sicut etiam dixit Em.mus Card. Ruffini, quando innuit ut addatur de communicatione divina veritatis, fide catholica credendae, quia in principio agitur solummodo de obiecto revelationis, de propositione quae fit ab Ecclesia Catholica ut sit fide catholica credenda: est expressum in posterioribus expositionibus; sed est res minoris momenti. Potius id quod maxime interest, ut Commissio habeat directionem in studiis prosequendis quod attinet ad ipsam definitionem utrum possimus tenere adhuc formulam: est locutio. Verum quidem est quod locutio fit etiam factis, sed ipsa facta, uti postea explicatur in ipsa Constitutione, egent plerumque explicatione verborum, doctrina qua ipsa facta interpretantur et sunt manifestatio veritatis. Ipsa facta multoties non de se loquuntur, sed simul cum doctrina seu cum verbis prolatis; ceterum ipsa definitio proposita est, habendo prae oculis illud S. Pauli « multifarie multisque modis olim locutus est Deus Patribus; novissime locutus est nobis in Filio suo »; locutus est in Filio suo non solum doctrina, sed etiam factis; sed ipse Christus, ut notatur in ipsa Constitutione, di-

xit de omnibus quae fecit: « mea doctrina non est mea », complectens in suo munere Magistri divinitus docentis etiam facta, sed plerumque explicavit etiam verbis. Sed intelligo etiam difficultatem factam ab Em.mo Card. Pizzardo et opportunum est ut aliquid explicitius dicatur, utrum prosequi possimus in ipso tenore definitionis aut potius mutandus sit.[19]

Card. Di Jorio: Placet.

Card. Roberti: Placet, ratione habita animadversionum quae peractae sunt.

Card. Jullien: Placet, iuxta animadversa a Patribus.

Card. Larraona: Placet, sed prae oculis habeantur quae Em.mi Pizzardo, Ruffini, Léger et Agagianian atque Exc.mus Archiepiscopus Conceptionis et Rev.mus P. Magister O. P. animadverterunt.

Card. Heard: Placet.

Card. Bea: Placet, sed corrigatur secundum ea quae dicta sunt ab Em.mis Patribus. Lingua latina videtur interdum esse corrigenda, interdum dictio satis contorta esse videtur. Pag. 8,[20] lin. 32 addi possunt aliqui textus biblici de valore probativo Resurrectionis.

Beat. Gori: Placet.

Beat. Cheikho: Placet.

Exc. Felici: Placet.

Exc. O'Connor: Placet.

Exc. Silva Santiago: Placet. Id est cum variis observationibus factis ab Em.mis Card. Ruffini, Pizzardo et a Magistro Generali O. P. Et etiam cum observationibus quas ego humiliter exposui.[21]

Exc. Antezana y Rojas: Placet iuxta modum: cum aliquibus emendationibus propositis.

Exc. Beras: Placet.

Exc. Lefebvre: Placet.

Exc. Perrin: Placet, ratione tamen habita de animadversionibus a Patribus factis.

---

[19] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[20] Cf. p. 322.
[21] Cf. pp. 334-336.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: desiderarem ut aliquae partes modo magis claro et saltem omnibus sacerdotibus intelligibili exponantur (v. g. nn. 18, 20). Auctores Schematis utique concretas falsas opiniones prae oculis habuerunt, sed textus non sunt ita clare compositi ut sensus harum falsarum opinionum omnibus innotescat.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones Patrum, praesertim quae se referunt ad n. 31, in pag. 16-17.[22] Hic numerus non est clarus, et locum dat ambiguitati.

Exc. BERNARD: Placet.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: varias scilicet animadversiones ab Em.mis, Exc.mis et Rev.mis Patribus factas.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de correctionibus et observationibus factis.

Exc. JELMINI: Placet.

Exc. SUHR: Placet.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: attentis observationibus a diversis Patribus prolatis.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis observationibus quas adiungo [23] et aliis in discussione praesentatis.

Rev. SÉPINSKI: Placet, introductis schemati aliquibus mutationibus:

Cap. 4:

1) Ad pag. 6,[24] linn. 34-39: textus reddatur magis clarus et perspicuus.

2) Ad pag. 9,[25] lin. 20: tollatur citatio Isaiae, quae sensum accommodaticium profert.

3) Ad pag. 9, lin. 29: pro verbo « vocationisque » proponitur verbum: « invitationisque ».

---

[22] Cf. p. 328.
[23] Cf. pp. 336-337.
[24] Cf. p. 321.
[25] Cf. p. 323.

4) Ad pag. 10,[26] lin. 6: conservetur ordo infra adhibitus: « Credere Deo, Deum, in Deum ».

Cap. 5:

1) Ad pag. 17,[27] linn. 4 et 5: textus « ut omnis doctrina ab Ecclesia tradita Christi Iesu auctoritate fulciatur » obscurus mihi videtur; melius « *Dei* auctoritate fulciatur ».

2) Ad pag. 17, lin. 30: scribatur: « immoderate ».

Rev. JANSSENS: Placet.

XIII

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Septima Congregatio: 22 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 6

DE DISTINCTIONE ET CONVENIENTIA ORDINIS NATURALIS ET SUPERNATURALIS

33. [*Deus auctor naturae et largitor gratiae*]. Cum, iuxta Scripturae sanctorumque Patrum doctrinam, « quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo »,[1] credit et profitetur Sacrosancta Synodus omnipotentem Deum, cuius essentia bonitas, hominem ab initio creasse ad imaginem et similitudinem suam eumque ad sui visionem beatificam vocasse per donum gratiae consequendam.

34. [*Magna hominis dignitas, qui natura sua ordinatur ad servitium Dei*]. Homo quidem, universitatis rerum visibilium caput et corona (cf. *Ps.* 8, 6-9) [2] utpote anima praeditus rationali, in qua imago Dei resplendet (cf. *Gen.* 1, 27),[3] sua ipsa natura ordinatur ad serviendum Deo eique cultum praestandum adorationis, amoris et laudis.

Voluit autem Deus, liberrimo suae voluntatis consilio, hominem ad consortium divinae naturae sublimare, ut qui natura potius est servus, adoptionis gratia esset filius, qui Creatorem suum coleret non solum tamquam Dominum, verum etiam tamquam Patrem, auctus virtute fidei, spei et caritatis, atque, exacto probationis tempore, ad vitam sempiternam in perfecta fruitione SS. Trinitatis perveniret.[4]

35. [*Mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem*]. Porro Sacrosancta Synodus dilectionis divinae mysterium agnoscens atque summas

---

[26] Cf. p. 323.
[27] Cf. p. 328.

grates largitori Deo rependens, fideles docet, tantum donum simul esse naturae humanae gratuitum et mire conveniens.[5]

Hominis quippe exaltatio in consortium divinae naturae per adoptionis gratiam, quae hisce in terris est aeternae gloriae quaedam inchoatio, excedit vires et exigentias humanae naturae, ideoque gratuitum Dei beneficium dicenda est, seu, ut aiunt Ecclesiae Doctores, sanctorum Patrum doctrinam sectando, donum supernaturale.[6] « Oculus non vidit, inquit Apostolus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum » (*I Cor.* 2, 9).

Eorundem tamen Patrum ac Doctorum praeeunte doctrina, agnoscenda est in humana natura non solum capacitas ad supernaturale hoc donum suscipiendum,[7] verum etiam admirabilis convenientia. Homo enim ad imaginem Dei creatus, naturale gerit desiderium quod in nullo bono finito ex toto quiescere potest,[8] atque Dei visione ultimam ac perfectam, qua adepta nihil remaneat appetendum, consequitur beatitudinem.[9]

36. [*Finis supernaturalis est unicus finis ad quem, etiam post peccatum, homo ordinatus manet*]. Ex summa vero benignitate qua nos Deus ad ordinem supernaturalem vocavit, illud enascitur, quod homo nonnisi unum habeat ultimum finem, ad quem ex Dei consilio, etiam post peccatum, ordinatus manet, quem finem si non attingat, etiamsi naturae bonis plurimum gavisus fuerit, nihil ei prodest, cum finem ne naturalem quidem attingat (cf. *Mt.* 16, 26).

37. [*Gratia perficit naturam*]. In supernaturali autem fine et ille naturalis, ad quem viribus suae naturae homo pertingere potuisset, continetur tamquam perfectibilis in perfecto, et ipsius bona naturae, quae caelesti statui congruunt, servantur ac perficiuntur. Etenim tantum abest, ut ordo supernaturalis naturalem ordinem destruat atque extenuet, ut, contra, eundem extollat atque perficiat,[10] eidem auxilium praestans ac eiusdem insitas capacitates complens.

38. [*Errores reprobantur*]. Igitur Sacrosancta Synodus tum eorum reprobat errores, qui, non apte inter ordinem naturalem et supernaturalem distinguentes, vocationem hominis ad statum gratiae et gloriae debitam esse naturae humanae, aut ei a Deo necessario concedendam asseverent; tum eorum, qui, naturalismo aut falso humanismo abrepti, eo usque ingrati exsistunt gratiae Dei, ut eadem dona aut spernant aut summe esse appetenda negent.

NOTAE

[1] S. LEO M., *Sermo* 12, 1: *PL* 54, 168. Huc faciunt omnes textus S. Scripturae qui de *reconciliatione, restitutione, renovatione* ... per Christum operata loquuntur, qui tamen omnes apte in verbis citatis S. Leonis perstringi videntur.

[2] Vide etiam *Sap.* 9, 2-3 et 10, 1-2; *Gen.* 1, 28-30; *Eccli.* 17, 1-2.

[3] Vide quoque *Eccli.* 17, 1; *I Cor.* 11, 7; *Col.* 3, 10.

[4] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.* 35 (1943), p. 232.

[5] Urgendi videntur duo limites veritatis catholicae circa mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem, nempe gratuitas et summa convenientia, extra quos limites manet tantummodo libertas erroris.

[6] Cf. damnatos errores Baii, prop. 21: DENZ. 1021; Paschasii Quesnel, prop. 35: DENZ. 1385; Synodi Pistoriensi, prop. 16: DENZ. 1516;

S. PIUS X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2103, necnon PII XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2318.

[7] S. PIUS X, Encycl. *Pascendi*: DENZ. 2103: « Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui ... in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam ».

S. AUGUSTINUS, *De Trin.,* XIV, 8, 11: *PL* 42, 1045: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest »;

ID., *De Trin.,* XIV, 4, 6: *PL* 42, 1040: « quia summae naturae capax est, et esse particeps potest, magna natura est [homo] ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 113, a. 10: « et quantum ad hoc, iustificatio impii non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiae capax, eo enim ipso quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam, ut Augustinus dicit »;

ID., *Summa Theol.,* III, q. 9, a. 2, ad 3: « Visio seu scientia beata est quodammodo supra naturam animae rationalis, in quantum scilicet propria virtute ad eam pervenire non potest; alio modo vero est secundum naturam ipsius, in quantum scilicet capax est eius, prout scilicet ad imaginem Dei facta est, ut supra dictum est [in corp. art.] ».

[8] S. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 1, 1: PL 32, 661: « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

S. THOMAS, *Summa contra Gent.,* III, c. 50: « Nihil finitum desiderium intellectus quietare potest ».

[9] S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* XII, 1, 3: *PL* 41, 349: « ...in tanta excellentia creata est [rationalis natura], ut ... [non] expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 3, a. 8: « Ultima et perfecta beatitudo non potest esse nisi in visione divinae essentiae »;

Ibid., I-II, q. 2, a. 8: « Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato ».

Eadem recinunt auctores qui de hominis fine ultimo, qui totaliter quietet appetitum, loquuntur idem adhibentes S. Thomae argumentum.

[10] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206.

CAPUT 7

DE SPIRITISMO ET NOVISSIMIS

39. [*Praxis perniciosa Spiritismi*]. Inter multiplices huius temporis errores, fidem atque animos christifidelium conturbantes, recolendus est etiam Spiritismus, quo cum spiritibus vel animabus separatis sensibilis communi-

catio humana industria provocari intenditur ad varias notitias vel auxilia consequenda. In sacris autem litteris gravissima obiurgatione redarguuntur tum qui superstitionem divinationis, veneficii, magiae et evocationis animarum vel spirituum exercent, tum qui ad eos consulendos declinant iisque fidem accommodant. « Nec inveniatur in te, [ait Dominus Deus], qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus ».[1] Apostolica vero Sedes non praetermisit variis suis magisterii documentis huic malo occurrere.[2] Cum autem late in societate serpere atque in dies diffundi superstitionem hanc perniciosissimam innotescat, Sacrum Concilium divina Lege omnino prohibitum esse declarat, utpote peccatum grave contra religionem, velle tum animas mortuorum seu « desincarnatas » ut aiunt evocare, tum perceptibilem cum quibuscumque aliis spiritibus communicationem ad quemcumque finem consequendum provocare, sive id fiat privatim in domibus, aut publice in sessionibus ad id destinatis; sive per tabulas rotantes, per scripturam automaticam seu « psychographiam » ut dicunt, per locutiones, auditiones et visiones, vel quocumque alio modo; etiamsi habeatur intentio sese dirigendi ad solos spiritus bonos et tota res speciem honestatis, pietatis atque religionis praeseferat. Vetat insuper omnes christifideles, ne vel ex mera curiositate sessionibus spiritisticis aut aliis eiusdem generis coetibus intersint aut quocumque modo faveant.

40. [*Praxis superstitiosa et magica*]. Abstineant etiam fideles ab astrologia seu horoscopia, et ab omni alia divinatione superstitiosa. Horrore quoque Sacra Synodus advertit plures qui se christianos dicunt, tanta erroris caligine esse obnubilatos, ut aliis pavorem iniiciant suis maleficiis, veneficiis vel sussurris magicis. Non desunt autem qui, ut a commenticiis istis malis se tueantur, ad non minus fictas vias, vanas artes et superstitiosas orationes confugiant. Sciant ergo fideles ex Scripturis Sacris Sanctorumque Patrum doctrina constare daemones nihil omnino in homines posse nisi permittente Deo, cuius supremo imperio omnia subiiciuntur. Agnoscant autem paternam de hominibus curam Dei, qui Angelos suos ad nostram custodiam mittere dignatur. Dei enim Providentia datum est hoc negotium Angelis ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint ne gravius aliquod detrimentum accipiant.[3]

41. [*Falsae doctrinae Spiritismi*]. Spiritismus insuper etiam ut ideologia quaedam, immo et ut religiosa persuasio propagatur. Effata vero quae spiritismi cultores nomine spirituum vel animarum separatarum cum hominibus tradi contendunt, plane saepe christianae doctrinae adversantur. Quamvis non omnes eandem doctrinam praedicent, in ratione reincarnationis animae atque pluralitatis terrestris vitae perplures non solum spiritisticae sectae conveniunt, sed etiam haud paucae theosophicae, esotericae vel occultisticae, quae perniciose animas a veritate catholica avertere novissimis hisce temporibus satagunt. Ipsius animae longam evolutionem ac praeexsistentiam do-

cent; unicitatem corporalis exsistentiae necnon iudicium particulare ac definitivum statim post mortem denegant; Christum Redemptorem nostrum infitiantur, unumquemque asserendo ope repetitae in corpore vitae sui ipsius esse redemptorem; omnes salvos fieri tuentur post tot ac tantas animae reincarnationes, ideoque aeternitatem inferni impugnant; corpus denique ut merum temporale instrumentum pro animae purificatione considerant, atque finalem omnium negant resurrectionem cum propriis corporibus. Longe tamen multumque omnia haec a vera Christi doctrina absunt.

42. [*Damnatur reincarnatio*]. Ne ergo Christifideles serpentibus istis erroribus seducantur, aliam atque aliam animae reincarnationem exspectantes, haec Sacra Synodus divinitus revelatam veritatem esse sollemniter declarat: [4] Unam tantum esse hominis exsistentiam in corpore ante finalem et communem resurrectionem. Haec est enim de sorte hominis fides catholica: post mortem, quae est vitae terrestris terminus, mox singulis ad Dei tribunal sistendum est, « ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum » (*II Cor.* 5, 10). Omnes igitur, qui cum personali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi, cruciatus gehennae, in qua nulla est redemptio, aeternos sustinebunt. Qui vero in caritate Dei decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animae poenis purgatorii post mortem purgabuntur. Illorum denique animae, qui post baptismum nullam omnino maculam incurrerunt, aut post contractam maculam sive in corpore sive post mortem purgati sunt, mox in caelum recipientur, atque Deo uno et trino sine intermissione in omnem aeternitatem perfruentur.[5]

NOTAE

[1] *Deut.* 18, 10-12; vide insuper *Lev.* 19, 31 et 20, 6; *Is.* 8, 19-20; *Ier.* 27, 9; *Act.* 8, 9-23 et 16, 16-19 et 19, 13-20; *Gal.* 5, 20; *Apoc.* 21, 8.

[2] Praeter documenta antiquiora ALEXANDRI IV, *Quod super nonnullis,* 27 sept. 1258; IOANNIS XXI, dicti XXII, *Super illius,* anni 1326; INNOCENTII VIII, *Summis desiderantes,* 5 dec. 1484; LEONIS X, *Supernae dispositionis,* 5 maii 1514, *Honestis petentium,* 13 febr. 1521; SIXTI V, *Coeli et terrae,* 5 ian. 1585; GREGORII XV, *Omnipotentis Dei,* 20 mart. 1623; URBANI VIII, *Inscrutabilis,* 11 apr. 1631, conferas imprimis Encycl. S. Officii *de magnetismi abusu,* 4 aug. 1856: *A.S.S.* 1 (1865), pp. 177-178: DENZ. 1653-1654; Responsionem S. Officii 24 apr. 1917: *A.A.S.* 9 (1917), p. 168: DENZ. 2182; *C.I.C.*, can. 1399, 7°. De spiritismo et rebus annexis in Vaticano I, vide MANSI 53, 773; *CL* VII, 784.

[3] Cf. *Catech. Conc. Trid. ad Parochos* IV, 9, 4.

[4] De Patribus Scriptoribusque ecclesiasticis, unanimi consensu reicientibus transmigrationem animarum, tamquam rationi fideique contrariam, cf. A. BUKOWSKI, S. I.: *Le réincarnation selon les Pères de l'Eglise,* in: *Gregorianum,* 9 (1928), pp. 65-91; et: *L'opinion de Saint Augustin sur la réincarnation des âmes, ibid.,* 12 (1931), pp. 57-85.

[5] Cf. BENEDICTUS XII, *Benedictus Deus,* 29 ian. 1336: DENZ. 530; *Conc. Lugdunense II*: DENZ. 464; *Conc. Florentinum*: Decr. *pro Graecis*: DENZ. 593; *Conc. Tridentinum,* Decr. *de iustificatione*: DENZ. 807 et 840, coll. 906.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

In capitibus quae sequuntur stylus fortassis aliquatenus melior est et clarior. In praecedenti Constitutione admitto reapse latinum esse difficilem et iam difficiles esse conceptus ibi expressos, propterea quod praesertim debebant in lingua latina exprimi conceptus modernismi qui sparguntur in libris, qui sunt considerati in ultimis temporibus. Puto difficultatem tamen semper posse solvi, ex eo quod nos sumus solliciti habendi placitum Commissionis Centralis quod attinet ad doctrinam et habendi etiam illas formulationes, ameliorationes, explicationes quae utiles sunt. Certe postea debebit procedere labor quidam non solum ipsius Commissionis in redigendo modo clariore et correcto, iuxta indicationes factas, textum Constitutionis, sed etiam latinistarum qui iuxta stylum Curiae debebunt, iuxta stylum etiam conciliarem, perficere opus. Quod attinet autem ad spiritismum, vellem quod maneat illa pars, quia sunt magna damna quae fiunt, praesertim in America Latina. Nos scimus fieri permixtionem religionis cum spiritismo. Reapse, si consideramus v. g. pseudo-religionem et superstitionem spiritisticam illorum populorum (in republica Haitiana praxim « voodoo »), intelligitur cur Episcopi debuerunt etiam quasdam sanctiones statuere quoad illos qui non sunt baptizandi quia sunt sub influxu superstitionis « voodoo », spiriticae insimul. In America Latina, in quibusdam urbibus salae spiriticae intitulantur Sanctis: « Sala spiritica S. Cordis », « Sala spiritica S. Theresiae a Iesu infante » et visae sunt a testibus. Igitur opportunum erit in hac re melius et clarius loqui, sed libenter accepto etiam quod dixit Em.mus Card. Decanus quod etiam pro cultis populis, sicut sumus hic in Europa, saltem hic in Italia superstitio est reprimenda, v. g. de amuletis, de formulis etc. quae sunt non minus damnosa unitati religionis. Et etiam quod dixit Em.mus Card. Decanus inseratur quod in multis etiam sunt « trompeurs », sunt qui abutuntur bona fide et ii dolo faciunt ea quae sub nomine spiritismi veniunt et etiam hoc deberet mitti in ipsa Constitutione. Ceterum alias explicationes dabit lectio nunc eorum quae iam parata sunt.[1]

Exc. FELICI:[2] Caput VI: *De distinctione et convenientia ordinis naturalis et supernaturalis.*

---

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[2] Exc.mus Secretarius Generalis legit relationem Card. Ottaviani.

Insertio huius capitis in schemate Constitutionis superflua videri nequit. Nam, etsi Conc. Vatic. I plura de distinctione mutuaque concordia inter fidem et rationem declaraverit (sess. III, cap. 3), et in Litt. Encycl. *Pascendi* moniti fuerint catholici homines, qui in natura humana non capacitatem solum et convenientiam admiserant ad ordinem supernaturalem, sed germanam verique nominis exigentiam, tamen non defuerunt nostris temporibus fautores sic dictae « novae theologiae », qui, iuxta verba Encycl. *Humani generis,* « veram *gratuitatem* ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet ».

Proinde peropportunum visum est urgere duos limites veritatis catholicae circa mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem, extra quos limites manet tantummodo libertas erroris.

De gratuitate et summa convenientia agitur in paragr. 33, 34 et 35; in paragr. autem 36 veritas summi momenti revocatur in mentem fidelium, immo et omnium hominum, nempe: finem supernaturalem esse unicum finem ad quem, etiam post lapsum, homo ordinatus manet. Consequenter edocentur homines, absque auxilio gratiae, nequidem felicitatem naturalem perfectam, sive in praesenti sive in futura vita, consequi posse; at insimul ipsis promittitur adimpletionem etiam naturalium desideriorum ex Dei fruitione eminenter assequi posse.

Uti patet, istae veritates convenienter in Concilio Vaticano II proponentur, contra dilabantes errores naturalismi, falsi humanismi et materialismi athaei.

Commissio autem theologica, quae approbavit tertiam redactionem huius schematis, spem nutrit sufficienter obvenisse votis expressis a quibusdam Exc.mis Episcopis vel Superioribus generalibus, qui petierunt ut « Tractetur de ordine supernaturali et declaretur eius distinctio ab ordine naturali »; ut « Transcendentia et gratuitas ordinis supernaturalis denuo asseratur », cum « Nimis extollatur nostris temporibus ordo naturalis »; et etiam ut detur « declaratio doctrinalis de supernaturalis gratuitate ac de supernaturalis transcendentia » (*Acta,* Append. vol. II, pag. 123-124).

Caput VII: *De Spiritismo et Novissimis.*

A tempore Concilii Vaticani I, in cuius Actis etiam de spiritismo et rebus annexis peractum fuit, pluries Apostolica Sedes, sive per Supremam S. C. Sancti Officii, sive per ipsum Codicem Iuris Canonici (can. 1399, n. 7°) de rebus quae superstitione aut divinatione aut daemonum invocatione sapiunt, provvidas instructiones vel responsiones dedit.

Quia vero perniciosa praxis magiae ac spiritismi, et falsae doctrinae

tum spiritismi tum sic dictae « reincarnationis », praesertim in quibusdam nationibus catholicis Americae meridionalis, in dies diffunduntur cum magno puritatis fidei integritatisque morum nocumento, urgens necessitas habetur in Constitutione de deposito fidei pure custodiendo etiam caput de spiritismo et de aliis rebus similibus inserere.

In paragrapho autem 42 Constitutionis nostrae breve compendium exhibetur doctrinae catholicae de Novissimis, qua errores plurimi indirecte, at efficaciter, damnantur, scilicet tum spiritistarum tum eorum, qui adhaerent sectis theosophicis aut esotericis vel occultisticis, quibus fere omnibus commune est profiteri reincarnationem animae atque pluralitatem vitae terrestris.

In mentem autem fidelium memoriam de Novissimis revocare res summi momenti dicenda est, ob ingravescentes errores atque inundantia vitia, quae cogitationem hominum ad malum pronam faciunt ac corda eorum avertunt a rebus aeternis et a felicitate vitae futurae.

De cetero, haec pars Constitutionis provvida visa est pluribus Exc.mis Episcopis, qui efflagitarunt ut in Concilio damnentur spiritismus, metempsychosis, superstitio, veneratio quasi paganistica B. V. M. et aliorum Sanctorum, quae viget in quibusdam regionibus, praesertim in America meridionali, partim etiam in aliquibus civitatibus Europae (*Acta,* Append. vol. II, pag. 230).

Praesens schema, sicut cetera, postquam repetito examini membrorum Subcommissionis subiectum fuit, hodie offertur iudicio Commissionis Centralis, praevia approbatione omnium membrorum Commissionis Theologicae.

Card. OTTAVIANI: Vellem addere me nunc agere non tanquam Praesidem Commissionis Theologicae, sed tanquam Membrum Commissionis Centralis. Putarem non sufficienter dicta esse ea quae de novissimis habentur, praesertim quia omissae sunt quaestiones de spiritismo, theosofismo etc. Iamvero ego puto Concilium Oecumenicum Vaticanum II debere in hac re maxime insistere, quia hodie sumus in temporibus in quibus de novissimis non vult amplius esse consideratio. Immo etiam in publica praedicatione evitantur argumenta quae novissima respiciunt, in exercitiis spiritualibus aliqua immutatio facta est, et ego puto hanc esse rationem quia mores populi christiani dilabuntur de die in diem.[3]

[3] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Ruffini: Pag. 5,[1] lin. 9 et seqq.: iterari mihi videntur quae numero praecedenti (33) iam dicta sunt.

Pag. 6,[2] linn. 15-18: cavendum est ne visio beatifica naturae humanae quodammodo *debita* appareat.

Pag. 6, lin. 27: « finem ne naturalem quidem attingat »; ante verbum *attingat,* ponerem adverbium « plene ». Similiter in lin. 33 ante « servantur » ponerem « plene ».

Pag. 10,[3] linn. 16-20 textum sic mutarem: « qui Angelis suis mandavit ut custodiant genus humanum, singulisque hominibus praesto sint ut eos protegant ».

Pag. 10, linn. 21-23: « insuper ut *ideologia* quaedam, immo ut *religiosa persuasio* propagatur »; dixerim brevius: « insuper ut quaedam religio propagatur ».

Pag. 10, linn. 27 et seq.: « aut post contractam maculam... sive *post mortem* purgati sunt », vere post mortem purgari possunt tantummodo peccata lethalia iam in hoc mundo remissa et nondum sufficienter expiata et culpae veniales.

Card. Léger: Pag. 5, lin. 6: Utrum formula illa implicat quod homo fuit creatus, et quidem in primo momento, in statu elevationis seu gratiae? Num clausula « ab initio creasse » afficit solum primum membrum, scilicet « ad imaginem et similitudinem suam », quod quidem posset significare solam conditionem intellectualem hominis? An illa clausula afficit etiam secundum membrum, scilicet « eumque ad sui visionem beatificam vocare »? In primo casu non dirimeretur quaestio, libera relicta in Concilio Tridentino, scilicet utrum homo fuerit elevatus ad ordinem supernaturalem *statim* in momento creationis, an solum *paulo postea?* In secundo casu, dirimeretur quaestio in favorem sententiae *thomisticae,* scilicet quod homo fuit immediate creatus in statu gratiae, in ipso momento creationis. Ideo duo notare intendimus: 1) forsan expressio posset esse clarior, ut bene sciamus quaenam sit intentio Concilii relate ad duplicem interpretationem supra datam. 2) Videndum est utrum sit opportunum definire interpretationem *thomisticam contra scotisticam*: fatendum est quod interpretatio thomistica videtur conformior traditioni et quod videtur multo communior.

---

[1] Cf. p. 347.
[2] Cf. p. 348.
[3] Cf. p. 350.

Pag. 5,[4] linn. 29-30: Optime exprimitur relatio inter naturam et gratiam, quando dicitur quod gratia est simul gratuita et mire conveniens.

Pag. 6,[5] lin. 3: Ad excludendam omnem subtilitatem in falsa interpretatione huius textus, forsan opportunum esset addere vocem « omnes » ante « exigentias », ita ut clare appareat gratiam excedere omnes naturae humanae exigentias, sive stricto sive lato sensu intelligatur exigentia.

Pag. 6, linn. 14-15: Schema affirmat factum scilicet quod adest in homine naturale desiderium relate ad visionem beatificam. Quae quidem doctrina clare apud Patres et apud theologos invenitur. Valde utile esset, si aliquo modo saltem Concilium explicationem afferret ad ostendendum quomodo conciliari possunt illud desiderium naturale ex una parte et, ex altera parte, gratuitas visionis beatificae. Illa enim quaestio valde nunc agitatur apud theologos. Textus schematis non videtur ullam praecisionem novam adhibere relate ad hoc problema.

Pag. 6, linn. 25-27: Illa doctrina plene valet de adultis. Quoad infantes enim, qui sine baptismo decedunt, distinguendum esset: illi enim non attingunt finem suum, finem scilicet unicum qui est finis supernaturalis in praesenti oeconomia, et, hoc sensu, illi dicuntur damnati; nihilominus, illi gaudent illis bonis naturalibus quae finem naturalem constituerent, si Deus hominem creasset in statu naturae purae.

Card. Richaud: Non mihi videtur astrologiam ut sic (in n. 40, pag. 10,[6] lin. 4) damnari posse ut semper et absolute superstitiosam. Abusus utique damnandi sunt, sed ipse S. Thomas admittebat influxum corporum coelestium in homines. Textus numerosi citari possent (*S. Theol.* Pars I^a, q. 114, art. 3 ad art. 6; *S. Theol.* Pars Prima Secundae, q. 9, art. 5; *Summa contra Gentiles,* cap. 84 ad cap. 87).

Influxus coeli, vulgo « climat », evidenter admittitur; item influxus radio-activitatis.

Nihil impedit quominus in futurum influxus corporum quorumdam coelestium scientifice magis determinetur.

Caute procedendum est, humillimo meo sensu, in hoc puncto de Astrologia.

Card. Döpfner: Ad Caput 6. *De ordine naturali et supernaturali*:

Caput praeiacens « De ordine naturali et supernaturali » placet. Nam bene servat dominium Dei eiusque libertatem in elevando hominem.

---

[4] Cf. p. 348.
[5] Cf. p. 348.
[6] Cf. p. 350.

Etiam unitatem realem amborum ordinum magnifice monstrat, affirmando unicum existere finem et quidem supernaturalem huncque finem modo quodam eminenti finem naturalem continere.

Inseratur caput, post caput de Creatione, secundum insinuationem a me initio totius Constitutionis propositam.

Ad Caput 7. *De Spiritismo et Novissimis*:

In Capite 7 quaedam adhuc perficienda desiderantur. Longe et aliquando nimis longe spiritismus, superstitio, magia et reincarnatio tractantur. Certo haec omnia quibusdam in partibus mundi influxum exercent in dies crescentem nec reliquae partes mundi ab eis immunes sunt. Ita iam multi ad falsas exspectationes de rebus occultis seducuntur. Ne tamen obliviscamur maiorem illum et ubique terrarum sparsum errorem, quo non solum exspectationes singulorum hominum, sed saepius ipsa structura societatis inficiuntur! Hic error in eo consistit, quod permulti quaerunt felicitatem et ultimam perfectionem societatis humanae in beatitudine quadam huic mundo immanenti, scilicet in perfectione oeconomica, technica, civili, culturali. Compertum est quomodo Communismus divulgatione talis beatitudinis religionem e medio tollere conetur; tamen etiam in parte libera mundi propter liberalismum profanum multi tali spe inani decipiuntur.

Contra hos perniciosos errores statuatur fides catholica de Novissimis, non solum quoad individuum (uti iam in n. 42 fit), sed etiam quoad totam humanitatem. Praesertim eschatologia universalis in vitam spiritualem fidelium hodie saepius non illum influxum exercet, qui ei competit. Unde verbum dicatur de magnis illis veritatibus, quae praecipue spem christianam fovent et nutriunt, scilicet de « omni creatura libertatem gloriae filiorum Dei exspectante » (cf. *Rom.* 8, 18-23), de parousia Christi Domini, de Regno Dei perficiendo et a Christo Patri tradendo, quo facto erit « Deus omnia in omnibus » (cf. *I Cor.* 15, 24-28).

Caput 7 ergo fere ita forsan componi poterit:

Demonstrentur primo pericula, quae fidelibus hodie a falsis illis exspectationibus minantur. Reiiciantur utique etiam spiritismus, magia, superstitio, reincarnatio. Eligatur tamen forma brevior, quae in aequa relatione cum tota Constitutione stet. Nam sufficit dare clara et bona principia, ex quibus aptae applicationes postea in edocendo populo christiano evolvi poterunt. Tunc inculcentur veritates fidei, primo eschatologia individualis, sequenti demum loco eschatologia universalis et sic Caput (et secundum novam distributionem capitum a me commendatam: ipsa Constitutio) convenienter finietur.

N. B.: Ad pag. 9,[7] lin. 22: loco « peccatum grave contra religionem » melius fortasse dici poterit: « offensionem gravem contra fidem », cum agatur non de actu subiectivo diiudicando, sed de obiecto in se malo et lege prohibendo.

Rev. BROWNE: Nonnisi paucissima habeo dicenda circa istud schema, quod bonum est. In cap. 6, n. 34, pag. 5,[8] lin. 23, ad maiorem exactitudinem loco « exacto probationis tempore, ad vitam sempiternam in perfecta fruitione SS. Trinitatis perveniret », dicerem « ad vitam sempiternam in perfecta possessione et fruitione Dei unius et trini perveniret ». Ibi ponatur possessio in fruitione. Haec quaestio est discussa inter theologos in quo consistit essentia vitae aeternae, unde utrumque esset ponendum. Tunc pag. 6,[9] lin. 2, insererem unum verbum; phrasis est: « Hominis quippe exaltatio in consortium divinae naturae per adoptionis gratiam, quae hisce in terris est aeternae gloriae quaedam inchoatio »; exactius, credo, dicerem « quae hisce in terris est vitae aeternae gloriae quaedam inchoatio », potius quam inchoatio ipsius gloriae. Tunc in pag. 11,[10] n. 42, linn. 20-21, dicitur sic vere sed modo valde severo: « Omnis igitur, qui cum personali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi, cruciatus gehennae, in qua nulla est redemptio, aeternos substinebunt »; verissimum est, sed forsitan potest sufficere dicere: « Omnis igitur, qui cum personali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi, poenas gehennae aeternas sustinebunt » est omittendum verbum « in qua nulla est redemptio ».[11]

Card. OTTAVIANI: Antequam ad suffragia deponenda procedatur velim manifestare meam mentem circa ea quae dicta sunt, quae quidem non faciunt difficultatem ipsi Commissioni. Tetigit Em.mus Card. Léger subtiliter duo problemata, quae reapse in ipsa Constitutione relinquuntur insoluta. Fortasse quod attinet ad primum problema, quod respicit ipsam creationem hominum et momentum elevationis hominum ad ordinem supernaturalem status gratiae, poterit ameliorari expressio, ita ut, non sit sicut videtur nunc stare, quod faveat uni determinatae opinioni, sed studium Commissionis fuit relinquere insolutas quaestiones, quae adhuc tractantur in scholis ne habeatur quasi participatio Concilii ad sententias unius scholae vel alterius. Igitur necesse fuit, videtur saltem, non

---

[7] Cf. p. 350.
[8] Cf. p. 347.
[9] Cf. p. 348.
[10] Cf. p. 351.
[11] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

dirimere quaestiones. Quod attinet vero ad eschatologiam socialem, ego intelligo praeoccupationes Em.mi Card. Döpfner, quia etiam Ecclesia debet aliquid proponere hominibus, quod attinet etiam ordinem naturalem, sed etiam semper dicitur quod praxis vitae supernaturalis non opprimit vitam naturalem, sed elevat etiam vitam naturalem etiam in sua felicitate naturali. Quod vero attinet ad eschatologiam de quo agitur in ipsis Sanctis Evangeliis et in caeteris Litteris Sacris, in S. Petro praesertim, agitur de re quae respicit non actualem humanitatem. Igitur quando erunt novi coeli et nova terra non est id quod obtinetur ab actuali humanitate. Nescimus quid Deus paraturus sit. Igitur mihi videtur Concilium non posse praeoccupare quaestionem. Tamen conceptum quendam propositum ab Em.mo Card. Döpfner potest accipi et inseri pro auxilio quod religio, quod fides dat etiam pro felicitate naturali.[12]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet. Ad cap. 6. *De ordine naturali et supernaturali*: In numero tricesimo quinto (pag. 6,[1] lin. 10 et ss.) sermo est etiam de desiderio naturali. Attenta magna controversia *de re*: ea quae dicuntur non videntur nec clara neque sufficientia.

Card. ALOISI MASELLA: Valde opportuna et necessaria retineo praesertim ea quae in schemate exponuntur de spiritismo, qui fidem et animos fidelium conturbat: proposito dubio respondeo: placet.

Card. FERRETTO: Placet.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: in capite septimo mihi videtur quod monitio de astrologia (pag. 10,[2] art. quadragesimo) non deberet includi inter duos articulos de spiritismo tractantes (art. 39 et art. 41). Ibi inserta aliquo modo patitur. In forma sua « Abstineant fideles... » monitio est, non condemnatio, et merito quia S. Thomas ipse non denegabat astrorum influxum. Spiritismus autem damnatur (art. 41) et in ista condemnatione misceri videtur astrologia.

Card. TAPPOUNI: Placet.

---

[12] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.
[1] Cf. p. 348.
[2] Cf. p. 350.

Card. COPELLO: Placet. Habeatur ratio de eis quae dixit Em.mus Card. Ottaviani.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: habita ratione animadversionum ab Em.mis Patribus et Rev.mis Patribus prolatarum. Distincta et fusior tractatio fiat de Novissimis.

Card. MCGUIGAN: Placet, ratione tamen habita dictorum a Patribus huius Commissionis Centralis, praesertim Em.mi Relatoris ac Superioris Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet, etiam statuatur finem supernaturalem esse non tantum pro omnibus hominibus sed socialiter pro toto humano genere.

Card. FRINGS: Placet. Loco superscriptionis capitis 6 « De distinctione et convenientia ordinis naturalis et supernaturalis » melius dicatur « De distinctione et connexione... ».

N. 37 corrigatur « abset » in « abest ».

Caput 7 placet, sed impossibile videtur id ponere in hac constitutione dogmatica, quia corrumpit connexionem inter antecedentia et subsequentia. Formetur speciale decretum de hac re magni momenti praesertim pro America Latina.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3]

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet adhaereo observationibus Em.mi Card. Ottaviani circa maiorem explicationem de Novissimis; Em.mi Ruffini circa pag. 6,[4] n. 35, linn. 16-18; Em.mi Léger circa pag. 5,[5] n. 33, lin. 5; Em.mi Richaud circa pag. 10,[6] n. 40, lin. 4.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet, adiecta illa quae admissa sunt ab Em.mo Relatore circa dicta ab Em.mis Ruffini et Léger.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: [7] habita ratione praesertim de iis quae ab Em.mo Döpfner dicta sunt; etenim nostra generatio quaerit beatitudinem in applicatione quotidiana technicarum et sperat mundum perfectum ab hominibus organizatum a principiis liberalismi et oeconomiae marxistarum.

Card. MONTINI: Placet.

---

[3] Cf. p. 355.
[4] Cf. p. 348.
[5] Cf. p. 347.
[6] Cf. p. 350.
[7] Cf. pp. 355-356.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ratione habita observationum a praeopinantibus prolatarum. Pauca insuper addam. In subtitulo numeri 42, loco « Damnatur reincarnatio » melius diceretur « Damnatur doctrina reincarnationis ». Adnoto etiam incongruentiam quamdam in Capite 7. Eius titulus generalis est « De spiritismo et Novissimis ». At de Novissimis nullus est subtitulus. De eis brevissime sermo est in fine citati numeri 42. Melius igitur esset novum numerum addere (n. 43) proprie « De Novissimis », de quibus, ut Eminentissimus Ponens declaravit, amplius ibi opportune tractaretur.

Card. GODFREY: Placet, ad mentem Eminentissimi Cardinalis Ottaviani. Placet aliqua addere: Superstitio hodie est multum divulgata et multi adhaerent praxi spiritismi: inde bene Concilium agit hac de re. Quod dixit Eminentissimus Relator de negligentia imo negatione doctrinae Catholicae verissimum est. Commune est apud nos ut negentur existentia inferni et existentia diaboli. Uti scimus, Romani Pontifices solemniter monuerunt praedicatores ne negligant doctrinam de gehenna. Opportunum ergo quod dixit Schema hac de re. Archiepiscopus Anglicanus actualis recenter locutus est sensu pure modernistico, meo-iudicio, de Novissimis.

Card. CONFALONIERI: Placet. Notentur tamen quae dicta sunt ab Em.mo Card. Richaud circa astrologiam.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: attentis verbis Em.mi Card. Léger et relate ad ea quae dixi de astrologia.[8]

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: fusius exponantur quae de novissimis agunt (cf. Card. Ottaviani). Pag. 9,[9] lin. 20 sequentes: damnatio spiritismi, religionis falsae, ita fiat ne videatur includere inquisitionem scientificam quam parapsychologiam vocant. Et distinguatur ab iis quae leguntur interdum in vita Sanctorum de hac materia (cf. Don Bosco).

Card. DÖPFNER: Cap. 6: placet. Cap. 7: iuxta modum, i. e. secundum ea, quae dixi.[10]

Card. MARELLA: Placet iuxta declarationes Em.mi Relatoris et alias emendationes ab Em.mis Patribus propositas.

---

[8] Cf. p. 356.
[9] Cf. p. 350.
[10] Cf. pp. 356-358.

Card. MEYER: Placet cum parva animadversione hic adiecta. Ad caput 6, n. 33: Textus huius capitis valde difficilis intellectu est quoad latinitatem ipsius (saltem primo intuitu).

Porro si datur aliqua vera consequentia logica inter protasim huius propositionis, scil. « cum... in secundo », et apodosim « credit et... consequendam », sensus videtur esse quod Deus intuitu Redemptionis Christi creavit hominem et vocavit eum ad finem supernaturalem. Hic autem sensus excitat admirationem. Ideo sensus intentus huius capitis fortasse posset clarificari.

Praeterea, verba « ab initio creasse » probabilius significant « ab initio existentiae suae » et non « ab initio mundi », sed posset haec expressio clarificari.

Card. TRAGLIA: Placet: perpendantur quae dicta sunt a nonnullis Patribus.

Card. ALFRINK: Placet cap. 6. Non placet cap. 7. Materia in cap. 7 tractata (de spiritismo etc.) pro nostra regione vix necessaria est vel utilis. Si pro certis Ecclesiae partibus determinatis necessaria est vel utilis, forse melius non a Concilio Oecumenico promulgetur, sed a Dicasterio Romano ad quod pertinet, vel ab Episcopis illarum regionum. Cap. 7 potius de doctrina Ecclesiae de Novissimis agat fusius.

Card. OTTAVIANI: Placet cum animadversionibus factis.

Card. DI JORIO: Placet, attentis animadversionibus a Patribus prolatis et praecipue quae ab Em.mo Relatore de Novissimis dicta sunt.

Card. ROBERTI: Placet, attentis animadversionibus porrectis praesertim ab Em.mo Richaud de astrologia et ab Em.mo Döpfner de hominum felicitate praesertim aeterna, et de novissimis in quibus mea humili sententia hodie maxime insistendum puto.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: duo animadvertenda censerem:

1) Quod attinet ad verba Deuteronomii « nec *quaerat a mortuis veritatem* » pag. 9,[11] lin. 15: haec, inquam, verba, aut deleantur, aut addatur brevissimis verbis sub fine paragraphi 39: quod Ecclesia non prohibet, immo nos incitat, ut preces effundamus pro nostris mortuis, parentibus, amicis, ut, per eorum intercessionem, Deus nos adiuvet ad veritatem inveniendam, ad recte agendum, etc.

---

[11] Cf. p. 350.

2) Ad pag. 10,[12] lin. 3, censerem delendum esse verbum *astrologia,* nisi clare enucleetur.

Enimvero, teste Sancto Thoma, quem allegare in hoc sacro consessu, maximo honori mihi duco « quamvis voluntas hominis non sit subiecta necessitati astrorum, alioquin periret liberum arbitrium; tamen non est inconveniens (secundum aliquas occultiores stellarum observationes circa corporales effectos), uti astrorum iudicio » (*De iudiciis astrorum,* Opusc. Theol. I, p. 155, ed. Verardo, Marietti, 1954). Et sane utile valde esset si pro adiunctis nostrorum temporum adderentur plura alia de novissimis, uti Em.mus Cardinalis Ottaviani dixit.

Card. LARRAONA: Placet iuxta Patrum observationes et in primis Em.mi Ottaviani circa Novissima de quibus expresse et plenius loquendum est.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: Schema hodie summi est momenti praesertim propter humanismum modernum, sed deberet perfici magis habita ratione hodiernorum errorum etiam circa ordinem naturalem ut iam notaverunt Em.mi Card. Döpfner et Léger. Caput de Novissimis melius coniungatur cum Cap. 6; agitur de ultima consummatione ordinis supernaturalis. De Spiritismo non opus esse videtur adeo diffusa tractatio, neque miscenda res cum aliis formis superstitionum. Pag. 11,[13] de *aeternitate* poenarum inferni magis clare loquatur.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe prae oculis habitis animadversionibus Em.mi Card. Döpfner et aliorum Patrum.

Beat. CHEIKHO: Placet.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet.

Exc. SILVA SANTIAGO: Cap. 6: Placet: oporteret in ordine supernaturali magis insistere, nam necesse est, praesertim his materialismi temporibus, omnes homines reminisci creatos a Deo et ad ordinem supernaturalem elevatos fuisse ac gratuito gratiae dono ad beatitudinem Dei assequendam indigere.

Cap. 7: Placet iuxta modum:

a) Perniciosa spiritismi praxis evocandi spiritus, horoscopiae et

---

[12] Cf. p. 350.
[13] Cf. p. 351.

astrologiae, etiam inter catholicos in dies auget, cum falso non pauci existiment non esse peccatum a Lege Divina prohibitum. Sed de astrologia et de horoscopia admitto omnino dicta Em.mi Ruffini.

b) Cum false doctrinae theosoficae a veritate catholica et a vita christiana animas avertunt, opportunum videtur doctrinam catholicam exponere damnando praeexistentiam et evolutionem animarum, et docendo hominem (corpus cum unione ipsius animae) iudicium particulare definitivum post mortem subire et beatitudinem aeternam aut damnationem, iuxta opera, unica in vita peracta.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Relatoris et secundum aliquas emendationes petitas.

Exc. BERAS: Placet ad mentem Eminentissimi Cardinalis Ottaviani et attentis verbis Em.mi Card. Richaud circa prudentiam in paragrapho: « Praxis superstitiosa et magica » tenendam.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimi Cardinalis Relatoris, attentis observationibus factis a Cardinalibus Richaud et Döpfner.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: his attentis quae dicta sunt a Patribus specialiter ab Eminentissimis Cardinalibus Döpfner et Richaud.

Ad numerum undequadragesimum: Concedatur possibilitas experimentorum scientificorum peragendorum cum permissione auctoritatis ecclesiasticae ad istas superstitiones melius impugnandas; ne Sanctae Ecclesiae inimicis facultatem relinquamus eam impune debellandi.

Ad numerum quadragesimum secundum: Habemus hic definitionem de fide cum textus dicat: « Sacra Synodus divinitus revelatam veritatem esse solemniter declarat... ».

Hoc est in votum ut definitio nervosior et precisior fiat.

Deus aliquando aliquos homines resuscitat sicut Scriptura Sacra nobis docet, sed semper in eodem corpore. Possibilitas et existentia horum miraculorum commemoratae sint.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: cum sequentibus animadversionibus:

1) quoad astrologiam, iuxta dicta ab Em.mis Liénart et Richaud;

2) quoad scientificam inquisitionem de rebus spiritisticis, iuxta dicta ab Em.mo König;

3) de novissimis uberiora dicantur iuxta proposita Em.mi Döpfner; et tractentur sub titulo separato et non simul cum spiritismo et damnatione reincarnationis.

Exc. BAZIN: Placet secundum observationes Em.morum Card. Ottaviani, Richaud et Bea.

Exc. BERNARD: Placet, attenta observatione ipsius Em.mi Cardinalis Relatoris de novissimis non satis expresse expositis et ratione habita emendationum ab. Em.mo Card. Richaud et praesertim ab Em.mo Card. Döpfner factarum.

Exc. BERNIER: Placet.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixit Em.mus Card. Richaud de astrologia et ea quae dixit Em.mus Card. Döpfner de novissimis.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet cum emendationibus propositis a Patribus.

Exc. NGÔ-DINH-THỤC: Placet: mihi videtur quod sit differentia inter novissima — de quibus haec Constitutio — et finem hominis super terram. De hac fine marxismus habet dogma, in quo de facto concordat cum capitalismo — de quo optime locutus est Eminentissimus Döpfner.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: nempe ad mentem Eminentissimi Cardinalis Relatoris praesertim de eis quae dixit de novissimis et de astrologia.

Exc. JELMINI: Placet et quidem valde. Prae oculis habeantur etiam quae Em.mus Card. Döpfner dixit, ad caput septimum et Eminentissimus Card. Richaud.

Exc. SUHR: Placet, attentis verbis Em.mi Card. Döpfner.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: adhaereo praecipue illis quae proponit contra communismum Em.mus Card. Döpfner. Pag. 10,[14] lin. 5, ubi de praxi superstitiosa mitigetur aliquantulum expressio nimis fortis: « horrore Sacra Synodus advertit ».

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum:[15] suggererem tamen ut *a*) in pag. 5,[16] linn. 22-23 dicatur: « ... ad vitam sempiternam in perfecta *possessione et* fruitione *Dei unius et trini* »; *b*) in pag. 6[17] ut in lin. 2 dica-

[14] Cf. p. 350.
[15] Cf. p. 358.
[16] Cf. p. 347.
[17] Cf. p. 348.

tur: « ... est *vitae* aeternae gloria quaedam inchoatio »; *c*) ut in pag. 11,[18] lin. 21 dicatur: « ... poenas gehennae aeternas sustinebunt ».

Rev. SÉPINSKI: Placet schema, introductis aliquibus mutationibus.

Ad pag. 6,[19] lin. 34: scribatur: « abest ».

Ad pag. 9,[20] lin. 10: loco « ad eos consulendos declinant » scribatur: « ad eos consulendos se dirigunt ».

Ad pag. 10,[21] linn. 31-32: scribatur: « sectae..., quae perniciose, novissimis hisce temporibus, animas a veritate catholica avertere satagunt ».

Ad pag. 11, lin. 8: loco « Damnatur reincarnatio » scribatur: « reprobatur doctrina de reincarnatione ».

Ad pag. 11, linn. 22-25: melius dicatur: « Animae autem eorum qui in caritate quidem decesserint, non vero dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, poenis purgatorii post mortem purgabuntur ».

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: ad mentem Em.morum Cardinalium Richaud et Döpfner.

XIV

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Septima Congregatio: 22 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 8

DE PECCATO ORIGINALI [1]

43. [*Introductio*]. Cum nostro etiam tempore de peccato originali eiusque transfusione in omnes homines opiniones circumferantur, quae genuinam fidei notionem corrumpunt et ipsa fundamenta vitae christianae laedunt profanis vocum novitatibus (cf. *I Tim.* 6, 20), sacrosancta Vaticana Synodus secunda necessarium esse ducit eandem de peccato originali doctrinam, a Conciliis olim definitam, iterum confirmare et declarare.

---

[18] Cf. p. 351.
[19] Cf. p. 348.
[20] Cf. p. 350.
[21] Cf. p. 350.

44. [*Dogma de peccato originali mysterii velamine obtectum est*]. Primum quidem enixe monet Christi fideles, ut meminerint, ad multarum aberrantium opinionum resecandam radicem, peccatum originale esse dogma fidei cui perscrutando humana ratio non sufficit.

Licet enim de exsistentia peccati, quo ab origine genus humanum infectum est, et ipsa vita hominum, aerumnis et tentationibus plena, testimonium quoddam praebeat, eiusdem tamen peccati natura, prout a revelatione credenda proponitur, mysterii velamine obtecta est; quod autem mysterium solidaritate generis humani cum Iesu Christo Redemptore aliquo modo illustratur (cf. *Rom.* 5, 17-21).

Igitur, qui moventur difficultate quaestionis, regantur oportet gubernaculo auctoritatis, quod est regula fidei; etsi enim non facili ratione indagetur, nec sermone explicetur, « verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam ».[2]

45. [*Peccatum originale, quo homines infecti nascuntur, veram habet peccati rationem*]. Porro semper credit et praedicat ac praxi baptizandi etiam infantes universa ostendit Ecclesia peccatum, quod ab uno homine in omne genus humanum generatione transfunditur, non esse ut quorundam ferunt placita modernorum, defectum ex limitatione humanae naturae manantem, vel carentiam unionis cum societate hominum Deo servientium, vel ipsam multiplicitatem divisionemque qua universum genus humanum inde ab initio laboraret, vel solum propensionem in malum, quam omnes a nativitate experiuntur, sed esse, licet diversa ratione ac peccatum personale, vere et proprie peccatum, quod homines reos tenet eosque, nisi per regenerationem deleatur quod generatione contractum est, in perditionem trahit.

Novimus enim docente fide homines nasci expertes a vita Dei (cf. *Eph.* 4, 18), iniustos, mortuos quantum ad animam, natura filios irae (cf. *Eph.* 2, 3), qui, nisi per meritum Christi Deo reconcilientur et in Christo renascantur, vitam aeternam, ad quam destinati sunt, consequi non possunt. « Per unius delictum, ait enim Apostolus, in omnes homines in condemnationem » (*Rom.* 5, 18).

46. [*Peccatum originale est voluntarium voluntate Adae, primi parentis*]. Credit praeterea ac profitetur Ecclesia originale peccatum, quod inest unicuique proprium, non ex eo habere peccati rationem, quod homo nascendo fit membrum societatis hominum corruptae, sed ex eo quod ab illo pendet et profluit grandi peccato, quod Adam, humani generis caput et fons, in paradiso patravit, ideoque esse « voluntarium ratione sui principii, scilicet voluntatis primi parentis ».[3] « In primo quidem Adam [Deum] offendimus, inquit venerandae traditionis testis Irenaeus,[4] non facientes eius praeceptum », et similiter Ecclesiae Doctor Ambrosius: « Omnes, inquit, in primo homine peccavimus, et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est ».[5]

47. [*Per peccatum originale genus humanum in deterius commutatum est*]. Item credit et profitetur Ecclesia per illam praevaricationem primi pa-

rentis universum genus humanum non solum innocentiam amisisse incurrisseque necessitatem nascendi cum carentia iustitiae debitae, verum etiam in deterius secundum corpus et animam commutatum fuisse.

Amissa enim originali iustitia, quam sibi et universae suae propagini mandatum Dei transgrediendo Adam perdidit, homines imperio mortis etiam corporalis subacti sunt et vulnera susceperunt concupiscentiae et ignorantiae; quibus eorum liberum arbitrium minime quidem exstinctum est, verum tamen attenuatum viribus et inclinatum in malum, ut non solum ad opera salutis facienda nihil valeat sine gratiae praevenientis auxilio, dicente Domino: « Sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5), sed etiam ad totam legem naturalem servandam diuque peccata vitanda, nisi divinitus liberatum adiutumque, impares habeat vires.

48. [*Peccatum originale revelatum continetur in Epistola ad Romanos*]. Tenet insuper ac profitetur sacrosancta Synodus, doctrinam Concilii Tridentini et praecedentium Conciliorum confirmans ac declarans,[6] veritatem de peccato originali, quod in omnes homines pertransiit, ab Apostolo doceri in *Epistola ad Romanos,* cap. 5, 12-19, prout verba illa Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit.

NOTAE

[1] Ad singulas paragraphos notes:

Ad § 44: *Peccatum originale naturam induit mysterii.*

Si considerentur omnia elementa, quae a revelatione de peccato originali perhibentur, nempe quod est verum peccatum et non solum poena peccati, quod est voluntarium voluntate primi parentis, quod generatione transfunditur etiam a parentibus quibus iam est remissum, quod in privatione iustitiae originalis consistit, negari non posse videtur in peccato originali naturam mysterii latere.

Tamen cavendum est ne declarando peccatum originale esse mysterium quaestionem disputatam definire velimus, scilicet utrum sola ratione ex malis huius vitae exsistentia peccati originalis demonstrari possit. Novimus S. AUGUSTINUM adhibuisse hoc argumentum (cf. v. g. *Contra Iulianum,* IV, 16, 82). S. THOMAS scribit quod « satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus [mortem et concupiscentiam] esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum » (*Contra Gentes,* IV, 52). S. BONAVENTURA existimat « catholicis doctoribus non solum fide sed etiam rationum evidentia certitudinaliter [apparere] » humanam naturam in praesentis vitae conditionem deiectam esse merito primae praevaricationis (*In II Sent.* d. 30, a. 1, q. 1).

Quapropter necessarium erat distinguere inter exsistentiam peccati originalis, cui et vita hominum plena tentationibus et aerumnis testimonium saltem probabile nemine, quantum scitur, diffitente reddit, et definitam seu accuratam notionem peccati originalis, quae tegitur mysterii velamine.

Item placuit verba S. Augustini, quae occasione disputationum de peccato originali contra rationalismum Iuliani Eclanensis prolata sunt.

Ad § 45: *Peccatum originale veram habet peccati rationem.*

Peccatum originale veram habere rationem peccati definitum fuit in Concilio Arausicano II, can. 2 (DENZ. 175) et in Concilio Tridentino, *Decretum super peccato*

originali, can. 2 (DENZ. 789). Quam notionem peccati multis modis Concilium Tridentinum exprimit; loquitur enim de *reatu* peccati originalis qui in baptismate remittitur (DENZ. 792), de peccato originali quod mors est animae (DENZ. 789), quod homines a conceptione iniustos facit (DENZ. 795), impios (DENZ. 796), Deo inimicos (DENZ. 799), filios irae (DENZ. 793), qui Deo indigent reconciliari per Dominum Christum (DENZ. 790). Praeterea Concilium Lugdunense II (DENZ. 464) et Concilium Florentinum (DENZ. 693) definierunt illorum animas qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox in infernum descendere, poenis disparibus puniendas.

Quae omnia urgenda esse videntur propter eorum opiniones qui reatum peccati originalis aut negare aut enervare contendunt, existimantes peccatum originale nihil esse aliud quam defectum humanae naturae ex eius finitudine provenientem (malum radicale), aut defectum communitatis religiosae cui ex dispositione divina homo pertinere deberet, aut propensionem vehementem qua homines ad malum feruntur, aut (obscura est sententia) rerum multiplicitatem antequam multiplicitas ope evolutionis ad unitatem redigatur.

Ad § 46: *Peccatum originale est voluntarium voluntate primi parentis.*

Urgendum videtur tum propter quorundam opiniones, qui dicunt homines trahere peccatum originale quia nascendo inseruntur in societatem hominum qui non Deo serviunt sed peccato, tum propter eos, qui polygenismum defendere conati sunt vel saltem demonstrare certum non esse quod a fide catholica excludatur.

Vide votum Patris A. TRAPÉ, O.E.S.A., *de Monogenismo* in quo quaedam argumenta proponuntur, e quibus apparet hoc ad fidem pertinere catholicam quod peccatum originale generatione transfundatur et de uno in omnes homines pertranseat.

Ad § 47: *Per peccatum originale totus homo in deterius commutatus est.*

In § 47 redigenda, iuxta desiderium a quibusdam membris Subcommissionis expressum facta est distinctio inter amissionem gratiae sanctificantis et necessitatem moriendi vulneraque ignorantiae et concupiscentiae.

Quod homo per peccatum originale sit in deterius conmutatus, cf. Concilium Arausicanum II, can. 1 (DENZ. 174) et Conc. Trid. (DENZ. 788).

De vulneribus peccati originalis praeclare S. THOMAS, I-II, q. 85, a. 3.

De libero arbitrio non exstincto quidem, sed attenuato et inclinato, cf. Conc. Trid. (DENZ. 793).

Tandem haec ipsa verba Concilii Tridentini explicantur per doctrinam de necessitate gratiae tum ad opera salutis facienda, cum ad peccata contra legem Dei naturalem diu vitanda, quae urgenda videntur propter eos qui doctrinam pelagianam de viribus liberi arbitrii exaltando gratiae spernunt necessitatem.

Ad § 48: *Peccatum originale revelatum in Epistula ad Romanos continetur.*

Compertum est quam diversae perhibeantur interpretationes de pericope ad *Rom.* 5, 12. Porro rem dogmatice considerando, videtur Magisterium Ecclesiae authentice interpretatum fuisse verba Apostoli ita ut non liceat in alios sensus illa detorquere. Nam:

a) Concilium Carthaginense a Zosimo Summo Pontifice approbatum, postquam egerit de peccato originali quod infantes nascendo trahunt, haec addit: « Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt", nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique

diffusa semper intellexit » (DENZ. 102). Haec ipsa verba repetit Concilium Tridentinum (DENZ. 791).

b) Concilium Arausicanum II asserit eos qui negant peccatum originale, quod mors est animae, in omnes pertransire, contradicere Apostolo dicenti: Per unum hominem, etc. (DENZ. 175). Etiam haec verba repetit Concilium Tridentinum (DENZ. 789).

Addendum est in Concilio Tridentino inter errores, quos refellendi causa decretum de peccato originali editum est, tertio loco istum recenseri: « Tertius est Pelagianorum, quem etiam secutus est Erasmus, Paulum ad *Rom.* 5 huius peccati originalis nullam prorsus facere mentionem ».

[2] S. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum,* VI, 5, 11: *PL* 44, 829.

[3] S. THOMAS, *Q. D. de Malo,* IV, 1, ad 1.

[4] S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.* V, 16, 3: *PG* 7, 1177.

[5] S. AMBROSIUS, *Apologia prophetae David,* II, 12, 71: *PL* 14, 915; *CSEL* 32, 2, 276.

[6] Cf. *Conc. Trid.*, Decr. *sup. pecc. orig.*: DENZ. 789 et 791; *Conc. Carth.* anni 418, approbatum a Zosimo Papa: DENZ. 102 et *Conc. Arausic. II,* can. 2: DENZ. 175.

CAPUT 9

DE UNITATE SEU DE COMMUNI ORIGINE GENERIS HUMANI

49. [*Doctrina de communi origine generis humani*]. Cum non desint inter Ecclesiae filios, qui, nostris diebus, unitatem originis humani generis aut negant aut in dubium vocant, sacrosancta Vaticana Synodus secunda ad doctrinam de peccato originali tuendam, qua credimus peccatum illud ab uno [1] in omnes generatione transfundi,[2] necnon ad fovenda necessitudinis caritatisque vincula inter omnes populos, qui ad unam Christi gratiam vocantur quemadmodum ab uno fonte promanant, profitetur et docet, quod universa Ecclesia, divina innixa revelatione, semper tenuit et docuit, homines nempe hisce in terris post Adam viventes, quamlibet gerant corporis formam vel colorem, communem suae naturae habere originem sicut communem salutis habent auctorem.[3] Ait enim Apostolus: « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae » (*Rom.* 5, 18) et iterum: « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur » (*I Cor.* 15, 22).

Deus quippe, ut idem ait Apostolus, huius praeco veritatis, « fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » (*Act.* 17, 26) formans « primum hominem »,[4] Adam, eiusque uxorem, quae *mater cunctorum viventium* (*Gen.* 3, 20) appellata est, ut illud par coniugum totius humani generis naturale esset principium, ex quo scilicet qui uspiam nascerentur homines generatione descenderent.

50. [*Opiniones contra monogenismum reprobantur*]. Prohibet igitur sacrosancta Synodus eorum placita, qui asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem protoparente naturali gene-

ratione originem duxerint, vel per Adam multitudinem quamdam protoparentum significari.[5]

NOTAE

[1] Quod peccatum originale ab *uno homine* in posteros transfunditur et non intellegi potest ut peccatum a *multitudine* quadam hominum commissa, cf. *Conc. Trident.,* Decr. *super peccat. origin.* 1: DENZ. 788: « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus ... »; Decr. *de iustific.,* cap. 4: DENZ. 796: « Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae ... per secundum Adam, Iesum Christum »; Decr. *super peccat. origin.* 2: DENZ. 789: « Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse; acceptam a Deo sanctitatem ... sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse ... A.S. »; PIUS XII, Encycl. *Humani Generis*: vide notam 5.

[2] Peccatum originale transfundi in posteros per GENERATIONEM est in S. Traditione ante controversiam pelagianam: cf. TERTULL., *De testimonio animae* 3: *PL* 1, 613; CYPRIAN., *Epist.* 64, 5: *PL* 3, 1018-1019; NOVATIAN., *De Trinit.* 29: *PL* 3, 944: ORIGEN., *In Levit. hom.* 8, 3: *PG* 12, 496; ATHAN., *In Psalm.* 50, 7: *PG* 27, 240; DIDYM. ALEX., *Contra Manich.* 8: *PG* 39, 1096; APHRAAT., *Demonstr.,* 6, 14: *PS* 1, 291; *ibid.,* 23, 3: *PS* 2, 6; EPHRAEM, *Hymni de instaur. Eccl.* 4, 1: *Lamy,* 3, 974: HILAR., *In Psalm.* 118, apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 3, 9: *PL* 44, 645; AMBROS., *Apolog. proph. David.,* I, 11, 56: *PL* 14, 873; *Exp. in Luc.* 2, 56: *PL* 15, 1573; AMBROSIAST., *In Rom.* 5, 12: *PL* 17, 92; GREGOR. NAZ., *Orat.* 38, 16 et 40, 8: *PG* 36, 330 et 367; IDEM apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 5, 15: *PL* 44, 649; CHRYSOST., *In Ep. ad Rom.,* hom. 10, 2: *PG* 60, 476-477. – In ipsa controversia pelagiana cardo quaestionis erat, utrum peccatum Adae transiret in posteros *imitatione* vel *propagatione*. Cf. AUGUST., *De pecc. merit. et remiss.,* I, 9, 9: *PL* 44, 114; *ibid.,* I, 9, 10: *PL* 44, 115; *Opus imperf. contra Iulian.* I, 48: *PL* 45, 1071. – S. Thomas clare docet transfusionem per generationem esse *de fide* credendam, cf. *Summ. Theol.,* I-II, q. 81, art. 1 et 3 collato art. 4.

Quod spectat ad magisterium Ecclesiae conferas praeter LEON. MAGN., *Serm.* 22, 3: *PL* 54, 196:

Conc. Arausic. II, confirmatum a Bonif. II, can. 2: DENZ. 175: « Si quis soli Adae praevaricationem suam non et eius *propagini* asserit nocuisse ... ».

Conc. Trident., Decr. *super pecc. origin.* can. 2: DENZ. 789 repetit canonem praedictum Arausicani II. Quid vero Tridentinum nomine propagationis intellexerit, clare apparet ex Decr. *de iustificatione,* cap. 3: DENZ. 795: « Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt: ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur » et Decr. *de pecc. orig.* 4: DENZ. 791 de infantibus baptizandis dicitur: « ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt ».

[3] De unitate generis humani cf. *Gen.* 1, 27 et 2, 5-25; *Act.* 17, 26; *Rom.* 5, 12-21; *I Cor.* 15, 45-47. – Quod ad Patres attinet, clare loquuntur IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 23, 2: *PG* 7, 961; EPHRAEM, *Interpr. in S. Script.*: *in Genes.* 2: *Lamy,* 1, 129; AMBROS., *De Paradiso* 10, 48: *PL* 14, 298; THEODORET., *Graec. affect.*

curatio: serm. 5: *PG* 83, 944. S. Augustinus aperte docet veritatem de unitate generis humani esse de fide: cf. AUGUST., *De Gen. ad litt.* IX, 11, 19: *PL* 34, 400 et *De pecc. orig.* 24, 28: *PL* 44, 398. Vide etiam *De Civ. Dei* XVI, 8 et XVI, 9: *PL* 41, 486-487, quibus in locis de distinctione stirpium et de antipodis. – Consentit S. Magisterium, cf. PELAG. I, *Ep. ad Childebert,* 1 apr. 557: DENZ. 228[a]; LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae,* 10 febr. 1880: *A.S.S.* 12 (1879-1880), p. 386; PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), pp. 426-427.

[4] *Conc. Carthagin.* (XVI), can. 1: DENZ. 101, coll. *I Cor.* 15, 45.

[5] PIUS XII, Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), p. 576: DENZ. 2328: « Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum: cum nequaquam appareat, quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis, quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium ».

Theologi Concilii Vaticani I praeparaverant canonem, cf. *C.L.* VII, 1637: « Si quis universum genus humanum ab uno protoparente ortum esse negaverit: anathema sit ». In annotationibus, *ibidem* col. 544-545 extollunt « gravissimum momentum huius dogmatis de unitate et communi origine totius generis humani, quam nostra aetate ab hominibus quibusdam ex levissimis rationibus geologicis et ethnographicis in dubium vocatum esse, nemo ignorat ». Vide etiam *C.L.* VII, 515[a-b], 555-556, 1633[a-b].

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

In hac parte Constitutionis est maxima quaestio de monogenismo vel polygenismo etc. et mihi videtur ex his quae nunc legenda sunt Commissionem caute processisse, quia si consideramus nos posuisse verba « omnes post Adam » qui sunt in mundo, iam per hanc phrasim in tuto nos posuisse pro quibuslibet novis inventis scientiae. Certe quando agimus de origine hominis non debemus nos putare calculos facere iuxta ea quae passim nunc facta sunt ex genealogiis, hoc non est necessarium, immo iuxta ea quae sunt iam explicata ab ipsis exegetis non est omnino congruum sic agere. Dixit mihi quidam professor, Rev.mus Reverberi, fortasse humanitatem habuisse originem 900 millia annorum a. C. natum. Igitur si exstiterant prius hominides, qui nondum erant homines quia non erat eis infusa adhuc anima, etiam si evolutionem admittimus, nondum erant in statu evolutionis talis in quo Deus selegerit quem hominem faceret de bestiis iam evolutis, non debemus timere quod ex eo quod exstiterint antea etiam quaedam entia, quae animam aliqualem haberent, igitur possent semper dici homines.

Ceterum data longitudine dierum a creatione hominis (pro Deo anni sunt tamquam dies externus) bene explicantur omnes diversitates stirpis, coloris etc. et illud diversitatis inventorum quae a cultoribus geologiae, paleontologiae fiunt. Igitur mihi videtur phrasim « post Adam » salvasse a quacumque possibili futura inventione scientiae et prudenter Commissionem ipsam Theologicam egisse. Ceterum semper erimus grati si nobis consilia dantur, quae possint postea dare maiorem securitatem, quod non sit contradictio inter scientiam et fidem.[1]

Exc. FELICI:[2] Caput VIII: *De peccato originali.*

Ratio huius capitis Constitutionis clare indicatur in introductione, scilicet: opportunum videtur etiam de peccato originali in Concilio agere, ob diffusionem quarumdam opinionum circa naturam, originem, effectus culpae originalis, quae cum doctrina catholica componi nequeunt.

Huic gravi periculo contra puritatem fidei iam obviare voluit Pius XII in Encycl. *Humani generis,* in qua reprobavit sententiam illorum, qui « naturam peccati originalis, definitionibus posthabitis, pervertunt »; at, prout iam notatum est, non ab omnibus catholicis, qua par erat reverentia, insigne hoc documentum receptum fuit. Unde nec mirum si falsae opiniones de nostra materia adhuc perseverant.

In par. 44 opportune asseritur peccatum originale, iuxta eius definitam seu accuratam notionem ac modum transmissionis, induere naturam mysterii, intacta manente quaestione adhuc disputata de demonstrabilitate existentiae peccati originalis ex malis huius vitae.

In par. 45 denuo asseritur doctrina S. Scripturae, definita in Conciliis Arausicano II et Tridentino, scilicet peccato originali inesse veram rationem peccati, et non tantum poenae. Haec autem veritas ideo etiam hodie urgenda videtur, quia non desunt qui reatum peccati originalis aut negare aut enervare contendunt, ut patet ex tribus opinionibus relatis in hoc paragrapho.

In par. 46 bonum visum fuit declarare peccatum originale, quod inest unicuique proprium, esse voluntarium voluntate primi parentis, non autem voluntate propria. Et haec traditionalis veritas iterum proponenda videtur, propter quorumdam opiniones, qui, praetermissa doctrina de fide circa transfusionem peccati originalis per generationem, alias explicationes proferunt, quae vel confundunt peccatum originale cum solidarietate in peccatis actualibus aliorum hominum; vel, ut asse-

---

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[2] Exc.mus Secretarius Generalis legit relationem Card. Ottaviani.

rant polygenismum, necessario renuntiare coguntur modo transmissionis culpae Adae per carnalem originem et alios modos propagationis excogitare.

In par. 47 pariter confirmatur doctrina Conciliorum Arausicani II et Tridentini de sequelis peccati originalis, quibus homo in deterius commutatus est, facta tamen opportuna distinctione inter amissionem gratiae sanctificantis et necessitatem moriendi vulneraque ignorantiae et concupiscentiae. Insuper, quia etiam nostris diebus sunt quidam qui nativam bonitatem humanae naturae nimis extollunt aut negligunt media supernaturalia in opere educationis iuventutis ac nimiam fiduciam profitentur in mediis psychologicis seu psychanaliticis, ideo expediens visum fuit verba Concilii Tridentini explicare, urgendo scilicet necessitatem gratiae tam ad opera salutaria facienda quam ad peccata contra Dei legem diu vitanda.

In par. 48 peropportunum iudicatum fuit renovare authenticam interpretationem pericopis *Epist. ad Romanos,* c. V, v. 12, de peccato originali, ob diversas interpretationes quae de hoc loco Apostoli etiam inter exegetas catholicos circumferuntur, ac si de illo Ecclesiae Magisterium mentem suam numquam claris verbis pandisset.

Etiam de peccato originali plura vota ab Exc.mis Episcopis vel Superioribus proposita sunt, quae vel eiusdem naturam et universalitatem, vel transmissionem et sequelas respiciunt. De his omnibus schema nostrum rationem habuisse videtur (cf. *Acta,* vol. II Append., pp. 124-125).

Redactio autem praesentis capitis bis elaborata fuit, iuxta desiderata membrorum Subcommissionis, attentis etiam Votis exhibitis a Rev. P. M. Labourdette O. P., Prof. in Studio S. Thomae tolosano et consultore Commissionis theologicae; necnon a RR. PP. Alszeghy et Flick, Professoribus in Pontificia Universitate Gregoriana.

Caput IX: *De unitate seu de communi origine generis humani.*

Hoc caput Constitutionis, quod de monogenismo agit, expediens videri debet ad tuendam puritatem fidei catholicae de transmissione peccati originalis. Nam, ut rite animadvertitur initio par. 49: « Non desunt inter Ecclesiae filios, qui, nostris diebus, unitatem generis humani aut negant aut in dubium vocant, ac proinde transmissionem peccati originalis ab uno in omnes generatione ».

Insuper plures sunt Episcopi aut Superiores Generales, ex Gallia praesertim, Germania et Statibus Foederatis Americae, qui confirmationem petunt doctrinae catholicae de derivatione omnium hominum nunc in terra degentium ex uno homine Adam, tamquam ex communi fonte, ad fovenda necessitudinis caritatisque vincula inter omnes populos, contra praeiudicia de gentibus « inferioribus » vel « superioribus »; contra

etiam excessus nationalismi et razismi. Quae quidem affirmatio de communi omnium origine, maxime idonea videtur ad proclamandam essentialem aequalitatem inter homines, qua posita, habetur solidum fundamentum ad quaestiones sive oeconomicas, sive sociales et politicas solvendas in spiritu fraternitatis et solidarietatis; insuper facilior sternitur via ad optatam unitatem religiosam omnium gentium obtinendam, in uno ovile Iesu Christi, omnium gentium Salvatoris.

Sic per doctrinam huius capitis roboratur doctrina ipsa Concilii Tridentini et SS. Patrum ac dilucidatur mens Pii XII, in Encycl. *Humani generis,* cuius asserta quidam catholici nimis extenuare ausi sunt.

Redactio praesentis schematis fructus censeri debet laborum tum membrorum Subcommissionis de Deposito, tum ipsius Commissionis Theologicae. Nec obliviscendum est prae mente habita fuisse Vota exhibita a Rev.mis Dominis Cerfaux, Kerrigan O.F.M., Marcozzi et Bone S. I.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. LIÉNART: Duas animadversiones praesentare desidero:

1) Ad articulum quadragesimum sextum (pagina quarta).[1] Hic peccatum originale declaratur esse, non solum proprium unicuique hominum, sed « voluntarium ». Sane, in sensu vere exceptionali, quo theologi verbum « voluntarium » peccato originali applicant, formula retineri potest. Sed dubito an oporteat, formulam theologicam tam subtilem et pro fidelibus tam intellectu difficilem, in veritatem fidei, tanquam a Deo revelatam, per Constitutionem dogmaticam Concilii erigere.

Animadvertendum est quod Concilium Tridentinum de caractere voluntario peccati originalis non loquitur sed simpliciter dicit: « hoc peccatum quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium » (Denz. 790).

Exopto igitur ut ad mentem Concilii Tridentini adstemus et ut articulus quadragesimus sextus a Constitutione deleatur.

2) Ad articulum quadragesimum octavum (pagina quinta).[2] Mihi videtur quod articulus iste luculenter illustrat quod prius dixi de defectu generali huius Constitutionis. Ecce Epistola S. Pauli ad Romanos ad affirmandam ut revelatam doctrinam peccati originalis, in fine expositionis posita. Ordo iste est praeposterus. Sacra Scriptura non est ancilla theologiae, in adiutorium illius superveniens, est fons originalis et di-

---

[1] Cf. p. 367.
[2] Cf. p. 368.

vina ex qua theologia quae sunt revelata haurire debet et accipere, propter auctoritatem Dei revelantis. Propterea non in fine demonstrationis, sed in capite Epistola S. Pauli poni deberet.

In praesentatione depositi Fidei ad illud pure custodiendum, quaestio non est de eligendo quodam ordine, potiusquam altero, sed est de eligendo ordine, in principiis nostris innixo, scilicet: primum Sacra Scriptura et Traditio quia fontes sunt e quibus in materia fidei omnia emanare debent, deinde theologia cuius est doctrinam revelatam utpote rationi convenientem, rationaliter explorare et ulterius investigare.

Credo quod si res ita componerentur Constitutio haec magis suo proprio obiecto conveniret et ad suadendos animos magis apta evaderet.

Card. RUFFINI: Pag. 3,[3] lin. 25 et seq.: « regantur oportet gubernaculo auctoritatis, quod est regula fidei ». Dicerem: « regantur oportet gubernaculo *supremae* auctoritatis *Ecclesiae,* quod est regula *proxima* fidei ».

Pag. 5:[4] « ... et vulnera susceperunt concupiscentiae et ignorantiae ». Dicerem: « et vulnera contraxerunt ignorantiae, malitiae, infirmitatis (spiritualis) et concupiscentiae (quibus medicamentum — gratia Dei — afferunt virtutes cardinales: prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia).

Pag. 9,[5] lin. 13: Gravissimum est quod hic innuitur, nempe extitisse homines etiam ante Adam. Iamvero de fide est Adam, qui creatus est a Deo, fuisse primum hominem et ab eo totum genus humanum originem ducere cum omnibus stirpibus suis. Si antea fuerunt animalia quae formam externam humanae similem prae se ferebant, haec certo certius non erant veri homines sed *hominidae,* ut ab ipsis de hac re peritis appellantur. Constitutivum — sit venia verbo! — longe praecipuum hominis est anima spiritualis et proinde immortalis, quae primo in corpus Adae infusa est a Deo.

Poligenismus autem penitus — ut reor — reiciendus est, quia, eo admisso, doctrina de peccato originali et de Adae creatione singulari vix, immo ne vix quidem, servari et defendi potest.

Card. DÖPFNER: Ad caput 8. *De Peccato originali*:

De peccato originali haud pauci homines hodie suas habent difficultates, unde revera bene fecit Constitutio inculcando hanc veritatem

[3] Cf. p. 367.
[4] Cf. p. 368.
[5] Cf. p. 370.

fidei. Necesse enim est etiam hic errores detegere et homines ad hoc dogma sane intelligendum inducere.

Difficultates generatim ex eo procedere videntur, quod homines aegre ferunt imputationem alicuius peccati alieni quod ipsi non commiserunt. Deficiens dogmatis comprehensio, quae talibus difficultatibus subiacet, duplicem radicem habere videtur:

a) Non bene perspicitur ab hominibus, quomodo duae realitates tantopere diversae in una eademque categoria peccati includantur: nempe peccatum personale et illa culpa quae ab Adamo derivat.

b) Homines non satis advertunt quod peccatum originale mysterii velamine obtectum est et cum mysterio solidarietatis generis humani in Christo Redemptore novo Adamo intime connectitur.

His difficultatibus in Constitutione iam in quibusdam locis bene consulitur; sic v. gr. in n. 44 (pag. 3,[6] lin. 21 sqq.) connexus inter mysterium peccati originalis et mysterium solidarietatis generis humani cum Christo bene innuitur; sic etiam differentia inter peccatum originale et personale clare indicatur in n. 45 (pag. 4,[7] lin. 9).

Tamen ulteriores gressus in hac directione faciendi sunt. Ipsum Concilium Tridentinum sequendo Concilium Arausicanum II iam doctrinam de peccato originali per aspectus positivos complevit, imprimis agendo de merito Christi et de valore baptismatis relate ad peccatum originale delendum (cf. praesertim D. 790). Ita etiam in nostra Constitutione aspectus positivus et christologicus magis ut eluceat desideratur. Hac de causa speciatim commendo hoc caput denuo diligenti redactioni submittendum. Hic luce clarius apparet, quod nostra Constitutio non habet structuram claram et sensu theologico organicam. Liceat mihi iterum alludere ad ea quae dixi in initio.

Ad singulos numeros noto:

N. 43: Adducantur iam in introductione aspectus positivi, nempe Christus est Redemptor omnium et omnes indigebant gratia (cfr. *Rom.* 3, 23).

N. 44: bene placet.

N. 45: pag. 4, lin. 1 forsitan loco « generatione » legatur « propagatione ». Item lin. 11 sq. Ratio est, quia excludenda est suspicio ac si ipse actus generativus vel voluptas annexa constitueret peccatum originale.

---

[6] Cf. p. 367.
[7] Cf. p. 367.

N. 47: pag. 5,[8] lin. 18. Ad complendam doctrinam negativam aspectu positivo addi potest:

Minime autem hominibus post praevaricationem Adae desperandum est; nam ipse Adam « forma » fuit « futuri », scilicet Christi Domini. Qui nos de potestate peccati redemit et gratiam largitus est multo magis abundantem. Nam « non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit » (*Rom.* 5, 14).

N. 45: pag. 4,[9] linn. 10-12. Legitur in Constitutione: « quod homines reos tenet eosque, nisi per regenerationem deleatur quod generatione contractum est, in perditionem trahit ». Agitur hic de reatu culpae, quem homines contrahunt ex solo peccato originali. Videtur tamen quod tales homines saltem adulti de facto non inveniantur. Nam redemptio, natura sua universalis, omnibus offertur. Ergo de facto nullus adultorum in solo peccato originali decedet. Unde omittatur haec periodus. Quo deficiente nil substantiale deest.

Ad Caput 9. *De Monogenismo*:

Caput propositum agit de problemate originis generis humani, quod hodiernis temporibus a viris scientiarum acriter discutitur. Hoc problema, de se constituens obiectum scientiae naturalis, intimam connexionem cum dogmate peccati originalis habet. Nullo enim modo videri potest, quomodo hypothesis Polygenismi componi queat cum doctrina fidei, iuxta quam peccatum originale originatum unicuique homini proprium ab illo magno protoparentum peccato derivatur. Unde vir scientificus catholicus non ad suum beneplacitum hypothesim illam amplecti potest. Data est monitio in Encyclica *Humani Generis,* quae in nostro Schemate citatur solummodo in nota 5, p. 11.[10] Encyclica rationem, cur Polygenismus teneri nequeat, praecise determinat; dicit: « cum nequaquam appareat, quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis, quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium ». Hoc positive significare videtur, rationes pro Monogenismo non esse tam firmas ut sententiam oppositam absolute et necessario excludant; non ergo deciditur, utrum connexus necessarius inter Monogenismum et peccatum originale sit revera ex natura rei an solum propter defectum nostrae cognitionis.

---

[8] Cf. p. 368.
[9] Cf. p. 367.
[10] Cf. p. 372.

Constitutio nostra dupliciter ultra hunc cautum modum loquendi (ab ipso Summo Pontifice Pio XII dedita opera electum) progredi videtur:

1) Loco expressionis negativae « non enim christifideles sententiam amplecti possunt » adhibetur formula « prohibet igitur S. Synodus eorum placita... » (n. 50; pag. 9,[11] lin. 32). Haec formula quidem non est formaliter damnatoria, tamen facilius ut talis intelligi poterit.

2) Communis generis humani origo in constitutione nostra modo quodam magis concreto explicatur. Dicitur enim: « ... illud par coniugum (scil. Adam et Eva) totius generis humani naturale est principium, ex quo scilicet qui uspiam nascerentur homines generatione descenderent » (n. 49, pag. 9, linn. 27-30).

Ex his insimul probabiliter multi concludent, in hoc nostrae Constitutionis capite formalem definitionem Monogenismi intendi. Quaeritur, utrum dentur rationes vere sufficientes, ut res ita solemniter et definitive dirimatur.

Hoc dissuadendum videtur et quidem propter rationes sequentes:

a) Hypothesis Polygenismi qua talis, est hypothesis scientiae naturalis et nonnisi ratione connexionis suae cum dogmate de peccato originali pertinet ad obiectum Magisterii ecclesiastici. Necessitas tamen huius connexionis nondum absolute probari potest. Accedit quod ab ipsis viris scientificis conceditur agi solummodo de hypothesi scientifica, quae nullo modo iam ad plenam maturitatem pervenit. Probabiliter numquam argumentis necessariis probari poterit. Unde ulterior evolutio scientiae — ut videtur — sine detrimento fidei exspectari potest.

b) Quod doctrinam S. Scripturae attinet: Loci Sacrae Scripturae pro demonstrando dogmate peccati originalis citati docent quidem unitatem omnium hominum cum Adamo ratione peccati et mortis, non tamen expresse modum quo unitas formaliter statuitur: nam nil explicite dicunt de descendentia omnium hominum ex illo pari coniugum (ex *Act.* 17, 26 nimia deduci videntur).

Unde propono, ut ultra Encyclicam *Humani generis* non procedatur. Excludatur ergo hoc Caput et adiungatur eius loco in fine Capitis de peccato originali (Caput praecedens!) in novo quodam numero monitio data in Encyclica *Humani generis* ipsissimis verbis.

Rev. BROWNE: In Cap. 8 Schematis scilicet *De Peccato Originali* in pag. 3,[12] n. 44, lin. 19 dicerem: « ... peccati *intima* natura... ».

---

[11] Cf. p. 370.
[12] Cf. p. 367.

Ibidem in lin. 21, loco vocis *solidaritas* forte dicerem sic: « ... quod autem mysterium *intima dependentia* generis humani *a* Iesu Christo Redemptore aliquo modo illustratur ».

Ibidem in pag. 4,[13] linn. 9-12, forte dicerem (si aliquid de hoc sit dicendum): « (Sed) esse licet diversa ratione ac peccatum personale vere et proprie *etsi singularis naturae* peccatum, quod homines reos tenet eosque, nisi per regenerationem deleatur quod generatione contractum est, *a regno coelorum excludit* ».

Ibidem, pag. 4, linn. 14 et 15 dicerem: « ... *iustificatione indigentes,* mortuos quantum ad *vitam gratiae in anima* ».

Ibidem, pag. 4, n. 46, linn. 26-30 forte dicerem: « ... sed ex eo quod homo generatur in natura peccato Adami infecta, quo et ipse nascens voluntarie inficitur, voluntate quidem non propria sed voluntate ipsius protoparentis, principii et capitis totius naturae humanae ».

Exc. PERRIN: Caput octavum: Placet. Attamen in linea duodecima paginae quartae loco « in perditionem trahit » ponerem « visione beatifica privat » ut verba Concilii Florentini « poenis disparibus puniendas » explanemus. Sic etiam a coaevis nostris melius intellegeretur.

Caput nonum: De capite nono dicerem « non placet ».

Fortiter credo omnes homines, in terra degentes, quamlibet gerant corporis formam vel colorem, ab unico pare, id est ab Adam et Eva descendere.

Sed actualiter censeo melius expectandum esse aliquod temporis intervallum priusquam Sancta Ecclesia solemniter, de communi origine generis humani, fidei definitionem ferat ut verbis certioribus et aptioribus suam mentem posterius exponat.

Etenim nunc homines sapientes et docti prima vestigia petrarum laboris student, praesertim in Africa centrali et australi, in civilisatione quam « pebble-culture » vocant. Legitime sese interrogant de natura opificum, utrum homines erant an animalia superiora (hos opifices vocant Australopythécas).

Scientia potest aliqua magis precisa nobis afferre de natura hominis et de discrimine inter homines et animalia, quae forsitan utilissima erunt ad eligenda verba futurae fidei definitionis.

Itaque censeo expectandum esse paulisper. Standum esse, meo sensu, verbis a Summo Pontifice Pio duodecimo in encyclica *Humani Generis* prolatis: « Cum nequaquam appareat, quomodo huiusmodi sen-

[13] Cf. p. 367.

tentia componi queat cum iis, ... inest unicuique proprium » (Encycl. *Humani Generis*, Denz. 2328).

Card. OTTAVIANI: Auditis verbis Em.mi Card. Liénart et ea quae postea commendavit Rev.mus Pater Generalis O. P., ego non essem contrarius, pro mea humili opinione, ut supprimatur illa paragraphus in qua agitur de voluntarietate in protoparente, quia reapse ego dico: sumus in mysterio, et difficile est iam omnia quae respiciunt ipsam substantiam peccati originalis explicare et nos non debemus rem etiam magis difficilem reddere volendo explicare etiam quemdam aspectum sive ipsius peccati originalis sive voluntarietatis. Igitur quia haec suppressio istius paragraphi nullimode nocet et ex altera parte quaestio de voluntarietate non est necessario explicanda et definienda in Concilio, ego proponerem ut acceptetur illa suppressio, quia etiam nova propositio facta ab ipso Patre Generali non satis bene explicat res modo accessibili pro cultura generali hominum. Igitur adhaererem ipsi suppressioni. Quod vero attinet ad unitatem generis humani ex Adam, debemus prae oculis habere Adamum fuisse primum hominem; est res quae explicite dicta est in S. Scriptura, explicite invenitur, igitur possumus esse certi, quia fides numquam reapse habebit contradictionem a scientia; possumus certe retinere, quia certum est ex fide, Adamum fuisse primum hominem. Omnia quae inveniuntur, agent de his quae non sunt homines, sc. animalia rationalia, quibus scil. infusa est anima. Primum ens, animal, cui infusa est anima est Adam. Igitur postea veniunt homines; antea, sicut etiam confirmavit ipse Card. Ruffini, vocemus hominides, vocemus alio modo, habentes maximam similitudinem; plus quam hoc scientia non potest dicere, quia reapse agitur de animali cui anima infusa est. Etiam si evolutionismus scientifice demonstrabitur, numquam faciet difficultatem, quia Encyclica *Humani Generis* insistit in infusione animae ut habeatur homo.[14]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ad mentem animadversionum Em.mi Liénart et Em.mi Döpfner.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: et ad mentem Em.mi Card. Ottaviani.

[14] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae exposita fuerunt ab Em.mis Cardinalibus Ottaviani, Liénart, Ruffini, Döpfner et a Rev.mo P. Browne Mag. Gen. O. P.

Card. FERRETTO: Placet iuxta mentem Em.mi Cardinalis Ottaviani; unum submisse addens: « ad n. 48: attento momento verborum S. Pauli in Epistola ad Rom. c. 5, 12-19, humiliter quaero cur verba illa per extensum non referantur ».

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: caput octavum, secundum observationes quas exposui [1] et animadversiones allatas ab Em.mo Cardinali Döpfner.

Non placet caput nonum.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes Em.mi Cardinalis Liénart et Rev.mi Patris Generalis Fratrum Praedicatorum.

Card. COPELLO: Perpendantur dicta ab Em.mis Card. Liénart, Ruffini, Döpfner et Ottaviani.

Card. MCGUIGAN: Placet iuxta modum: secundum Em.mum Card. Ottaviani, Relatorem et Patrem Generalem Ordinis Praedicatorum.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut in n. 45 (p. 4,[2] linn. 11-12) non dicatur peccatum originale « nisi per regenerationem deleatur, in perditionem trahi » sed melius tantum dicatur ut in paragrapho sequenti, linn. 17-18, « vitam aeternam ad quam destinati sunt consequi non possunt », quia infantes absque baptismo mortui certo vitam aeternam, scilicet visionem beatificam consequi non possunt, sed neque in infernum labuntur, sicut verba « in perditionem trahi » possint interpretari.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: ad n. 47: Ut arceatur quaedam ambiguitas, post verba « non solum » inseratur « quod iam fuerat ante peccatum originale ».

Deleatur n. 50, ne nimis coarceatur libertas investigationum palaeontologorum.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: secundum observationes pro-

---

[1] Cf. pp. 375-376.
[2] Cf. p. 367.
[3] Cf. p. 376.

positas ab Em.mo Card. Relatore ad pag. 4,[4] n. 46. Ad Caput 9 standum potius modo quo Pius Papa XII doctrinam exposuit.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet deleantur lineae pag. 4, n. 25, a linea 10 post verba « proprie peccatum » ad lineam 12 inclusive. Ratio habeatur eorum quae a Patribus dicta sunt ut prudenter agatur.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est: supprimatur paragraphus 46, p. 4. Adhaereo iis quae dicta sunt ab Em.mis Liénart et Döpfner, praecipue circa id quod retineantur verba, hoc est, non ultra progrediatur quam quae dixit Pius XII in Encycl. *Humani Generis*.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. secundum dicta ab Eminentissimis Liénart de « voluntario », Döpfner de abundantia redemptionis. Non placet Caput 9, sed ad mentem *Humani Generis* standum est.

Caput 8. *De peccato originali*:

Pag. 3,[5] linn. 30 ss. In schemate, affirmatur peccatum originale esse « vere et proprie peccatum ». Sed non dicitur quonam modo hoc fiat. Melius intelligeretur et facilius admitteretur peccatum originale, si aliquo modo explicaretur ratio propter quam illud peccatum sit vere et proprie peccatum. V. g. potest dici quod ratio peccati, quae omni peccato convenit, tam originali quam actuali, est quaedam oppositio inter statum hominis et voluntatem Dei: non habetur in homine id quod Deus vult in eo esse. Iamvero, relate ad peccatum originale, hoc verificatur. Deus absolute volebat gratiam inesse omnibus hominibus, sed ipse vult transmissionem huius gratiae conditionate, scilicet dependenter a fidelitate Adae. Quum Adam peccaverit, gratia non amplius transmittitur generatione. Ex altera parte, quum Deus absolute velit gratiam inesse omnibus hominibus, et quum gratia in iis non adsit, sequitur quod habetur realis oppositio inter statum hominis (in quo abest gratia) et ipsam Dei voluntatem. Ideo peccatum originale habet rationem veri et proprii peccati.

Suggeritur, ergo pag. 4, linea 10, haec additio: « vere et proprie peccatum, *quum sit oppositio inter statum hominis et voluntatem Dei;* quod peccatum homines reos tenet... etc. ».

---

[4] Cf. p. 367.
[5] Cf. p. 367.

Caput 9. *De unitate seu de communi origine generis humani*:

Pag. 9,[6] linn. 14-15. Schema dicit quod omnes homines habent « communem... originem ». Formula non videtur sat explicita. Illi enim qui polygenismum tenebant conabantur ostendere quod, etiam si adfuissent plures pares initiales, nihilominus, aliquo sensu, genus humanum habuisset « communem originem ». Ideoque, non videtur illa expressio sufficere ad polygenismum reiciendum. Proinde dicendum est quod omnes homines ex unico pari initiali, scilicet ex Adamo et Eva, originem ducunt, et quod Adamus et Eva sunt personae individuales, non autem collectivitates. Illud autem non sufficienter apparet in parte affirmativa schematis, scilicet in n. 49, licet hoc clarius affirmetur in parte negativa, scilicet in n. 50.

De opportunitate reprobationis numeri 50? Nonne sufficiunt affirmationes positivae de origine communi generis humani?

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: propositum ab Em.mo Cardinali Ottaviani de paragrapho 46, et ab Em.mo Card. Döpfner, circa opportunitatem standi doctrinae a Papa Pio XII in Encyclica *Humani Generis* de polygenismo expositae.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: modificando, nempe, numerum 46, iuxta dictamen ipsius Cardinalis Ponentis et stando, circa monogenismum, dictaminibus Encycl. *Humani Generis,* f. r. Pii Papae XII.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: id est, iuxta animadversiones Em.mi Ottaviani, et in specie de suppressione quaestionis de voluntarietate in numero 46, p. 4.[7] Retineantur verba Pii XII fel. rec. in Litteris Encyclicis *Humani Generis* de monogenismo.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet: *a*) adnotentur quae ab Em.mo Card. Liénart, Rev.mo P. Browne, Em.mo Card. Ottaviani dicta de « voluntario »: potius insuper n. 46 omittatur; *b*) in capite 9 quae proponuntur, ut notavit Em.mus Card. Döpfner latius patent quam formula adhibita a Pio XII. Utique Concilium potest ampliora docere, sed puto in quaestione caute procedere debere. Mea igitur humili sententia pro nunc standum est inter limites a Pio XII propositos.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: circa caput 8, nam assentio observationibus Em.mi Card. Liénart et Magistri Generalis Praedicatorum de opportunitate non tenendi in hoc documento vocem « vo-

---

[6] Cf. p. 370.

[7] Cf. p. 367.

luntarium » quoad peccatum generale, quae vox a fidelibus non facile intelligitur in vero sensu.

Non placet circa caput 9. Nam assentio observationibus Em.morum Card. Confalonieri, Döpfner, ac Exc.mi Arch. Perrin. Non puto quod polygenismus fuit absolute damnatus a Pio XII et insuper addo aliquas rationes: Peccatum originale, eius recapitulatio ac transfusio non sunt formaliter ut peccatum, aliquid ordinis bio-zoologici, sed aliquid ordinis moralis iuxta Decretum Providentiae. Periculosum mihi videtur praesupponere contra demonstrationes futuras scientificas et, non sine multa haesitatione, rogo quid dicendum si quodam die, contra legem moralem, aliquis puer humanus artificialiter et non naturaliter vita donaretur.

Card. König: Placet iuxta modum: adhaereo, quoad monogenismum, potius iis quae dixit Card. Döpfner et assentio iis quae dixit Card. Liénart.

Card. Döpfner: Cap. 8: placet iuxta modum, secundum animadversiones Card. Liénart et Mag. Gen. O. P. (n. 46) et ea, quae dixi.[8]

Cap. 9: non placet secundum ea, quae proposuit Exc. D. Perrin et ea, quae proposui.

Card. Marella: Placet iuxta modum: iuxta scilicet declarationes ab Em.mo Relatore factas et aliquas animadversiones ab Em.mis Ruffini, Liénart, Döpfner et Magistro Generali Ordinis Praedicatorum propositas.

Card. Meyer: Placet cum animadversionibus adiunctis. Ad caput 8, n. 45: Bene noti sunt conatus aliquorum recentiorum (ut, e. g. J. De Fraine, S. I., in opere suo « La Bible et l'Origine de l'Homme », 1959, cap. III) aperiendi viam ad polygenismum non obstantibus decretis Conc. Tridentini. Inter alia volunt intelligere « generatione transfunditur » et « quod generatione contractum est », alio modo quam sonant illa verba sensu obvio. Sic J. De Fraine, op. cit., p. 109: « A la naissance l'homme encourt une culpabilité qui est due au péché d'Adam »; aliis verbis, quando nascitur, seu in nativitate sua, homo incurrit aliquam culpabilitatem quae debetur peccato Adami.

Ut huiusmodi aberrationes reprimantur, proponitur ut ad vocem « generatione » (linn. 1 et 11 pag. 4 [9]) addatur vox « corporali » vel « carnali ».

Ad caput 9, n. 49: Si placent quae supra proposuimus relate ad cap. 8, n. 45, potest addi etiam hic in linea 7 vox « corporali » vel

---

[8] Cf. pp. 376-379.

[9] Cf. p. 367.

« carnali ». Praeterea, ad excludendas omnes cavillationes post vocem « uno » in linea 6 posset addi vox « homine », ita ut sententia legeretur « qua credimus peccatum illud ab uno homine in omnes generatione corporali (vel carnali) transfundi ». Similiter in linea 29 posset dici « generatione corporali ».

Card. TRAGLIA: Placet iuxta modum: i. e. iuxta nuper dicta ab Em.mo Card. Ottaviani. Nominatim: *a*) deleatur caput de voluntarietate peccati originalis (n. 46); *b*) quoad n. 50, quo monogenismus reprobatur ne procedatur ultra quae dicta sunt a Pio XII in Enc. *Humani Generis.*

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: i. e.:

1) in pag. 4,[10] linn. 14 et 15 supprimantur citationes ex epistola ad Ephesios quia hae citationes suggerunt Apostolum loqui de hominibus *nascendis* in peccato quoad revera non facit Apostolus in illis locis.

2) Num. 46 eliminetur secundum dicta Em.mi Liénart.

3) Cap. 9 (de monogenismo) ne progrediatur ultra dicta in Encyclicis *Humani Generis.*

Card. OTTAVIANI: Placet, cum observationibus Card. Liénart, Ruffini, Primatis Hispaniae, et P. Browne. Pro polygenismo potest reassumi Enc. *Humani Generis.*

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: de voluntarietate peccati originalis caute a Concilio procedatur; de monogenismo decisio remittatur ad tempora magis opportuna.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: sc. mature perpensis animadversionibus peractis ab Em.mis Patribus Cardinalibus et a Rev.mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: integra servetur atque proclametur doctrina Tridentina de universalitate peccati originalis, sed quaestio de monogenismo non est matura. Orta sane non erat tempore Concilii Tridentini. Levissimae, quas dicebant theologi Concilii Vaticani I, rationes geologicae atque ethnographicae, ab illo tempore creverunt. Ideoque, utendo verbis schematis ipsius « De Deo et creatione » (de origine corporis humani), cum debita moderatione et cautela, theologi, Sancta Sede annuente, rem tractent, praesertim de ratione descendentiae hominum ab Adamo deque transfusione peccati originalis.

---

[10] Cf. p. 367.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut omnino prae oculis habeantur quae dixerunt Card. Liénart, Ruffini, Döpfner, Ottaviani, Alfrink et Magister Generalis O. P. Hinc in n. 45 vel deleantur linn. 10-12 vel limitentur ad privationem beatitudinis. N. 46 deleatur et quoad c. 9 melius esset illud vel prorsus supprimere vel illa repetere quae docuit Pius XII sanctae memoriae.

Card. HEARD: Placet.

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet. Munus Concilii est fidem declarare et definire ut in ea fideles corroborentur in his temporibus.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones factas ab Em.mo Cardinali Relatore: forsan quaestio de monogenismo pro nunc omitti poterit, cum doctrina declarata a Pio XII in citatis litteris encyclicis iam satis sit.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum et ad mentem Em.mi Cardinalis Relatoris.

Exc. SILVA SANTIAGO: Cap. 8: Placet, scilicet cum suppressione paragraphi in qua sermo est de voluntarietate peccati originalis in modo et forma ut aliqui Em.mi Cardinales proposuerunt et ab Em.mo Cardinali Relatore acceptus fuit.

Cap. 9: Placet, utpote corollarium de peccato originali ab uno protoparente transmisso. Hoc maxime fovet inter homines caritatem sine distinctione colorum aut gentium.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones Em.mi Cardinalis Ottaviani et Rev.mi Generalis Ord. Praedicatorum atque aliorum Patrum Eminentissimorum.

Exc. BERAS: Placet ad mentem Eminentissimi Cardinalis Ottaviani.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: de capite octavo ad mentem Eminentissimi Cardinalis Relatoris; de capite nono secundum quod dixit Eminentissimus Cardinalis Döpfner.

Exc. PERRIN: Caput octavum placet iuxta animadversiones Eminentissimorum Cardinalium praesertim Liénart et Döpfner. Caput nonum non placet: ad mentem *Humani Generis* standum est.[11]

---

[11] Cf. pp. 380-381.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: schema reformetur iuxta proposita Em.mi Card. Liénart (quoad omissionem n. 46) et Em.mi Card. Döpfner (quoad cap 9: de monogenismo ne transgrediantur limites Encyclicae *Humani Generis*).

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: i. e. *a*) De peccato originali: deleatur n. 46, secundum quod dixit Card. Liénart. *b*) De monogenismo: standum est Encyclicis *Humani Generis.* Quaestio non sufficienter matura est.

Exc. BERNARD: 1) Caput octavum placet iuxta modum: deleatur numerus quadragesimus sextus. 2) Caput nonum non placet: adhaereo opinioni Em.mi Card. Döpfner et Exc.mi Archiepiscopi Perrin, scilicet: ad mentem *Humani Generis* standum est.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: dempto scilicet articulo 46 de voluntarietate peccati originalis, et ne Constitutio progrediatur ultra ea quae Pius Pp. XII de monogenismo docuit.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Em.mi Card. Liénart de charactere voluntario peccati originalis in posteris Adami et secundum ea quae dixit Em.mus Card. Döpfner de monogenismo.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet ad mentem Eminentissimi Card. Relatoris.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: i. e. iuxta mentem Eminentissimi Ruffini quoad monogenismum.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: iuxta observationes factas ab Eminentissimis Patribus Liénart, Ruffini, Döpfner et a Reverendissimo Magistro Generali Fratrum Praedicatorum.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta animadversiones Eminentissimorum Card. Ponentis, Liénart, Ruffini, Döpfner.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones Em.mi Card. Liénart et Em.mi Card. Döpfner.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: assentio illis quae exposuerunt Card. Liénart, Pla y Deniel, Döpfner, Siri, et Archiep. Perrin. Non puto existentiam praeadamitarum esse contra dogma fidei. Sufficit ut credamus omnes homines post Adam viventes peccato originali infectos esse, sicut vult schema propositum.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis dictis ab Em.mo Card. Relatore et aliis Em.mis et Exc.mis Patribus et adiunctis quibusdam meis.[12]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: ratione habita praesertim observationum Em.morum Cardinalium Ottaviani, Döpfner et Liénart.

Ad pag. 3,[13] linn. 8-9 proponitur: « iterum confirmare et *pressius* declarare ».

Ad pag. 4,[14] n. 46 forsitan melius expungatur.

Ad pag. 6,[15] lin. 18 proponitur: « Item placuit verba S. Augustini *referre,* quae... ».

Ad cap. 9, pp. 9-10 [16] exaretur ad mentem encycl. *Humani Generis.*

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: omittatur § 46 de voluntarietate peccati originalis; de monogenismo, ne procedatur ultra id quod habet Enc. *Humani Generis* Pii XII.

XV

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Octava Congregatio: 23 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

CAPUT 10

DE SORTE INFANTIUM ABSQUE BAPTISMO DECEDENTIUM

51. [*Baptismus ad salutem infantium necessarius*]. Sacrosancta Synodus Spiritu veritatis edocta declarat, salvis privilegiis quae ad martyres in odium fidei occisos secundum Ecclesiae praedicationem pertinent,[1] neminem ex statu quo nascimur filii Adae filiique irae (cf. *Eph.* 2, 3) ad statum gratiae adoptionisque filiorum (cf. *Rom.* 8, 15) transferri posse sine lavacro regenerationis (cf. *Io.* 3, 5) aut eius voto.[2] Cum autem infantes ex sese sint huius voti incapaces, et insuper Ecclesia semper sibi persuasum habuerit in hac oeconomia salutis post Evangelium promulgatum eosdem, aetatem rationis non adeptos, sine ipso sacramento baptismatis praemia vitae aeternae consequi non posse,[3]

---

[12] Cf. pp. 379-380.
[13] Cf. p. 366.
[14] Cf. p. 367.
[15] Cf. p. 368.
[16] Cf. pp. 370-371.

ideo S. Synodus omnes sententias,[4] quibus pro infantibus aliud medium praeter baptismum re susceptum statuitur, inanes et sine fundamento esse declarat. Non autem desunt rationes censendi eosdem quadam felicitate suo statui accommodata perenniter frui.[5]

52. [*Officium baptizandi infantes*]. Instanter autem Sacra Synodus admonet omnes parentes eorumque locum tenentes, omnes parochos et sacro ministerio addictos, de gravi officio quo tenentur curare ut infantes neonati, quamprimum commode fieri potest, baptizentur.[6] Sedulo enim prospiciendum est, cum ut infantes morituri vitam aeternam consequantur, tum etiam ut bene valentes brevi e servitudine diaboli liberati, filii Dei nominari quaeant et sint (cf. *I* Io. 3, 1).

NOTAE

[1] BENEDICTUS XIV omnino certam tenet sententiam omnes infantes in odium fidei occisos, censendos esse vere martyres. Cf. Constit. *Beatus Andreas,* 22 febr. 1755, par. 10, coll. par. 25, et citat SUAREZ, *In S. Theol. III,* disc. 29, sect. 1, R. TAPPER, *Opera,* Coloniae 1583: art. II, p. 31: « Parvulis igitur Baptismum esse necessarium et magis quam adultis, eisque sufficere, ex superioribus patere potest, cum nullum habeant aliud medium, nisi martyrium, quo salvari sine Baptismo possunt ». Cf. etiam S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 124, a. 1, ad 1, et *In Epist. ad Haebr.* cap. 6; cf. tandem *Synod. Montis Libani,* 1736: *CL* II, 118.

In Constitutione consulto dicitur: *in odium* fidei, quia erronee omnis mors infantium, sive ex morbo sive ex calamitate, aequiparata est martyrio.

[2] *Conc. Trid.,* Decr. *de iustificatione,* cap. 4; DENZ. 796, coll. 847; *Conc. Florent.,* Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712; S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 68, a. 2.

[3] INNOCENTIUS I ad *Conc. Milev.,* n. 5: *PL* 20, 592: « Parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia *posse* donari, perfatuum est »;

GELASIUS I, *Epist.* 7, *PL* 59, 37: « Nec ausus est aliquis dicere parvulum sine hoc sacramento salutari ad aeternam vitam *posse* perduci... De parvulis autem quod asserit [pelagiana haeresis], sine sacro baptismate pro solo peccato originali non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est »;

ORIGENES, *in Rom. Comment.,* 5, 9: *PG* 14, 1047: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent »;

S. AUGUSTINUS, *De anima et eius origine* 3, 9, 12: *PL* 44, 516: « Noli credere, nec dicere, nec docere: infantes antequam baptizentur morte praeventos, pervenire *posse* ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus »; similia in *Epist.* 166, 7, 21: *PL* 33, 730 (ad Hieronym.);

S. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia* IV, cap. 3: *PL* 75, 635, de egressis ex utero et statim mortuis: « Numquid aeterna requie abortivi perfruuntur? Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi legatus tenetur »;

Conc. Lugdun.: DENZ. 464: « Romana Ecclesia dicit et praedicat... illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas »;

Conc. Florent., Decr. *pro Graecis*: DENZ. 691: « Sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ... illorum autem animas (etc., ut in *Conc. Lugdun.*) ».

Conc. Florent. Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712: « Circa pueros... cum non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi, admonet, etc. »;

PIUS VI falsam declarat sententiam Pistoriensium doctrinam limbi, « in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur » esse fabulam Pelagianam: DENZ. 1526;

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 841: « Nella presente economia non vi è altro mezzo per comunicare questa vita [soprannaturale] al bambino, che non ha ancora l'uso della ragione. E tuttavia lo stato di grazia nel momento della morte è assolutamente necessario per la salvezza: senza di esso non è possibile di giungere alla felicità soprannaturale, alla visione beatifica di Dio. Un atto di amore può bastare all'adulto per conseguire la grazia santificante e supplire al difetto del battesimo: al non ancora nato o al neonato bambino questa via non è aperta »;

S. THOMAS, *Summa Theol.* II, q. 68, a. 3: « Non potest [pueris] alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi; adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium »;

Catech. Rom. II, II, n. 34: « Cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismum praebeatur, relicta sit, facile intelligitur etc. »;

S. PETRUS CANISIUS, *Catech. latin. et germ.* pars. I, Romae, 1933: *Catech. maior,* p. 27: « Nec solum adultis sed etiam parvulis, necessarium est [Baptismi sacramentum] ... Perirent autem non baptizati, etiam parvuli, sicut olim in Synagoga incircumcisi »; *ibid.,* p. 118: « Necessarium inquam Sacramentum non solum adultis, sed etiam parvulis... Nascuntur omnes irae filii: opus igitur habent etiam parvuli emundatione peccati, nec possunt absque hoc Sacramento mundari et in filios regenerari »;

S. ROBERTUS BELLARM., *De Baptismo* I, cap. 1, circa finem: « Etiamsi parvuli sine culpa non baptizantur, non tamen sine culpa pereunt, cum habeant originale peccatum. Qui autem fingunt aliud remedium praeter baptismum [reale], apertissime pugnant cum Evangelio, Conciliis, Patribus, atque Ecclesiae universae consensu »;

P. GASPARRI, *Catechismus Catholicus,* ed. 3, Romae 1930, 197: « Q. 359: Quid erit de anima illorum, qui sine baptismo cum solo peccato originali moriuntur? — R. Anima illorum, qui sine baptismo cum solo peccato originali moriuntur, caret beatifica Dei visione propter originale peccatum, citra tamen alias poenas, quibus personalia peccata puniuntur »;

Accedit praxis Ecclesiae, quae infantibus mortuis sine baptismo denegat sepulturam ecclesiasticam, cf. *C.I.C.*: can. 1239, § 1. Numquam Ecclesia pro illis publice orat. In sepultura autem infantis baptizati precatur: « Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiris aeternam, sicut animae huius parvuli hodie credimus te fecisse... ».

Notandum est, quod antiqui qui denegant parvulis mortuis sine baptismo praemia vitae aeternae nullo modo dubitasse de voluntate salvifica Dei (cf. *I Tim.* 2, 4) et de satisfactione Christi universali (cf. *I Io.* 2, 2).

Cum praedictis testimoniis concordant plura Concilia Provincialia approbata:

Conc. Prov. Neapolitan. a. 1699: *CL* I, 180, cap. 2 *de Sacram. Bapt.*: « Per lavacrum regenerationis in verbo vitae renatos ex aqua et Spiritu Sancto et consepultos cum Christo per Baptismum in mortem ita in novam parit gratia mater

infantiam, ut non aliter in Regnum Dei atque in spem vivam resurgere quisquam possit ».

Conc. Prov. Ruthen. a. 1720: *CL* II, 27: « Quamobrem Sanctae Synodo attente consideranti, quantopere Sacramentum istud ad salutem necessarium est, visum fuit monere et hortari parochos omnes, ut plebem ac praesertim obstetrices doceant, quidquid est necesse ad hoc Sacramentum non solum licite, sed etiam valide administrandum, ne contingat ipsorum ignorantia, ut parvuli minime renati ex aqua et Spiritu Sancto non intrent in regnum coelorum ».

Conc. Prov. Ebredunens. a. 1727: *CL* I, 628: « Cum omnium novae Legis Sacramentorum primum maximeque necessarium sit Baptismus, et absque eo nullus ad Regnum coelorum pateat aditus, monendi sunt parentes, ut filios suos quantocius baptizari curent ».

Conc. Prov. Coloniense a. 1860: *De Baptismo,* cap. 30: Mansi 48, 115: « Infantes vero cum huius voti capaces non sint, a regno coelesti, id est, beatitudine supernaturali excludi, si baptismo non regenerati discedunt, *fides docet* ».

Conc. Prov. Pragense quintum a. 1860, tit. IV, cap. 2 *de Sacramento Baptismi*: Mansi 48, 266: « Monendi sunt itaque a parochis parentes, ut parvulos, quam primum fieri potest, Ecclesiae offerant baptizandos, ne eorum culpa amittendae vitae aeternae periculo exponantur, a quibus ad hanc adipiscendam temporalis vitae exordium traxerunt ».

Conc. Prov. Colocense a. 1863, tit. III, cap. 2 *de Baptismo*: Mansi 48, 531 s. testimonium affert *Catech. Rom.* II, II, n. 32: « Cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismum praebeatur, relicta sit etc. ».

Conc. Prov. Ultraiect. a. 1865, tit. IV, cap. 2 *de Sacramento Baptismi*: Mansi 48, 703-704: « Parochi... studiosissime invigilabunt, ne quis infans ulla hominum culpa baptismo privetur, atque ita sine eo decedens, a supernaturali beatitate perenniter arceatur... Pueris quippe infantibus nulla relinquitur salutis comparandae via, nisi baptismi sacramentum re suscipiant; adultis vero... ».

Conc. plen. Baltimor. II, a. 1866, tit. V, cap. 2 *de Baptismo,* n. 225: Mansi 48, 951: « Infantes quoque suos, quod sine lacrymis dici nequit, iure fraudant, quod Christus effuso sanguine iis comparavit, et quotidie passim e vivis excedere sinunt baptismo destitutos sine quo Dei vultum coelestis beatitatis fontem et originem, aspicere numquam licebit ».

Theologi *Vaticani I* in *Const. de fide*: *CL* VII, 565 scripserunt: « Etiam qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in perpetuo carebunt », et in nota *ibidem* declarant rem esse *de fide certam.*

[4] Ultima sententia est infantes mortuos sine baptismo mansuros in limbo puerorum usque ad diem ultimum iudicii. Resurrectio mortuorum, quae est regeneratio et definitive destruit sequelas peccati originalis, iis erit loco baptismatis ideoque iis aperiet viam ad visionem Dei beatificam!

[5] Cf. S. Gregorius Nazianz., *Orat. 40 de baptismo,* 23: *PG* 36, 390;

S. Augustinus, *Contra Iulian.* V, 11, 44: *PL* 44, 809;

Ambrosiaster, *In Rom.* cap. 5, 12: *PL* 17, 92;

S. Thomas, *In II Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 2, ad 2;

S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 33, ad 3, qq. 1 et 2;

S. Robertus Bellarm., *De amissione gratiae,* lib. VI, cap. 4-6, ubi plura patristica.

Nota illud: « suo statui accommodata ». Hisce verbis additis, sententia sub-

scribi potest ab omnibus theologis diversarum scholarum. Intactae manent quaestiones disputatae, v. g. de natura limbi, an sit levis dolor, quo sensu conditio infantium sit supernaturalis, etc.

Non placuit autem commendare parvulos misericordiae Dei: quia ipsa Ecclesia hoc numquam fecit et tali phrasi indirecte conceditur theoriam illuminationis non esse omnino reprobandam.

[6] Cf. *Conc. Florent.,* Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712; BENEDICTUS XIV, *Prof. fidei*: DENZ. 1470; PIUS XII, *Alloc. ad obstetr.,* cf. nota 4; *Collect. de Propag. Fide,* vol. I, n. 326, n. 347, n. 939; vol. II, n. 2060, collatis S. THOM., *Summa Theol.* III, q. 68, a. 3 et *Catech. Rom.* II, II, n. 34.

ADDITAMENTUM

Textus supra exhibitus approbatus est ab omnibus membris Subcommissionis de Deposito pure custodiendo, excepto Rev.mo Patre E. Dhanis S. I., qui aliam redactionem proposuit. Re delata ad ipsam Commissionem 19 membra approbaverunt redactionem Subcommissionis, 3 redactionem Patris Dhanis, 3 haeserunt ancipites, 2 putaverunt se etiam redactioni Patris Dhanis adhaerere non posse. Quare primum dabimus textum Patris Dhanis, deinde modificationes quas Ill.mus D. Colombo in eodem textu faciendas putat.

DE SORTE INFANTIUM ABSQUE BAPTISMO DECEDENTIUM

(red. P. DHANIS)

1. [*Baptismus ad salutem necessarius*]. Sacrosancta Synodus Spiritu veritatis edocta declarat, post Evangelium promulgatum, salvis privilegiis quae ad martyres in odium fidei occisos secundum Ecclesiae praedicationem pertinent,[1] neminem ex statu quo nascimur filii Adae filiique irae (cf. *Eph.* 2, 3) ad statum gratiae adoptionisque filiorum transferri posse sine lavacro regenerationis aut eius voto.[2] Cum insuper a saeculis in Ecclesia communis fuerit sententia infantes aetatem rationis non adeptos huiusmodi voti esse incapaces,[3] cumque adversa opinatio argumentis ad probandum firmis careat, ideo nonnisi temerario ausu, quem Sancta Synodus reprobat, contenditur promulgato iam Evangelio infantibus non baptizatis aditum patere ad beatam Dei visionem. Non autem desunt rationes censendi eos vera quadam felicitate suo statui accommodata frui; [4] ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorundem, pro quibus etiam Iesus Christus mortuus est,[5] altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter remittit.

2. [*Officium baptizandi infantes*]. Instanter autem Sacra Synodus admonet omnes parentes eorumque loco tenentes, omnes parochos et sacro ministerio addictos, de gravi officio quo tenentur procurandi ut neonati quam primum baptismi sacramento regenerentur. Sedulo enim prospiciendum est,

cum ut infantes morituri vitam aeternam consequantur, tum etiam ut bene valentes e servitute diaboli liberati filii Dei nominari queant et sint (cf. *I Io.* 3, 1).

NOTAE

[1] Mors infantium naturalis ex morbo vel calamitate immerito aequiparata est ad martyrium; propterea adduntur verba « in odium fidei occisos ».

[2] Cf. INNOCENTIUS I, *ad Conc. Milev.*: *PL* 20, 592: « Illud vero quod eos [Pelagianos] vestra fraternitas asserit praedicare parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam aeternam in semetipsis [*Io.* 6, 54] »;

S. COELESTINUS I, *Indiculus*: DENZ. 140: « Cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et insufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur »;

GELASIUS I, *Epist.* 7: *PL* 59, 37: « De parvulis autem quod asserit [Pelagii doctrina] sine sacro baptismate, pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est... Quia propria non habent ulla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari »;

Conc. Florent., Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712: « Pueris... non potest alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi »;

Conc. Trid., Decr. *de iustificatione,* cap. 4: DENZ. 796 (cf. etiam n. 847): « Quae quidem translatio [ab eo statu quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei] post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest ».

[3] Ea persuasio apparet v. gr. ex eo quod, ubi fit sermo de necessitate baptismi pro pueris, documenta magisterii Ecclesiae de more non adducunt distinctionem inter sacramentum baptismi in re vel in voto susceptum.

Accedit praxis Ecclesiae, quae semper urgere non desinit tempestivum baptismum infantium, et infantibus mortuis sine baptismo sepulturam ecclesiasticam non concedit; cf. *C.I.C.,* can. 1239, § 1.

Expressioribus verbis locutus est PIUS Papa XII in *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 841: « Si quod hucusque diximus, defensionem et curam vitae naturalis respicit, tanto magis valere debet de supernaturali vita, quam modo natus infans baptismate accipit. In praesenti enim rerum oeconomia, nullum aliud est medium ad hanc vitam puero adhuc rationis experto communicandam. Et tamen status gratiae in momento mortis absolute necessarius est ad salutem; sine hoc, possibile non est pervenire ad felicitatem supernaturalem, ad visionem Dei beatificam. Actus quidem amoris sufficere potest adulto ad gratiam sanctificantem consequendam et baptismum supplere; at necdum genitae prolis vel modo natae haec via non patet ».

[4] Verba ita electa sunt, ut intactae maneant quaestiones disputatae, an v. gr. sit levis quidam dolor, etc. Cf. PIUS VI, Const. *Auctorem fidei*: DENZ. 1526.

[5] Cf. *Rom.* 5, 15-21. - INNOCENTIUS X, Const. *Cum occasione*: DENZ. 1096: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse »; haec propositio damnatur « uti falsa, temeraria, scan-

dalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica ».

Cf. etiam ALEXANDER VIII, *Decr. S. Off.* 24 aug. 1690: DENZ. 1294; CLEMENS XI, Const. dogm. *Unigenitus*: DENZ. 1382.

Romae, d. 22 oct. 1961.

ED. DHANIS, S. I.

TEXTUS P. DHANIS MODIFICATUS

A D. CAROLO COLOMBO

[*Baptismus ad salutem necessarius*]. Sacrosancta Synodus... Cum insuper a saeculis in Ecclesia communis fuerit sententia infantes aetatem rationis non adeptos huiusmodi voti esse incapaces, cumque adversa opinatio argumentis ad probandum firmis *adhuc* careat, ideo nonnisi temerario ausu contenditur promulgato iam Evangelio infantibus non baptizatis aditum *certe* patere ad beatam Dei visionem. Non autem desunt rationes censendi eos vera quadam felicitate, suo statui accommodata, frui, *ob merita Christi Domini qui pro ipsis quoque mortuus est;* ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorumdem altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter *fidenterque* remittit, « *qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus* » (cf. *Eph.* 3, 20).

[*Officium baptizandi infantes*]. Ut in textu P. Dhanis.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Antequam loquar, praeferam ut legatur prius quod iam paratum est, postea quaedam commentaria addam.[1]

Exc. FELICI: Caput 10: *De sorte infantium absque baptismo decedentium.* Summa convenientia inserendi in textum Constitutionis *De deposito fidei pure custodiendo* duplicem declarationem, scil.: circa necessitatem medii Baptismi pro infantibus et circa officium ipsos quantocius baptizandi, effertur in Votis datis a pluribus Exc.mis Episcopis. In iisdem enim petitur, ut: Declaratio fiat de necessitate Baptismi pro infantibus, quia nonnulli proposuerunt sententias quae spem extendunt salutis pro omnibus infantibus sine Baptismo morientibus vel saltem qui in utero moriuntur. Difficultas in ordine practico (ibidem legitur) est dilatio Baptismi. Unde postulatur ut: « Illustretur

[1] Ex taeniola magnetica.

pro pueris, usum rationis non habentibus, *post promulgatum Evangelium,* non dari salutis medium nisi Baptismum *in re* receptum ». Expressis etiam verbis postulatur ut refellatur sententia, non rara inter catholicos, quae asserit infantem *mediante parentum piorum fide* salvari posse; contra quam perniciosam opinionem, iudicatur summam dari occasionem denuo affirmandi Baptisma necessarium esse ad salutem necessitate medii (cf. *Acta,* vol. II, Append. pp. 152-153). Quibusdam aliis Patribus videtur opportuna aliqua clarificatio vel declaratio de doctrina Limbi (cf. *ibid.,* p. 178).

Tamen pro amore veritatis confiteri debet adesse quinque Exc.mos viros, qui putant quod « Doctrina communis de sorte infantium decedentium sine Baptismo fortassis denuo pensanda esset ad lucem Redemptionis et voluntatis salvificae Dei » (cf. *ibid.,* p. 153).

Praeter haec vota, attente considerata fuerunt etiam Vota vel Animadversiones proposita pro elaborando schemate, sive membrorum Subcommissionis et totius Commissionis theologicae, sive Rev.rum PP. Tromp, Congar, Häring, Colombo.

Tria sunt revera schemata exhibita huic Commissioni Centrali; quorum primum gaudet suffragiis 19 membrorum Commissionis theologicae, aliud 5 membrorum; tertium, solius redactoris.

Ad praestantiam autem theologicam primi schematis, prae duobus aliis, rite percipiendam, sequentia animadvertere iuvat:

1) Ecclesiam, iuxta suam saecularem praxim, infantibus mortuis sine baptismo denegasse sepulturam ecclesiasticam; nec unquam pro iisdem publice orasse.

2) Antiqui, qui denegant parvulis mortuis absque baptismo praemia vitae aeternae, nullo modo dubitasse de voluntate salvifica Dei et de satisfactione Christi universali.

3) Iuxta Concilium plenarium Baltimorense II, an. 1866 (ut refertur pag. 7),[2] Christus, effuso suo sanguine, *ius* omnibus infantibus comparavit recipiendi Baptismum, ut Dei vultum coelestis beatitatis fontem aspicere queant; cuius tamen iuris fruitione parvulos defraudant, omnes qui eos excedere sinunt baptismo destitutos. Proinde clare patet doctrina primi schematis nullatenus praeiudicium inferri valori universali mortis salvificae Christi, sed tantum urgetur ipsius applicatio mediis ab ipso Christo statutis, scil. Ecclesiae sacramentis, re aut saltem voto susceptis.

Denique adnotare iuvat tertium schema nullo solido argumento sive

---

[2] Cf. p. 392.

Magisterii Ecclesiae, sive Patrum suffragari; unde revera dubitare licet num etiam *in futuro* adversa opinatio firmis argumentis fruitura erit.

Card. OTTAVIANI: Puto opportunum praemittere unam animadversionem. Heic agitur de veritate enuntianda, non de iis quae cor suggereret ratione miserationis etc. quia si appellationem facimus ad pietatem certe alia esset via sumenda, sed nos debemus rem considerare prout est statuta in oeconomia actuali salutis aeternae, quam voluit Christus. Iamvero nullum dubium est quod necessarium sit necessitate medii baptisma, et sicut iam dictum est, traditio in hac re fuit constans semper et ipsa praxis Ecclesiae non orandi pro infantibus mortuis sine baptismo et eis non faciendi obsequia, quae fiunt pro iis qui baptizati sunt, est signum externum praxis Ecclesiae et comitatur ipsam traditionem. Traditio in hac re est unanimis, fuit semper unanimis, et si nos despicimus argumentum traditionis sic constantis, sic unanimis, posset etiam enervari principium deductum de deposito fidei, quod enunciatur non solum per SS. Scripturas, sed etiam per traditionem. Ceterum, quod attinet ad pietatem opportune a subcommissione doctrinali, quae exaravit hoc decretum, innuitur ad quandam felicitatem, qua fruentur illi pueri qui sine baptismo moriuntur. Verum quidem est eos esse privatos visione beatifica, sed, ut dicit S. Thomas, haec est minima res pro illis, in quantum visionis beatificae privatio est maximum damnum, maximus dolor pro iis qui iam ordinati sunt ad visionem beatificam, quatenus intraverunt iam in statum gratiae per baptismum et per alia Sacramenta. Igitur quo magis ordinati sunt ad visionem beatificam per media salutis data ab ipso Christo, eo magis pro ipsis est gravis amissio visionis beatificae. Quod attinet vero ad latus practicum, debemus considerare tendentiam quae hodie passim invaluit differendi baptismum puerorum. Si nos autem relinquimus insolutam quaestionem postquam tractata est ab auctoribus et relinquimus aliquam portam apertam ad sperandum quod pueri sine baptismo salvabuntur, nos favemus praxi eos non baptizandi, quae iam passim incipit invadere mundum christianum, et statuitur illa idea illuminationis, qua Christus D. N. applicat merita sua, satisfactiones, voluntatem suam salvificam. Non est quaestio de voluntate salvifica Dei; haec non ponitur in dubio etiam pro pueris etc., quia pro ipsis quoque mortuus est Christus et sufficiens applicatio etiam pro ipsis erat iam parata, sed efficax non potuit esse ex circumstantiis, praesertim quando haec pendet ab hominibus. Igitur non possumus invenire quaedam quae sunt purae inventiones seu constructiones illorum qui volunt invenire quandam viam; ista via illuminationis est res arbitraria. Propter hoc mihi videtur esse praeferenda prima forma proposita ab

ipsa Commissione, quae ab ipsa subcommissione obtinuit 19 suffragia, sed meminiscor etiam, quando res tractata est in conventu plenario totius Commissionis doctrinalis, quando convocata sunt omnia membra singularum subcommissionum et consultores quoque in sessione habita in Cancellaria Apostolica mense septembri, hanc formulam fuisse fere unanimiter approbatam. Illic doctissimus vir Colombo mansit solus in sustinenda ratione modificandi hanc doctrinam Ecclesiae ad salvandam voluntatem salvificam Dei. Haec non mittitur in quaestione pro eo quod sustinetur id quod traditio semper sustinuit et quod fundatum est in principio de necessitate medii sacramenti baptismatis. Primum schema differt ab alio prolato a Prof. Dhanis, Rectore studiorum in Universitate Gregoriana; differentia in hoc consistit quod Dhanis dicit firmis argumentis adhuc non fulciri theorias contrarias. Igitur admittit aliquam possibilitatem quod habeantur haec argumenta et rem calcat etiam Colombo dicendo « adhuc firmis argumentis non fulciri ». Hi relinquunt igitur portam apertam ita ut dicant « postea videbimus si habentur argumenta ». Sed mihi videtur traditionem esse argumentum sic peremptorium ut non sit recedendum a doctrina hucusque statuta. Et notandum est: theoriae de salvatione infantium sine baptismo morientium obtinere v. g. in Hollandia ubi praecise fuit concilium Ultraiectense, quod statuit necessitatem medii baptismi, et in Germania etiam Concilium Coloniense, quod statuit hanc necessitatem. Igitur sunt verae immutationes quodammodo quae volunt introduci. Igitur mihi videtur esse sustinendam propositionem factam a subcommissione in primo loco.[3]

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Frings: 1) In hac quaestione, quae, ut videtur, solvi non potest, etiam ipsa commissio theologica unanimem consensum non invenit.

2) Ipsa revelatio directe hanc quaestionem non dirimit. Duo sunt limites, intra quos disceptatio debet se contineri, scilicet ex una parte necessitas baptismi in re vel in voto suscepti pro adipiscenda vita aeterna, ex altera parte voluntas Dei salvifica universalis.

3) Grave periculum fidei ex hac quaestione imminere non videtur.

4) Ne dematur innumeris matribus, quarum filii sine earum culpa absque baptismate mortui sunt, ultima spes filios suos reperiendi in caelis.

[3] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

5) Quapropter hoc caput restringatur ad n. 52, in quo Commissio theologica erat unanimis.

Card. RUFFINI: Pag. 3,[1] linn. 17-19. Quae de infantibus sine baptismate ex hac vita decedentibus dicuntur, fateor mihi — uti exponuntur — non placere. Apertius affirmari deberet — ut opinor — infantes illos nullam poenam, quae sensuum dicitur, passuros esse. Peccatum enim originale cum in filiis Adae personale non sit, si non fuerit baptismate ablutum, exigit quidem privationem visionis beatificae, sed non expiationem crucialem sicut est in inferno. Per peccatum originale habetur aversio a Deo, sed non conversio ad creaturas. Haec sunt duo elementa peccati mortalis personalis.

Quocirca infantes, de quibus agitur, quadam felicitate naturali fruituros esse puto expostulari a iustitia et misericordia infinita Dei. Haec doctrina praedicatur iamdudum, ut opinor, in catechesi ab ordinario Ecclesiae magisterio.

Eadem pag. 3, lin. 24 « infantes neonati ». Pius XII in allocutione ad obstetrices — 29 oct. 1951 — loquebatur accuratius, ut mihi videtur, de *prole necdum genita vel modo nata.* Etenim pro certo habetur foetum anima humana esse informatum ab origine, propterea — ut in Codice Iuris Canonici provisum est — si periculum mortis immineat, debet semper, etiam per medicum obstetricum, in sinu matris baptizari et quidem *absolute,* evidenter si id fieri possit et praevideatur puerum certo vel probabiliter nasciturum non esse.

Card. KÖNIG: Mihi videtur schema quoad numerum 51 non esse hac forma Concilio proponendum et quidem ob sequentes rationes:

1) Ex revelatione certe scimus et fide credendum est sine baptismo neminem ex statu irae ad statum gratiae transferri posse.

2) Ex revelatione scimus etiam Deum omnipotentem habere voluntatem salvificam erga omnes homines.

Quomodo haec duo in casu componantur et qualis sit sors infantium sine baptismo decedentium, Deus nobis non revelavit. Ideo sufficiat admonitione gravi iterum inculcare officium baptizandi infantes, sicut in numero 52.

3) Etiam ratio pastoralis hoc suadere videtur: Non pauci scilicet sunt parentes in toto orbe terrarum quorum infantes sive neonati sive nonnati, infortunio quodam sine baptismo mortui sunt; tales parentes

---

[1] Cf. p. 390.

tam solemni definitione vel declaratione Concilii non raro in desperationem inducerentur.

Card. DÖPFNER: Textus uti in numero 51 (pag. 3)[2] proponitur non placet, et quidem ex diversis rationibus, inter quas nonnisi breviter sequentes annotare volo:

1) Non apparet ratio, cur Concilium quaestionem inter theologos catholicos vastissime disputatam et nondum plene maturatam iudicio solemni dirimat. Non pauci theologi, qui in Ecclesia bonam reputationem habent, iterum atque iterum his ultimis decenniis de hac quaestione disseruerunt atque investigaverunt cum omni cautela et habita ratione traditionis et documentorum officialium: videtur nobis, quod generaliter caute et modeste abstinent ab omni assertione categorica, etsi aliqui solutiones positivas sic vel sic suggerunt. Multi tamen praecise in hoc in unum conveniunt, quod modeste hanc opinionem exprimunt: neque directe ex fontibus revelationis nec indirecte per modum conclusionis constat infantes absque baptismo decedentes beari non posse.

Hic status quaestionis exempli gratia apparet ex cautissimo articulo *Limbus* in novissima editione « Lexicon für Theologie und Kirche » VI (Freiburg 1961), col. 1057-1059 (auctore P. Gumpel cum ampla bibliographia); vel: H. de Lavalette S. J., *Autour de la question des enfants morts sans baptême,* in: « Nouvelle Revue Théologique » 82, 1960, pp. 56-69; vel: Vincent Wilkin, *From Limbo to Heaven,* « Sheed and Ward » (New York).

In ipsa Commissione Theologica non desunt theologi eximii, qui sic sentiunt. Hoc clare patet ex « additamento » paginae 8,[3] linn. 1-11, et ex mitiore propositione Rev.mi P. E. Dhanis et D. Caroli Colombo in pp. 8 et 9.[4]

Documenta in notis uberrime allata evidenter his theologis mitioribus et cautioribus non sunt ignota. Antequam Schema tanti momenti Concilio proponatur, argumenta horum theologorum quoad vim probativam textuum citatorum ponderanda erunt. Citatur e. gr. textus e Concilio Lugdunensi (Denz. 464) in pagina 5,[5] in primis lineis: « ... illorum animas, qui in mortali vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere ».

A theologis cautioribus haec doctrina — nempe: iam solum pecca-

---

[2] Cf. pp. 389-390.
[3] Cf. p. 393.
[4] Cf. p. 393.
[5] Cf. p. 390.

tum originale excludere a beatitudine — minime negatur. Aperta autem manet quaestio facti, utrum aliquis cum solo peccato originali decedat, et si haec quaestio affirmanda erit, manet adhuc quaestio facti, utrum omnes infantes, qui absque baptismo in re decedunt, de facto cum solo peccato originali decedunt. Ipsum schema a Commissione Theologica propositum statuit vel saltem non excludit exceptionem magni ponderis (pag. 3,[6] linn. 3-5: infantes martyres in odium fidei occisos). Non probatur alias exceptiones esse impossibiles.

Et sic similiter quoad omnia argumenta allata ratio habenda esset explicationum tot theologorum eximiorum diversarum scholarum et nationum.

2) Alteram autem rationem propono tanquam episcopus, qui in Concilio testificari debet de fide, spe vel anxietate fidelium sibi commissarum:

Minime asserere possem esse in dioecesi mihi concredita veram aliquam fidem vel firmam convictionem sacerdotum et fidelium in illo sensu: infantes sine baptismo — inculpabiliter — decedentes non posse beari.

E contra ex informata conscientia dicere possum quod sequitur: Inter bonos sacerdotes, theologos et pastores animarum, qui omnino cum Ecclesia sentiunt, minime desunt, qui confidenter hanc quaestionem sapientiae et misericordiae Dei relinquunt et solummodo hoc asserere audent: Omnes in fine videbimus et laetanter confitebimur: « Bene fecit omnia » Christus, qui pro omnibus passus est et resurrexit. Et propter hoc nullo modo putant baptismum infantium esse negligendum aut parvi faciendum. Et certe boni fideles in conscientia vexantur, si ab aliis rigide affirmatur, omnes infantes absque baptismo decedentes certissime in aeternum excludi a fine supernaturali, qui est unicus finis hominum in hoc ordine salutis, uti in eadem Constitutione optime exhibetur.

Ex his et aliis rationibus meum votum sic promo:

Concilium in Constitutione de Deposito Fidei pure servando hac de quaestione potius nihil dicat.

Sedulo examinandum est, quo loco apto monitio de infantibus quam primum baptizandis inseratur.

Card. ALFRINK: Dubito an Concilium de hac materia loqui debeat.

Primo ex ratione theologica, quia evolutio theologica de hac mate-

---

[6] Cf. p. 389.

ria non videtur sufficienter maturata ut a Concilio Oecumenico Vaticano II claudatur.

Secundo ex ratione pastorali, quia ea quae dicuntur — speciatim in primo schemate — pro bonis nostris matribus christianis quarum graviditas aut partus infelicem habuit exitum videntur satis dura ita ut Ecclesia haec solemniter non enuntiet nisi sententia sit omnino certa.

Nunc autem ex facto quod nobis tria schemata proponuntur, iam patere videtur rem inter theologos non esse sufficienter maturatam.

Si in primo schemate dicitur « Ecclesia semper sibi persuasum habuerit, etc. » (num. 51, linea 10), hoc videtur nimis absolute dictum.

Unde in duobus aliis schematibus dicitur: « a saeculis in Ecclesia communis fuerit sententia ».

In documentis quae Ecclesia de ista materia promulgavit — scil. in Concilio Lugdunensi et in Concilio Florentino (sicut in pag. 5 [7] videri potest) duo puncta statuuntur:

1) quod *qui cum peccato originali decedunt,* praemia vitae aeternae consequi non possunt;

2) quod *Ecclesia* a Domino non recepit aliud remedium ad infantibus subveniendum quam sacramentum Baptismi.

Si theologi de hac materia disceptantes haec duo puncta retinent, iis libertas donetur ut studeant an et quomodo *Deus* in sua misericordia infantibus subveniat ita ut *non cum peccato originali decedant.*

Si Concilium Oecumenicum putat se de hac materia loqui debere, fateor nullum ex tribus schematibus mihi valde placere posse.

Isto in casu mallem ut Ecclesia nihil aliud statuat quam quod in aliis Conciliis cum magna circumspectione statutum est, nempe duo supra enumerata capita.

Et si necesse ducatur, addatur quod in num. 51 linea 15 et seq. dicitur, nempe « omnes sententias quibus etc. » — et addantur verba « adhuc propositas » — ita ut propositio sic legatur: « omnes sententias, *adhuc propositas,* quibus pro infantibus aliud medium praeter baptismum re susceptum statuitur, inanes esse declarat ».

Beat. SAIGH: L'enseignement traditionnel dans l'Eglise orientale orthodoxe tient, avec S. Grégoire de Nazianze (Oratio 40 de baptismo, 23, PG t. 36, 390), que les enfants morts sans baptême ne sont *ni récompensés ni punis.*

Par ailleurs, comme tous les mystères de l'au-delà, le sort de ces enfants non-baptisés reste entouré d'une certaine obscurité. Il n'a pas

---

[7] Cf. pp. 390-391.

plu à la Divine Providence de faire la pleine lumière sur ce sujet, afin que nous fassions confiance à sa justice et à son amour infini pour les hommes.

Aussi suis-je *favorable au premier des trois schémas proposés,* avec les réserves suivantes:

1) N. 51, lignes 1-17: Je proposerais de supprimer dans le Schéma, toute condamnation, même implicite, d'opinions contraires. Il n'est *pas opportun,* comme je l'ai souvent écrit, de faire dans ce Concile de nouvelles définitions dogmatiques. *Aucun danger ne menace l'Eglise* sur ce point précis de la doctrine traditionnelle. Il est bon de ne pas trop restreindre le domaine des théologoumènes, c'est-à-dire des questions qui peuvent encore être débattues par les théologiens, sans l'intervention d'une définition dogmatique. Ce point de vue, en ce qui concerne les efforts d'union avec les confessions non-catholiques, me paraît être d'une grande importance. A moins que la foi ne soit en péril, il vaut mieux éviter de créer, par des nouvelles définitions dogmatiques, de nouveaux obstacles à l'union.

2) N. 51, ligne 19: Je ne vois pas d'inconvénient à ajouter à la fin de ce paragraphe, après les mots « perenniter frui », la phrase suivante tirée du Schéma de Mgr Carolo Colombo (p. 12,[8] lignes 10-16): « ob merita Christi Domini qui pro ipsis quoque mortuus est; ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorumdem altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter fidenterque remittit, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus ». Cette considération est consolante, car, en définitive, nous ne pouvons être plus soucieux du sort de ces enfants que Dieu lui-même qui a livré son Fils pour eux. Quand on pense au nombre immense d'êtres humains qui meurent ainsi, soit avant de naître, soit en bas-âge, sans baptême, on ne saurait trop inviter les fidèles à confier ces enfants à l'amoureuse justice de leur Père.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Em.mi Frings et aliorum Em.morum Patrum.

Card. MICARA: Placet iuxta primum schema.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: scilicet cum mitigationibus ab ipso Card. Ottaviani acceptis.

---

[8] Cf. p. 395.

Card. Aloisi Masella: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta fuerunt ab Em.mo Card. Ruffini.

Card. Cicognani C.: Placet.

Card. Ferretto: Placet iuxta modum: scilicet habita ratione animadversionum Eminentissimi Cardinalis Ruffini et Eminentissimi Cardinalis Agagianian.

Card. Liénart: Placet iuxta modum: cum ex una parte certum sit quod Dominus Iesus Christus pro omnibus hominibus mortuus est et ex altera parte definitum sit quod, excepto martyrio, baptismus, saltem in voto, medium est necessarium ad salutem supernaturalem adipiscendam, sors infantium absque baptismo decedentium, quorum numerus in mundo tam copiosus est, mysterium remanet. Quae cum ita sint, exopto ut Concilium, mysterium humiliter agnoscens, remittat sapientiae et misericordiae Dei solutionem et fideles monens de illa gravissima incertitudine, illos exhortet ad procurandum baptismum infantibus. Iis quae sunt dicta ab Em.mis Cardinalibus Frings, König, Döpfner, Alfrink et a Beat.mo Patr. Melchitarum assentio.

Card. Tappouni: Non placet: i. e. attentis observationibus Em.mi Card. Alfrink et B. Patriarchae Melchitarum.

Card. Copello: Placet iuxta modum: iuxta dicta ab Em.mis Cardinalibus Frings, König, Döpfner, Alfrink et Liénart.

Card. Agagianian: Placet iuxta modum: primum schema. Pag. 3,[1] lin. 17, dicerem: « Infantes autem non baptizati, licet priventur visione Dei beatifica, fruuntur tamen felicitate naturali, absque ullis poenis seu cruciatibus ».

Card. McGuigan: Placet iuxta modum: accipio opinionem Em.mi Relatoris et Em.morum Frings et Agagianian. Communis pastoralis opinio sequenda est.

Card. Pla y Deniel: Placet primum schema.

Card. Frings: Non placet quoad § 51.[2]

Card. Ruffini: Placet iuxta modum.[3]

---

[1] Cf. p. 390.
[2] Cf. pp.398-399.
[3] Cf. p. 399.

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu schema restringatur ad n. 52 cap. 10.

Card. SIRI: Placet iuxta modum primum schema, scilicet: primum schema tamen videtur reformandum in lineis 17-19 iuxta dicta ab Em.mo Ruffini. In coeteris voto adhaereo prolato a B.mo Patriarcha Melchitarum.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est, cum observationibus Card. Ruffini et Agagianian. Addam quod in linea 16 pag. 3 [4] debet deleri verbum « inanes », et in linea 24 eiusdem pag. 3 deleri etiam debent verba « commode fieri potest ».

Card. LÉGER: Placet schema R. P. Dhanis cum modificationibus: i. e. secundum quae dicta fuerunt ab Em.mis König, Döpfner, Alfrink et a Patriarcha Melchitarum.

Formula Rev. P. Dhanis, cum modificationibus D. Caroli Colombo, mihi videtur magis consentanea cum vero statu cognitionis theologicae hodiernae de problemate sortis infantium absque baptismo decedentium. Hae sunt rationes voti mei.

Quoad primam paragraphum:

a) Pag. 9,[5] lin. 14. Precisius est ponere in principio verba « post Evangelium promulgatum ». Quia hoc est verum etiam de principio generali in prima sententia enunciatum.

b) Pag. 9, lin. 20. Opportune in *primo* loco datur argumentum Traditionis potiusquam argumentum speculativum.

c) Pag. 9, lin. 26. Non fit mentio de *sacramento* sed tantummodo de *baptismo* et hoc sufficit.

d) Pag. 10.[6] Valde opportune addita est sententia affirmans quod Iesus Christus pro omnibus mortuus est. Illis verbis ostenditur mysterium quod circumvenit aliquos aspectus problematis.

e) Pag. 12,[7] lin. 6. Verbum « adhuc » indicat quod agitur de quaestione theologica etiam nunc disputata. Et in lin. 8, verbum « certe » sublineat, in eodem sensu, quod argumenta theologica non adhuc sunt absolute probantia.

Tamen, pag. 12, lin. 3, propono quod verbis « aetatem rationis » substituantur verba « usum rationis » quae melius rem exprimunt.

---

[4] Cf. p. 390.
[5] Cf. p. 393.
[6] Cf. p. 393.
[7] Cf. p. 395.

Quoad secundam paragraphum:

Pag. 10,[8] lin. 10. Opportune supprimuntur verba « commode fieri potest ». Sufficit dicere « quamprimum moraliter », speciatim nostris temporibus ubi, in multis regionibus, faciliter et sine rationibus ponderosis, mora offertur baptismo infantium neonatorum.

Card. MONTINI: Non placet, attentis quae a Cardinalibus Liénart, Döpfner et Alfrink et a Patriarcha Melchitarum dicta sunt. Mallem enim ut nihil statueretur de hac materia. Si vero aliquid est statuendum, tertium schema videtur praeferendum, quippe quod nihil demat doctrinae et praxi Ecclesiae, et honorem tribuat divinae sapientiae et misericordiae.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: idest partim tantum, ita ut reformetur. Si nos, ut dixit Em.mus Cardinalis Ponens, pietate compulsi, vellemus, in casu, infantes non baptizatos salvos fieri, quo modo sensus iste non esset eminens in Illo qui est « fons pietatis »? Praeferendum proinde reaffirmare necessitatem baptismi ac monere parentes de obligatione quamprimum infantes baptizandi; abstinendum autem a definitione huius quaestionis in sensu negativo.

Card. GODFREY: Placet iuxta primum schema, ad mentem Em.mi Relatoris, habita ratione observationum Em.mi Ruffini. Sufficit quod dicit primum schema de « rationibus censendi eosdem quadam felicitate etc. » (paragr. 51). Via relinquitur aperta theologis investigandi illas rationes censendi « de felicitate infantium non baptizatorum ».

Card. CONFALONIERI: Non placet n. 51, subordinate adhaereo voto Domini Colombo. Cur enim audemus, infirmi uti sumus, limites sapientiae Dei imponere? Ex alia parte Ecclesia acceptat declarationem fidei patrinorum sive parentum, sive fidelium: cur despiciendum votum quod est in corde parentum et Matris Ecclesiae?

Placet n. 52.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: secundum observationes ab Em.mis Card. Liénart, Frings, König, Alfrink et a Beat.mo Patriarcha Melchitarum allatas; et saltem exopto quod additamentum ab Em.mo Card. Agagianian propositum admittatur.

Card. KÖNIG: Placet numerus 52. Non placet n. 51.[9]

---

[8] Cf. p. 393.

[9] Cf. pp. 399-400.

Card. DÖPFNER: Placet contentum in n. 52. Non placet n. 51. Cf. folia adnexa.[10]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis scilicet animadversionibus ab Em.mis Frings, Ruffini et Agagianian prolatis.

Card. TESTA: Placet iuxta modum: scilicet iuxta observationes prolatas ab Em.mis Card. Ruffini et Card. Agagianian.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: i. e. placet num. 52, non placet num. 51 iuxta sensum explicatum a Cardinalibus Frings, König, Döpfner et Alfrink.

Card. TRAGLIA: Non placet, quia definitio huius doctrinae non videtur necessaria, nec utilis nec opportuna (quae habentur in magisterio Ecclesiae satis sunt). Praeterea, uti apparet ex documentis exhibitis, doctrina non videtur certa. Etiam in parte dispositiva deest consensus (v. n. 52 lin. 24 habetur « commode » quod deest in pag. 10,[11] n. 2, lin. 10).

Card. ALFRINK: Non placet, secundum ea quae dixi in folio adnexo.[12]

Card. OTTAVIANI: Placet cum emendationibus propositis ab Em.mis Agagianian et Ruffini.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: primum schema secundum ea quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Ruffini.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: sc. attentis quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Ruffini, Agagianian et Quiroga y Palacios. Ceterum ne definiatur nisi doctrina omnino certa.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: id est officium nostrum in hac Commissione Centrali non est definiendae quaestionis de sorte illorum infantium, sed solummodo dicendi utrum schema possit necne submitti iudicio Summi Pontificis. Atqui meo humillimo iudicio censeo ut schema proponatur Summo Pontifici, additis tamen animadversionibus Relatoris et Ruffini.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut: quoad n. 51 fiat nova redactio in qua conservetur redactio fundamentalis prout exposita, correcta et completa est a Cardd. Em.mis Ottaviani, Ruffini, Agagianian et

---

[10] Cf. pp. 400-401.
[11] Cf. p. 393.
[12] Cf. pp. 401-402.

a Beatissimo Patriarcha Melchitarum sed abstinendum a censura quae continetur linn. 14-19; quoad n. 52 auferatur « commode » lin. 24. Si vero difficultas talis sit in redactione nova n. 51, ut vix possibilis videatur ipse supprimatur.

Card. HEARD: Placet, ratione habita animadversionum Em.mi Ruffini.

Beat SAIGH: Placet, selon le premier schema en évitant toute condamnation directe ou indirecte sur des questions encore debattues entre théologiens.[13]

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe primum schema, ea conditione ut ab omni definitione abstineatur et insistendo ut baptismus quam primum administretur infantibus.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimorum Patrum.

Exc. FELICI: Non placet. Cum materia haec nondum clara et perspicua sit neque ideo conveniat eam in proximo Concilio definiri, satis est ut magis magisque inculcetur necessitas baptismatis quamprimum conferendi.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: et secundum animadversiones ab Em.mis Cardinalibus Ottaviani, Agagianian et Ruffini factas.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: Caput 10.

Numerus 51: Placet iuxta modum, scilicet, placet quia ni fallor hanc doctrinam constanter tenuit Ecclesia, sed placet iuxta modum quia mihi videtur omnino conveniens et opportunum ut huic numero addantur (secundum dicta a Card. Liénart, Alfrink etc.) ea prudentissime exposita et proposita ab Em.mis Cardd. Ruffini et Agagianian.

Numerus 52: Placet iuxta modum: id est quod officium grave est curare ut infantes baptizentur quam primum ad normam canonis 770. Non tantum quam primum commode fieri potest, quia periculum adest ut baptismus protrahatur quacumque ex causa, cum damno gravi infantium.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: secundum sententiam Em.mi Card. Ruffini et Patriarchae Melchitarum, et Card. Agagianian atque additamentum Em.mi Relatoris, et Card. Larraona et aliorum Patrum.

[13] Cf. pp. 402-403.

Exc. BERAS: Placet iuxta modum: assentio eis quae dixit Eminentissimus Cardinalis Agagianian.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: cum observationibus Eminentissimorum Cardinalium Ruffini et Agagianian.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: assentio his quae dixit Eminentissimus Cardinalis Agagianian.

Exc. ŠEPER: Placet iuxta modum: remaneat n. 52 de obligatione baptizandi infantes. Quaestio de sorte infantium sine Baptismo decedentium potius relinquatur vel assumatur textus Rev.mi Colombo.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: n. 52 placet cum emendationibus Cardinalis Ruffini. Quoad n. 51, non placet. Assentio dictis Cardinalium Frings, Döpfner, Alfrink, Agagianian et Patriarchae Melchitarum. Res non definiatur, sed adhuc disputetur inter theologos.

Exc. BERNARD: Placet iuxta modum: iuxta vota emissa ab Eminentissimis Cardinalibus Frings, Döpfner, Alfrink, Liénart.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: sublato scilicet articulo 51.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Card. Liénart et Beat. Patriarchae Melchitarum.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: scilicet cum emendationibus a Cardinalibus Liénart et Agagianian propositis.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet iuxta modum: i. e. iuxta mentem Eminentissimi Frings.

Exc. VERWIMP: Placet iuxta modum: ratione habita de eis quae dixerunt Eminentissimi Patres Ruffini, Frings, König, Alfrink et Beatissimus Patriarcha Melchitarum.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet habeantur prae oculis animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Ruffini, Agagianian ac Beat.mi Patriarchae Melchitarum. Adhaereo voto Rev.mi Caroli Colombo.

Exc. SUHR: Placet numerus 52. Non placet numerus 51.

Rev. GUT: Non placet ob rationes Em.morum Frings, König, Döpfner, Alfrink et Patriarchae Melchitarum. Concilium de hac quaestione prudentius non agat. Ad summum retineatur schema tertium.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis quoque dictis ab Em.mo Agagianian et Em.mo Ruffini; sed attenta discussione cum quodam dubio de opportunitate paragraphi 51.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Frings, König, Alfrink, Döpfner et Beatissimi Patriarchae Melchitarum.

Placet unumquodque ex tribus schematibus propositis.

Magis vero placet a P. Ed. Dhanis exaratum schema, quod, una ex parte, ni fallor, omnia elementa traditionis salvat, altera ex parte suavius magisque humaniter sonat. Re vera, si actualis oeconomia salutis aditum ad visionem beatificam infantibus absque baptismate decedentibus praecludit, nemo impedire poterit quo minus Deus pro sua iustitia, bonitate et misericordia pro istis infantibus quandam viam verae felicitatis nobis incognitam provideat. Ceterum vero puto semper insistendum esse apud fideles ut neonatos quamprimum baptizari curent.

Prius schema (pag. 3) [14] certocertius traditionale et plane orthodoxum est; sed, forsitan, minus completum schemate P. Ed. Dhanis; plurimi fideles et quandoque ipsi sacerdotes sibi persuadere nequeunt omnem viam praeclusam esse divinae omnipotentiae veram felicitatem comparandi infantibus, qui sine ulla culpa baptismo non fuerint regenerati.

Salvo semper meliore iudicio.

N. B.: Ad pag. 11,[15] lin. 17: dicatur « experti ».

Rev. JANSSENS: Placet n. 52. Non placet n. 51.

* * *

Rev.mi D. ERNESTI CAMAGNI, Consiliarii:

Liceat mihi, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres, minimo ex hac « silentii zona » loqui de « *sorte infantium absque baptismo decedentium* ».

1) Quaestio quae proponitur est hodie quoque valde agitata a theologis etiam optimae famae ex pluribus nationibus (cf. nuperrime *Revista Española de Teologia,* 1961/I): ex quo apparet doctrinam non esse satis claram.

2) Caute procedendum est in hac materia, quia non agitur principaliter de problemate quodam psychologico et spirituali, scilicet de sorte infantium et de spe christiana circa eorum exitum futurum, sed

[14] Cf. p. 389.
[15] Cf. p. 394.

de declaranda voluntate salvifica Dei et universali amore salvifico Christi Domini: ex diversa solutione illius quaestionis, enim, pendet modus intelligendi has veritates, quae sunt fundamentalissimae in revelatione christiana (cf. Lennerz, *De Sacramento Baptismi,* III ed., pp. 109-112).

Antequam proponatur doctrina a Concilio tradenda, quaestio solvenda haec est: numquid Christus Dominus moriens in cruce cognovit non tantum indeterminate et generice, sed *individualiter tamquam fratres suos* etiam omnes istos pueros (cf. Decretum S. Officii 5-VI-1918, Dz. 2181-2183: *De cognitione D. N. Iesu Christi*), et numquid pro illis redimendis et sibi in supernaturali vita sociandis se obtulit, an non? Et si pro illis etiam se obtulit, possumusne dicere cum absoluta certitudine Eum nullum medium pro illorum salute providisse praeter baptismum re susceptum, et de tali dispositione nobis constare cum absoluta certitudine eam esse doctrinam revelatam?

3) Attendendum est, enim, doctrinam de voluntate salvifica Dei, progressu temporis progredientem, continuo clarificationem in doctrina theologica et ipsius Ecclesiae habuisse, idque semper in sensu amplioris universalitatis et firmioris certitudinis, non obstantibus difficultatibus quae exsurgebant vel e permanenti magna auctoritate doctrinae S. Augustini, vel ex problematibus quae saeculo XVI enascebantur ex noviter inventa America. (Hoc clare patet attente legenti opus historicum D.ni Caperan, *Le problème du salut des infidèles. Essai historique.* II ed., Toulouse, 1934).

4) Ea quae hodie proponuntur *a quibusdam* de sorte infantium non videntur magis dissona a communi sententia hucusque tradita, quam suo tempore fuit doctrina divi Thomae de eorum felicitate naturali respectu doctrinae praecedentis inspirationis augustinianae; vel doctrina de sufficientia fidei implicitae ad salutem consequendam in mysteria christiana, quae proponi incepit saeculo XVI, respectu doctrinae praecedentis.

5) Certo certius christiana fortitudine resistendum est doctrinis noviter propositis, quae vel certissima dogmata in discrimen vertunt, vel ansam dare possunt consectariis practicis summopere nocentibus saluti animarum. Hac de causa, haec quae sequuntur expedire humillime mihi videtur ut Concilio proponantur:

a) universalis voluntas salvifica Dei, ut christianorum animi in spem erigantur, et religio christiana manifestetur tamquam revelatio amoris Dei et Christi Domini erga omnes homines, « qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus » (Eph. 3, 20);

b) necessitas novae nativitatis in Christo, per baptismum re vel voto susceptum, ad vitam supernaturalem aeternamque in caelis adipiscendam;

c) gravissima obligatio conferendi baptismum quam citius, contra permultas difficultates quae contra hanc disciplinam sparguntur;

d) Concilium declaret obligationem theologorum abstinendi a disputationibus, quae vel animarum saluti periculum iniiciunt vel ansam praebent minoris aestimandi sacramentum baptismi ad salutem necessarii;

e) quoad sortem infantium absque baptismo morientium, declaretur eos esse relinquendos et commendari posse Dei infinitae misericordiae et amori Christi Domini, quin aliquid de iis definire valeamus, ut iam concludebat in hac quaestione S. Bernardus: « Penes Deum est, non meum definire » (cf. M. L. 182/1034).

XVI

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(Octava Congregatio: 23 ian. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE THEOLOGICA

Caput 11

DE SATISFACTIONE CHRISTI

53. [*Christus, Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis hominum Deo vere et proprie satisfecit*]. Sponsa Divini Redemptoris, memor verborum S. Pauli: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph.* 5, 25-26), in hac Vaticana Synodo confirmat, tamquam veritatem inter praecipuas christianae religionis, valorem piacularem mortis Christi, declarans Dei Verbum, in assumpta humana natura patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse.[1] « Omnes enim, ait Apostolus, peccaverunt, et egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius » (*Rom.* 3, 23-25).[2]

54. [*Peccatum est vera et propria offensa Dei*]. Revera, saltem in praesenti oeconomia salutis, nulla creata vis hominum sceleribus plene expiandis erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset.[3] Peccatum enim, iuxta Spiritus Sancti oracula, est iniquitas ac offensa in Deum; nam peccator, legem divinam violans, coram Deo peccat eumque contemnit, divinam maiestatem laedit et Dei inimicus fit.[4] Unde pariter edocemur quod iniquitates nostrae dividunt inter nos et Deum nostrum, clamant vindictam coram Deo, efficiunt homines Deo debitores et filios irae, egentes misericordia

Dei qua gratis reconcilientur illi.[5] Proinde ad reparandam iniuriam divinae maiestati illatam, ipse Dei Filius proprium sanguinem aeterno Patri per Spiritum Sanctum obtulit (cf. *Hebr.* 9, 14) ac ita per mortem suam Deo nos reconciliavit (cf. *Rom.* 5, 10). Illi enim soli, utpote innocentissimo ac Deo Patri in dignitate aequali, congruunt verba Ioannis Baptistae: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi » (*Io.* 1, 29).

55. [*Christus satisfactione vicaria pro cunctis hominibus iustitiam Dei placavit*]. Propitiatio autem, quae est Iesus Christus iustus, pro peccatis totius mundi (cf. *I Io.* 2, 2), efficaciam satisfactoriam, quam « vicariam » vocant, revera habuit. Non solum enim Redemptor noster « semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis » (*I Petr.* 3, 18), sed etiam ut Caput nostrum et novus Adam peccatum originale atque culpas omnium hominum et poenas iisdem debitas expiavit, quatenus, ex amore et oboedientia patiendo, longe maiorem gloriam Deo reddidit, quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis.[6] Hoc munus iam praecinerat Isaias propheta, dum de Servo Iahweh ait: « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit » (*Is.* 53, 4). Fortius autem docet Apostolus: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 13-14). Quod opus mirae caritatis Dei et Christi erga nos contemplatus, Ioannes Evangelista fatetur: « In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris » (*I Io.* 4, 10). Quamvis enim Deus, ex suprema sua bonitate, potuisset delicta hominum in se commissa absque poenali satisfactione dimittere, amorem miserentem unice ostendens,[7] maluit tamen ad suam misericordiam etiam in iustitia superabundanter manifestandam (cf. *Rom.* 5, 20) atque ad dignitatem hominis melius servandam, mittere Filium suum in mundum, ut per ipsum, Deum-hominem, mundum non iam iudicaret, sed salvaret, proprio Filio suo non parcens, sed pro nobis omnibus tradens illum (cf. *Rom.* 8, 32). Christus vero, decreto Patris miserentissimi ac iustissimi oboediens usque ad mortem crucis (cf. *Phil.* 2, 8), « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (*Eph.* 5, 2). Concors igitur fuit voluntas Patris in decernendo, et Filii incarnati in acceptando sacrificio crucis pro salute humani generis, ita ut Apostolus integrum mysterium redemptionis his verbis complexus sit: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum » (*II Cor.* 5, 18).

56. [*Damnantur opiniones pervertentes notionem peccati, prout est offensa Dei, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae*]. Quapropter haec Sancta Synodus, doctrinam de humana redemptione ex purissimis divinae revelationis fontibus hauriens necnon ex perenni Ecclesiae magisterio,[8] reicit opiniones illorum, qui falso aestimantes peccato nullam veri nominis offensam Deo inferri, affirmare praesumunt sacrificium Christi in cruce alium valorem seu efficaciam non habuisse praeter quam exempli, meriti et liberationis, non

autem verae et proprie dictae satisfactionis pro humanis sceleribus, quasi hoc divinae iustitiae repugnaret, dum potius tam misericordiae quam iustitiae aeterni Numinis maxime congruit.[9]

NOTAE

[1] *Conc. Vat. I, Schema secundae Constitutionis dogmaticae De Fide catholica,* can. IV, 3. *De Mysterio Verbi Incarnati*: « Si quis negaverit ipsum Dei Verum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; aut affirmare praesumpserit, satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, iustitiae divinae repugnare, A.S. » [MANSI 53, 294].

[2] Cf. e. g. Fr. CEUPPENS, O.P., *Quaestiones selectae ex Epist. S. Pauli* (1951), pp. 32-36. – Cl. Auctor his verbis mentem Apostoli reddit (cum S. Thoma et, inter recentiores exegetas, M. J., Lagrange, A. Lemonnyer, J. Sickenberger, G. Ricciotti): « Deus ab aeterno voluit Christum ut expiationis victimam exhibere ac propitiationis, et hominem huius expiationis participem fieri per fidem in sanguine, seu in efficacia sanguinis Christi, quae fides conducit homines ad iustificationem » [p. 34].

[3] Cf. PIUS XI, Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.* 20 (1928), p. 170.

[4] Cf. *I Io.* 3, 4; *Ps.* 50, 6; *Lc.* 15, 18; *I Reg.* 2, 30; *Deut.* 9, 23; *Ez.* 20, 8; 20, 21; *Rom.* 5, 10.

[5] Cf. *Is.* 59, 2; *Gen.* 4, 10; *Iac.* 5, 4; *Rom.* 12, 19; *Mt.* 6, 12; *Eph.* 2, 3; *Rom.* 3, 23; *Col.* 1, 21.

[6] S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 48, a. 2: « Christus autem, ex caritate et oboedientia patiendo, maius aliquod Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis ».

[7] S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 46. a. 2, ad 3: « Si voluisset [Deus] absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fecisset ... Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae, ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam ».

[8] Cf. P. DANDER, S. I., *De satisfactione Christi* [C. T. 7/61: 37].

Meminisse iuvabit:

a) Inter SS. PATRES:

S. AUGUSTINUS, *Contra Faustum,* 14, 4: *PL* 42, 297: « Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum »;

ID., *De Trin.,* IV, 13, 17: *PL* 42, 899: « Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit »;

S. GREGORIUS M., *Moralia,* XVII, 30, 46: *PL* 76, 33: « Fecit [Filius Dei] pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quae et humanitate mori et iustitia mundare potuisset ».

b) Inter Doctores Ecclesiae:

S. THOMAS, *Summa Theol.* Suppl., q. 13, a. 1, ad 1: « Satisfactio non respondet peccato nisi secundum quod est offensa Dei ».

c) Magisterium Ecclesiae:

Conc. Ephesinum: DENZ. 122: « Si quis dicit, ... [Dei Verbum] pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis ... A.S. »;

Conc. Tridentinum: DENZ. 790 loquitur de merito « Iesu Christi qui nos Deo reconciliavit, ... factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio [*I Cor.* 1, 30] »;

LEO XIII, Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: *A.S.S.* 33 (1900-1901), p. 275: « Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris Numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque *satisfecit* de sanguine suo, tantoque redemptum pretio *vindicavit* sibi genus humanum »;

PIUS XII, Encycl. *Orientales Ecclesias,* 15 dec. 1952: *A.A.S.* 45 (1953), p. 13: « Ad propitiandam tot tantisque iniuriis offensisque laesam divinam maiestatem ».

[9] F. CEUPPENS, congruis textibus ex utroque Testamento allatis, probat Deo iustitiam distributivam, quae remunerativam et vindicativam in Deo tantum complectitur, *formaliter* convenire [*De Deo Uno,* vol. I, 1938, pp. 226-227].

Cf. acta praesynod. *Conc. Vat. I,* text. cit. nota 1;

PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: *A.A.S.* 42 (1950), p. 570: « Nec satis: nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis posthabitis, pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae »;

PIUS XII, Encycl. *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 322 ubi refertur textus S. Thomae ex *Summa Theol.* III, q. 46, a. 1, ad 3: « Hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et iustitiae eius. Iustitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Misericordiae vero, quia, cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, ... Deus ei satisfactorem dedit Filium suum »;

S. AUGUSTINUS, *De Trin.* XIII, 10, 13: *PL* 42, 1024, ostendit ad liberandum genus humanum: « Non alium modum possibilem Deo defuisse ... sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse »; cf. A. HACAULT, *La satisfaction du Christ-Jésus à la lumière de l'Encyclique " Humani generis",* Montréal, Canada, 1960;

Acta et Documenta Conc. Oecum. Vat. II Appar., Ser. I, vol. IV, P. I, t. 2, pp. 355-363.

2) RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS THEOLOGICAE

Huic ultimo capiti nihil habeo addendum praeter quod nunc legetur ab Exc.mo Secretario. Hoc caput mihi placet multum, quia etiam est solacium animabus, et placet etiam modus quo est concinnatus, refert enim textus S. Scripturae, qui vere ostendunt quomodo res sit apta cum plena cognitione eorum quae a verbo Dei nobis tradita sunt. Igitur spero fore ut in hac parte Constitutionis res procedat tranquille.[1]

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Exc. Felici: Hoc extremum caput Constitutionis De deposito Fidei ideo additum fuit, quia nostris diebus non defuerunt nec forsitan desunt, etiam inter viros catholicos, qui sectantur opiniones venenosas, reprobatas a Pio XII in Encycl. *Humani generis,* inter quas numeratur illa quae pervertit notionem peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae.

Quapropter, doctrina cap. XI tres paragraphos complectitur. In par. 53 confirmatur doctrina de Christo, Dei Verbo, qui in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis hominum Deo vere et proprie satisfecit. Fons ex quo hauritur doctrina est Epistula S. Pauli ad Romanos; verba autem constitutionis quasi ad litteram repetunt verba quae leguntur in schemate secundae constitutionis dogmaticae *De fide catholica,* cap. IV *De mysterio Verbi Incarnati,* proposito in Concil. Vatic. I.

In paragr. 54 veritas summi momenti, a pluribus hodie practice, a quibusdam etiam theoretice, in oblivionem posita, mentibus fidelium revocatur, videlicet: peccatum esse veram et propriam offensam Dei, ad quam adaequate reparandam, iuxta doctrinam Encycl. *Miserentissimus Redemptor* Pii XI, « nulla creata vis satis erat ». Verba autem, quibus doctrina exprimitur, ipsa verba S. Scripturae referunt.

In paragr. 55 alia veritas asseritur, quae tamquam fundamentum retineri debet in religione catholica, scilicet de satisfactione vicaria pro cunctis hominibus a Christo aeterno Patri praestita. Haec veritas ipsis verbis Scripturae Sacrae proponitur, iuxta sensum quae ipsa adepta sunt apud SS. Patres et Doctores Ecclesiae, quem sensum recentius confirmavit Leo XIII in Litt. Encycl. *Tametsi futura,* diei 1 novembris 1890.

In paragr. 56, ad modum corollarii, denuo damnantur opiniones quorumdam theologorum catholicorum, quae iam reprobatae fuerunt in Encycl. *Humani generis.*

Etiam hoc capite Commissio Theologica satisfacere intendit Votis expressis a pluribus, in quibus desideratur ut in Conc. Vat. II agatur de Christi opere redemptivo ac de satisfactione Christi; de munere amoris, misericordiae et iustitiae, contra duplicem errorem: *a*) Reformatorum (et nonnullorum catholicorum) qui Christum obiectum faciunt iustitiae vindicativae tantum; *b*) Sectatorum cuiusdam *moralismi.* Pariter satisfieri videtur desideratis plurium Episcoporum, qui petunt ut illustretur doctrina de opere Christi salvifico; ut definiatur schema de Christo redemptore praeparato a Concil. Vat. I; ut illustretur doctrina de natura peccati, hodie in oblivionem deleta, prout est offensa personalis Dei et mors vitae supernaturalis (cf. *Acta,* Append. vol. II, p. 184).

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Exc. LEFEBVRE: *Circa quaestiones theologicas*:

Certe in decursu examinis propositionum et schematum Commissionis theologicae, Eminentissimus Cardinalis Relator, nobis clare respondit animadversionibus factis et speciali modo quoad methodum expositionis doctrinae.

Etiam certissime, ut fecerunt omnia Concilia, maxime necessarii sunt Canones qui modo particulari et quasi-scientifico repellunt errores hodiernos et sic omnino videtur necessarium servare schemata quae nobis proposita fuerunt.

Attamen, nisi fallor, non pauca membra huius coetus manifestaverunt desiderium in favorem expositionis doctrinae modo magis positivo. Ita locuti sunt Eminentissimi Cardinales Liénart, Agagianian, Frings et alii, aut modo magis logico et ad modum synthesis. Ita dixerunt Eminentissimi Cardinales Döpfner et Léger.

Et nonne, humiliter dico, aliquid deerit, si nulla responsio detur huic desiderio tam fundato in aspirationibus multorum sacerdotum professorum et fidelium quaerentium panem fidei coram terribilia systemata hodierna falsa, materialismi dialectici et athei, et etiam, ut ita dicam, materialismi christiani professi a Teilhard de Chardin... et materialismi laicistici totius societatis hodiernae? Haec systemata contendunt dare responsa omnibus quaestionibus de origine, de evolutione, de fine mundi et hominis.

Ideoque, hanc suggestionem humiliter propono:

Ut fuit traditio sancta in Conciliis exarandi professiones fidei contra errores vigentes hoc tempore, ut sapientissime fecit Concilium Tridentinum, faciendo, praeter professionem fidei, admirabilem synthesim fidei catholicae in suo catechismo, fons et exemplar omnium catechismorum nostrorum; nonne Concilium Vaticanum Secundum posset exarare opusculum exponentem breviter synthesim totius oeconomiae christianae in quo origo mundi et hominis explanaretur, ita ut de facto expelleretur polygenismus, sicut exposuit tam clare Eminentissimus Cardinalis Ruffini, in quo ordo naturalis et supernaturalis intima connexio principiorum philosophiae perennis et fidei catholicae enixe demonstraretur uti praeclare dixit Eminentissimus Cardinalis Agagianian, in quo luminose appareret nullam salutem esse possibilem extra Iesum Salvatorem nostrum et suum corpus mysticum quod est Ecclesia et sic clare demonstraretur Christocentrismus ut optavit Eminentissimus Cardinalis Döpfner, in

quo denique eschatologia christiana cum novissimis finibus hominum clare exposita esset ad mentem plurium membrorum Commissionis?

Hoc modo prima documenta i. e. canones custodiunt omnino valorem suum, maxime utilem ad depositum fidei custodiendum et aliud documentum, etsi non tam accurate scientificum, esset fons maxime utilis in apostolatu, in praedicationibus et conferentiis et posset facile traduci in omnibus linguis et sic lucem fidei afferret omnibus fidelibus et non fidelibus qui exspectant hodie luminosam expositionem totius oeconomiae christianae contra horrenda systemata materialismi, laicismi, pantheismi et contra fallacem oppositionem scientiae et fidei.

Rev. BROWNE: Non addo nisi parvam observationem.

Schema valde placet; sed in par. 54 (linn. 31-32) dicitur: « Proinde ad reparandam iniuriam divinae maiestati illatam, ipse Dei Filius proprium sanguinem aeterno Patri per Spiritum Sanctum obtulit » cum referentia ad Hebraeos unde quoad Filium dicatur « proprium sanguinem per Spiritum Sanctum », sc. per tertiam Personam SS. Trinitatis obtulisse, utique evidenter res potest disponi, sed notavi in Biblia Hierosolymitana (« Bible de Jérusalem ») quod ille textus hodie non consideratur melior et loco « Spiritum Sanctum » habet argumentum pro textu qui dicit « per spiritum aeternum », sed absolute loquendo lectio secundum « Bible de Jérusalem » esset facilior pro theologis. Unde commendarem, si placet Em.mo Relatori, ut forsitan per suos exegetas posset examinare textum exactum in isto loco pro schemate.[1]

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. MICARA: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet, sed ordo eorum quae dicuntur desideratur diversus — quae habentur in numero 55 (pag. 4,[2] lin. 25 ss.) de caritate Dei et Christi, anteponenda videntur; postea explicetur quomodo, in hoc opere mirae caritatis, peracta sit vera satisfactio pro peccatis generis humani.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta sunt a Rev.mo P. Browne, Magistro Generali O. P.

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[2] Cf. p. 413.

Card. CICOGNANI C.: Placet.

Card. FERRETTO: Placet.

Card. LIÉNART: Placet et animadversioni generali a Rev.mo D.no Lefebvre Archiepiscopo Dakarensi allatae assentio.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet.

Card. AGAGIANIAN: Placet.

Card. McGUIGAN: Placet.

Card. PLA Y DENIEL: Placet iuxta modum: scilicet ut in n. 54, lin. 29, deleatur verbum *gratis* quia satisfactio Christi conveniens fuit et misericordiae et *iustitiae* Dei. Ita ex. gr. ad litteram loquitur Pius XII in Encycl. *Haurietis aquas* anni 1956. In ipso n. 56 schematis dicitur satisfactionem Christi tam misericordiae quam *iustitiae,* maxime esse congruam.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet.

Card. VALERI: Placet.

Card. SIRI: Placet.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet.

Card. LÉGER: Placet.

Pag. 4,[3] lin. 6: Multis modernis forsan non placebit vox « placavit ». Per illam enim expressionem, nimis anthropomorphicam, ut aiunt, videtur quod Deus debet, sicut falsi dii, per sanguinem placari. Fatendum est tamen quod illa expressio, etsi anthropomorphica, potest iustificari, ut videtur, dummodo recte explicetur.

Pag. 4, linn. 12-14: Schema dicit quod Christus « ut Caput nostrum et novus Adam » expiavit. Recte affirmatur factum, quod antea cognoscebatur. Sed esset magni momenti, ad progressum doctrinae de satisfactione, si aliquo modo saltem explicitaretur quonam sensu Christus sic egit « ut Caput nostrum et novus Adam », et ita quidem ut eius passio fuerit « nobis » salutaris, seu ut eius satisfactio revera fuerit « vicaria ».

---

[3] Cf. p. 413.

Card. MONTINI: Placet.

Card. CENTO: Placet.

Card. GODFREY: Placet.

Card. CONFALONIERI: Placet.

Card. RICHAUD: Placet et assentio plene ad propositum Rev.mi D.ni Lefebvre Archiepiscopi Dakarensis.

Card. KÖNIG: Placet. Ad n. 55: Attendatur fortasse adhuc ad ea quae theologia sic dicta biblica ad conceptum anselmianum, et a schola expolitum, de satisfactione poenali vicaria contribuere possit (cf. ἱλασμός).

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: cf. animadversiones adnexas. Assentior animadversionibus Archiepiscopi Dakarensis occasione huius capitis discutiendi factis.

Caput propositum, ultimum Constitutionis, bene elaboratum est. Praevalet consideratio positiva, fundata in Fontibus Revelationis, imprimis in Sacra Scriptura. Hic percipitur progressus doctrinae in documento Magisterii solemnis; nam innuitur iam connexus internus inter vicarietatem satisfactionis et mysterium unitatis generis humani in Capite suo novoque Adamo Christo. Insuper proponitur oeconomia pulchra, secundum quam Deus redemptionem ita disposuit, ut per mortem Christi Domini longe maior gloria Deo reddatur, quam exigeret compensatio totius offensae humani generis. Postquam dogma positive explicatum est, additur damnatio errorum in n. 56, quae est clara, brevis et sufficiens. Uno verbo: Caput XI exemplum praebet textus, qualis pro ulteriore labore in Concilio requiritur.

Unam tamen animadversionem adhuc addere mihi liceat. Historia Ecclesiae decurrente saepius occurrit, quod definitio alicuius veritatis fidei in aliquo Concilio ad negligendas alias veritates connexas, in Concilio ipso minus explicite tractatas, duxit. Ne simile fiat in casu praeiacente, opportunum mihi videretur adiungere verbum in ipso textu de aliis aspectibus operis redemptionis praeter satisfactorium. Ad hos alios aspectus certe iam alluditur, cum reiiciatur sententia opposita talibus verbis: « ... sacrificium Christi in cruce alium valorem seu efficaciam non habuisse *praeter quam* exempli, meriti et liberationis... » (n. 56; pag. 5,[4] linn. 20-22). Unde hi valores nequaquam absolute excluduntur. Tamen magis adhuc in luce poni posset, quod praeter satisfactionem alii aspectus vitae et mortis Christi non sunt negligendi. Hoc fieri posset addendo

[4] Cf. p. 413.

in fine numeri 55 (pag. 5,[5] lin. 11). Minime autem negligendum est mortem Christi secundum Apostolum etiam ut exemplum, meritum, liberationem considerandam esse, et quidem praecise eo quod est reconciliatio hominis cum Deo.

Card. MARELLA: Placet.

Card. TESTA: Placet.

Card. MEYER: Placet.

Card. TRAGLIA: Placet.

Card. ALFRINK: Placet.
1) Pag. 5, lin. 7: vox *acceptando* mutetur in *suscipiendo.*
2) Pag. 5, linn. 16-17: iuxtapositio S. Scripturae, Traditionis et Ecclesiae magisterii forse melius mutetur.

Card. OTTAVIANI: Placet.
Gratias ago iis qui aliquas emendationes proposuerunt, quia omnes hae animadversiones melius reddent ipsum caput. Quod attinet quaestionem generalem ligaminis horum capitum, certe prae oculis habenda erunt quae iam in initio discussionis dixit Em.mus Card. Döpfner; et ipse etiam proposuit quoddam ligamen (liaison), ut quaedam organica expositio haberetur. Commissio quidem doctrinalis certo curam habebit completam expositionem proponendo, ne faciat hiatus istos, qui sunt inter varias constitutiones. Etiam adimplebuntur ea quae desunt. Etiam debeo maximis encomiis laudare propositum quod fecit Exc.mus Archiepiscopus Dakarensis, quia mihi videtur illud quod ipse proposuit esse aliquid quod completum redderet laborem Concilii; et, cum non posset Concilium ipsum in suis definitionibus omnia argumenta tangere, bonum est si paretur aliqua expositio completa doctrinae per modum catechismi. Igitur mihi videtur statim adlaborandum esse ut quaedam Commissio paret istum Catechismum, istam synthesim totius doctrinae, quae licet non omnia bene definita proponat, tamen completum schema doctrinae catholicae exhibeat, tum docentibus tum discentibus. Igitur optarem ut votum Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis ab omnibus acceptetur.[6]

Card. DI JORIO: Placet.

Card. ROBERTI: Placet: adhaereo plene desiderio expresso ab Exc.mo D.no Lefebvre Archiepiscopo Dakarensi; atque addam votum

[5] Cf. p. 413.
[6] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

ut exaretur quoque brevis, facilis ac completa formula fidei, quam puto fore perutilem ad fines pastorales.

Card. JULLIEN: Placet iuxta ea quae addidit Em.mus Roberti (de propositis ab Exc.mo Lefebvre).

Card. LARRAONA: Placet et adhaereo illis quae proposuerunt Excellentissimus Archiepiscopus Dakarensis ac Em.mi Ottaviani, Roberti et Jullien.

Card. HEARD: Placet.

Beat. SAIGH: Placet.

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet; melius est ut verbum « vicaria » deleatur in n. 55, ubi loquitur de satisfactione Christi pro cunctis hominibus.

Exc. O'CONNOR: Placet.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet et adhaereo omnino voto Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: cum animadversione Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis.

Exc. BERAS: Placet. Adhaereo desiderio Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis.

Exc. LEFEBVRE: Placet.[7]

Exc. PERRIN: Placet, cum animadversionibus factis; assentio propositioni Excellentissimi Lefebvre Archiepiscopi Dakarensis.

Exc. ŠEPER: Placet. Insuper assentio propositioni Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis de paranda synthesi doctrinae catholicae nostris temporibus accommodata.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: secundum animadversionem Em.mi Card. Pizzardo, circa ordinem quo res tractatur.
Plene assentio iis ab Arch. Lefebvre propositis.

Exc. BERNARD: Placet: cetero plane assentio voto Archiepiscopi Dakarensis de expositione generali et synthetica modo positivo christianae fidei.

---

[7] Cf. pp. 417-418.

Exc. BERNIER: Placet et propositioni Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis libenter assentio.

Exc. YAGO: Placet. Animadvertendum est expressionem « satisfactio poenalis » esse ambiguam (p. 4,[8] n. 55, lin. 32). Si hac expressione dicitur Christum a Deo punitum esse, haec est doctrina plus calvinista quam catholica.

Ceterum in textu prolato ad hanc affirmationem probandam S. Thomas non iungit adiectivum « poenalis » ad nomen « satisfactio ».

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. NGÔ-DINH-THÛC: Placet. Plene assentio Excellentissimo Archiepiscopo Dakarensi quoad Catechismum Vaticani Concilii conficiendum quamprimum post expletum Concilium ad instar Catechismi Concilii Tridentini.

Exc. VERWIMP: Placet: adhaereo sententiae Excellentissimi Domini Lefebvre.

Exc. JELMINI: Placet; censeo tamen adhaerendum esse ad ea quae Excellentissimus Archiepiscopus Dakarensis dixit, sicut etiam Eminentissimus Card. Relator affirmavit.

Exc. SUHR: Placet: assentio voto Exc.mi Archiepiscopi Lefebvre.

Rev. GUT: Placet. Assentio plene illis quae sapienter exposuit et desideravit Exc. Archiep. Lefebvre.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attenta observatione quam feci de textu ex Ep. ad Hebraeos in n. 54, lin. 32. Cf. *Bible de Jérusalem* in illum locum.[9]

Rev. SÉPINSKI: Placet, introductis aliquibus mutationibus minoris momenti:

Ad pag. 3,[10] lin. 26 loco « dividunt » proponerem « divisionem operantur ».

Ad pag. 5,[11] lin. 12 loco « damnantur » proponerem « reprobantur ».

Ad pag. 5, lin. notam 1, 3 lineam notae, scribatur « verbum ».

Rev. JANSSENS: Placet. Adhaereo plene voto Exc.mi Archiepiscopi Dakarensis.

---

[8] Cf. p. 413.
[9] Cf. p. 418.
[10] Cf. p. 412.
[11] Cf. p. 413.

4 - VOTA SODALIUM
QUI TERTIAE SESSIONI NON INTERFUERUNT

I

Em.mi P. D. IACOBI Card. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

De Ordine Morali: Optime.

De Sacramento Confirmationis: Placet, etiamsi nimis amplae mihi videantur novae concessiones.

De Sacramento Poenitentiae: 1. Privilegium Metropolitarum. Si episcopi gaudebunt « privilegio audiendi confessiones *ubique terrarum* », videtur in textu sub n. 5 debere constare explicite etiam extensionem illius privilegii, scilicet, *ubique terrarum*.

6. Facultates a parocho delegatae. Etiam in dissitis locis, facultas sub n. 30 vere practica et conveniens est; permulti parochi magis attendunt ad auxilium obtinendum in confessiones audiendas, quam ad anteactam approbationem necessariam. Ita, non raro admittunt in suis ecclesiis sacerdotes sine ullo examine de situatione canonica illorum. Quin immo etiam sacerdotes ignoti, censuris ecclesiasticis innodati, admittuntur, in transitu, ad celebrationem missarum. Ergo mihi videtur adiungendum: « graviter parochi conscientia onerata ».

De Sacramento Ordinis: Censeo retinendam esse omnem vim canonis 973 § 1 C.I.C., ne quis levi animo ad primam tonsuram et ordines minores accedat. Tempore nostro multa fiunt sine spiritu ponderationis, quod Ecclesia vitare debet, praesertim in ministris sui cultus.

Pag. 5,[1] nn. 5-10: Si clerus inferioris ordinis legi coelibatus addictus fuerit, credo populum nostrum eum acceptabilem recipere et aestimare.

Secus, scio, scientia certa, magis acceptare sacramenta e manibus

---

[1] Cf. p. 139.

fratris laici alicuius Ordinis vel Congregationis religiosae, quam a clerico matrimonio iuncto.

Hoc percepi, quando sacerdos quidam e clero bizantino apud nos degebat.

Caput I: *De Diaconatu permanente seu stabili instaurando*: Iam multa perlegi de hac re, praecise ab auctoribus qui favorabiles sunt sententiae de instaurando diaconatu modo permanente.

Haec autem mihi videntur:

Si diaconi coelibes fuerint, non credo illos velle manere in gradu diaconatus, sed — salvis rarissimis exceptionibus — imo ad presbyteratum progredi volunt.

In hypothesi contraria, scilicet, coniugati, certo certius imminueret numerus presbyterorum, quia demum id quod saepe desistere facit candidatos ad sacerdotium lex est coelibatus, quae omnino retinenda est.

Ergo, votum meum contrarium est parmanentiae in gradu diaconatus.

Insuper quoad sustentationem multae nactae erunt difficultates.

Si sacerdotes innupti, hodie iam ad alias occupationes se vovent, ut necessaria ad vitam obtineant, quanto magis si, munere sustentandi uxorem et filios onerati, ex stipendiis vivere deberent.

Et si ad alias occupationes clerici se vertant, perpaucum esset auxilium sacerdotibus reddendum.

Et, iterum, fideles ritus latini ad diaconum non caelibem minime adirent ut, ex. gr. sacram synaxim reciperent. Ergo inutilis esset haec innovatio.

Caput 2: Non intelligo rationes reducendi ordines minores ad duo tantum. Haec est occasio interrogandi: cur non possent laici pergere, sicut hodie, in adiuvando ad altare et in apostolatu? Praecise nostra aetate, in promotione laicorum, ut dicitur, praesertim de Actione Catholica, ad ampliores activitates, cur repente munera illa ad minoristas restringere? Provocaretur in laicis minutio dedicationis, usque nunc tam admirabilis.

Ne obliviscatur etiam obligatio sustentandi minoristas, eorumque familias.

Caput 4: *De aetate ordinandorum et de interstitiis producendis et de castitate servanda*: Nihil immutetur in legislatione actuali, praesertim in castitate servanda, nisi quod melius candidati ad sacerdotium, et ipsi neo-presbyteri, melius ad sacrum ministerium se praeparent, quod fieri potest vel in communitate degendo et parochis auxilium praestando, vel ante presbyteratum exercitiis his pastoralibus se devovendo sub regimine sacerdotum idoneorum.

De usu linguarum vernacularum in Liturgiis: Placet.

De Patriarchis Orientalibus: Placet.

De communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis: Placet.

De ritibus in Ecclesia: Placet.

De Ecclesiae Sacramentis:

1. Quoad Chrismatis Sacramentum: Placet.

2. Quoad confessionis ministrum, sub n. III, 1) addendum aliquid de confessionali, cum cratibus perforatis, sicut mos est apud Latinos.

3. De Diaconatu permanenti. Placet mihi repetere observationes iam allatas, quando quaestio fuit pro diaconatu permanenti in Ecclesia Latina. Quia, demum, si ad diaconatum pervenerunt, cur non ad presbyteratum, multoties utilius christifidelibus?

4. De forma canonica celebrationis matrimonii, quaestio hic in Brasilia haec est: multi descendentes a parentibus alicuius ritus orientalis, omnino ignorant cui ritui pertineant. Hinc oritur duplex modus agendi: vel adeunt aliquem sacerdotem orientalem, etsi non pertinentem ritui parentum eorum; vel, quod peius est, formaliter se recusant adeundi quemlibet sacerdotem orientalem, et praeferunt parochum latinum. Si, ergo, forma canonica celebrationis matrimonii exigitur ad validitatem, nonne forse multa matrimonia invalida accidunt?

De deposito Fidei pure custodiendo.

De veritate: Plene concordo.

De Deo et de creatione: Placet.

De Revelatione et de progressu doctrinae: Placet.

De ordine naturali et supernaturali, de spiritismo et Novissimis: Placet.

De peccato originali et de monogenismo: Placet.

De satisfactione Christi: Placet.

De sorte infantium absque baptismo decedentium: Placet doctrina approbata ab illis 19 membris Commissionis et non aliae propositiones.

II

EM.MI P. D. IOANNIS CARD. D'ALTON
Archiepiscopi Armachani

De Ordine Morali.

Placet. Doctrina in hoc schemate contenta generatim placet. Velim tamen ut character obiectivus, universalis et immutabilis legis naturalis in primo capite verbis magis explicitis et magis praecisis et etiam magis traditionalibus exprimeretur. De stylo non-scholastico, praesertim in primo capite, anceps haereo.

Caput 1: *De fundamento ordinis moralis.*

§ 2, pag. 5,[1] linn. 24 ss.: Velim ut affirmatio characteris absoluti legis naturalis adhaereat stylo magis explicito Pii XII in Allocutione diei 18 aprilis 1952.

§ 2, pag. 6,[2] linn. 8, 9: Timeo ne aequiparatio praeceptorum et vetitorum cum consiliis forsitan enervaret sensum vis obligatoriae praeceptorum et vetitorum.

§ 6, pag. 8,[3] linn. 13 ss.: Verba « dolet multos saepe magis ex fragilitate quam ex pravitate, haud raro tamen non absque gravi culpa... » viderentur dicere implicite culpam gravem esse sat exceptionalem.

§ 6, pag. 8, linn. 18 ss.: Velim ut errores magis explicite damnentur nam nonnulli ex eis, praesertim ea de quibus a linea 24 ad lineam 29, possunt decipere etiam quosdam catholicos.

§ 6, pag. 9,[4] lin. 6: « Ecclesiae ». Clarius si diceretur « Ecclesiae voce ».

Caput 2: *De conscientia christiana.*

§ 8, pag. 14,[5] linn. 2-4: Clarius, meo iudicio, si sic: « (homo non est autonomus) sed voluntati Dei subiectus; neque quisquam audeat dicere voluntatem Dei placitis hominis esse adaptandam, ubi homo adaptandus est Deo ».

§ 11, pag. 15,[6] linn. 15-19: « Vera enim caritas exigit etc. ... ». Credo quod haec verba aliquam falsam impressionem poterint dare,

[1] Cf. p. 28.
[2] Cf. pp. 28-29.
[3] Cf. p. 30.
[4] Cf. p. 30.
[5] Cf. p. 34.
[6] Cf. p. 34.

nempe quod Ecclesia aliquo modo acquiescit malis huius saeculi. Sufficiunt verba quae sequuntur: « Genuina conscientia christiana signetur oportet Christi veritate et caritate ».

Caput 3: *De subiectivismo et relativismo ethico.*

Iterum velim affirmationem claram et explicitam immutabilitatis principiorum legis naturalis, v. g. si inserentur post verbum « tamen » in linea 11 paragraphi primae verba sequentia: « ipsa lex naturalis non mutatur in suis principiis. Imo ipsa indoles legis evangelicae postulat ... etc. ».

Caput 4: *De naturali et supernaturali dignitate personae humanae.*

§ 16, pag. 23,[7] lin. 9: « Absit autem ut humanae personae dignitas fide dogmatum, morum disciplina, legibus ecclesiasticis *obnubilari putetur...* » esset melius, meo iudicio, quam *obnubiletur.*

Caput 5: *De peccato.*

§ 23, pag. 28,[8] linn. 22 ss.: Haec verba, meo iudicio, nihil addunt doctrinae et poterint dare falsam impressionem quod ad peccatum mortale requiritur ut saltem fiat « cum contemptu Dei » quod facile potest minus recte intellegi.

Caput 6: *De castitate et de pudicitia christiana.*

§ 29, pag. 33,[9] lin. 14: Loco « tanem » lege « tamen ».

§ 30, pag. 34,[10] lin. 3: Quinam sunt isti « casus exceptionales » qui non comprehenduntur sub principio « quando sanitati totius hominis aliter provideri nequeat ».

§ 31, pag. 35,[11] linn. 9 ss.: Maluerim si hoc modo dicatur: « Castitas licet neque unicus neque primus sit valor in vita morali hominum, valor tamen est sine quo vita moralis integra nulla exsistit; nec denegari quisquam praesumat quanti sit pretii coram Deo et etiam coram hominibus casta vita... ».

§ 32, pag. 35, lin. 35: Affirmatio « non est sequenda praxis qua actus impudici indifferentes censeantur » valde debilis mihi videtur. Malim ponere « Ideo omnino reprobanda est opinio vel praxis secundum quam... ».

§ 32, pag. 35, lin. 27: Loco « nec sequenda » melius esset « reiicienda ».

---

[7] Cf. p. 39.
[8] Cf. p. 42.
[9] Cf. p. 45.
[10] Cf. p. 45.
[11] Cf. p. 46.

§ 32, pag. 36,[12] lin. 25: Forsitan aliquid dici debet de officiis eorum qui organa « opinionis publicae » moderantur — ephemerides, Radio, Televisio etc.

§ 33, pag. 37,[13] lin. 16: Pro « eosque » lege « eousque ».

§ 33, pag. 37, lin. 25: Loco « ac si » melius « secundum quos ».

De Sacramento Confirmationis.

Placet iuxta modum.

Caput 1, § 1: Concessio facultatis confirmandi Vicario Generali cum speciali mandato non mihi placet nec aliis Hiberniae Episcopis quos de hac re sub secreto consului. Videtur confligere cum principio Tridentino: ministrum ordinarium huius Sacramenti esse solum Episcopum. Non datur paritas inter Vicarium Generalem et alios in hac paragrapho nominatos nam unusquisque ex his aliis est caput alicuius territorii ecclesiastici. Adde quod praesens disciplina utilissima est primo ut stimulus Episcopis visitandi paroecias personaliter, et secundo ad evitandum quod figura Episcopi in mente fidelium deveniat figura officialis administrativi.

De Sacramento Poenitentiae.

Placet iuxta modum.

Caput 1, § 1: Non est clarum utrum Metropolita possit delegare in casibus particularibus facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis.

Caput 1, § 6: Potestas parochorum concedendi facultatem ad audiendas confessiones non mihi placet. Etenim vix aliud potest disciplinae ecclesiasticae plus nocere quam abusus in sacramento poenitentiae administrando et igitur maximi momenti est ut iurisdictio audiendi confessiones sub potestate et « controllo » Ordinariorum maneat. Nostris diebus parochi facillime facultates obtinere possunt ope telephonii. Difficultas cui providetur hoc canone non est tanta ut tam magnam mutationem in disciplina traditionali Ecclesiae mereatur.

De Sacramento Ordinis.

Placet iuxta modum.

Caput 1, § 5, linn. 13-17: Institutio diaconatus pro viris uxorem habentibus non mihi placet. Agnosco quidem difficultates pro aliis re-

---

[12] Cf. p. 46.

[13] Cf. p. 47.

gionibus et gaudeo quod tota haec materia sub immediata tutela Sedis Apostolicae remittenda proponitur. Sed meo iudicio mentes fidelium in Occidente nimis perturbarentur videndo viros uxoratos distribuentes Sanctissimum Sacramentum. Certissime velim ut omnes functiones sacrae quae pertinent ad Sanctissimum Sacramentum diaconis uxoratis prohibitae manerent.

Caput 2: Velim ut Acolythi benedictiones impertiri possint non immediate ex iure communi sed ex concessione speciali Episcopi dioecesis.

Caput 4, linn. 4, 5: Omnino placent normae de institutione pastorali diaconorum necnon de institutionis et exercitationis pastoralis continuatione.

Caput 4, lin. 9: Velim ut explicite declaretur Presbyteros et Diaconos stabiles votum solemne castitatis perfectae et perpetuae emittere.

De Ritibus in Ecclesia.

Placet.

Caput 8: Forsitan addi debet norma canonis 98, § 4: « Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri in matrimonio ineundo vel eo durante transire ».

De Patriarchis in Ecclesia.

Placet.

Introductio, linn. 14, 15: Claritatis causa, forsitan dici debet: « ea in hierarchia ordinis non est nisi accidentalis *in usu licito potestatis* vel ad hierarchiam iurisdictionis est referenda ».

Caput 6: Nonne debet legi « Inter hos *Patriarchas*... »?

Capita 11, 12: Meo iudicio omnes, vel fere omnes, Patriarchae debent esse dignitate cardinalitia insigniti. Si hoc fiat difficultas de electione Romani Pontificis non orietur. Melius, meo iudicio, conservare principium quod Romanus Pontifex eligitur a Cardinalibus iisque solis.

Caput 13: Ex tribus exemplis, primum mihi videtur esse logica deductio ex participatione Pontificiae potestatis primatialis qua gaudent Patriarchae, ut dicitur in Prooemio.

De Communicatione in Sacris.

Placet iuxta modum.

Velim ut sensus verborum « participatio formalis » clarius explicetur. Videtur signicare participationem cum animo formaliter (id est

mala fide) haeretico vel schismatico, qui animus, ni fallor, rarissime datur.

A) *Quoad Sacramenta*

I. Hoc non placet quia meo iudicio vix ullae cautelae sufficerent ad arcendum periculum indifferentismi.

II. lin. 4: Velim ut diceretur « in mortis periculo *et deficiente catholico ministro* ».

B) *Extra Sacramenta*

Si materialis communicatio includit participationem activam (utique sine animo haeretico vel schismatico), ut videtur, hoc non placet.

De tota hac materia haec prae oculis haberi debent meo iudicio:

a) Ecclesia Christi est Ecclesia visibilis et visibilitas Ecclesiae verae apparet praesertim in communione membrorum in iisdem sacramentis et in eodem cultu. Haec linea inter Ecclesiam veram Christi et alias « ecclesias » nullo modo debet obscurari;

b) Si normae disciplinares de communicatione in sacris mitigantur in Oriente, hoc repercussiones sat graves habebit in Occidente;

c) Multi theologi, saltem manualistae, affirmant communicationem activam catholicorum in sacris acatholicorum, etiam sine animo haeretico, esse iure divino vetitum.

De Ecclesiae Sacramentis.

Placet.

Caput 4, lin. 25: Melius si diceretur « consulat Hierarcham loci ».

De usu linguarum vernacularum.

Placet.

Caput 2, § 8: Velim ut adderetur: « si praesens non sit in loco alius sacerdos ab Hierarcha loci approbatus, vel, si adsit, poenitentes eidem confiteri nequeant vel recusent ».

De deposito Fidei pure custodiendo.

Caput 1: *De veritate*: Placet.

§ 2, pag. 6,[14] linn. 11-13: « agnoscit ». Velim ut hoc etiam fortius dicatur, hoc modo: « E contra Ecclesia, a Spiritu veritatis edocta, non solum praedictam capacitatem *affirmat et docet,* sed insuper ... etc. ».

---

[14] Cf. p. 280.

§ 5, pag. 7,[15] lin. 13: Loco « Ecclesia nunquam negavit » maluerim « *Ecclesia semper agnovit* » utpote minus « apologetice » dictum.

Caput 2: *De Deo*: Placet.

§ 9, pag. 6,[16] lin. 19: An potest hic includi argumentum ex perceptione Dei quam habuerunt sancti mystici?

Caput 3: *De Deo creatore et evolutione mundi*: Placet.

§ 12, pag. 9,[17] lin. 2: Ad praecavendum periculum falsarum accusationum a scientificis materialistis, attenta controversia hodierna inter varias theorias scientificas, forsitan bonum esset inserere post verbum « innixa » verba sequentia vel alia similia: « ... quamvis (Ecclesia) nullum fert iudicium de variis theoriis pure scientificis de origine *status praesentis* universi, ... ». Hoc quidem innuitur paragrapho 15 sed velim ut etiam hic, et quidem magis explicite, dicatur.

Caput 4: *De Revelatione et Fide*: Non placet. Doctrina in hoc capite contenta generatim placet. Tamen, ut mihi videtur, stylus est tam diffusus et tam ambiguus et ita res maximi momenti cum rebus parvi momenti commiscet ut meo iudicio totum caput iterum exarari debet stylo breviori et praesertim magis praeciso et melius ordinato.

Caput 5: *De progressu doctrinae*: Placet iuxta modum.

§ 31, pag. 17,[18] linn. 2-5: Velim ut in definitione « progressus doctrinae legitimi » aliquo modo iterum affirmetur revelationem publicam completam fuisse cum Apostolis, v. g. his vel similibus verbis: « ... ita sequatur ut omnis doctrina ab Ecclesia tradita, in revelatione divina cum Apostolis completa implicite saltem contineatur et ita Christo Iesu auctoritate fulciatur ».

§ 30, pag. 16,[19] linn. 19-23: Dicitur « ... ipsa natura sacri magisterii *postulari* tum investigatione ... etc. ». Hoc mihi videtur periculosissime dictum quia videtur postulare investigationem et inquisitionem tanquam conditio sine qua non veri exercitii magisterii. Nonne hoc est praecise quod Concilium Vaticanum I ex proposito *non* dixit? Omnino velim ut lineae 19-23 omitterentur.

§ 32, pag. 17, lin. 20: Velim ut haec verba, ex nota 13 deprompta, hic inserentur. « Insuper docet ipsis revelationibus privatis, etsi approbatis, non debere nec posse a nobis exhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, iuxta regulas prudentiae ».

---

15 Cf. p. 280.
16 Cf. p. 304.
17 Cf. p. 305.
18 Cf. p. 328.
19 Cf. p. 327.

Caput 6: *De ordine naturali et supernaturali*: Multum placet. Caput optimum et pulcherrime exaratum.

§ 36, pag. 6,[20] lin. 26: « nihil ei prodest ». Nescio utrum hoc sit nimis absolute dictum cum iuxta Sanctum Thomam infantes sine baptismo discedentes non omnino privantur *bonis ordinis naturalis*.

§ 37, pag. 6, lin. 34: loco « abset » lege « abest ».

Caput 7: *De Spiritismo et Novissimis*: Doctrina placet sed miror quod Spiritismus consideretur tanti momenti nostris diebus ut mereatur tam longam et tam solemnem condemnationem. Apud nos qui hoc errore imbuti sunt, generatim considerantur quodammodo ridiculi vel rudissimi.

Caput 8: *De peccato originali*: Placet. Caput optimum.

§ 44, pag. 3,[21] lin. 17: sensus forsitan clarior esset si omitteretur verbum « et ».

Caput 9: *De monogenismo*: Placet.

§ 49, pag. 9,[22] lin. 1: forsitan melius diceretur « Cum non desunt *etiam* inter Ecclesiae filios »; nam doctrina affirmatur contra omnes qui hoc tenent.

Caput 10: *De sorte infantium absque baptismo decedentium*: Omnibus bene perpensis, textui primario, nempe textui Subcommissionis de deposito pure custodiendo, adhaereo.

Meo iudicio tota haec quaestio intime connectitur cum alia quaestione forsitan maioris momenti, nempe de sorte adultorum sine baptismo in re decedentium. Si Ecclesia non damnat opiniones falsas de sorte horum infantium forsitan periculum aderit quod apud nonnullos doctrina Ecclesiae de omnimoda necessitate fidei ad salutem pro adultis enervaretur.

Caput 11: *De satisfactione Christi*: Placet.

§ 54, pag. 3,[23] lin. 18: forsitan melius diceretur « ... nulla creata vis *peccato originali* aliisque hominum sceleribus plene expiandis erat satis ».

---

[20] Cf. p. 348.
[21] Cf. p. 367.
[22] Cf. p. 370.
[23] Cf. p. 412.

III

Em.mi P. D. VALERIANI Card. GRACIAS
Archiepiscopi Bombayensis

De inopportunitate Diaconatum restituendi:

1. Non convenire videtur diaconos (sive non uxoratos sive, et praesertim, uxoratos) instituere.

2. Non adsunt rationes sufficientes pro diaconorum restitutione.

3. Incommoda restitutionis diaconatus commoda superant.

4. Diaconatus sine voto castitatis valde periculosus est.

5. « Renovatio Diaconatus » est locutio aequivoca, inutilis, et periculosa: aequivoca, quia laicus non potest esse diaconus sine praeviis ordinibus et tonsura; inutilis, quia in membris Actionis Catholicae aequivalenti re iam habetur; periculosa, quia distinctio inter laicum et clericum semper manere debet, iuxta can. 948.

6. Restitutio diaconatus sine obligatione castitatis fortasse est ianua periculosa ad abolitionem coelibatus Presbyterorum.

7. Deficiente facultatem Missam celebrandi ac confessiones audiendi, nihil aliud isti agere possent quam quod in missionibus iam catechistae faciunt; inutilis ergo institutio diaconorum uxoratorum evaderet.

8. Diaconatus restitutio penuriam sacerdotum graviorem redderet.

9. Inutile est immorari in statu diaconali dum multae actiones quae antiquitus committebantur diacono, nunc a laicis fiunt.

10. Reprobanda opinio fautorum institutionis « diaconorum cum uxore ».

11. Circa diaconatum sine caelibatu in adiutorium parochi, non video utilitatem, opportunitatem et aedificationem quae possint derivare in Christifideles.

N. B.: In Hebdomada Liturgica de Missionibus, Niemegen (Hollandia) habita abhinc duos annos, cuiusque fui Praeses, una ex dissertationibus lecta discussaque, fuit hac de re. Quamvis aliqui — hi autem pauci — erant ardentes huius proprietatis vitae Ecclesiae, maior autem pars fuit contra hanc sententiam praesertim sicuti attinet ad Missiones. Puto, si opinio Conventus Episcoporum Indiae quaeratur, maxima pars Sociorum Concilii Perpetui, in eandem sententiam itura i. e. contra illam ideam.

IV

EM.MI P. D. IOSEPH CARD. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopi Guadalajarensis

De ordine morali: Placet in omnibus.

De Sacramento Confirmationis: Placet in omnibus.
De Sacramento Poenitentiae: Placet in omnibus.
De Sacramento Ordinis:
Caput 1: Placet.
Caput 2, nn. 1 et 2: Placent.
Caput 2, n. 3: Placet ad modum. Si ita intelligitur quod quatuor ordines minores remaneant ita ut Ostiariatus et Lectoratus semper simul conferantur, neque separatim conferri possint, et similiter Acolithatus et Exorcistatus, Placet.

Si intelligatur quod Ostiariatus et Exorcistatus supprimuntur, Non Placet.

Re quidem vera cum in Ecclesia antiquissima traditio sit quod quatuor Ordines minores enumerentur, neque aliqua ratio ad Ordines supprimendos videatur, res immutata manere debet. Reliqua in hoc Capite, Placent.

Caput 3, n. 1, pag. 16,[1] lin. 33: « Irregulares ex defectu (C.I.C.) amplius non censeantur bigami ». Non Placet. Reliqua Placent. Sed lin. 10 Placet ad modum: scilicet, si addatur « morbus epilepticus, si iudicio peritorum raro vel rarissime effectum producit, secundum prudens Episcopi iudicium dispensari poterit ».

Caput 3, n. 2, pag. 17,[2] linn. 28 et 29: « Irregulares autem non sint qui baptismum ab acatholicis (sine peccato) receperint ». Cum tali additione placet.

Caput 3, n. 3: Placet.

Caput 4, nn. 1 et 2: Placent.

Caput 4, n. 3, pag. 21,[3] lin. 19: Ubi asserit diaconatus ne conferatur ante vigesimum quartum completum... Non Placet. Ratio ex eo videtur quod subdiaconus suum ordinem per totum annum exerceat, quod ordinarie obtineri non potest: subdiaconus enim in Seminario ordinarie manet, ubi multi subdiaconi sunt et raro ordinem exercitabunt; neque

---

[1] Cf. p. 146.
[2] Cf. p. 147.
[3] Cf. p. 149.

opportunum tale exercitium in ecclesiis civitatum, quod non sine studiorum et disciplinae damno fit. Ex alio capite attendenda est magna necessitas plurimarum dioecesium. Sustinenda actualis Iuris Canonici legislatio can. 978, § 2 quae tres menses exigit.

Caput 4, n. 3, pag. 21,[4] linn. 21 et 22: Si hoc opportunum videatur, presbyteratus conferri poterit non ante vigesimum quartum annum cum tribus mensibus.

Caput 4, n. 4: Cum hac additione: « diaconi vel neo sacerdotes etc. ... », Placet.

Caput 4, n. 6, pag. 22,[5] linn. 17 et 18: « subdiaconatus ad diaconatum ne ante tres menses », sic Placet.

Caput 4, nn. 7, 8 et 9. Placent.

De Ritibus in Ecclesia: Placet in omnibus.

De Patriarchis Orientalibus: Placet in omnibus.

De communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis: Placet in omnibus.

De usu linguarum vernacularum in Liturgiis: Placet.

De Ecclesiae Sacramentis: Placet in omnibus.

De deposito Fidei pure custodiendo.

Prooemium et Cap. 1: *De Veritate*: Placet in omnibus, sed in n. 4, lin. 37 omittenda videntur haec verba: « Sacrum Concilium docet »; ratio, quia quamquam principia illa a nemine in dubium vocari possunt, vitanda sunt verba quae definitionem exprimant.

Capita 2 et 3: *De Deo et de Deo creatore*:

Caput 2: in omnibus Placet.

Caput 3, n. 12: Placet ad modum: si lin. 10 verbum « simul » substituatur per verbum « pariter » ne intelligatur quod in ipso instanti temporis utramque de nihilo condidit creaturam, et hoc quamquam in Conc. Vat. I hoc verbo utatur.

Caput 3, n. 15, lin. 20: loco « valet » utatur verbo « valeat », hypothetice, et « sint » loco « sunt ».

Caput 3, n. 16: Placet ad modum, id est, si in fine lin. 20 haec addantur: « et speciali Dei interventione in formatione corporum protoparentum ».

Capita 4 et 5: *De revelatione et de progressu doctrinae*: Placet in omnibus.

---

[4] Cf. p. 149.

[5] Cf. p. 150.

Capita 6 et 7: *De ordine naturali et supernaturali, De Spiritismo et Novissimis*: Placet.

Capita 8 et 9: *De peccato originali et de monogenismo*: Placent.

Caput 10: *De sorte infantium absque Baptismo decedentium*: Schema propositum placet.

Opinio R. P. Dhanis, S. I.: Non placet.

Opinio R. P. Caroli Colombo: Non placet.

Caput 11: *De satisfactione Christi*: Placet.

V

EM.MI P. D. PETRI TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopi Tokiensis

De ordine morali: Placet.

De sacramento Confirmationis: Placet.

De sacramento Poenitentiae: Placet.

De sacramento Ordinis: Placet iuxta modum: scilicet quoad Cap. 2, 1. Instauratio: lin. 11 deleatur vocabulum « Tonsurae ».

De ritibus in Ecclesia: Placet.

De Patriarchis Orientalibus: Placet iuxta modum: i. e. n. XII non placet; in n. XIII deleatur « sive ... sive extra proprium territorium ».

De communicatione in sacris: Placet.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis: Placet.

De Ecclesiae sacramentis: Placet.

De deposito Fidei pure custodiendo:

Prooemium et Cap. 1: *De Veritate*: Placet.

Cap. 2 et 3: *De Deo et de creatione*: Placet.

Cap. 4 et 5: *De revelatione et de progressu doctrinae*: Placet.

Cap. 6 et 7: *De ordine naturali et supernaturali; de spiritismo et novissimis*: Placet.

Cap. 8 et 9: *De peccato originali et de monogenismo*: Placet.

Cap. 10: *De sorte infantium absque baptismo decedentium*: Placet: scilicet secundum redactionem Subcommissionis.

Cap. 11: *De satisfactione Christi*: Placet.

VI

Em.mi P. D. ALOYSII Card. CONCHA
Archiepiscopi Bogotensis

De Ordine Morali.

Caput 1: *De fundamento ordinis moralis*: Placet iuxta modum. Doctrina exposita nulli substantiali obiectioni obnoxia est. Sed non satis perspicue enuntiata mihi videtur, unde meo iudicio lucidiori modo redigenda est.

Caput 2: Meliori ordine digerendum. Castiganda latinitas. Orationes repetitae. Quaedam ita exposita sunt ut ansam praebere possent erroneae interpretationi.

Quoad Capita 3 et 4: Eadem observanda videntur.

De Sacramento Confirmationis.

Placet.

De Sacramento Poenitentiae.

Placet.

De Sacramento Ordinis.

Caput 1: Non placet. Ratio est quia instauratio Diaconatus permanentis nullo modo suppleret sacerdotum inopiam. Experientia quidem viginti sex annorum ministerii episcopalis me persuasit indubitanter populum christianum sacros ministros cupere qui Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrent et Poenitentiae Sacramentum administrare valeant.

Neque apparet cur officium eorum diaconorum suppleri non possit laicis, membris praesertim Actionis Catholicae.

Caput 2: Item non placet ob rationem expositam quoad Diaconatum permanentem.

Reductio tamen quatuor Ordinum Minorum ad duos tantum mihi probanda videtur.

Caput 3: Placet.

Caput 4: Placet iuxta modum.

Si a proposito instaurandi Diaconatum permanentem disceditur, ut

mihi discedendum videtur, delenda sunt quae in hac instauratione fundantur, e. g. numerus 4, pagina 21.[1]

Quae in numero 5 statuenda proponuntur, non absolute praecipienda videntur, ut praefato numero edicitur, sed potius commendanda. Non quod necessario tandem facienda non sint, sed quod consulendum est peculiaribus locorum circumstantiis. Concilium enim, meo iudicio, non oportet legem condere cui oboedientia praestanda non praevidetur.

Numero 6. Interstitia quidem servanda sunt, sed potius videtur stare statutis in Codice Iuris Canonici.

Numero 9, lineis 13 et sequentibus concedi videtur, si bene intellexi, coniugatis facultas suscipiendi Diaconatum permanentem et Presbyteratum, quod mihi nullo modo probandum videtur, quippe quod disciplinam in Ecclesia Latina a saeculis servatam subverteret, praeter alia incommoda quae cuilibet rem mature consideranti patent.

Quod si male intellexi textus emendandus esset.

De Ritibus in Ecclesia.

Placet iuxta modum.

Num. VI. De formandis novis ritibus. Quaedam magis determinata statuenda videntur et condiciones ut permittantur decernendae.

Num. X. Aliquid providendum est pro catholicis rituum orientalium in regionibus incolentium ubi nulla est Hierarchia illius ritus, ut in Columbiana Dicione contingit.

De Patriarchis Orientalibus.

Placet.

De Communicatione in Sacris cum Christianis Orientalibus non Catholicis.

Placet.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis.

Placet.

De Ecclesiae Sacramentis.

Placet.

---

[1] Cf. p. 149.

De deposito Fidei pure custodiendo.

Prooemium et Caput 1: *De Veritate*: Placet iuxta modum. Clarius redigendum.

Capita 2 et 3: *De Deo et de creatione*: Placet iuxta modum. In capite 3 quaedam obscure dicta videntur.

Capita 4 et 5: *De Revelatione et de progressu doctrinae*: Placet iuxta modum. Plura obscure dicta videntur, praesertim pagina 6,[2] numero 20; item pagina 17,[3] linea 6 et sequentibus. Igitur melius redigenda existimo.

Capita 6 et 7: *De Ordine naturali et supernaturali, de spiritismo et de novissimis*: Placet.

Capita 8 et 9: *De peccato originali et monogenismo*: Placet.

Caput 10: *De sorte infantium absque baptismo decedentium*: Placet.

Caput 11: *De satisfactione Christi*: Placet.

VII

B.MI P. D. STEPHANI I SIDAROUSS
Patriarchae Alexandrini Coptorum

De ordine morali: textus approbatus.

De sacramento Confirmationis: textus approbatus.
De sacramento Poenitentiae: textus approbatus.
De sacramento Ordinis: textus approbatus.

De Ecclesiae Sacramentis.

De Ministro sacramenti S. Chrismatis: textus approbatus.

De Ministro sacramenti Poenitentiae: textus approbatus.

De diaconatu permanenti: textus approbatus.

De forma Canonica celebrationis Matrimoniorum mixtorum: textus approbatus (casus de communicatione in Sacris?).

De ritibus in Ecclesia: textus approbatus.

De Patriarchis Orientalibus: textus approbatus.

Ad V et IX Patriarchatus Latinus Hierosolymitanus supprimatur...

---

[2] Cf. p. 321.
[3] Cf. p. 328.

Add. Propositio approbata de erigendo Patriarchatu pro Ucrainis Catholicis et pro Ecclesia Aethiopica...

De communicatione in sacris: textus approbatus.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis: textus approbatus.

De deposito Fidei pure custodiendo: textus subcommissionis approbatus.

VIII

B.MI P. D. PAULI PETRI MEOUCHI

Patriarchae Antiocheni Maronitarum

I

Le projet de la Commission Orientale de Sacramento Poenitentiae (I, A 1) reconnaît aux Patriarches une juridiction ordinaire pour entendre les confessions pro Universa Ecclesia, de même que pour le Saint Père et les Cardinaux.

Ne serait-il pas souhaitable en conséquence — et en harmonie avec ce texte — d'insérer le terme « Patriarchae » dans le projet préparé par la Commission des Sacraments, De Sacramento Poenitentiae p. 5,[1] lignes 6-8?

II

Il semble bon et en conformité avec la liberté spirituelle de l'homme, d'admettre qu'un converti d'un rite acatholique puisse choisir le rite qu'il veut sans être contraint par le droit à prendre le rite correspondant au rite qu'il abandonne. Il y aurait lieu alors de lui conseiller de reprendre ce rite, sans qu'il y soit tenu par le droit.

Cf. le *De Ritibus in Ecclesia,* pag. 6,[2] Par. VII.

III

Il y aurait, certainement, un grand avantage, et il serait même souhaitable de donner au Patriarche l'autorité juridictionnelle sur un seul territoire. Mais étant donné le nombre des communautés, étant donné l'attachement de chacune à ses privilèges, étant donné, enfin et

---

[1] Cf. p. 116.

[2] Cf. p. 181.

surtout, certains sentiments et attitudes d'envie et de jalousie que l'histoire a malheureusement développés, il me semble pratiquement difficile d'aboutir à des modalités d'application et d'exercice: relation du Patriarche avec les évêques des autres rites, autorité du Patriarche pour unifier les intérêts en vue du bien commun et intérêts personnels, heurts inévitables, etc.

Ce qui serait d'application plus facile, c'est que la juridiction territoriale demeurant entre les mains du Chef de la Communauté majoritaire, les Communautés minoritaires n'aient qu'une juridiction personnelle sur leurs sujets, c'est-à-dire une juridiction dont l'exercice soit limité à ces sujets et par conséquent uniquement au lieu où ils sont domiciliés. Ainsi au Liban, actuellement, tel rite qui ne possède pas ou ne possède que très peu de fidèles, construit églises, couvents et autres institutions sans recours à l'autorité de la Communauté majoritaire; ce qui éloigne les fidèles de celle-ci de leur propre rite ou église et porte préjudice à la vitalité spirituelle et temporelle de leur Communauté. Cf. le *De Patriarchis Orientalibus,* par. XII.

IV

En parcourant le Schema de Patriarchis Orientalibus, mon attention fut attirée par les efforts de la Commission des Eglises Orientales pour conserver et restaurer les privilèges traditionnels des Patriarches.

Cette attitude de la Commission ne peut que susciter l'approbation de la Hiérarchie catholique orientale et tout particulièrement aussi de la Hiérarchie séparée de l'Eglise. Mes contacts, en effet, avec quelques Patriarches et de nombreux Evêques des Communautés séparées m'ont montré la volonté qu'ils ont de sauvegarder les privilèges de leurs Patriarches, et ceux de leurs églises.

Tout en remerciant Sa Sainteté Jean XXIII de sa grande bienveillance et de sa bonté qui a rapproché les cœurs, ils craignent qu'en s'unissant à Rome, ils ne perdent ces privilèges, à l'instar, disent-ils, des communautés uniates. Car, pour ne prendre qu'un exemple, le cardinalat a fini, dans l'Eglise catholique, par prendre le pas sur le Patriarcat. Alors que ce dernier est une institution ecclésiastique antique et vénérable, le cardinalat est de création postérieure. Et jusqu'aux temps modernes, des laïcs mêmes jouirent de cette dignité.

Ce qui augmente leur crainte, disent-ils, c'est, en cas d'union, d'être finalement gouvernés par la Curie Romaine qui, malheureusement, à leurs yeux, semble s'adjuger d'autant plus d'infaillibilité dans ses manières d'agir qu'elle ignore davantage la mentalité orientale, sa psycho-

logie, ses us et coutumes. Ses rapports avec l'Eglise Orientale, pensent-ils, risqueraient, à cause même de cela, d'être entâchés d'arbitraire. En outre, ils s'étonnent de voir cette Curie formée d'un personnel presque exclusivement occidental et même italien.

Ils tiennent, en effet, à garder leur autonomie administrative: « Nous ne voulons pas, me disent-ils, être réduits à de simples curés de paroisse qui reçoivent et exécutent les ordres de la Curie Romaine. Nous avons eu dans l'histoire une place de choix. En cet Orient, où les rites sont nombreux, nous avons eu — et ce droit nous est reconnu encore aujourd'hui — à défendre nos Communautés sur les deux plans religieux et civil, devant les autorités et les peuples non chrétiens ».

Enfin, ces mêmes Prélats des Communautés séparés m'affirment, avec le sourire, qu'il n'y aurait aucune crainte ni pour le Vatican ni pour la Basilique Saint Pierre qu'ils soient pris d'assaut par les Patriarches Orientaux à qui on aurait reconnu les privilèges que l'Histoire a déjà consacrés.

Je me devais de vous transmettre cette expression de l'attitude de nos frères séparés.

Reconnaître ces privilèges aux Patriarches Orientaux ne nuirait en rien aux intérêts de l'Eglise. Au contraire. D'autant que ces privilèges n'ont aucun rapport avec la doctrine de la foi et que des horizons toujours plus larges et plus traditionnels ne peuvent que rapprocher les cœurs.

Pour ne parler que de la communauté maronite, ce qui l'a sauvée à travers l'Histoire et rehaussé son prestige auprès de toutes les Communautés chrétiennes et non chrétiennes et auprès des pouvoirs civils, c'est l'autorité patriarcale — pleinement reconnue et exercée — à qui les autorités musulmanes elles-mêmes ont toujours reconnu une compétence particulière pour la défense même de tous les chrétiens du Liban.

L'affaiblissement de cette autorité patriarcale à l'égard des évêques et des Ordres religieux, en un temps où la mentalité moderne, faite d'indépendance et d'autonomie, envahit les rangs du clergé lui-même, pourrait avoir des conséquences fâcheuses sur le double plan religieux et civil: l'unité des fidèles en souffrirait, la collaboration entre les Chefs spirituels de la Communauté risquerait de diminuer, au grand dam de la foi elle-même et de la marche des diocèses. Les autorités civiles et romaines, par ailleurs, en cas d'affaiblissement de l'autorité patriarcale, auraient affaire à des autorités multiples sans leur reconnaître le même prestige attaché à l'autorité patriarcale.

Que si un différend devait, par malheur, surgir entre le Patriarche et ses évêques ou les Ordres religieux, ces derniers pourraient facile-

ment s'adresser à Rome, soit directement, soit par l'intermédiaire du représentant du Saint Père accrédité dans le pays.

Comme, par ailleurs, on envisage l'éventualité de créer de nouveaux Patriarcats Orientaux, je pense qu'obéissant à la même attitude que plus haut, ces Patriarcats ne pourraient que rendre des services aux catholiques minoritaires de ces pays et aider à l'union des chrétiens au sein de l'Eglise.

Je tiens toutefois à ajouter que, voulant demeurer dans le sens de l'Histoire et faciliter l'union des Eglises, l'on maintienne à leur place de choix les quatre Patriarcats traditionnels dans le sens de l'alinéa 1 du par. XIII. Quant aux autres, il est souhaitable de leur accorder les mêmes droits de préséance accordés aux Cardinaux, à l'exception du Cardinal légat *a latere*. Il convient aussi que tous les Patriarches Orientaux participent à l'élection du Souverain Pontife, Père Commun et Pasteur de toute l'Eglise.

Le Christ Notre-Seigneur a versé Son Sang pour racheter les hommes. Il n'est pas de trop de consentir quelques sacrifices pour faciliter le retour de nos frères séparés au sein de l'Eglise. Ce but est inappréciable.

Dans les Missions l'on sacrifie argent, travail et vies humaines en holocauste pour convertir les païens. Que ne devrait-on consentir pour le retour de nos frères séparés à l'Unité Catholique?

IX

Exc.mi P. D. THOMAE COORAY
Archiepiscopi Columbensis in Ceylon

De Ordine Morali.

a) Ad Cap. 4, num. 16 (p. 23,[1] lin. 5): Post verba « dominium a Deo acceperit » proderit (ad dignitatem personae humanae luculentius, fortius inculcandam) adiungere verba: « ac prae omnibus creaturis visibilibus ex intima sua natura est immediate ad Deum ordinatus ».

b) Ad Cap. 4, num. 17 (p. 24,[2] lin. 11): Desiderandum videtur ut congruis verbis veram libertatem a prava libertinitate ac licentia distinguatur ac secernatur. Nostris enim diebus numero ac sensu abundant qui « velamen habentes malitiae libertatem » (1 Petr. 2, 16) ipsam « in occasionem dent carnis » (Gal. 5, 13).

De Sacramento Confirmationis.

Emendamenta in votis sunt:

1. Ad Cap. 1, n. II d (p. 5,[3] lin. 15): Loco verborum « Ordinarius loci *moderatori capellanorum* concedere poterit », ponatur simpliciter « Ordinarius loci *capellanis* concedere poterit ».

Ratio: Ille potius facultate polleat, qui actu praesto est vita periclitantibus, nempe ipse capellanus. Ut plurimum, casus qui oritur moram non fert recurrendi ad Moderatorem.

2. Ad Cap. 1, n. II (p. 4,[4] lin. 22): Ut verba « *ex gravi morbo* » omittantur.

Ratio: *a*) per haec verba, plures excluduntur casus qui facultatem exigunt, v. g. pro capite damnatis in carceribus, pro iis qui periclitantur instante bellica actione ac etiam pro infantibus debilibus (praematuris, immaturis) qui etsi debilitas ipsorum haud constituat morbum ex se *gravem* nihilominus periclitantur ex causis extrinsecis e. g. incuria, ignorantia vel abiecta paupertate parentum vel tutantium.

b) Haec verba contradicere videntur declarationibus Sanctae Sedis circa Decretum de Confirmatione a ministro extraordinario (cf. *A.A.S.* 1948, pag. 41 ubi illa verba « ex gravi morbo » omnino desunt).

---

[1] Cf. p. 39.
[2] Cf. p. 39.
[3] Cf. p. 97.
[4] Cf. p. 97.

3. Ad cap. 1, n. II in conclusione (p. 5,[5] lin. 28 sqq.): Ut *omittatur* totum pericope a verbis « *ea lege* ut Episcopus Dioecesanus haberi non possit » usque ad verba « sacramentum conferre queat ».

Rationes: *a*) Haec verba superflua videntur quum in praxi rarissime occurrit casus ubi Episcopus adesse possit periclitantibus in nosocomiis, domibus paroeciarum etc.

b) Ex alia parte, haec clausula si inseritur ansam praebet innumeris dubiis de validitate Confirmationis collatae per ministrum extraordinarium.

c) Ista clausula non adiicitur facultati (sub num. 1, pag. 4,[6] lin. 16) Vicario Generali tributae circa omnes casus. Tolli ergo potest pro paucis casibus parochis ac capellanis concessis.

De Sacramento Poenitentiae.

1. a) *Emendamentum* in votis: ad Cap. 1, n. 4, *facultates sacerdotum peregrinantium* (p. 7,[7] lin. 21 sqq.): Loco verborum « qui iter maritimum aut aereum arripiunt in sacris peregrinationibus... communiter susceptis », adhibeatur potius textus propositus in Decreto pro Ecclesiis Orientalibus, mutatis autem mutandis (Libellus « De Ecclesiae Sacramentis », c. II, n. 4, pag. 8,[8] linn. 1-9), nempe: « Sacerdotes omnes maritimum, aereum, ferreum vel aliud quodque iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario vel ab Ordinario cuiusvis loci per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum iterantium confessiones excipere in navi, aereo vel curru quocumque, quamvis in itinere transeant vel etiam aliquamdiu consistant in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis ».

1. b) Ad Cap. 1 de iurisdictione ante n. 5 (p. 8, lin. 13): In votis est ut *novus numerus* introducatur inter nn. 4 et 5 ad mentem nempe Decreti de Sacramentis pro Ecclesiis Orientalibus (pag. 8, linn. 10-13) hoc modo: « Quilibet sacerdos ad confessiones audiendas approbatus, nec canonice impeditus, potest confessiones excipere cuiuscumque fidelis ubique terrarum, si ab eo ad personam requisitum fuerit.

Sacerdos his in adiunctis pro Tribunali Sacro sedens, potest confessiones excipere aliarum etiam personarum quae, occasione nacta, ad ipsum forte accesserint ».

---

[5] Cf. p. 98.
[6] Cf. p. 97.
[7] Cf. p. 117.
[8] Cf. pp. 117-118.

2. Ad Cap. 3 *de peccatis reservatis,* ad Notam (p. 11,[9] lin. 8 sqq.): In votis est ut casus Sanctae Sedi reservati pauciores fiant hoc modo:

a) Casus « simpliciter reservati » supprimantur.

b) Casus « speciali modo reservati » ad pauciores casus, v. g. 9 vel 10, reducantur.

Convenit ex praxi Ecclesiae: verbi gratia: In territoriis sub iurisdictione S. C. de Prop. Fide per Facultates Decennales n. 39, facultas iam facta est (Ordinariis, subdelegabilis aliis) absolvendi « ab omnibus censuris sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis ».

De Sacramento Ordinis.

Ad Caput 2 (libell. p. 12[10] sqq.): A) *Quaestio generalis*:

Quaestionem movere placet de ipsa necessitate ac opportunitate instaurationis Ordinum Minorum secundum schema Capitis 2.

1° – *Quoad eos qui ad sacerdotium non aspirant.*

Copiam ministrorum qui in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus munia Ordinibus Minoribus propria exerceant, multum conferre posse tum ad decorem Cultus Divini tum ad profectum fidelium, citra dubium est.

At simul neminem latet rem in concreto plura offerre incommoda, ac pericula.

Proinde, instauratio ministrorum inferiorum ad Sacerdotium haud destinatorum mature pensanda est ac caute introducenda.

Inter *incommoda ac pericula* quibus talis instauratio exponitur, recensere licet:

1) E talibus ministris, utpote minus excultis scientia, virtute ac urbanitate, clericalis status decus ac bona fama detrimentum pati possunt.

2) Timendum est etiam ne (cum res, eheu, etiam apud Sacerdotes evenit) e periculis ministerii multiplicentur defectiones inter hos Minoristas, cum consequenti Fidelium scandalo ac Episcoporum adaucto angore.

3) Ipsa dimissio indignorum ministrorum (ad normam c. 2, n. 8, p. 15,[11] lin. 9 sqq.): prae se fert magnum incommodum.

Etenim, minoristae stabiles tum ratione necessitudinis cum cognatis ac cognitis, tum ratione necessitatis economicae, in propria paroecia originis ut plurimum degent.

---

[9] Cf. p. 119.

[10] Cf. p. 143 sqq.

[11] Cf. p. 145.

Poterunt proinde, si dimissi fuerint, rem aegre ferre ac, coadunatis cognatis ac cognitis, factiones efformare et oppositionem movere contra Superiores Ecclesiasticos.

Concludendum proinde videtur:

Munia plurima minoristis assignanda (iuxta p. 13,[12] lin. 5 sqq.) adimpleri posse etiam *a laicis idoneis.*

Talis assumptio laicorum in munia (haud vero in statum) Minoristarum in profectum cedet « Apostolatus Laicalis ».

Si opus sit, possint laici isti congruo condecorari titulo honoris (secundum regionum convenientiam — v. g. anglice « Wardens »); in ipso actu officii, vestem talarem ac superpelliceum gestare (haud vero tonsuram) ac etiam, si necessarium, stipendium aliquod percipere.

2° – *Quoad eos qui ad sacerdotium destinantur.*

Contra propositum Minoristas ad Sacerdotium destinatos in ministerio paroeciali adhibendi per ipsa Ordinationum interstitia, militare videntur sequentia (c. 2, n. 2, p. 12,[13] lin. 14 sqq.):

1) Minoristae, scientia haud satis parati et virtute teneriores periculosius exponentur contactui cum mundo.

2) Tranquillo studiorum cursui nocere possunt istae irruptiones ministerii.

E contra, necessitatibus ministerii pastoralis ac ipsi clericorum institutioni practicae et experimentali melius provideri videtur sequenti modo:

1) Ad sacerdotium destinati totum cursum studiorum (theologiae) perficiant sine intermissione ulla.

2) Expleto cursu theologico (iuxta c. 4, n. 3, p. 21,[14] lin. 19) qui idonei sunt ac 24um aetatis annum compleverint ad Diaconatum, sub voto temporario castitatis (iuxta c. 4, n. 9, p. 23,[15] lin. 8) promoveantur.

3) Diaconi subinde, usque ad 30um aetatis annum, vel saltem per 3 annos integros, paroeciis et operibus dioecesanis addicantur ad munia suo Ordini congruo necnon ad quasdam ex illis quae in libello (c. 2, n. 3, p. 13, lin. 5 sqq.) lectoribus ac acolythis tribuuntur obeunda.

Commoda quae ex hoc systemate consequi possunt:

1) Tantum post Diaconatum ministerio externo adhibiti, candidati ex diuturniori institutione, ac exercitatione, laboribus efficacius incumbere ac periculis securius obviare poterunt.

---

[12] Cf. p. 144.
[13] Cf. p. 143.
[14] Cf. p. 149.
[15] Cf. p. 150.

2) Ex alia parte, Diaconatus ad plures annos in ipso ministerio protractus inserviet ad cribrandas vocationes sacerdotales. Nam, si Diaconi post tam diuturnam institutionem impares se exhibent ad vitam Sacerdotio consentaneam ducendam, prorsus arcendi erunt ab ipso Sacerdotio.

3) Hoc modo ab ipso sacerdotio melius arceri possunt indigni et efficacius impedire defectus post ordinem sacerdotalem susceptum, qui causam praebent aeternae perditionis tot sacerdotum et scandali fidelium.

Nam ex una parte saepe saepius accidit ut quorumdam iuvenum latentes defectus et edormiscentes sed haud edomitae passiones non satis sese manifestant nisi post suscepta onera et pericula ministerii pastoralis, ex altera parte tres vel quattuor primi anni in ministerio generatim sufficiunt ad has dispositiones patefaciendas.

4) Munia quaedam in libello (c. 2, n. 3, p. 18,[16] lin. 5 sqq.) lectoribus ac acolythis assignanda, Diaconi, efficacius ac securius exercebunt.

B) *Quaedam particularia notanda*:

1) In votis est ut in c. 2, n. 8 (p. 15,[17] lin. 30) de regressu ad statum laicalem, post verba « nullam spem emendationis adesse » inserantur verba « vel scandalum in mora ».

2) Ad n. 3, cap. 4 (p. 21,[18] lin. 22) de aetate, notandum velim propositum supra allatum, nempe, ut *tres saltem* anni Diaconales intercedant inter Diaconatum et Presbyteratum; ac ne Presbyteratus conferatur ante annum 30um completum.

De ceteris Schema decreti placet.

De Patriarchis Orientalibus.

Observationes ac emendamenta desiderata. Praecedentia Patriarcharum proposita (super Cardinales ac Legatos Pontificios) locum praebere potest magnae confusioni, non tantum quoad honores sed etiam quoad iurisdictionem (praesertim apud populum ac clerum). Unde articuli forsitan melius redigi possunt sequenti modo:

1) Ad num. XI (p. 9,[19] lin. 15) de cooptatione in Collegium Cardinalium. « Sacrosanctum Concilium Romanum Pontificem rogat ut, salva eius omnimoda libertate, Patriarchae Orientales, qui non sunt mere titulares sed vere suo cuique territorio seu ritui tamquam caput praesunt, in Collegium Cardinalium cooptentur ».

---

[16] Cf. p. 144.
[17] Cf. p. 145.
[18] Cf. p. 149.
[19] Cf. p. 199.

Vel ad num. XII (p. 9, lin. 19) [20] vel loco prioris articuli: « Sacrosanctum Concilium exoptat ut Patriarchae Orientales qui non sunt mere titulares sed vere suo cuique territorio seu ritui tamquam pater et caput praesunt, etsi Cardinalitia dignitate careant, omnibus iuribus ac privilegiis gaudeant Cardinalium etiam quoad electionem Romani Pontificis ».

2) Ad num. XIII (p. 9, lin. 23 ad p. 10 usque ad lin. 11). Hic numerus sic emendari potest: « Proinde, quoad praecedentiam honoris sive liturgici sive extra-liturgici Patriarchae (qui non sunt mere titulares), aequiparentur cardinalibus; eaedemque regulae serventur ac pro membris Sacri Collegii salvo tamen hoc quod in proprio territorio Patriarcha Orientalis praecedentiae iure gaudet super omnes praeter Legatum Pontificium *a latere* ac Cardinalem Secretarium Congregationis pro Ecclesia Orientali ».

Rationes: S. R. E. Cardinales sive coniunctim sive singillatim vices quodammodo gerunt Summi Pontificis.

« S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia (Universali) praecipui consiliarii et adiutores assistunt » (can. 230).

Proinde, iuxta aestimationem communem, ac reipsa, dignitas ipsius Romani Pontificis in eos refulget tamquam in curis ac auctoritate Sanctitatis Suae participantes.

N. B.: *a*) Quoad Cardinales singulatim. Hoc maxime valet pro Praefectibus (vel Secretariis) Sacrarum Congregationum — ut patet ex eo quod, secundum can. 246, singulis Congregationibus Cardinalis quidam praeest, solummodo si ipsemet Summus Pontifex eisdem non praesit.

b) Quoad Cardinales coniunctim. Sede Apostolica vacante, iurisdictio Universalis Ecclesiae in ipsum Sacrum Collegium transit iuxta Constitutionem exercenda (can. 241).

Incongruum ergo videtur, ac piorum sensuum offensivum, alios Praelatos, ut tales, super Cardinales praecedentia gaudere.

Conclusio: Tota quaestio de Praecedentia ita controversiis ac (sicut olim inter Apostolos ipsos) contentionibus ac dissidiis patet ut melius videtur rem nullomodo in Concilio movere sed sapientiae ac arbitrio Summi Pontificis committere; eo quod contentio hac de re coram observatoribus acatholicis admirationem, imo scandalum, creare potest, vel eo magis quod utcumque ipsa urbanitas vetat ne quaestio de praecedentia honoris moveatur coram ipsis personis de quibus agitur.

---

[20] Cf. p. 200.

De sorte infantium.

Ad Cap. 10, num. 51 (p. 3,[21] linn. 1-19):

Conclusio « inanes et sine fundamento esse omnes sententias quibus pro infantibus aliud medium praeter baptismum re susceptum statuitur » patet quibusdam incommodis quae ex parte Summi Generalis Concilii vitari convenit.

Nam: *a*) Ut adversarii obiicere possunt, conclusio ista consequitur:

e propositione *Maiori* revelata (vid. « neminem ex statu quo nascimur... sine lavacro regenerationis aut eius voto »)

et e propositione Minori (vid. « infantes ex sese huius voti incapaces » utpote « aetatem rationis non adepti ») quae non in revelatione sed tantum in ratione humana fundata est.

Sed ista Minor distingui potest, nempe:

quod infantes *ex sese* sint huius voti incapaces: concedendum;

quod iidem etiam *sub interventu* vel ordinatione Providentiae Dei (Qui vult omnes homines salvos fieri - I Tim. 2, 4) sunt incapaces: negandum.

Unde non omnino repugnat votum in infantibus.

Quapropter non videtur, ex una parte, omnino repugnare salus infantium per baptismum in voto (nempe sub interventu divino).

Sed ex altera parte, revelatio divina nihil dicit de tali interventu.

Res cum ita sit, et cum hic agatur de quadam declaratione infallibili Concilii Oecumenici, saltem inopportunum videtur definitio positiva. Res potius committenda misericordiae divinae.

b) Adversarii item obiicere possunt: verum esse « infantes ex sese incapaces esse voti Baptismi ». At hoc idem valet pro infantibus qui aquis Baptismi abluuntur quibus tamen loco proprii voti ac propriae Fidei supplet Fides ac Votum Ecclesiae (per patrinos expressa).

Ad rem citari possunt verba S. Augustini: « Omnes parvuli tamquam pupilli considerantur, etiam qui nondum parentes proprios extulerunt. *Omnia* praedestinatorum numerus Parvulorum *Populum Dei* quaerit *tutorem* qui expectat Dominum Salvatorem » (Sermo CLXXIV *De Verbis Apost.* I Tim. 1).

Et iterum idem S. Augustinus: « Accommodat illis (parvulis) *aliorum* pedum ut veniant (ad Ecclesiam), aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur; ut, quoniam quod aegri sunt, alio peccante praegravantur; sic, cum hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur » (Sermo CLXXVI in eumdem locum).

---

[21] Cf. p. 389.

Quum ergo maxime convenit ut tam Decreta quam « Capitula » Summi Concilii immunia sint a facili adversariorum impugnatione, melius videtur (salvo meliori iudicio) ut, seclusa de istis « sententiis » mentione, in num. 51 unice studeatur doctrinam Ecclesiae denuo exprimere de necessitate Baptismi (re et voto; vel, impedita re, voto solo) in communi.

X

Exc.mi P. D. PETRI THOMAE McKEEFRY
Archiepiscopi Vellingtonensis

De Ordine Morali: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Sacramento Confirmationis: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Sacramento Poenitentiae: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Sacramento Ordinis: Caput 1. Ad par. 1, pag. 7:[1] Non placet. Videtur: melius est in Quaestionibus de Ecclesiis Orientalibus sub schema « De Ecclesiae Sacramentis » pag. 10,[2] par. 1, ubi dicitur (lin. 8), « Commendatur ergo ut Hierarchae locorum hoc institutum permanens restituendum studeant ipsumque revera reviviscere curent, *communi tamen consilio Hierarcharum uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae* ».

Suggestio mea esset — cum humilitate dico: post verbum *animarum* (lin. 8) addenda sunt verba ut supra « Commendatur » etc. Postea, « haec autem instauratio ne fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis ».

De caeteris in voto Eminentissimi Relatoris.

De Ritibus in Ecclesia: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Patriarchis Orientalibus: Ad par. XII, pag. 9:[3] Non placet, et si Romanus Pontifex velit, privilegium Patriarchae Lisbonensis concedatur Patriarchis Orientalibus, scilicet « ius ad cardinalatum in primo consistorio post electionem habito ». *Inter Praecipuos* Clem. XII, 27-12-1737.

Ad par. XIII, pag. 9[4] et seq.: Non placet. Stet ordo praecedentiae ut in C.I.C.

---

[1] Cf. p. 140.
[2] Cf. p. 262.
[3] Cf. p. 200.

De cetero, in voto Eminentissimi Relatoris.

De communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De usu linguarum vernacularum in Liturgiis: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Ecclesiae Sacramentis: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De deposito Fidei pure custodiendo: Prooemium et Cap. I: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Deo et de creatione: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De revelatione et de progressu doctrinae: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De ordine naturali et supernaturali. De spiritismo et novissimis: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De peccato originali et de monogenismo: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De sorte infantium absque baptismo decedentium: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De satisfactione Christi: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

XI

Exc.mi P. D. CAROLI IOSEPH ALTER
Archiepiscopi Cincinnatensis

De Sacramento Confirmationis:

Cap. 1, n. I: Placet.

Cap. 1, n. II: Placet in omnibus supradictis.

Caput 2: Placet.

Caput 3: Placet.

De sacramento Poenitentiae:

Cap. 1, nn. 1-4: Placet.

N. 5: Placet secundum modum, i. e. facultas absolvendi poenitentes restringi oportet ad peccata simpliciter Sanctae Sedi reservata ratione sui.

N. 6: Placet.

Caput 2: Placet.

---

[4] Cf. p. 200.

Caput 3: Non placet: « ... neve in vigore maneant ultra triennium, nisi Episcopus ob speciales rationes prorogandam reservationem esse censuerit ».

De sacramento Ordinis:

Cap. 1, nn. 1-3: Placet.

N. 4: Haec instauratio diaconatus, tamquam quaestio magni momenti, disceptationem tum extensivam tum intensivam apud Patres Concilii postulat, ne forsan in ordine practico difficultates lateant, quae postea sese manifestent ad detrimentum Ecclesiae.

Mihi videtur quod functiones, sub capitibus *a*), *b*), *c*), *d*) enumeratae, etsi vi iuris canonici (novi) conferri poterint ab Ordinario loci, ita tamen fiant, ut in unoquoque casu facultates clare et speciatim ab Ordinario ipso determinandae sint et ad usum singulorum diaconorum in scriptis concedentur.

N. 4 *d*): Placet iuxta modum, ne sacerdotium dedignetur in aestimatione cleri et populi relate ad diaconatum.

Nn. 5-7: Placet.

N. 8, linn. 28-30: « ... iuxta modum et formam eisdem praescribendam »: Quomodo praescribitur, an a iure ipso vel a persona, et a quanam?

N. 9: Placet iuxta modum, i. e. rescripto a Sancta Sede recepto.

Cap. 2, n. 1: Placet.

N. 2: linn. 18-22: « ... ordines exerceant sub ductu Superiorum Seminariorum... capiant »: In quantum possibile est in seminariis intuitu numerositatis alumnorum et disciplinae requisitae.

N. 3: Intelligendum forsan est quod quasdam functiones, ex his enumeratis, seminaristae exercere debeant, sed non omnes.

In seminariis numerosos alumnos habentibus erit valde difficile functiones allatas exerceri ab omnibus seminaristis.

Quaeritur an in posterum duo tantum sint ordines minores et uno tantum ritu sint conferendi, e. g. Ostiariatus et Lectoratus?

Nn. 4-6: Non placet. Mihi videtur quod hae paragraphi, in quantum respiciunt statum permanentem, melius omittendae sint. Seminaristae tantum muneribus ordinum minorum fungi debent vi ordinationis; alii seligendi sunt tantum ad tempus utile sine ordinatione.

N. 7: Placet ad primam partem.

N. 8: Non placet. Videtur quod divisio inter clericos minores qui ecclesiae inserviunt ad tempus et alios qui denominantur « stabiles » careat ratione sufficienti; in praxi multas difficultates creare potest. Clerici omnes in ordinibus minoribus constituti, ex alumnis seminariorum seligendi, considerandi sunt tantum ad tempus utile servitio ecclesiae

dedicati, et ad statum laicalem regredi possunt spontanee vel sua prorsus voluntate per notitiam Ordinario suo factam.

Cap. 3, n. 1: Nimis prolixus; abbreviari potest, et prudenti iudicio Ordinarii referatur.

N. 2: Placet.

N. 3: Maxime placet.

Cap. 4. Haec praescripta sub capite quarto enumerata, nempe de aetate, de interstitiis, de studiis, de diaconatu pastorali, imo de neo-presbyteratu pastorali, videntur esse nimis onerosa. Unicus annus post cursum theologicum completum, durante anno diaconatus, videtur esse sufficiens ad munera pastoralia ediscenda et exercenda, quin sit necesse etiam a neo-presbyteris plus ultra exigere.

Insuper pro sustentatione eorum qui per duos integros annos instituendi sunt in munere pastorali, magnae expensae requiruntur, pro aedibus, pro facultate peritorum, pro victu et vestitu. Onus fiscale iam ponderosum est pro unaquaque dioecesi. Necessitas providendi sacerdotes pro paroeciis maxime urget et numerus adaequatus eorum adhuc deficit.

Mihi videtur quod totum caput reconsiderari debeat.

Nn. 1-4: Non placet: distinguere enim oportet inter studia apta et necessaria pro ministerio ordinario et alia studia quae sunt necessaria sacerdotibus qui muneribus specialibus funguntur.

Cap. 4, n. 5: Non placet.

N. 6: Non placet. Linn. 17-21 (« ... subdiaconus ad diaconatum ne antea promoveatur, etc. »): Suadeatur quidem, sed obligatio stricta non imponenda est.

Nn. 7-8: Non placet.

N. 9: Quid sibi vult? Quaeritur an disciplina quae adhuc viget mutanda sit.

De ritibus in Ecclesia:

I-VI: Placet.

VII: Placet iuxta modum. In dioecesibus extra regiones orientales, ubi non existit ritus proprius, iis qui ex fide orthodoxa sic dicta in Ecclesiam Catholicam admittuntur, ius alium ritum seligendi concedere oportet.

VIII-XII: Placet.

De Patriarchis Orientalibus:

I-IX: Placet.

X: Adiungatur: « Romano Pontifice iudicante in unaquaque causa ». Placet.

XI: Placet iuxta modum. Non autem plus quam tres vel quatuor.

XII: Placet.

XIII: Placet relate ad primam partem, i. e.: *In proprio territorio tantum.*

Non placet relate ad ultimam partem.

Pag. 10,[1] « Patriarchae... insignitis »: Non placet. « Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudeant ubique terrarum, etc. »: Non placet.

Add.: Deferenda sunt ad futurum.

De communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis: Placet.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis:

I-IV: Placet.

De Ecclesiae Sacramentis:

Cap. 1: *De Ministro Sacramenti S. Chrismatis*:

I-III: Placet.

IV: Placet iuxta modum, i. e. si sacerdos latinus iam gaudeat facultate a suo Ordinario et intra eosdem limites sicuti in ritu latino.

V-VII: Placet.

Cap. 2: *De Ministro Sacramenti Poenitentiae*:

I: Placet.

II, 1): Intelligitur: « intra regiones orientales ».

II, 2), 3), 4): Omnia supradicta placent.

III-IV: Placet.

V: Debet magis praecise explicari. Vide VIII infra, quod videtur esse sufficiens in casu.

VI-VIII: Placet.

Cap. 3: *De diaconatu permanenti*: Placet.

Cap. 4: *De forma canonica matrimoniorum mixtorum*: Placet.

---

[1] Cf. p. 200.

XII

Exc.mi P. D. LAURENTII LEONIS GRANER
Archiepiscopi Dacchensis

De ordine morali: Placet.

De sacramento Confirmationis: Placet.
De sacramento Poenitentiae: Placet.
De sacramento Ordinis: Placet.

De Ecclesiae sacramentis: Placet.
De ritibus in Ecclesia: Placet.
De Patriarchis Orientalibus: Placet.
De communicatione in sacris: Placet.
De usu linguarum vernacularum in liturgiis: Placet.

De deposito Fidei pure custodiendo: Placet.

XIII

Exc.mi P. D. ALBERTI SOEGIJAPRANATA
Archiepiscopi Semarangensis

De deposito Fidei pure custodiendo.

1. E prooemio et Cap. 1: *De Veritate*:

Pag. 7 [1] ad 5: Loco « *homo inde ab initio* » fortasse melius proponatur « genus humanum ab initio » ut evitetur quaestio disputata an Adam diu vixerit in statu integritatis aut statim lapsus sit. Per verba « *genus humanum ab initio* » excluditur, ut mihi videtur, interpretatio inoptata.

2. E Cap. 2 et 3: *De Deo et de creatione*:

a) Pag. 5 [2] ad 6: Loco [Cognitio Dei, finis ultimi hominis] proponatur: [Momentum cognitionis Dei naturalis et supernaturalis], ita ut verba « finis ultimi hominis » expungentur, quia hoc in numero non explicito modo sermo est de fine ultimo hominis.

b) Pag. 5 ad 8: Argumentum Dei existentiae, quod sumitur ex firma

---

[1] Cf. p. 280.
[2] Cf. p. 303.

ad finem directione aut ex ordine, sat clarum est. Ordo enim supponit Ordinatorem sapientem, scientem finem et media ad finem. Ex magnificentia et pulchritudine creaturae, ut mihi videtur, non tam perspicue demonstratur existentia Dei, nisi ex principio: ex effectu cognoscitur causa lumine naturali.

3. E Cap. *De sorte infantium absque Baptismo decedentium*:

a) Comparatio redactionis sub-commissionis, P. Dhanis et D. Colombo:

— *Redactio Sub-commissionis*: « Cum autem infantes ex sese sunt huius voti incapaces, et *insuper* Ecclesia *semper sibi* persuasum habuerit... eosdem aetatem rationis non adeptos, sine ipso sacramento baptismatis praemia vitae aeternae consequi non posse...

— *Redactio P. Dhanis*: « Cum insuper a saeculis in Ecclesia *communis fuerit sententia* infantes aetatem rationis non adeptos huius modi voti esse incapaces, cumque adversa *opinatio argumentis* ad probandum *firmis* careat... ».

— *Redactio D. Colombo*: « Cum insuper a saeculis in Ecclesia *communis* fuerit *sententia...*, cumque adversa *opinatio* argumentis ad probandum *firmis adhuc careat* ».

b) *Comparatio conclusionum*:

— *Redactio Sub-commissionis*: « Ideo S. Synodus *omnes sententias,* quibus pro infantibus aliud medium praeter baptismum *re* conceptum statuitur, *inanes* et *sine fundamento* declarat ».

— *Redactio P. Dhanis*: « Ideo nonnisi *temerario ausu*, quem S. Synodus reprobat, contenditur... infantibus non baptizatis aditum patere ad beatam Dei visionem ».

— *Redactio D. Colombo*: « ideo non nisi temerario ausu contenditur... infantibus non baptizatis certe aditum patere ad beatam Dei visionem ».

c) *Differentiae* inter *tres opiniones*:

— Secundum Sub-commissionem: argumenta adversariorum sunt inania, nihil valentia.

— Secundum P. Dhanis argumenta adversariorum sunt ausus temerarius, qui implicite *agnoscit haberi argumenta* quaedam licet non sat firma ad probandum.

— *Secundum D. Colombo*: argumenta adversariorum sunt ausus temerarius, qui *includit argumenta* quaedam licet adhuc non sat firma ad probandum.

Proin habetur problema quoddam disputandum.

Requirenda sunt argumenta firmiora, quibus inventis opinatio non amplius ausus temerarius est.

d) *De consensu opinionum quod felicitatem quandam* infantium sine baptismo decedentium *attinet*:

— *Redactio Sub-commissionis*: non autem desunt rationes censendi eosdem quadam felicitate suo statui accommodata perenniter frui.

— *Redactio P. Dhanis*: *vera quadam* felicitate suo statui accommodata frui.

— *Redactio D. Colombo*: vera quadam felicitate suo statui accommodata frui, ob merita Christi Domini qui pro ipsis quoque mortuus est.

Clare D. Colombo explicat statum quaestionis:

1) Baptismus est necessarius ad salutem necessitate medii.

2) Universalitas salutis Christi, quae infantes sine baptismo mortuos non excludit, pro quibus etiam Christus mortuus est.

In sua redactione Sub-commissio nihil dicit de universalitate salutis Christi.

e) *De qualitate felicitatis,* qua infantes sine baptismo mortui suo statui accommodata fruuntur.

A Sub-commissione illa felicitas nominatur *felicitas quaedam* statui suo accommodata.

A P. Dhanis et a D. Colombo appellatur *vera felicitas* statui suo accommodata.

Quaeritur: quid est illa felicitas suo statui accommodata? Estne naturalis an supernaturalis?

In redactione Sub-commissionis ad notam 5, pp. 7-8 [3] legitur: « Intactae manent quaestiones disputatae v. g. de natura limbi, an sit levis dolor, quo sensu conditio infantium sit supernaturalis etc. ».

Illa conditio infantium est igitur aliquo sensu supernaturalis, tamen non sunt in coelo, propter carentiam baptismi, quod est necessarium necessitate medii.

Si eorum conditio est pure naturalis, est contra oeconomiam salutis supernaturalis. De facto genus humanum in ordine vivit supernaturali et debet tendere in finem ultimum quoque supernaturalem, infantibus, ut mihi videtur, non exceptis mortuis sine baptismo.

Ob merita Christi Domini qui pro ipsis quoque mortuus est, possibilitas non excluditur alicuius viae, per quam illi infantes, gratias Christi Redemptoris adepti, finem supernaturalem obtineant.

Qua de re habetur quaestio disputata et adhuc disputanda.

Approbo verba, quibus finitur redactio et P. Dhanis et D. Colombo: ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorumdem, pro quibus etiam

---

[3] Cf. p. 393.

Iesus Christus mortuus est, altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter remittit.

Quibus supra dictis et consideratis, humiliter commendo redactionem P. Dhanis vel D. Colombo quae est latior et latissima.

4. *De Sacramento Ordinis*: Cap. I: *De Diaconatu permanenti.* Ad 6: *De scientia requisita*:

a) Si Diaconis stabilibus ad normam iuris tribuendae sunt *functiones sacrae, functiones ministeriales seu pastorales, functiones iurisdictionales, functiones administrativae* (pag. 8,[4] reg. 12-40; pag. 9,[5] reg. 1-10) scientia statui Diaconatus permanentis congrua et requisita solum gradualiter differt a scientia sacerdotibus requirenda, praesertim quod ad functiones pastorales et iurisdictionales pertinet.

Ut Diaconi vere apti sint ad praedicationem, ad instructionem matrimonialem tradendam, ad sodalitates dirigendas, ad opificum consociationibus assistentiam praebendam, exiguntur studia quae a studiis sacerdotalibus non longe differunt.

Qui ad haec officia apti sunt pluribus in casibus etiam apti sunt ad sacerdotium accipiendum si volunt, quod in se utilius et perfectius est, nisi status diaconalis ut vocatio specialis consideretur a sacerdotali distinctus. Quod vero dici nequit, ni fallor, nisi fortasse in casu diaconorum, qui matrimonio iuncti sunt. (Vide sub 5, reg. 18 ss.) aut in casu diaconi ordinati sine aspiratione ad presbyteratum ante ordinationem expressa, aut in casu diaconi post ordinationem difficultates habentis personales, ut ad presbyteratum promoveatur; equidem in dioecesibus, in quibus propter penuriam sacerdotum instauratio diaconatus permanentis fit de iudicio Sanctae Sedis.

b) Instauratio subdiaconatus permanentis ne fiat sine iudicio Sanctae Sedis nec sine Ordinarii loci consulto, consideratis societatis circumstantibus. Numerus Diaconorum stabilium in quantum fieri potest sit minimus et sufficiens ad implendam egestatem sacerdotum in bonum curae animarum. Diaconi permanentes debent esse et manere adiutorium auxiliumque sacerdotibus ad efficiendam meliorem curam animarum. Nam maioris momenti quam organisatio, praedicatio et visitatio est educatio et formatio conscientiae Christi fidelium, quae fit duce confessario sacerdote perito et stabili.

c) Spero fore ut *Diaconi coniugati* ad tempus ne constituantur in regionibus nostris propter penuriam sacerdotum, salva reverentia erga

---

[4] Cf. p. 141.
[5] Cf. p. 141.

consuetudinem in Ecclesia Orientali a saeculis vigentem et alibi a Sancta Sede approbatam: *Clericus Catholicus* (in casu Diaconus) coniugatus est enim apud nostrates eventum quoddam mirabile. Nam caelibatus religiosi et Clerici Catholici ab indigenis consideratur ut signum specificum et magni aestimatur ab eis, qui motiva et scopum nostri caelibatus perspiciunt. Instituto Diacono coniugato, timeo ne status Clerici et religiosi coram populo indigeno degradetur, etiam sacerdotis. In conversatione et consuetudine quotidiana, infideles et non catholici non facile discernunt differentiam clericos inter et religiosos, minime diaconos inter et sacerdotes. Secundum mentem indigenarum virtus hominis consistit in gubernatione sui, quae praesertim realisatur in continentia absoluta et voluntaria in rebus sexualibus. in quibus plures debiles esse patet.

Si necessitas valde urget propter penuriam sacerdotum, quare non datur, sit venia verbis, viris laicis bonae famae, conditionis honestae atque probitate et pietate notissimis, facultas distribuendi Sanctam Communionem Christi fidelibus et conferendi Corpus Christi aegrotis in vicis pagisque longinquis et etiam facultas baptizandi? Nam in casu necessitatis unicuique licet baptizare et Communionem distribuere. Illa facultas, consultis consulendis, dari potest a Parocho, ab Ordinario loci delegato, in publica quadam caeremonia solemni sacramentali. Quod gratissimum esse et animum reddere puto laicis ut membris etiam viventibus Corporis Christi mystici et responsabilibus quoque pro bono et salute vitae Catholicae localis.

d) In praxi, ut mihi videtur, Diacono coniugato difficile est munere suo bene fungere, quia duobus dominis servire debet, nempe familiae suae et coetui Christi fidelium.

Difficile quoque iam est pacem servare in propria familia, difficilior certe est pacem servare inter propriam familiam et ceteras familias.

Cap. II: *De Ordinibus minoribus*:

a) In Ordinibus minoribus restaurandis considerari accurate debet de conditionibus ecclesiarum cathedralium et paroecialium, de vitae adiunctis hodiernae, de mentalitate fidelium localium. Pristini mores antiqui, qui finis fuerunt evolutionis religiosae vitae per spatium temporis determinatae ut mihi videtur, non immunes fuerunt ab influxibus localibus temporalibus, nationalibus etc. Si instaurentur in omnibus orbis terrarum partibus, inter diversas nationes catholicas diversae educationis atque culturae, certe ratio haberi debet de conditionibus localibus hodiernis.

b) Difficultates locales contra restaurationem Ordinum minorum negari non possunt.

In nostra dioecesi omnes functiones Ordinum minorum exsequun-

tur laici voluntarii, quorum unus solus pensionem e redditibus ecclesiasticis accipit, nempe sacristanus. Aliquibus in ecclesiis operantur sub ductu alumni seminarii maioris, qui studiis suis philosophicis absolutis annum paroecialem peragunt. Restauratis Ordinibus minoribus, laici illas functiones non amplius exercere possunt nisi ut adiutores voluntarii subditi et imperati.

Tales functiones, quarum aliquae nunc a laicis sponte sua cum gaudio et pietate perficiuntur sine remuneratione, in posterum per ordinatos clericos excercitae, remunerari debebunt ab Ordinario. Hoc fieri potest onus sat magnum, praesertim si coniugati non habeant aliunde redditus sufficientes.

Laici, qui usque nunc laudabiliter functionem commentatoris, catechistae, organisatoris processionum etc. exercent, et qui aspirationem non habent ad Ordinationem Minorem manentem suscipiendam ab eis functionibus arceri debent. Consequenter curam amplius non habent et negligentes sunt talium functionum, in quibus se ingerere prohibentur. Quam ob rem animus frigidus laicis colitur pro talibus functionibus et actionibus liturgicis; omnia commendantes clericis, se sentient ut membra Ecclesiae passiva quae audire, subiici et imperari debent.

Cap. IV: *De aetate - Interstitiis - Castitate*:

Ad n. 4: Annus pastoralis diaconorum est simul tempus probationis. Quo tempore diaconi primo contactus propiores cum fidelibus experiuntur. Fieri potest per hunc annum probationis et pastoralem ut diaconus caelebs in dubium veniat de sua capacitate ad conservandum caelibatum, aut sibi persuasum sit se vitam caelibem permanentem ducere non posse. Ut minuatur casus reditus Clerici gradus maioris in statum laicalem, probatio commodius fiat post cursum philosophicum ante ordinationem subdiaconalem pro alumnis Seminarii maioris, ut promoti ad ordines minores, functiones Ordinum minorum in paroeciis revera exerceant per annum. Theologicis studiis solutis, neomystae peragant ultimam probationem pastoralem et asceticam manentes in Seminario maiori, partem separatam ab aliis studentibus efformantes.

Ad 9: Obligatio servandae castitatis pro seminaristis in maioribus constitutis magis specificari debet ratione claritatis: v. gr. an obligatio sit gravis, vel aut non dirimat matrimonium.

XIV

Exc.mi P. D. LEONIS SCHARMACH
Episcopi tit. Mostenensis, Vic. Ap. Rabaulensis

De ordine morali: Placet.

De Sacramento Confirmationis: Placet.
De Sacramento Poenitentiae: Placet.
De Sacramento Ordinis: Placet.

De ritibus in Ecclesia: Placet.
De Patriarchis Orientalibus: Placet.
De communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis: Placet.
De usu linguarum vernacularum in Liturgiis: Placet.
De Ecclesiae Sacramentis: Placet.

De deposito Fidei pure custodiendo: Prooemium et Cap. 1: *De Veritate*: Placet.
Capita 2 et 3: *De Deo et de creatione*: Placet.
Capita 8 et 9: *De peccato originali et de monogenismo*: Placet.
Capita 6 et 7: *De ordine naturali et supernaturali, de spiritismo et novissimis*: Placet:
Capita 8 et 9: *De peccato originali et de monogenismo*: Placet.
Caput 10: *De sorte infantium absque Baptismo decedentium*: Placet.
Caput 11: *De satisfactione Christi*: Placet.

5 - VOTA CONSILIARIORUM

I

Exc.mi P. D. ANGELI DELL'ACQUA

Archiep. tit. Chalcedonensis
Substituti Secretariae Status Suae Sanctitatis

Ad Constitutionum schemata proposita a Commissione Theologica

1. Exoptandum profecto est, cum quippe perutile appareat, Sacram Vaticanam Synodum II quaedam expendere eaque praecipua catholicae doctrinae capita, in quibus plures ex hodierna hominum consortione errare misere contingit, sive quod ad ipsa doctrinae enuntiata sive quod ad vitae individuae seu socialis attinet.

2. Verumtamen oportet Patrum ad Concilium convenientium investigatio veritatisque definitio, praeter praeceptorum propositionem, singulorum hominum seu coetuum mentem, uti re palam fit, congrue edicat.

3. Expedit propterea, ut sacrorum Pastorum sollicitudo perspicue pateat ex ipsa sacrae doctrinae explanatione, pascendo dominico gregi apprime accommodata.

4. Quod duplici ratione obtineri quidem poterit, nempe:

a) sacram explicando doctrinam pastorali modo, adeo ut quaestionum in praesens mortalium animos urgentium solutio exinde clareat atque ab omnibus percipiatur; vel

b) summatim breviterque sacrae doctrinae interpretationi proprie comparatae certas adiciendo normas, quibus ea doctrinae interpretatio omnium captum percellat sibique devinciat.

5. Quo vero eiusmodi normae, atque imprimis quae disciplinas attingunt sociales, suos reapse consequantur effectus, necessarium sane est:

a) perspectum habere dicendi genus, quo diversorum coetuum sodales seu ordinum cives cotidie utuntur (ipsorum cogitandi et colloquendi rationem, disputandi momentum, affectusque motus);

b) incepta perpendere quorum gratia istiusmodi coetus seu ordines admoventur ac potissimum causas, quibus plurimi ex operariorum

ordine non modo marxismi, verum etiam laicismi, naturalismi, scientismi atque existentialismi, quos vocant, afficiuntur;

c) peculiariter dignoscere qui sint horum coetuum seu ordinum recidentes motus ad religionem, praesertim christianam et catholicam Ecclesiam spectantes.

6. Quapropter non modo in veritatis recte declarandae rationem incumbere Sacrae Synodi Patres necesse erit, sed etiam in omne genus impedimenta depellenda quae ab amplectenda Servatoris Christi doctrina hominum mentes distinent.

7. Non agitur quippe, ut plane constat, de enervanda veritatis essentia deque eius luce utcumque infuscanda, neque de praesenti rerum morumque condicione nova fingenda doctrina; at potius de legitima ratione habenda seu animorum status cuiusque ordinis viatorum seu singularum removendarum difficultatum, quae matrem Ecclesiam cum suis in terrarum orbe filiis coniungi adhuc praepediunt.

8. Quod quidem ad nostrae aetatis errores penitus dignoscendos efficaciterque refellendos perducit.

Ut nemo certo ignorat, huiuscemodi errores raro ex intellectus depravatione ortum repetunt. Saepenumero iidem ex humani spiritus necessitatibus ac legitimis desideriis, quibus tempestivo tempore haud satis factum est, pariuntur in iisque fulmentum reperiunt suum.

Ideoque ad serpentes nostri temporis errores penitus repellendos, legitimis hominum exspectationibus occurrere omnibus viribus connitendum est.

9. Hisce explendis necessitatibus opportuna praesto esse remedia non est dubium. Ut ante actis saeculis, ita impraesentiarum Sponsa Christi prae se fert quae aberrantibus hominibus necessaria sunt, ut in rectum salutis tramitem se conferant.

10. Verum quidem est — id non sine animi dolore advertitur — haud pauci ex hodierna societate viri vel mulieres Ecclesiae praecepta aut detrectant aut ab eis servandis penitus abhorrent. Huius rei tres reperiuntur causae, videlicet:

a) quia sacrae doctrinae interpretatio populi captui haud conveniens exhibetur, quasi de re ageretur quae ab eius vitae ratione disiunctum esset;

b) quia eiusdem doctrinae expositio genere dicendi concipitur a nostri temporis cogitandi modo aliquatenus aliena;

c) quia multorum christianorum cotidiana vitae ratio a doctrinae quam profitentur praeceptis miserandum in modum dissona geritur.

11. Paucis, quaestiones a Commissione Theologica examinatae, plane cumulateque explanatae sunt: quae de iisdem quaestionibus enun-

tiantur capita, sacrarum disciplinarum veluti tractatus seu compendia apparent. Si quid ipsa deficit, est quippe pastoralis forma, qua cotidianis christifidelium necessitatibus prolatas veritates congrue nectent.

De Sacramento Poenitentiae

1. Planum rectumque omnino est, ut Episcopi gaudeant « privilegio audiendi confessiones ubique terrarum, et absolvendi a peccatis... salvis iuribus Episcoporum in propria dioecesi » (Schema Decreti de quo sermo est, pag. 7,[1] n. 2). Ipsi enim, etsi peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, sunt Apostolorum successores (C.I.C., can. 329, pag. 1).

2. Item bonum est reique consentaneum sacerdotes omnes peccata sua confiteri posse « apud quemlibet sacerdotem, qui nullo canonico impedimento sit irretitus et ab aliquo Superiore competente ad confessiones audiendas approbatus » (Ibid., n. 3).[2] Quandoquidem hoc privilegio non modo eorundem sacrorum administrorum conscientiae libertati ac tranquillitati consulitur, verum etiam dignitas sacerdotalis clariore in luce ante christifidelium oculos ponitur.

3. At dubitandum videtur num reipsa usui sit facultas, vi cuius sacerdos ab aliquo loci Ordinario ad confessiones audiendas approbatus, nec canonice impeditus, etsi in loco quo versatur iurisdictione careat, valide et licite, etiam a peccatis Ordinario reservatis, absolvere potest poenitentes qui ab eo id petant, aliasque personas ad eundem forte accedentes, « si difficilis sit recursus ad loci Ordinarium, nec praesens sit alius sacerdos in loco approbatus, vel, si adsit, poenitens eidem confiteri nequeat vel recuset » (Ibid., pag. 8,[3] n. 5).

4. Per huiusmodi enim facultatem simplex sacerdos Episcopis, aliqua licet ratione, exaequaretur. Quod fas admodum esse non perspicitur.

5. Si res autem penitius perpendatur, manifestum fit sacerdotes, extra suae nationis seu regionis fines nonnisi raro eadem esse usuros facultate, praesertim quia sacrorum administri aut mores vitaeque rationem diversarum gentium cognoscere facile nequeunt, aut earundem linguas non bene callent. Prudenter igitur facultas ista, si danda esset, intra fines provinciae ecclesiasticae seu regionis conciliaris, aut nationis contraheretur.

---

[1] Cf. p. 117.
[2] Cf. p. 117.
[3] Cf. p. 118.

6. Quaerendum praeterea est an facultas obtineat, cum alius praesto est sacerdos, cui poenitentes confiteri recusent. Nonne hoc in casu sacri administri molestis infensisque obicerentur comparationibus, maxime si poenitentes mulieres essent?

7. Neminem denique fugit facultatem audiendi confessiones quam parochi, ut in eodem schemate edicitur (pag. 8,[4] n. 6), dare possunt, delegatam esse. Idcirco ne falsae ea in re opiniones deinceps enascantur, opus esset ut praescriptio verba conciperetur *delegare,* loco verbi concedere, prouti ceterum in eius titulo monetur.

De Sacramento Ordinis

1. Propositum instaurandi in Ecclesia Latina perantiquum diaconatus permanentis seu stabilis institutum, dilaudandum profecto est, atque uberes mystico Iesu Christi corpori allaturum esse fructus sperandum.

2. Verum quaestio nunc est de diaconorum permanentium canonico statu definiendo. Ad rem praesens Decreti schema cavet diaconos permanentes esse clericos caelibes, qui proinde « invalide matrimonium attentant, nisi ad statum laicalem auctoritate legitima reducti fuerint » (pag. 9,[5] n. 5).

At simul praecipit: « Viri uxorem habentes, ex dispensatione generali a Sancta Sede pro certis regionibus statuta, aut ex dispensatione apostolica particulari, diaconi stabiles, observatis canonicis requisitis, ordinari poterunt » (Ibid.).

3. Ex huiusmodi praescripto Oecumenica Synodus duas diaconorum admitteret classes, diaconorum videlicet caelibum et coniugatorum, qui, etsi iisdem fruituri essent iuribus, diversis tamen tenerentur obligationibus, non modo quoad castitatem servandam, sed etiam quoad divinum persolvendum officium (Ibid., pag. 11,[6] n. 8).

4. Quippe haec novi status canonici ratio sustineri, ut existimatur, reapse non poterit.

Etenim iustum omnino non est, ex aliquo personarum coetu eundem statum profitentium, alias a quodam actu complendo, sub poena

---

[4] Cf. p. 118.
[5] Cf. p. 141.
[6] Cf. p. 143.

nullitatis, prohibere, aliis vero eundem actum permittere, quin congruentes suffragentur ad rem causae.

5. Neque aequitatis praeceptis consentaneum videtur ab aliis ex ipsis personis onera exigere prae aliis maiora gravioraque, cum omnes iure pares sint eademque obeant munia.

6. Ex Ecclesiae autem historia evincitur, sacros ministros uxorem habentes, familiae curis affectos, spiritualibus officiis difficulter fungi posse iuxta Pauli Apostoli monitum: « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est » (I Cor. VII, 32).

7. Quomodo praeterea institui ad sacra capessenda munera poterunt viri qui, coniugalem vitam agentes, sustentandi uxorem liberosque obligatione tenentur? Ipsi forte neque per temporis intervalla domo discedere poterunt, ut in sacrorum studiorum sedem recipiant.

8. Oblitterandum tandem non est a fidelibus haud intellegi, ac revera difficulter inter se componi statum virorum qui, cum coniuge ac liberis viventes, sacra administrant, ac statum virorum qui, terrena abnegantes, votorum religione se obstringunt nec tamen sacra pertractant.

9. Neque sane praetermittendum diaconorum inductionem ad altare ministrantium, dum uxori liberisque operam vacant — quod aperte discrepat a laudabili sacri caelibatus consuetudine ex longo saeculorum decursu in Ecclesia Latina recepta atque in ipsa prima Romana Synodo auctoritate Pontificis Maximi Ioannis XXIII firmata (*Prima Romana Synodus,* Typis Polyglottis Vaticanis 1960, pag. 375 s.) — periculum inicere posset ne etiam sacerdotio aucti eundem appetere vitae statum impellantur.

10. Quapropter allatum decet praescriptum emendari ea lege, ut nulli diaconi stabiles seu permanentes ordinentur, nisi caelibes, praesertim ex laicalibus religionibus deligendi. Viri autem matrimonio coniuncti ad stabilem diaconatum accedere tantum possint, cum immunes a familiae vinculis evaserint.

11. Reducendis vero permanentibus diaconis ad statum laicalem satis non est iusta causa, sed pro gravitate negotii gravis omnino desideratur.

12. Ad Ordines minores instaurandos quod spectat, aegre profecto fertur quod ex ipsis duo, nempe ostiariatus atque exorcistatus supprimi debeant. Horum siquidem antiquorum ordinum susceptio, quantumvis progredientibus saeculis iidem haud exercerentur, supernae tamen lucis virtutisque studio clericorum animum imbuebat eumque informabat.

13. Eadem demum causae, quibus stabilium diaconorum caelibatus

suadetur, postulant ut permanentes minoristae, dum tales exstiterint, familiae obligationibus sint liberi. Ideoque magnopere exoptandum, ut laicalium virorum religionum sodales ad huiusmodi ordines plerumque assumantur.

De ritibus in Ecclesia

1. Praeter alia in hoc schemate enuntiatur: « Nihil neque ex doctrina, neque ex traditione et historia obstaret quominus tempore debito debitaque adhibita prudentia et matura praeparatione, alii etiam ritus in Ecclesia Christi exsurgant floreantque, unde universalitas Ecclesiae magis magisque eluceret, bonoque animarum earumque saluti fieret provisum » (pag. 5,[7] can. VI).

2. In comperto est peragi heic de negotio peculiaris ponderis, prouti verba ipsa canonis comprobant. Quocirca, ad falsas praecavendas opiniones hac in re forte exorituras, expresse oporteret edici id effectum iri ex Romani Pontificis seu Apostolicae Sedis auctoritate. Pastorali namque gubernio Romani Pontificis ritus isti concrediti sunt; nec ab uno ad alium transire licet ritum sine Sedis Apostolicae licentia (Ibid., pag. 4,[8] can. I; pag. 6,[9] can. VIII).

3. Inferius sequens effertur praeceptum: « Illi qui sive ratione muneris in Ecclesiae universalis regimine sive propter apostolicum ministerium cum Ecclesiis Orientalibus earumque fidelibus frequens habent commercium, accurate, pro momento officii quod gerunt, in cognitione doctrinae, historiae ecclesiasticae atque indolis harum Ecclesiarum instituantur » (pag. 7,[10] can. XII).

4. Qua forma digesta est praescriptio, minus opportuna apparet, seu ob gravitatem prudentiamque eorum ad quos pertinebit eiusmodi officiorum provisio, quique idoneos ad ea deligere viros aestimandi sunt, seu ob dignitatem diligentiamque eorum qui ad eadem rite obeunda officia vocabuntur. Immutari igitur eam proderit, nisi abolenda penitus censeatur.

---

[7] Cf. p. 181.
[8] Cf. p. 180.
[9] Cf. p. 181.
[10] Cf. p. 182.

De Patriarchis Orientalibus

1. Secundum praesens schema, Sacrosanctum Concilium exoptare deberet, « ut Patriarchis Orientalibus, etsi dignitate cardinalitia non insignitis, ius concedatur ad electionem Romani Pontificis » (pag. 9,[11] n. XII).

2. Veluti Ecclesiae historia docet, a septem iam saeculis, id est a tempore Urbani VI (a. 1378-1389), qui ultimus Summus Pontifex renuntiatus est cum non esset Purpuratus Pater, mos invaluit, continenter hactenus servatus, ut Iesu Christi Vicarius aliquis ex Cardinalium Collegio deligeretur.

Equidem Purpurati Patres, cum inde a suo ortu praecipui Romani Pontificis consiliarii et adiutores exstiterint in Ecclesiae universae negotiis expediendis (C.I.C., can. 230), iidem prae ceteris sacrorum Antistitibus magis idonei, paratiores digrioresque habiti sunt, qui ad Sacrum Principatum eveherentur.

3. Hinc plane liquet cur Romani Pontifices Patres Cardinales, pro potissimo ipsorum munere et auctoritate, « partem sui corporis » nuncupaverint; simulque « ostenditur post caput Ecclesiae, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres eius Cardinales, prae ceteris Ecclesiae membris ac partibus honorari debere » (F. X. Wernz-P. Vidal, *Ius canonicum,* tom. II *De personis,* Romae 1928, pag. 459, n. 466).

4. Patriarchae vero Ecclesiarum Orientalium, licet ex Ecclesiae concessione peculiari gaudeant potestate, quae « supra-episcopalis; immo, quaedam Pontificiae potestatis primatialis participatio dicenda est » (Schema Decreti de quo agitur, pag. 6 [12]), iura tamen ac munera haud obtinent, quibus Patres Purpurati reapse fruuntur.

5. Deest igitur ratio ob quam Orientales Patriarchae pergrave participent negotium eligendi Beati Petri Successorem, quin simul Romana exornentur Purpura aliasque Cardinalium partes sustineant.

6. Ceterum si Patriarchis Orientalibus ius impertiretur participandi electionem Maximi christianorum Antistitis, idem ius denegari profecto non posset Primatibus ac Metropolitis, quibus haud dissimilis ex generali vel particulari iure inest potestas, quorumque singulis christifideles numerosiores quam memoratis Patriarchis obnoxii esse possunt. Immo

---

[11] Cf. p. 200.
[12] Cf. p. 198.

aliis sacrae Hierarchiae praesulibus concedi deberet, qui ecclesiis moderantur seu populi frequentia seu alia causa conspicuis.

7. Neque praetermittendum sane est Sacrum Ecclesiae Senatum impraesentiarum viris iam coalescere ex pluribus quam ante orbis partibus selectis, adeo ut cunctarum ferme gentium personam quodam modo in eo gerant ritusque omnes exprimant.

8. Praestat itaque memoratum votum supprimi aut, si utile visum fuerit, eo pacto immutari, ut Romani Pontifices in Sacro Ecclesiae Senatu supplendo Orientalium Patriarcharum rationem in posterum habere dignentur.

9. In eodem Decreti schemate edicitur: « Patriarchae qui non sint mere titulares, omnibus praelatis praecedunt, etsi dignitate cardinalitia insignitis, sive in proprio territorio sive extra proprium territorium, excepto Romani Pontificis legato qui dicitur *a latere* » (pag. 9 s.,[13] n. XIII).

10. Huiusmodi praescriptum haud sustineri posse ex superius allatis patet, quod ad Purpuratos Patres attinet.

Principium siquidem habetur in iure, iuxta quod praecedentia inter personas in Ecclesia ex ipsarum auctoritate determinatur, ita ut quae superiorem obtinet auctoritatem ad eam praecedentia supra ceteras spectet (cf. C.I.C., can. 160, n. 2). Dubitari igitur nullatenus potest, quin Patres Cardinales Ecclesiarum quoque Orientalium Patriarchis praecedere debeant. Cui principio satis factum est in ipsa Oecumenica Synodo Vaticana I, in qua Patriarchae omnes post Cardinales locum obtinuerunt (cf. *A.S.S.,* vol. V, pag. 235).

11. Quod vero pertinet ad praecedentiam inter Patriarchas ac Romani Pontificis Legatos, quaestio, ut ex actis Pontificiae Commissionis Codici iuris canonici Ecclesiae Orientalis redigendo constat, etiam atque etiam examinata est a viris eius disciplinae apprime peritis. Exinde norma condita est, quae, a Pio XII f. r. approbata atque promulgata (*A.A.S.,* vol. L [1958], pag. 550), ita prostat: « (Legati), licet charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Hierarchis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti, aut patriarchali, dummodo Patriarcha in proprio territorio degat et caeremoniis vel officiis proprii ritus praesit; sed hoc quoque in casu, Legati Patriarchis praecedunt si explicitum mandatum eis a Summo Pontifice commissum fuerit ».

12. Haec norma, cum et nuperrime post multum studium edita sit, et virorum qui rem expenderunt experientia gravitateque commendetur,

---

[13] Cf. p. 200.

et prolatas hinc inde rationes prudenter componat, et denique auctoritatis principio, quo praecedentia inter personas regitur, innitatur, omnino servanda videtur loco praescriptionis in Decreti exemplo exhibitae.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis

1. Usus unius alteriusve linguae in sacris liturgiis seu in publico Dei cultu negotium est, quod universam respicit Ecclesiam, uti pronum est, atque in maiorum causarum numero censendum.

Opportuno igitur consilio in huius Decreti exordio declaratur Romanorum esse Pontificum, quibus sollicitudo omnium Ecclesiarum a Domino fuit commissa, Ecclesiarum Orientalium ritus sartos tectosque custodire (pag. 5 [14]).

2. Verum in canonum exemplis quae inferius adiciuntur, Patriarchae cum Synodo vel Supremae cuiusque Ecclesiae Orientalis Auctoritati cum suo Consilio eiusmodi linguarum usus approbatio moderatioque tribuitur, quin ulla Iesu Christi Vicarii seu Apostolicae Sedis mentio habeatur. Quod, uti videtur, absonum est.

3. Decet propterea in istis praescriptis addi aliquam ex sequentibus clausulis: « habita venia » vel « de consensu Apostolicae Sedis », aut saltem « certiore tempestive facta Apostolica Sede ».

4. Quaerere demum liceat: Expedit ut simplex sacerdos ritus orientalis, quamvis consulto loci Hierarcha, in sacris perficiendis suo arbitrio adhibeat, propter astantium fidelium bonum, linguam diversam ab ea vel ab eis quibus sua Ecclesia utitur? Nonne hac ratione in periculum committitur legitima sacrorum confectio? Nonne abusus exinde faciles exorientur?

De Ecclesiae Sacramentis

1. Succrescentes christifidelium necessitates ac mutatae temporum condiciones profecto postulant, ut dispensatores mysteriorum Dei (cf. I Cor. IV, 1) congruis instruantur facultatibus ad gregis dominici salutem pro viribus assequendam.

2. Quod prima Romana Synodus ad effectum iam adduxit vel cum facultates audiendi confessiones sacris administris faciliore quam ante

---

[14] Cf. p. 248.

ratione impertiendas esse statuit (cf. *Prima Romana Synodus,* Typis Polyglottis Vaticanis 1960, pars I, tit. 1, cap. VIII).

3. Verumtamen nimium extendi censetur facultas quae praesenti in schemate hisce verbis danda proponitur: « Ne fidelium libertas coarctetur vel bona dispositio pessum eat, quilibet sacerdos ad confessiones audiendas approbatus potest confessiones excipere cuiuscumque fidelis, ubique terrarum, si ab eo ad personam requisitus fuerit » (pag. 8,[15] n. VIII).

4. Observare cumprimis proderit iurisdictione ad confessiones delegata pro universa Ecclesia Episcopos omnes recte frui, quippe cum ipsi sint Apostolorum successores, etsi peculiaribus ecclesiis praeficiuntur (C.I.C., can. 329, par. 1).

5. At si eadem ubique terrarum gaudebit facultate simplex sacerdos, licet cum ad personam requisitus fuerit, nonne ille Episcopis quodam modo par fiet?

6. Nonne insuper sacri administri hoc in casu molestis infensisque obici poterunt comparationibus, maxime si poenitentes mulieres sint?

7. Quod si res penitus perpendatur, manifestum fit sacerdotes, extra suae nationis seu regionis fines nonnisi raro eadem esse usuros facultate, praesertim quia sacrorum administri aut mores vitaeque rationem diversarum gentium cognoscere facile nequeunt, aut earundem linguas non bene callent.

8. Has ob causas satis esse videtur si facultas intra patriarchatus, archiepiscopatus, metropoliae, eparchiae vel exarchiae territorium cuiusque sacerdotis proprium contineatur, ut in eodem schemate praescribitur (pag. 7,[16] n. II).

---

[15] Cf. p. 261.
[16] Cf. pp. 260-261.

II

Exc.mi P. D. PAULI PHILIPPE, O. P.

Secretarii Sacrae Congregationis Religiosorum

De Patriarchis Orientalibus

Pag. 5,[1] linn. 1-9: Textus tractare videtur praesertim de potestate iurisdictionis tum Romani Pontificis, tum Episcoporum, uti demonstrant illa verba (linn. 3-4) « plenitudinem *potestatis regendi* fideles », et (linn. 8-9) « *potestate... gubernandi* fideles ».

Unde non recte concluditur (lin. 10): « Episcopi proinde ex eadem divina institutione aequalem inter se et *parem cum ipso Romano Pontifice* potestatem *ordinis* episcopalis habent ».

Melius fuisset initio distinguere inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, atque concludere iure divino potestatem ordinis episcopalis esse parem in Papa et Episcopis, et potestatem iurisdictionis esse inaequalem in Papa et Episcopis, aequalem autem inter Episcopos. Deinde dicendum erat, sicut in lin. 13: « Si qua igitur potestatis diversitas inter Episcopos reperitur... ».

Pag. 5, linn. 33-34: Loco « iure humano », melius videtur dicere « iure *ecclesiastico* ».

Pag. 6,[2] lin. 26: Cum dictum sit (pag. 5, lin. 13) potestatem ordinis episcopalis esse unam, immo et parem in Romano Pontifice et Episcopis, non videtur conveniens loqui de potestate « *supra-episcopali* ».

Textus sic confici posset: « Patriarchalis haec potestas est potestas iurisdictionis in Episcopos, a iure ecclesiastico concessa et ad normam iuris sub auctoritate Romani Pontificis exercenda ».

De deposito Fidei pure custodiendo

Caput IV

De Revelatione et Fide

Animadversiones:

Pag. 5,[3] linn. 29-31: Ad melius ostendendum sermonem legatorum Dei non solum complere secundarie Revelationem in eventibus histo-

[1] Cf. p. 197.
[2] Cf. p. 198.
[3] Cf. p. 320.

ricis iam constitutam, sed Revelationem divinam praecipue constituere, haec forsan in lin. 33 essent addenda: « ... legatorum Dei *quo aeterna Dei decreta circa illos eventus innotescunt* (*Eph.* III, 8-11) ».

Pag. 6,[4] linn. 1-5: Loco « Neque praetermittendum est revelationem, ultra historiae salutis singularia facta, continere etiam veritates universales », proponerem sequentia: « *Insuper revelatio, praeter mysteria in singularibus factis historiae salutis exhibita, continet etiam veritates universales...* ».

Pag. 6, linn. 20-23: Christus non solum « per suae incarnationis redemptionisque mysterium caetera fidei mysteria mirum in modum illustrat » (uti scribitur in linn. 20-23), sed Eius adventus his in terris in rem ponit id quod Deus olim Patribus in Prophetis promisit et quod Ipse eiusque Apostoli sermone declarant.

Unde textus sic confici posset: « ... per suae incarnationis redemptionisque mysterium *promissa Patribus contulit, salutem nostram operatus est, aditumque Regni coelorum nobis patefecit.* Quod tamen non impedit... ».

Pag. 6, lin. 35: Cum saepe dicatur fidem efficere coniunctionem personalem cum Christo (ut aiunt gallice « rencontre personnelle »), quin clare affirmetur hoc formaliter fieri per fidem caritate formatam, hic opportune mentio fiat de coniunctione cum Christo fide formata caritate, antequam de notitia profundiori quae ex tali unione promanat.

Igitur proponerem hunc textum in linn. 34-35: « Eadem autem fides, caritate et donis Spiritus Sancti perfecta, *coniunctionem cum Christo Deo complet* (*Eph.* III, 17), augeri potest sensu Christi (cf. I Cor. II, 16) ad veritates revelatas profundius intelligendas, immo... ».

Pag. 7,[5] linn. 13-20: Secundum notam (12), haec tertia opinio desumitur ex auctore H. Duméry. Proinde duo sunt animadvertenda:

1) Auctor ille agnoscit superioritatem religionis Veteris Novique Testamenti prae caeteris. Ideo exactius scribendum esset in lin. 14: « ... non tantum, *etsi perfectius,* religionem Veteris Novique Foederis... ».

2) Gravis error illius Auctoris, non tantum consistit in asserendo notiones, quos homines religiosi effingunt, conformitate cum re carere, quantum in asserendo revelationem nil aliud esse quam efformatio notionum, quibus mediantibus homo Absolutum spectare potest (« visée de l'Absolu »). Quae efformatio correcte fieret, secundum legem (« acte-loi ») mentis humanae, quae relationem transcendentalem habet ad Absolutum, non autem secundum sensum confusum « Dei latitantis » in

[4] Cf. p. 321.
[5] Cf. p. 321.

mente, ut aiebant modernistae. Ex hoc sequitur revelationem originem non habere in Deo, qui, secundum Auctorem, hominibus realiter loqui non potest, sed in mente humana quae suam relationem fundamentalem ad Absolutum notionibus, institutionibus, ritibusque explicat.

Unde delendo verba « Deum... latitantem », hunc textum propono: lin. 16 « ... quod homines religiosi, *ut ad Absolutum, ad quem mens humana relationem habet,* spectare queant, obiecta... ».

Pag. 8,[6] lin. 5: Deus signa rationalis credibilitatis dedit, non praecise quia « gratia fidei de more non prodit se aperte in mente sed manet quodammodo velata in ea », sed ut obiectum fidei externe propositum tanquam a Deo attestatum certo appareat, atque proinde actus fidei infusae rationi sit consentaneus.

Unde propono textum sic modificatum: « Etsi fides salutaris... in vero Filio eius » (I Io. V, 20), *nihilominus sapientissimus Deus, volens ut obsequium fidei nostrae, quae est ex auditu* (*Rom.* X, 17), rationi consentaneum esset... ».

Pag. 9,[7] linn. 22-25: Ad excludendam opinionem eorum qui affirmant ipsam notitiam signorum credibilitatis iam ex lumine infuso fidei pendere, hanc modificationem propono: « Sic fit, ut iis qui, *Dei moventis gratia, fidem quaerunt, aut iis qui a Deo lumen fidei iam acceperunt, largus aditus...* ».

Pag. 10,[8] linn. 14-20: In formula S. Augustini « Credere Deo, Deum et in Deum », ultima verba, scilicet « Credere in Deum » designant actum fidei vivae caritate formatae, uti aequivalenter dicit ipse S. Augustinus (« credendo amare... membris eius incorporari ») et S. Thomas, S. Augustini interpres, expresse docet (v. g. *De Veritate,* q. 28, art. 4, ad 6). Porro, textus schematis intendit definire « ipsum actum fidei » (lin. 14). Ergo deberet praescindere a caritate, nam ut docet Vaticanum I, « fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam... » (Denz. 1781). Quapropter, utendo illa formula augustiniana, textus schematis ambiguitatem praebet. Nam, aut loquitur de fide formata, et tunc non solum agitur de « ipso actu fidei », aut loquitur de actu fidei in se praescindendo a caritate, et tunc genuinus sensus formulae « Credere in Deum » non amplius servatur.

---

[6] Cf. p. 322.
[7] Cf. p. 323.
[8] Cf. p. 323.

III

Rev.mi P. ALBERTI VACCARI, S. I.

Sullo *Schema Constitutionis De Ordine morali* non avrei da osservare che qualche errore di stampa o difettose espressioni latine che non cambiano il senso. Sulle *Quaestiones de re sacramentaria* e *De Ecclesiis Orientalibus* mi sia lecito presentare la mia incompetenza a scusa di non entrarvi.

De deposito Fidei pure custodiendo

Capita IV et V: n. 18, lin. 24. Loco vocabuli « prodientibus » aptius et clarius, puto, diceretur « prominentibus »; agitur enim, ni fallor, de illis eventibus, qui, cum sint insolitae gravitatis, supra superficiem solitorum actuum *eminent,* ut ita dicam, ideoque facilius notantur et profundius mentem percellunt.

N. 32, pag. 17,[1] lin. 30. Pro « immoderta se » videtur legendum « immoderate ».

Caput 8, de peccato originali. In toto hoc capite mihi displicet quod admodum rigide peccato originali profunda obscuritas mysterii tribuatur (v. gr. « eius peccati natura... mysterii velamine obtecta est » n. 44, linn. 19-21; pag. 5,[2] Nota, lin. 4 s. ab imo: « negari non posse videtur in p. o. naturam mysterii latere »; pag. 6,[3] ante medium: « quae (notio p. o.) tegitur mysterii velamine »). Proinde n. 44, lin. 14 s. dicerem « esse dogma fidei, cuius ab humano intellectu aliqua ratio assignari potest, minime vero dari demonstratio vel exacta notio ». Rem ita concipio et explico: 1) Peccatum originale est *privatio* stricte dicta (non mera carentia, sed amissio rei quae antea possidebatur) iustitiae originalis, quae erat gratia *ordinis supernaturalis.* 2) Ex hoc quod homo privatus est illa originali gratia ob culpam ipsius voluntariam, p. o. habet rationem *poenae.* 3) Huiusmodi poena ob socialem solidaritatem familiae humanae sine ulla iustitiae laesione sua sponte transit a patre peccante ad posteros ab eo generatos, uti fit in humanis, testibus (ni fallor) codicibus legum civilium apud omnes fere nationes. Exemplo sint vel

---

[1] Cf. p. 328.
[2] Cf. p. 368.
[3] Cf. p. 368.

qui damnatus sit perpetuo carcere a statali iustitia, vel privatus feudo in regimine feudali, vel princeps exclusus a iure successionis in regimine monarchico. 4) In humanis transit a patre peccante ad filios sola ratio poenae, non et culpae, quia omnia aguntur in ordine naturali et intra eandem organizationem socialem. Peculiare peccato originali est, quod in eo est lapsus non solum a gradu quodam superiore societatis humanae ad inferiorem, sed lapsus ab ordine supernaturali, hoc est a gratia mere gratuita et a statu ordinis essentialiter superioris ad ordinem naturae; et in hoc inveniri potest aliqua ratio veri peccati, etsi non voluntarii, in posteris Adae, cuius exactam notionem intellectus humanus eo ipso non potest attingere, quia quidquid est ordinis supernaturalis capacitatem superat naturalium facultatum. Ita mihi videtur dici posse, salvo meliore iudicio.

SESSIO QUARTA

DOCUMENTA SESSIONIS QUARTAE

ORDO QUAESTIONUM
DE QUIBUS DISCEPTABITUR
IN SESSIONE MENSIS FEBRUARII 1962
(a die XIX ad diem XXVII)

I. *Quaestiones de Episcopis et de dioeceseon regimine*

1. De dioeceseon partitione (Card. MARELLA)
2. De episcoporum coetu seu conferentia (Card. MARELLA)
3. De rationibus inter episcopos et Ss. Curiae Romanae Congregationes (Card. MARELLA)
4. De rationibus inter episcopos et parochos (Card. MARELLA)

II. *Quaestiones de disciplina cleri et populi christiani*

1. De parochorum obligationibus quoad curam animarum (Card. CIRIACI)
2. De praeceptis ecclesiasticis (Card. CIRIACI)

III. *Quaestiones de Religiosis*

1. De statibus perfectionis adquirendae.
   Pars I, Sectio II, Capita VII, VIII (Card. VALERI)
2. De statibus perfectionis adquirendae.
   Pars I, Sectio III, Caput IX (Card. VALERI)
3. De statibus perfectionis adquirendae.
   Pars II, Sectio I, Capita XI et XII (Card. VALERI)
4. De statibus perfectionis adquirendae.
   Pars II, Sectio I, Capita XIII, XIV et XV (Card. VALERI)

IV. *Quaestiones de Studiis et Seminariis*

1. De vocationibus ecclesiasticis fovendis (Card. PIZZARDO)
2. De sacrorum alumnis formandis. Caput IV (Card. PIZZARDO)
3. De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis. Caput I (Card. PIZZARDO)
4. De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis. Caput II (Card. PIZZARDO)

V. *Quaestiones de Ecclesiis Orientalibus*

1. De Ecclesiae praeceptis (Card. H. I. CICOGNANI)

✠ PERICLES FELICI
Secretarius Generalis

ACTA SESSIONIS QUARTAE

1 – PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM

I

Die 20 februarii 1962, hora 9, Secretarius Generalis, Exc.mus Pericles Felici, Archiepiscopus tit. Samosatensis, una cum officialibus Secretariae Commissionis Centralis, se confert in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum et invigilat ut omnia parata sint.

Hora 9,30 in aulam conveniunt Sodales et Consiliarii Commissionis Centralis. Omnes induunt habitum pianum.

Adsunt 59 Sodales et 18 Consiliarii, nempe:

A) SODALES: 39 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Ciriaci, Siri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Gracias, Montini, Cento, Cicognani, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Meyer, Traglia, Alfrink, Concha, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

1 Patriarcha: Beat.mus Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala, Bengsch.

2 Episcopi: Exc.mi Jelmini, Suhr.

3 Superiores: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski.

B) CONSILIARII: Exc.mi Da Costa Nuñes, Carpino, Samorè, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adest quoque Exc.mus Gawlina, Arch. tit. Madytensis, Secretarius Commissionis « de Episcopis et de dioeceseon regimine ».

Hora 9,35 Summus Pontifex aulam ingreditur: Illum comitantur Exc.mi Pericles Felici, Archiepiscopus tit. Samosatensis, Secretarius Generalis, Callori di Vignale et Nasalli Rocca di Corneliano necnon Rev.mus Capovilla.

Summus Pontifex, oratione « Adsumus » dicta, allocutionem profert; qua peracta, impertit Benedictionem Apostolicam et ex aula egreditur. Deinde praeest coetui Em.mus Cardinalis Tisserant, qui Card. Marella invitat ad relationem faciendam « de dioeceseon partitione ».

Hora 10,10 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Tisserant, Ferretto, Ruffini, Gracias et Meyer.

Hora 10,35 omnes sodales, ex ordine vota ferunt.

Hora 11,10 coetus suspenditur per quartam horae partem.

Hora 11,25 Em.mus Relator, Card. Marella, relationem facit « de Episcoporum coetu seu conferentia ».

Hora 11,40 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Ferretto, Frings, Ruffini, Gracias et Meyer; Exc.mus Hurley et Rev.mus P. Browne, Minister Generalis O. P.

Hora 12 suffragia feruntur.

Hora 12,45 Praeses « Angelus Domini » recitat et coetui finem imponit.

II

Die 21 februarii 1962, hora 9,30, Sodales et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 59 Sodales et 15 Consiliarii, nempe:

A) Sodales: 38 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Ciriaci, Siri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Gracias, Montini, Cento, Cicognani, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Meyer, Traglia, Alfrink, Concha, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala, Bengsch.

2 Episcopi: Exc.mi Jelmini, Suhr.

3 Superiores Generales: Rev.mi Gut, Browne, Sépinski.

B) Consiliarii: Exc.mi Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adest quoque Exc.mus Joseph Gawlina, Archiepiscopus tit. Mady-

tensis, Secretarius Commissionis « de Episcopis et de dioeceseon regimine ».

Praeest Card. Tisserant, qui orationem « Adsumus » legit. Exc.mus Secretarius Generalis Patres admonet: « Proxima feria V, die XXII huius mensis, in festo Cathedrae S. Petri, hora IX, Ss.mus D. N. Ioannes Pp. XXIII coram admittet in Basilica Vaticana Em.mos et Exc.mos Sodales et Consiliarios Commissionis Centralis una cum clero huius Almae Urbis.

Post sollemnem Audientiam, hora circiter X, in aula Congregationum habebitur coetus pro hac die iam constitutus ».

Deinde Em.mus Praeses rogat Card. Marella ut relationem faciat « de rationibus inter Episcopos et Ss. Curiae Romanae Congregationes ».

Hora 9,50 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Ferretto, Liénart, Frings, Ruffini, Léger, Confalonieri, Richaud, Döpfner, Meyer, Alfrink, Ottaviani (cuius animadversiones Exc.mus Secretarius Generalis legit), Bea; Exc.mi Hurley et Lefebvre et Rev.mus P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 11,15 coetus suspenditur per quartam horae partem.

Deinde omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 12,15 Card. Marella refert « de rationibus inter Episcopos et parochos ». Sequitur disceptatio et loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini, Richaud, König, Jullien et Exc.mus Cooray.

Hora 12,45 suffragia colliguntur.

Hora 13,10 Praeses « Angelus Domini » recitat et sessioni finem imponit.

III

Die 22 februarii 1962, hora 10,30 Sodales et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 50 Sodales et 10 Consiliarii, nempe:

A) Sodales: 30 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Ciriaci, Siri, McIntyre, Quiroga y Palacios, Léger, Cento, Cicognani, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Ottaviani, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala, Bengsch.

2 Episcopi: Exc.mi Jelmini, Suhr.

2 Superiores Generales: Rev.mi Browne, Sépinski.

B) Consiliarii: Exc.mi Staffa, Zerba, Palazzini, Bartoccetti.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna.

Adest quoque Rev.mus P. Berutti O. P., Secretarius Commissionis « de disciplina Cleri et populi christiani ».

Praeest Card. Tisserant, qui post orationem « Adsumus » Em.mum Card. Ciriaci rogat ut referat « de parochorum obligationibus quoad curam animarum ».

Hora 10,45 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Siri, Léger, König, Bea; Exc.mus Cooray et Rev.mus P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.

Hora 11,05 suffragia colliguntur.

Hora 11,35 Card. Ciriaci relationem facit « de praeceptis ecclesiasticis ».

Secunda disceptatio incipit hora 11,45: loquuntur Em.mi Cardinales Tappouni, Léger, Confalonieri, Döpfner, Alfrink (cuius animadversiones legit Exc.mus Secretarius Generalis), Ottaviani et Rev.mus P. Browne, Magister Generalis O. P.

Hora 12,20 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 13,15 Praeses « Angelus Domini » recitat et coetui finem imponit.

IV

Die 23 februarii 1962, hora 9,30, Sodales et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 50 Sodales et 13 Consiliarii, nempe:

A) Sodales: 31 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Ciriaci, Siri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Gracias, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Alfrink, Concha, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala, Bengsch.

1 Episcopus: Exc.mus Suhr.

2 Superiores Generales: Rev.mi Browne, Sépinski.

B) CONSILIARII: Exc.mi Carpino, Staffa, Principi, Palazzini, Dante, Bartoccetti.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adest quoque Rev.mus P. Ioseph Rousseau, O. M. I., Secretarius Commissionis « de Religiosis ».

Praeest Card. Tisserant. Post orationem « Adsumus », Card. Valeri refert « de statibus perfectionis adquirendae » Pars I, Sectio II: « de aliquibus institutis status perfectionis in particulari » (Capita VII, VIII).

Hora 10 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini, Léger, Gracias, Marella, Jullien, Larraona, Bea et Rev.mus P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.

Hora 11,05 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 11,25 coetus interrumpitur per breve intervallum.

Hora 11,35 Card. Valeri quasdam animadversiones facit circa praecedentem disceptationem, deinde refert « de statibus perfectionis adquirendae: Pars I, Sectio III: « de vocatione religiosa » (Caput IX).

Hora 11,45 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Ruffini et Léger.

Hora 11,50 suffragia colliguntur. Postea Praeses « Angelus Domini » recitat et hora 12,35 coetui finem imponit.

V

Die 24 februarii 1962, hora 9,30, Commissionis Centralis Sodales et Consiliarii in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt. Adsunt 54 Sodales et 15 Consiliarii, nempe:

A) SODALES: 33 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Siri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Gracias, Cento, Cicognani, Godfrey, Confalonieri, Richaud, König, Döpfner, Marella, Alfrink, Concha, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

14 Arcihepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Kakotomalala, Bengsch.

2 Episcopi: Exc.mi Jelmini et Suhr.

3 Superiores Generales: Rev.mi Browne, Sépinski, Janssens.

B) CONSILIARII: Exc.mi Carpino, Staffa, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adsunt quoque Rev.mi P. J. Ioseph Rousseau, O. M. I., Secretarius Commissionis « de Religiosis », et P. Augustinus Mayer, O. S. B., Secretarius Commissionis « de Studiis et Seminariis ».

Praeest Card. Tisserant, qui oratione « Adsumus » recitata, Card. Valeri rogat ut relationem exponat « de statibus perfectionis adquirendae »: Pars II, Sectio I: « de ipsa vita religiosa renovanda in genere et in particulari » (Capita XI et XII).

Hora 9,40 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Liénart, Frings, Ruffini, Léger, Döpfner, Exc.mus Hurley et Rev.mi P. Browne, Magister Generalis O. P., et P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.

Hora 10,25 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 10,45 Card. Valeri refert « de statibus perfectionis adquirendae »: Pars II, Sectio I: « de constitutionibus, de institutis, de habitu religioso » (Capita XIII, XIV, XV).

Hora 11 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Siri, Léger, Gracias, Confalonieri, Richaud et Rev.mus P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.

Deinde coetus suspenditur per quartam horae partem et hora 11,35 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Hora 12 Card. Pizzardo relationem facit « de vocationibus ecclesiasticis fovendis ».

Hora 12,05 incipit disceptatio: loquuntur Em.mus Card. Ruffini, Exc.mus O'Connor et Rev.mus P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.

Hora 12,20 suffragia dantur; deinde Praeses enuntiat proximum coetum adunari feria II die 26 februarii et hora 12,35 sessioni finem imponit.

VI

Die 26 februarii 1962, hora 9,30 Sodales et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 52 Sodales et 15 Consiliarii, nempe:

A) Sodales: 31 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Cento, Godfrey, Confalonieri, Richaud, Döpfner, Marella, Alfrink, Concha, Ottaviani, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

14 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Campbell, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala, Bengsch.

2 Episcopi: Exc.mi Jelmini, Suhr.

3 Superiores Generales: Rev.mi Browne, Sépinski, Janssens.

B) CONSILIARII: Exc.mi Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adest quoque Rev.mus P. Augustinus Mayer, O. S. B., Secretarius Commissionis « de Studiis et Seminariis ».

Praeses, Em.mus Tisserant, oratione « Adsumus » recitata, rogat Em.mum Pizzardo ut referat « de sacrorum alumnis formandis » Caput IV: « de studiorum ratione in Seminariis ».

Hora 9,40 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Frings, Ruffini, Godfrey, Confalonieri, Richaud, Döpfner, Larraona; Exc.mus Hurley; Em.mus Card. Ferretto; Rev.mi P. Gut, Abbas Primas O. S. B. (cuius animadversiones legit Exc.mus Secretarius Generalis), P. Browne, Magister Generalis O. P., P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M.; ex Consiliariis autem Rev.mi Tinello et Camagni.

Hora 11,05 vota colliguntur.

Hora 11,40 coetus interrumpitur per quartam horae partem; deinde Card. Pizzardo relationem facit « de studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis », Cap. I: « de Universitatibus catholicis ».

Hora 12,05 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Ottaviani et Bea et Exc.mus Silva Santiago, postea suffragia colliguntur.

Hora 12,55 Praeses « Angelus Domini » recitat et sessioni finem imponit.

VII

Die 27 februarii 1962, hora 9,30, Membra et Consiliarii Commissionis Centralis in aulam Congregationum ad Palatium Apostolicum Vaticanum conveniunt.

Adsunt 50 Sodales et 17 Consiliarii, nempe:

A) SODALES: 33 S. R. E. Cardinales: Em.mi Tisserant, Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, Liénart, Tappouni, Copello, Agagianian, Spellman, Frings, Ruffini, Valeri, Ciriaci, Siri, McIntyre, Wyszynski, Quiroga y Palacios, Léger, Cento, Cicognani, Godfrey, Confalonieri, Ri-

chaud, Döpfner, Marella, Alfrink, Concha, Di Jorio, Roberti, Jullien, Larraona, Heard, Bea.

2 Patriarchae: Beat.mi Gori, Cheikho.

12 Archiepiscopi: Exc.mi Felici, O'Connor, Silva Santiago, Antezana y Rojas, Cooray, Lefebvre, Hurley, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Rakotomalala.

1 Episcopus: Exc.mus Suhr.

2 Superiores Generales: Rev.mi Browne, Sépinski.

B) CONSILIARII: Exc.mi Carpino, Samorè, Staffa, Principi, Zerba, Palazzini, Philippe, Dante, Bartoccetti, Brennan.

Rev.mi Rossi, Tinello, Romani, Camagni, Giusti, Cavagna, Salmon.

Adsunt quoque: Rev.mus P. Augustinus Mayer O. S. B., Secretarius Commissionis « de Studiis et Seminariis » et Rev.mus P. Athanasius Welykyj O. S. B. M., Secretarius Commissionis « de Ecclesiis Orientalibus ».

Praeest Card. Tisserant, qui orationem « Adsumus » recitat, deinde rogat Card. Pizzardo ut referat « de studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis », Cap. II: « de studiorum ecclesiasticorum Universitatibus ».

Hora 9,45 incipit disceptatio: loquuntur Em.mi Cardinales Liénart, Ruffini, Döpfner et Bea; Rev.mi P. Gut, Abbas Primas O. S. B. (cuius animadversiones ab Exc.mo Felici leguntur), P. Browne, Magister Generalis O. P., P. Sépinski, Minister Generalis O. F. M., Janssens, Praepositus Generalis S. I. (cuius animadversiones legit Exc.mus Secretarius Generalis); ex Consiliariis autem Rev.mus Tinello.

Hora 10,30 omnes Patres, ex ordine, votum suum proferunt.

Post brevem suspensionem coetus, hora 11,25 Card. Cicognani refert « de Ecclesiae praeceptis » schemate proposito a Commissione de Ecclesiis Orientalibus.

Hora 11,25 incipit disceptatio: loquitur Beat.mus Patriarcha Chaldaeorum.

Hora 11,40 dantur suffragia.

Hora 12 in aulam ingreditur Summus Pontifex, Quem comitantur Exc.mus Felici, Secretarius Generalis, et Rev.mus Capovilla, Secretarius particularis eiusdem Pontificis.

Allocutione peracta, Summus Pontifex praesentibus Apostolicam Benedictionem impertit.

2 – ALLOCUTIONES SUMMI PONTIFICIS IOANNIS XXIII

I

ALLOCUTIO DIEI 20 FEBRUARII 1962 INITIO QUARTAE SESSIONIS PROLATA

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

In alternis humanae vitae vicibus, eventuum initium et exitus, sive ad singulos sive ad societatem communitatemque spectantia, praecipuam semper animi attentionem ad se convertunt; eaque Ecclesia maternis auspiciis precibusque communire consuevit. Hanc ob rem iucundum fuit Nobis tres superiore tempore actas sessiones Commissionis Supremae, quae Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum praeparat, verbis Nostris absolvere, quae una simul epitome essent atque hortamentum exhiberent.

Huius autem quarti id genus consessus exordium — ut iam alias fecimus — distinguere et bonis ominibus prosequi malumus.

Cum ab allocutione, quam die vicesima tertia elapsi mensis Ianuarii vobis habuimus, parum temporis decurrerit, animi Nostri sensum effuse et abundanter promere — quod quidem summopere Nos delectaret — Nobis non sumimus. Satis Nobis est submisse et simpliciter animadvertere illud, quod veluti nota et figura est terrestris hominum vitae, immo ipsius Ecclesiae. Intelligimus necessitatem mutabilis motus et peregrinationis, qua impellente in occursum obviam veniunt multi: proficiscitur alter intempestivus, alter tempestivus advenit.

Ex quo vos postremum hic congregatos vidimus, tres Sacri Collegii atque Supremae huius Commissionis Purpurati Patres e terrestri vita discesserunt: desideratissimi enim nos dereliquerunt Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Caietanus Cicognani, Theodosius Clemens de Gouveia, et Aloisius Iosephus Muench.

Perillustrium horum Ecclesiae filiorum mors, quorum integra vita tot praestitit meritis, et indefatigata opera, huic Apostolicae Sedis ministerio addicta, tanti existimanda est, mentes nostras aegritudine mae-

stitiaque afficit; at id meminisse iubet, quam incerta mutabilisque sit communis hominum condicio, cui nostra in terris est obnoxia vita: haec enim nihil aliud est, quam per terrestris exsilii vicissitudines in caelum tendere.

Quod autem ad dilectos illos Filios Nostros attinet, suavem spem fovemus, eos peracti laboris iustissimum praemium in superno regno iam assecutos esse, eosdemque ex illis caelestis beatitatis sedibus, ubi nos praecesserunt *in signo fidei,* suas ad Deum Patrem omnipotentem precationes nostris plane coniungere, ut gratiae suae ope labores vestros, ad quos nunc aggredimini, uberi fructu ditet. Hac in animorum societate, quam cum defunctis fratribus habemus, admirabilis prorsus oculis Nostris obversatur visio: terra scilicet cum caelorum regno consociatur ad istius sessionis felices prosperandos exitus.

Quodsi obitus trium e Collegis vestris maestitiam quandam hodiernae sessioni infert, haec tamen aliquo modo levatur, eo quod omnes valde gaudemus, dilectum Filium Nostrum Stephanum Cardinalem Wyszyński inter nos praesentem adesse. Est nobis eius adventus etiam gratior, quod hac oblata occasione celsitatem nobilitatemque animi sui testatus est eximio munere, quod magni pendimus. Etenim huc adveniens veluti materni risus delicias Virginis Mariae a Czestochowa attulit. O Virginem Nigram, quam habemus carissimam! A iuvenilibus annis ea est Nobis admodum coniuncta eiusque venerandam imaginem semper apud Nos pio cum honore servamus.

Quod dignissimus hic Praeses sacrorum Antistitum Poloniae, qua est humanitate et observantia, egit, in mentem revocat alterum egregie factum, quod animum Nostrum blande permovit; cum enim die quarta Novembris proxime praeteriti in Petriana Basilica octogesimus natalis Vicarii Christi in terris sollemniter commemoraretur, eodem die eademque hora sacri Pastores Poloniae, in templo Claromontano, Virgini Mariae se devoverunt, eius apud Filium Divinum deprecationem implorantes, ut millesimus annus prope transactus a Fide Catholica in nobilissimam illam Nationem invecta aequo pietatis obsequio populique frequentia celebraretur. Animum Nostrum adhuc suaviter permulcent verba illa, quibus iidem se devoverunt; quae quidem verba sacros Antistites plane addecent, atque apprime consentanea videntur huic tempori, quo ad apparandum Oecumenicum Concilium omnes ex omnibus terrarum orbis partibus, coniunctis viribus, intenti sumus.

Benignissimo igitur vultu suo Deipara Virgo vos respiciat, venerabiles Fratres ac dilecti filii, ac celebrandarum sessionum decursu laboribus vestris semper propitia adsit. Ad Ipsam supplices confugiamus, ab eaque auxilia ac praesidia omnia, quibus indigemus, fidenti animo

exspectemus. Siquidem hac una adducti causa coetum hodiernum inivimus, ut nempe Dei gloriam eiusque regni adventum in terris promoveamus, ac nihil aliud spectant labores Nostri, quam ut valeamus parare Domino plebem perfectam, quae quidem prima suscepti Romani Pontificatus proposita Nostra fuerunt.

Pignus caelestis patrocinii, quod a Maria Virgine praestolamur, esto Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis et operi vestro effusa caritate impertimus.[1]

II

ALLOCUTIO DIEI 27 FEBRUARII IN CONCLUSIONE QUARTAE SESSIONIS PROLATA

Venerabiles Fratres, dilecti filii.

Legentibus Nobis hesterno vespere hymnum *Magnificat,* haec verba, quae evangelicam parabolam seminatoris explanabant, quaeque eidem hymno adiecta erant, animum Nostrum suaviter tetigerunt: « Si culmen veri honoris quaeritis, ad illam caelestem patriam quantocius properate ».

Postrema adumbratio iam proposita est laboribus et curis huius quartae supremae Commissionis, quae Oecumenicum Concilium Vaticanum alterum praeparat, et hoc eius est lemma: « Quaestiones de studiis et de Seminariis ». Scitote hoc Nobis valde cordi esse.

Replicavimus decreta, quae in capite duodevicesimo sessionis vicesimae tertiae Concilii Tridentini anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio sancita sunt, exordia magnificae susceptae operae ad Ordinem Sacrum in Ecclesia reparandum.

Recens confectum rationarium, quod latissimas regiones Americae Latinae et etiam alias aliarum continentium terrarum spectat, sane causa est, cur magna trepidatio occupet pectora, ac perinde actuosa excitet totius Ecclesiae studia, ut meliore quo fieri possit modo tantis necessitatibus consulatur. Ut feliciter attingatur culmen veri honoris, ad sacerdotalem dignitatem spectantis, cui Dominus Iesus Christus absolutae consecrationis indelebile signum impressit — dicimus morum innocentiam, caritatis et alacritatis excitos sacros ignes, adsidue precandi et se devovendi consuetudinem — oportet sane variae quaestiones

---

[1] *A.A.S.* 54 (1962), pp. 164-166.

ad ecclesiasticam vocationem, ad temperationem et structuram Seminariorum et ephebeorum, novae aetati consentaneam, probe et plane exsolvantur.

Prospiciendum est, ut sacrorum alumni doctrinas sacras sibi acquirant, et moderate etiam saeculares disciplinas et litteras discant, itemque ut congruenter rei ea omnia excogitentur et disponantur, quibus quam maxime Evangelii diffusio et progressio continetur.

Hodierni tamen temporis condiciones atque adversa rerum adiuncta haud raro christianis praeteritarum aetatum institutis et moribus prorsus adversantur: quin immo in eo esse videntur, ut multos e sacerdotali ordine ad vehementissimos maerores cruciatusque perpetiendos perducant, qui a Sancto Ignatio Antiocheno in epistula ad Romanos tam significanter descripti sunt: « Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio et totius corporis contritio et tota tormenta ».[1]

Haec, quae nunc breviter commoto animo attingimus, Nobis suadet *caritas Christi,* quae in omnibus apostolici muneris praegravibus oneribus *urget Nos,*[2] quaeque nos monet ad ea aperto in lumine collocanda, unde Sanctae Ecclesiae prospera futura condicio quasi e primario capite proficiscitur: inter quae priorem obtinent locum nova, frequentissima, sanctoque vigore praedita agmina sacerdotum, qui sancti sint ceterosque sanctificent.

Communia studia et sollicitudines Nostris plane coniungi debent, ut adulescentes, in sortem Domini vocati, opportuna inveniant auxilia ad capessenda munera, quae eos manent: sacerdotes, qui animorum curam agunt, sacras vocationes ut oculorum pupillam custodiant atque foveant; sodales ab actione catholica; scholae conformandis ad christiana praecepta pueris; ac praesertim patres matresque familias, in quorum tutela tenella germina crescunt. Hic referre Nobis liceat, quae in epistula scripsimus ad saecularem memoriam recolendam beatae mortis Sancti Gabrielis a Virgine Perdolente: « Si in domestico convictu pietas viget, vitae integritas floret, christianae legis auctoritas obtinet, facile ibi, divina operante gratia, semina ponuntur vocationis ad vitam sacerdotalem et religiosam, et fundamenta iaciuntur sanctitatis ».[3]

Dum consessui huic vestro praesentes adsumus ac vos adhortamur ad alacriter insistendos labores proxime celebrandi Concilii, perplacet Nobis novum veluti auspicium sumere ex hodierno liturgico festo, quo saecularis memoria obitus S. Gabrielis a Virgine Perdolente celebratur,

---

1 *S. Ign. ad Roman.* 5, 2; MIGNE, *PG* 5, 692 A.

2 Cf. 2 *Cor.* 5, 14.

3 Ep. *Sanctitatis altrix*: *A.A.S.* 54 (1962), p. 164.

qui flos exstitit pulcherrimus Congregationis Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi, et quem Decessores Nostri S. Pius X et Benedictus XV ut christianae virtutis exemplar Ecclesiae universae proposuerunt.

Prope dulcis sancti huius iuvenis Nobis arridebat imago, cum, ineunte mense augusto, anno millesimo nongentesimo quarto, in sacro recessu apud Basilicam Sanctorum Ioannis et Pauli, ad sacerdotalia suscipienda munera animum Nostrum componebamus. Nec silentio praeterire volumus, sancti huius caelitis sodales, ex Hollandia et Italia, Nobis per decem annos sollertem navasse operam, cum inter dilectam Bulgarorum gentem commorabamur. Quo fit, ut suaviter affecti animo coram vobis saecularem hodiernam memoriam recolamus.

Ad exitum adductos huius conventus supremae Commissionis Concilii Oecumenici, iuvat Nos communes grati animi sensus Omnipotenti Deo pandere, qui propitius adfuit initio liturgici temporis Septuagesimae, quod per sacrae Quadragesimae dies ad Paschalia gaudia nos perducet.

Exordium sumpsimus a sollemni coetu in maximo orbis catholici templo congregato ob festum Cathedrae Sancti Petri. Quam vehementer animum permovit fausta illa celebritas, quae die vicesimo secundo februarii habita est. Ecclesia enim, per plurimos delectos sacri ordinis viros et alumnos ex toto orbe catholico, ibi adfuit fide incensa, pietatis studio intrepidum praeferens animum, iuvenili ardore parata ad *culmen honoris* accedere, quod sanctitate vitae efficitur eoque pertinet, ut tantae dignitatis participes totos se fratrum spirituali commodo dedant.

Id profecto populi christiani, quin immo populi omnes, vehementer exoptat, id, fortasse ignari, impensis precibus Deum rogantes deposcunt, scilicet ut Ecclesiae suae sacerdotes sanctimonia ornatos concedat, sacerdotes sapientia conspicuos, qui « praeter Deum nihil timeant, nihil sperent nisi a Deo ».[4]

Haec ex animo ominati ac votis omnibus expetentes, ut lumen caeleste operam vestram ubertim collustret, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Benedictionem Apostolicam, paternae benevolentiae Nostrae testem, peramanter impertimus.[5]

---

[4] Cf. S. BERNARDUM, *De Consideratione,* IV, 6.

[5] *A.A.S.* 54 (1962), pp. 176-178.

3 – DISCEPTATIO

I

DE DIOECESEON PARTITIONE

(Prima Congregatio: 20 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

In regimine Ecclesiae universalis recta et bene ordinata dioecesium gubernatio maximum habet momentum in bonum cleri populique christiani.

Porro cum Episcopus sit ordinarius et immediatus Pastor animarum, qui magisterii ministerii et regiminis potestate gregem sibi commissum ad normam sacrorum canonum pascere et gubernare debeat, necesse omnino est ut talis sit Dioecesis status et conditio ut Episcopus officium sibi concreditum apte, fructuose et efficaciter adimplere valeat.

Iamvero ut id convenienter obtineri possit, duplex inconveniens est vitandum.

Si dioecesis forte sit nimis magna et ampla vix poterit Episcopus personaliter, ut opus esset, sacerdotes omnes sibi subditos, singulas paroecias earumque rectores cognoscere ac moderari.

Ex alia parte si dioecesis sit nimis parva, restricta, exigua quoad bona et redditus, Episcopus apte consulere non valebit innumeris sacerdotum et fidelium necessitatibus nec habere et sustentare poterit omnia officia et instituta quae sunt necessaria ad rectum dioeceseos regimen.

Quapropter opportunum et necessarium apparet ut ad congruam Dioeceseon partitionem deveniatur, omnibus circumstantiis sive temporum sive locorum sive personarum accurate perpensis.

Quod multorum Episcoporum magnopere est in votis.

Huiusmodi autem Dioecesium divisio plures suapte natura secumfert quaestiones opportune resolvendas, de quibus in singulis, quae sequuntur, propositionibus agitur.

1. Dioeceses sunt Ecclesiae peculiares, quae Episcopis ex divina institutione Apostolorum successoribus regendae committuntur, sub Romani Pontificis auctoritate.

2. Ut convenienter Dioeceses gubernari queant, nec magnae nimis sint, nec parvae nimis, ratione territorii et incolarum numeri, variis locorum et

personarum aliarumque rerum circumstantiis mature consideratis, animarum bono potissimum spectato.

3. § 1. Dioeceses nimis parvae, in singulis casibus, decernatur, omnibus adiunctis accurate perpensis, an supprimendae sint, an alii Dioecesi uniendae an ex pluribus parvis nova Dioecesis constituenda.

§ 2. Item decernatur an Dioeceses nimis magnae dividendae sint, circumstantiis omnibus diligenter consideratis.

4. Abbatiae *nullius* vel supprimendae vel, si ratione territorii et incolarum numeri sat magnae sint, in Dioeceses erigantur.

Praelaturae *nullius,* nisi speciales occurrant circumstantiae, supprimantur.

5. Quoad Dioeceses Suburbicarias decernat S. Sedes an supprimendae vel conservandae sint.

6. § 1. Confinia Dioeceseon congruenter mutentur, si opportunum videatur: hac super re Commissio Episcopalis (de qua infra), pro locorum distantia, viarum commoditate aliisque circumstantiis, quid opportunum videatur Sanctae Sedi proponat.

§ 2. Immutatio confinium ita fiat, ut uniuscuiusque Dioecesis territorium continuum pateat, nec amplius intra territorium unius Dioecesis exsistant loca vel paroeciae, quae ad aliam Dioecesim pertineant.

7. Sedes Episcopalis seu residentia Episcopi eiusque Curia, quantum fieri potest, in loco aptiore et commodiore sit, quo facilius clero et fidelibus pateat accessus.

8. § 1. Si duae aut plures Dioeceses uniantur unione exstintiva et una constituatur nova Dioecesis, una tantum sit Curia Episcopalis.

§ 2. Si unio sit aeque principalis et uni Episcopo duae vel plures Dioeceses regendae committantur, item una sit Curia Dioecesana et Sedes Episcopalis, nisi Sedes Apostolica aliter decreverit.

9. Provinciae Ecclesiasticae alicubi minuendae sunt, alicubi numero augendae et circumscribendae in regiones conciliares iuxta necessitates apostolatus, attentis conditionibus geographicis, historicis traditionibus aliisque circumstantiis, habito quoque respectu, si opportunum videatur, ad numerum et confinia provinciarum civilium.

10. Dioeceses immediate subiectae Sanctae Sedi illi Provinciae Ecclesiasticae aggregentur, quae vicinior seu opportunior sit.

11. § 1. Erectio, suppressio, unio, dismembratio, divisio Dioeceseon ac translatio Sedis Episcopalis et Curiae ita fiant, ut Episcopus per se ipse ac facile cognoscere valeat clerum et singulas paroecias.

§ 2. In hisce negotiis peragendis, respectus habeatur non solum ad incolarum numerum et locorum distantiam, verum etiam ad ritum ac nationalitatis diversitatem, ad peculiaria adiuncta geographica, socialia, oeconomica, ad historicas traditiones, ad civiles quoque circumscriptiones atque ad pacta forte inita inter Sanctam Sedem et Status.

12. In unaquaque Natione peculiaris ac permanens Commissio Episcoporum constituatur, vel constitui poterit, quae, auditis Episcopis quorum

interest, videat an et quaenam immutationes circa Dioeceses sint inducendae easque Sedis Apostolicae iudicio subiiciat, salvis iuribus Ecclesiae Orientalis.

13. § 1. Dioeceses *personales* ratione idiomatis vel nationalitatis erigendae non sunt.

§ 2. Pro diversitate rituum erigi poterunt, cum plures sunt fideles diversi ritus, quibus sufficienter consuli nequit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus.

§ 3. Item, an pro certis personarum coetibus, Dioeceses *personales* vel Ordinariatus sint constituendi, Conferentia Episcopalis Nationalis, in singulis casibus, proponat et Sancta Sedes decernat.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

2) RELATIO EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

Antequam de singulis schematibus, a « Pontificia Commissione de Episcopis et de Dioeceseon regimine » propositis, referam, liceat mihi, Eminentissimi ac Excellentissimi Patres, quaedam prooemii instar, dicere de eiusdem Commissionis studiis et laboribus.

I. *Constitutio Commissionis.*

Commissio nostra viginti tribus Membris constat atque viginti septem Consultoribus.

Ex Membris, viginti sunt Archiepiscopi vel Episcopi, ex undecim nationibus electi, quorum duo Hierarchae Orientales.

Ex viginti septem Consultoribus, quindecim sunt Archiepiscopi vel Episcopi, ex quattuordecim nationibus delecti.

Nostra igitur Commissio maxima parte constat ex Sacris Pastoribus idque iure merito, quippe quae de iuribus et officiis Episcoporum, de dioeceseon regimine, deque praecipuis quaestionibus animarum curam spectantibus agere deberet.

Talis autem Commissionis compositio, dum maximas attulit utilitates, nonnulla etiam peperit difficultates in laboribus perficiendis. Utilitates dixi! Tot enim ex variis terrae gentibus Sacri Pastores, tum Occidentalis tum Orientalis Ecclesiae, scientia et doctrina, prudentia et usu pastoralium rerum, necnon editis libris praestantes, sive in votis scripto exaratis sive in disceptationibus oretenus factis, amplissimum suae suorumque Confratrum experientiae pastoralis thesaurum protulerunt.

Difficultates etiam referam: In primis extrinsecae scilicet ad eos omnes convocandos. Ipsi enim ex longinquis quoque orbis catholici regionibus Romam petere frequentius tenebantur, ut Sessionibus generalibus interessent. Quapropter consultationes et studia plerumque per crebras epistulas peragi debuerunt.

Sed et intrinsecae difficultates non defuerunt.

In quaestionibus enim discutiendis unus vel alius Episcopus singularem suae dioecesis, vel regionis vel nationis, conditionem utilitatemque aliquando respiciebat, apta remedia expetens; dum publico rei christianae bono Ecclesiaeque universae necessitatibus erat in primis consulendum. Nec adstantium Episcoporum optata neglegi poterant, unde saepe disceptationes protrahendae erant ad meliorem et universaliorem formulam inveniendam et proponendam.

Hierarchae autem Orientalis Ecclesiae sollerti studio curarunt ut quae a nostra Commissione proponebantur cum ipsa Orientalis Ecclesiae disciplina componi et aequari possent.

II. *Quaestiones nostrae Commissioni positae.*

Studio Commissionis Nostrae quattuor praecipuae quaestiones commissae sunt magni quidem momenti magnaeque amplitudinis et multae prudentiae atque consilii: res scilicet 1) de dioeceseon partitione; 2) de Episcoporum potestate, in tria capita dispertita: *a*) de rationibus Episcopos inter SS. Curiae Romanae Congregationes; *b*) de rationibus inter Episcopos et parochos; *c*) de rationibus inter Episcopos et Religiosos; 3) praecipuae de animarum cura quaestiones et 4) de emigrantibus.

III. *Commissionis studia et labores.*

In praedictis enucleandis quaestionibus Sodales, universi sive Membra sive Consultores, impensa cura et sollicito studio adlaboraverunt.

Prima redactio schematis a Ponentibus singularum quaestionum facta est, attentissime pervolutis tum suggestionibus a Membris Commissionis prolatis, tum Episcoporum omnium et Superiorum Religiosorum consiliis et votis, tum Sacrorum Curiae Romanae Dicasteriorum propositis tum denique Universitatum catholicarum studiis.

Sed in aliqua apparanda schemata sodales, una simul vel in sectiones dispertiti, conspiraverunt et concurrerunt: ita factum est in determinandis rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes et praesertim in quaestionibus de cura animarum definiendis.

De unoquoque schemate disceptationes multae factae sunt tum in

Sessionibus peculiaribus, tum in praeparatoriis conventibus, tum in sessionibus generalibus.

Hucusque duodecim Sessiones habitae sunt, quarum quinque peculiares, tres praeparatoriae et quinque generales.

Sessionibus Generalibus semper interfuerunt universa Commissionis Membra necnon Consultores Romae degentes vel Urbem hunc in finem adpetentes.

Quapropter in unaquaque Sessione viginti tres vel quinque Episcopi, ex duodecim vel quindecim nationibus provenientes, de propositis quaestionibus et schematibus disceptaverunt maxima libertate et magno ardore sed et mira cum caritate, fraternaque animorum consensione, ita ut quilibet Commissionis nostrae conventus quasi parvi Concilii instar haberetur.

Schemata, ante definitivam adprobationem, iterum iterumque excussa, emendata et expolita fuerunt.

Quapropter in illis quae Vobis hodie proponuntur schematibus vel in posterum proponentur, nullum legitur articulum, quin dicam articuli verbum, quod non quinquies vel sexies, sed et decies et duodecies disceptatum sit.

Ad hoc magnum Commissionis opus expeditius persolvendum maximum adiutorium contulit Exc.mus Archiepiscopus Madytensis, Dominus Iosephus Gawlina, Secretarius Commissionis, cui uberrimas grates meritasque laudes coram omnibus toto corde exhibeo.

IV. *Praecipua agendi et procedendi ratio.*

In schematibus apparandis Commissio nostra hanc praecipuam sibi constituit rationem: Principia fundamentalia, sive theologica sive iuridica, primum enuntiare ac deinde principia practica vel normas peculiares proponere, quantum fieri potuit, brevi et perspicua forma.

In proponendis autem principiis id potissimum intenderunt Episcopi *ut prima haberetur ratio pastoralis muneris exercendi,* ut aptiori modo animarum saluti consuleretur.

Hinc nonnullae propositae sunt immutationes in iure faciendae ut ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodetur, ut exercitium potestatis episcopalis facilius reddatur.

Haec potissimum spectantes, Sacri Pastores quaedam etiam argumenta innuere voluerunt, quae directe aliarum Commissionum studio commissa sunt; quaedam vero in exemplum referre putarunt, ut de illorum placitis et optatis debita haberetur ratio in novo condendo Codice iuris canonici.

Vobis igitur, Em.mi ac Rev.mi Patres, magnopere commendare velim ut quae Episcopi communi studio ceperunt vota, pleraque nunc adprobentur, ut eorum optata in Concilio Oecumenico proponantur, ea quidem forma eaque ratione quae melior et opportunior videatur.

Hoc autem dico ne illorum expectationem decipiamus! Ceterum ego ipse puto schemata proposita non esse omnino perfecta, sed ultro perfici posse quin immo etiam compleri. Scriptionis seu redactionis formam quod attinet, adnotare velim nostra schemata sic apparata fuisse ut examini huius almae Commissionis subiicerentur; ideoque numquam legitur formula « Sancta Oecumenica Synodus », eo vel magis quod cum agatur de rebus disciplinaribus diversa Commissionum schemata concordanda et complenda erunt antequam in Concilio proponantur.

Ad ultimum, Episcoporum votum referam, qui magnopere exoptant, ut propositae immutationes in iure non nimio protrahantur.

Historia nos docet in Concilio Vaticano I permultos ex variis nationibus Episcopos reformationem iuris postulavisse et praesertim Galliarum Praesules, qui hanc proposuerunt agendi rationem:

1) Concilium per seipsum decerneret praecipuos et magis urgentes reformationis articulos, simulque indicaret qua mente et quonam generali conceptu reformatio iuris peragi deberet;

2) Institueretur theologorum et canonistarum specialis Congregatio, quae universum ius canonicum attentissima revisione introspiceret etc.

Haec autem vota in Concilio Vaticano I a Patribus prolata, tandem expleta fuerunt anno millesimo nongentesimo decimo septimo (1917) per optatam novi Codicis promulgationem.

Summus autem Pontifex, Ioannes XXIII., cum primum Oecumenici Concilii nuntium dedit, propositum simul manifestavit novum Iuris Codicem apparandi, hodiernis necessitatibus accommodatum.

Cito ergo constituatur Commissio novo apparando Codice Iuris Canonici, quae interim procedendi rationem statuat, collaboratores eligat, desiderata Episcoporum et Commissionum praeparatoriarum Concilii studia diligenter excutiat, ita ut, expleto Concilio, tam grande arduumque opus *celeriter* perficiatur.

His dictis, peto veniam et relationes schematum aggrediar, iam nunc Vobis gratias agens si consilia et animadversiones humanissime significaveritis ut proposita schemata, quantum fieri poterit, expolitiori forma redigantur.

DE DIOECESEON PARTITIONE

I. Prima quaestio nostrae Commissioni posita sic inscribitur: « De dioeceseon partitione. Ratio determinetur qua dioeceseon fines recognosci possint ita ut, Concilio expleto, earum partitio apte disponatur sub moderamine S. Congregationis Consistorialis vel alicuius Coetus ab ea dependentis ».

II. Plures fuerunt quaestiones, ab Episcopis positae, quae huiusmodi argumentum, sive directe sive indirecte, respiciunt. Sic inter alias:

1) an expediat ut numerus Dioeceseon minuatur aut augeatur;

2) quaenam criteria prae oculis habenda sint circa huiusmodi partitionem et dismembrationem;

3) an manentibus Dioecesibus earum confinia sint aeque mutanda;

4) an sedes seu residentia Episcopi sit transferenda;

5) an aliqua innovatio sit opportune inducenda quoad provincias ecclesiasticas;

6) an novae erigendae sint dioeceses ratione idiomatis vel nationalitatis aut ratione ritus.

Hisce praecipuis quaestionibus schema nostrum respondere nititur.

III. Necessitas partitionis dioeceseon, ut scitis, non ubique eodem modo persentitur, sed praesertim in nonnullis exoptatur regionibus antiquae professionis catholicae, quae iuri communi sunt subiectae et potissimum in Europa.

IV. Unicum criterium quoad partitionem dioeceseon nec habetur nec haberi potest; sed complura spectanda sunt criteria, pro diversitate regionum, temporum et circumstantiarum. Aliae profecto sunt conditiones pro Italia aliae pro Gallia, Germania etc.; attento praesertim discrimine quoad regiones occidentales et orientales, item quoad Status Foederatos Americae et regiones Americae Latinae aliasque nationes.

Pariter diversa sunt criteria quoad Ecclesiam Latinam et Ecclesias rituum orientalium.

Principia igitur quae in schemate traduntur sunt omnino generalia. In singulis casibus, et pro singulis Nationibus, peculiares circumstantiae et conditiones spectandae erunt.

Praecipua criteria, quae Sacrae ipsae Romanae Congregationes plerumque considerare solent quando huiusmodi negotia pertractant, haec recensentur: *a*) numerus incolarum; *b*) amplitudo dioecesis; *c*) locorum distantia et viarum asperitas; *d*) diversitas idiomatis et nationalitatis; *e*) diversitas ritus; *f*) homogeneitas oeconomico-socialis; *g*) civiles circumscriptiones; *h*) conventiones inter S. Sedem et Status initae.

V. *Attamen in partitione dioeceseon principium fundamentale, cui omnia reduci debent criteria, semper sit oportet: salus animarum,* seu *principium pastorale.*

Id claris verbis exprimitur in prooemio et in variis articulis repetitur. Quapropter opportuna principia statuta sunt.

Salus autem animarum ultro postulare videtur ut huiusmodi immutationes fiant caute et prudenter ne inde suscitetur in clero et in populo perturbatio vel seditio contra ecclesiasticas auctoritates. Ideoque passim in propositionibus dicitur: « omnibus accurate perpensis », « circumstantiis omnibus diligenter consideratis », « quantum fieri potest » etc. ... Difficultates enim innumerae, tum geographicae, tum demographicae, tum sociales, civiles et politicae, tum praesertim historicae oriri possunt, in quibusdam praesertim nationibus catholicis ut in Italia, in Gallia, in Hispania, Germania etc., ubi multae inveniuntur dioeceses ob historicas vel politicas causas quondam erectae, nunc autem forte supprimendae vel alii uniendae dioecesi.

Nullae e contra vel paucae tantum difficultates habentur in partibus Americae et in terris Missionum ubi frequentes immutationes fiunt cum magno animarum bono maximaque regiminis utilitate.

VI. His positis necessarium esse videtur ut generales normae ab ipsa Oecumenica Synodo statuantur, quo securior apparetur via ad aptatam dioeceseon partitionem peragendam. Nam si Concilium Oecumenicum peculiare decretum ediderit, plenior profecto erit Praesulum, quorum interest, cum Apostolica Sede collaboratio, et promptior cleri populique christiani adhaesio et oboedientia.

VII. His praemissis, quaedam in schemate animadvertenda esse censeo.

In genere

Circa criteria proposita:

1) *De numero incolarum* dioeceseos multum disceptatum est: quidam sodales proposuerunt determinandum esse fidelium numerum, non ultra scilicet ter vel quinquies centena milia (300.000-500.000), sed plerique numerum non esse determinandum censuerunt, habita praesertim ratione multarum urbium, quae maiore incolarum numero constant, quaeque ex hoc capite dividendae esse non videntur, cum profecto minus congruum sit in una eademque urbe plures reperiri dioeceses.

2) *De criterio amplitudinis territorii* nonnulla prolata sunt consilia, sed visum est nonnisi cum aliis circumstantiis considerari debere. Hodie enim, aliter ac olim, facilioribus commeatus mediis perspectis, in ple-

risque regionibus sive amplitudini dioeceseon sive distantia locorum et viarum asperitati facile consulitur.

3) *De limitibus civilibus* discussio quoque facta est. Concordantia cum finibus civilibus est principium traditionale, praxi Apostolicae Sedis consentaneum, quod plerumque attendi debet, praesertim ratione habita negotiorum quae ad utrumque forum pertinent necnon, in casu contrario, gravium difficultatum quae fidelibus obveniri possunt. Hoc autem criterium applicari debet cum discretione et prudenti iudicio, cum limites civiles diversimode praefiniantur ac limites ecclesiastici. Nec obliviscendum est in quibusdam regionibus et in certis rerum adiunctis id plane impossibile esse. Ceterum, hac in re, prae oculis haberi debent conventiones inter S. Sedem et Status initae, quae fere semper de ecclesiasticis circumscriptionibus agunt.

In particulari

Circa quaedam articula:

1) In art. 4, pag. 6,[1] dicitur supprimendas esse Abbatias et Praelaturas nullius, Abbatias nempe et Praelaturas, quae ad normam can. 215 § 2 CIC veniunt nomine dioeceseon. De hac re, occasione Codicis Iuris Canonici redigendi, fuse actum est. Votum peculiaris Commissionis erat ut « Abbatiae et Praelaturae nullius » satis magnae in dioeceses proprie dictas erigerentur aut penitus supprimerentur. Magnum hodie inconveniens est quod nonnullae Abbatiae habeant paroecias in una alterave dioecesi unde oritur diversitas disciplinae et regiminis. Huic vero inconvenienti, quod etiam in quibusdam dioecesibus invenitur, satis consultum est per articulum sextum § 2 paginae 6.

Quoad Praelaturas nullius exceptiones admittuntur verbis « nisi speciales occurrant circumstantiae ». Hoc factum est quia Commissio prae oculis habuit peculiarem conditionem Praelaturarum nullius, quae in territorio vel missionali, ut v. g. in Brasilia, vel alibi exsistunt, non habentes plenam ordinationem ecclesiasticam et omnia requisita ut in dioeceses erigi possint.

Alterum quoque exemplum consideraverunt Episcopi, scilicet novam institutionem Praelaturae nullius Pontiniacensis in Gallia, seu *Mission de France,* qua, Instituto missionario recensiori, feliciter tributa est forma canonica.

2) In art. 9, pag. 7,[2] sermo fit de Provinciis ecclesiasticis. Desideratur, in nonnullis praesertim Europae nationibus, aptior Provinciarum eccle-

---

[1] Cf. p. 497.

[2] Cf. p. 497.

siasticarum circumscriptio. Rationes enim pastorales exigunt ut Provincia ecclesiastica quam maxime foveat commune studium et laborem Episcoporum in bonum totius Provinciae. Ad hanc fraternam collaborationem et ad coordinandam communem actionem pastoralem necesse est ut in unam confluant provinciam dioeceses, quarum negotia et problemata pastoralia sunt similia. Idcirco privilegium immediate subiectionis Apostolicae Sedi tollendum esse videtur.

Sed ipsum animarum bonum exigere potest ut in magnis nationibus plures ecclesiasticae Provinciae coalescant ad efformandas « regiones conciliares », uti iam factum est in Italia et nunc valde optatur ut etiam in Gallia fiat.

Huiusmodi « regionum conciliarium » institutio, integre servatis Provinciis ecclesiasticis, commendanda videtur, praesertim cum plures habeantur difficultates sive historicae sive politicae ad novam ecclesiasticam circumscriptionem peragendam.

3) In art. 12, pp. 7-8,[3] agitur de constituenda Commissione Episcoporum, cuius officium erit omne negotium de dioeceseon partitione in propria natione considerare, studia peragere iuxta proposita criteria, et demum consilia capta Apostolicae Sedi subiicere.

Huiusmodi peculiaris et permanentis Commissionis constitutio fieri poterit vel directe ab Apostolica Sede, vel mediante Conferentia Nationali Episcoporum, cui negotium istud committi poterit.

In fine articuli dicitur « salvis iuribus Ecclesiae orientalis ». In disciplina enim Ecclesiae Orientalis ea omnia quae respiciunt erectionem vel dismembrationem Eparchiae vel Provinciae et earumdem divisionem, unionem, suppressionem etc. ex gravi causa peragi possunt a Patriarcha, de consensu Synodi Patriarchalis vel Episcoporum salva tamen Sedis Apostolicae confirmatione (can. 248, Motu Proprio *Cleri sanctitati*).

Schema apparavit Rev.mus P. Felix Cappello, S. I.

Quinque de schemate factae sunt compositiones, quae excussae sunt in quattuor sessionibus particularibus et in quinque generalibus. Schema, quod Vobis proponitur, definitive fuit adprobatum in Sessione Generali mense septembri anno elapso.

De hac quaestione viginti septem vota a Sodalibus conscripta sunt.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. TISSERANT: In articulo 4°, pag. sexta,[1] scribitur: Praelaturae nullius, nisi speciales occurrant circumstantiae, supprimantur. Nescio

---

[3] Cf. pp. 497-498.

[1] Cf. p. 497.

cur hoc institutum supprimendum foret. Plures erectae sunt Praelaturae nullius in novissimis annis in territoriis, quae paucos incolas continent, cum paucissimis sacerdotibus, plerisque regularibus. Praelaturae erectae sunt ad meliorem administrationem obtinendam, sed progressus expectandi sunt antequam ad erectionem dioeceseon adveniatur, ut fit in ditionibus sub S. C. de Propaganda Fide quae Vicariatus Apostolicos et Praefecturas habent. Appellationes ad tempus necessariae sunt ubique.

Praelaturae triginta duae exstant in Brasilia, e quibus duae forsitan, vel tres, post paucos annos, in Dioeceses erigentur, quamquam omnes Praelati dignitate episcopali insigniti sint. Ita sunt septem Praelaturae in insulis Philippinis. In Peruana ditione, novem sunt praelaturae, sed una tantum Praelatum episcopum habet. Praelaturae duae vel una exstant in aliis novem nationibus extra Europam.

Praelaturae nullius exstant in Italia quattuor, in Hispania una, in Gallia una, in Germania orientali et Polonia una, quae vel propter traditionem, vel propter aliquam practicam rationem titulum habent praelaturae.

Abbatiae nullius titulo fruuntur historico duodecim in nationibus Europae, dum aliae sex in aliis orbis partibus recenter conditae sunt ad missiones fovendas.

Non video cur haec instituta supprimenda sint, cum recte in iure definiantur.

De suburbicariis Dioecesibus quis desideret earum suppressionem non dicitur, nec quare. S. Pius X in constitutione *Apostolicae* diei 15 m. aprilis an. 1910 sapientissime pro nostris temporibus earum regimen et gubernium ordinavit. Si abusus fuerint, facilius dicas quia dispositiones huius constitutionis minime observatae sunt.

Card. FERRETTO: Schema propositum mihi generaliter placet ac his omnibus quae Em.mus Cardinalis Relator, clarissime exposuit, libentissime adhaereo.

Liceat tamen mihi humiliter perpauca, minimi immo momenti, advertere: proponere scilicet ut nonnulla omittantur quaeque Codici Iuris Canonici reformato remittantur.

Ad n. 4: Cur Abbatiae et Praelaturae nullius supprimendae sunt?

Nullus Episcoporum — uti prostat in Appendice vol. II — hoc postulavit: ideoque tutius esset si hac de re, quae relinquenda est iudicio Sanctae Sedis, nil diceretur. Ceterum, quod Praelaturas nullius spectat, prout lucide Em.mus Cardinalis Marella et Em.mus Cardinalis Decanus, Praeses, dixerunt, notum est omnibus Apostolicam Sedem aliquando consuevisse Praelaturas nullius erigere quum, pro locorum et temporum

adiunctis, nec Vicariatus Apostolicos instituere expediret nec adhuc omnia ad dioecesim perfecte efformandam praesto essent.

Ad n. 5 *ubi de dioecesibus suburbicariis*: Pariter omittendum esse censeo, meo humili iudicio, hunc numerum, eo vel magis quod, prouti sonat, videretur concessio quaedam a Concilio Sanctae Sedi facienda.

Ad n. 6, lineis 25 et 26 et ad n. 12 *ubi de constituenda Episcoporum commissione in unaquaque Natione*: Non videtur nec necessitas nec opportunitas erigendi aliquod ens quod aliquomodo medium inter Apostolicam Sedem et Episcopum extet.

In Appendice vol. II, p. I, p. 500, n. 13 sub titulo « De Dioeceseon partitione » loquitur de instituenda « Commissione Pontificia permanente » quae videat de casibus saltem urgentioribus. Sed hoc aliud est: sicut si Sancta Sedes committat studium quaestionis huiusmodi, sat arduae et salebrosae, in una vel alia natione, Conferentiae Episcoporum.

Ideoque etiam hac in re censeo standum prudenti iudicio Sanctae Sedis et in schemate silendum.

Ad n. 13: *De dioecesibus personalibus*: *In primis* advertenda est contradictio quaedam inter § 1 et § 3: « erigendae non sunt » legitur linea 4ª; et dein « in singulis casibus conferentia episcopalis nationalis proponat et sancta Sedes decernat » legitur lineis 11 et sequentibus.

Dein animadvertendum est: *quoad § 1*: neminem hanc quaestionem proposuisse; *quoad § 2*: quod hic habetur iam est in praxi Sanctae Sedis.

Ideo submisse opinor etiam hunc numerum 13 omnino praetereundum.

Card. Ruffini: Principia in schemate enuntiata vix ullam difficultatem pariunt, immo — ut in universum dicam — mihi placent, cum bonum animarum vere expostulet Dioeceses nimis parvas augere, nimis magnas imminuere, alias inter se coniungere, alias abolere.

Difficile sane erit principia ad actum adducere.

Opinor cito constituendas esse Commissiones Episcopales in singulis Nationibus et, si Natio valde pateat, in singulis Regionibus seu Provinciis Ecclesiasticis; quibus Commissionibus munus concredatur rem totam gravi studio subiciendi, ut deinde S. Sedi conclusiones proponantur.

Pag. 6,[2] ad 5: Ad *Dioeceses Suburbicarias* quod attinet, mihi videtur perpendendum esse utrum servari debeant prout nunc sunt, necne. Sunt enim parvae et propter peculiaria impedimenta vix regi possunt congruenter nostris temporibus et « in exemplum » sicut oporteret cum praesideant ipsis praeclarissimi Cardinales Episcopi.

---

[2] Cf. p. 497.

Ceterum in textum Concilii Oecumenici tantum principia, quae supra memoravi, inducantur, reliqua ad novam Codicis I. C. editionem remittendo.

Card. GRACIAS: In Schemate Decreti « De Dioecesium Partitione » Relator proponit aliquas normas iuxta quas, debite provisum fuerit pro meliore dioecesium gubernatione, in variis mundi partibus. Sub numero 2 ille dicit: « Ut convenienter Dioeceses gubernari queant, nec nimis magnae sint nec nimis parvae, ratione territorii et incolarum numeri, variis locorum et personarum aliarumque rerum circumstantiis mature consideratis, animarum bono potissimum spectato ».

Potest dari etiam alia methodus — et haec valeret praesertim pro regionibus missionariis — quae obtineret finem intentum, sine necessitate formaliter dividendi ne quidem dioeceses extensivas. Divisio formalis, sine dubio, restringeret territorium in quo exercendum sit ministerium; talis divisio tamen secumfert difficultates haud parvas de pecunia et de numero adaequato sacerdotum, nam in casu uniuscuiusque partis independentis, recurrendum esset, pro ordinariis et extraordinariis subsidiis ad Congregationem pertinentem Romae; sed nemo est qui nesciat has Congregationes non semper esse capaces satisfaciendi exigentiis de die in diem crescentibus. Praeterea, pars nova, semel in dioecesim constituta, sine tamen Christianorum sufficienti numero, omnino bonorum propriorum copia careret; periculum quoque adsit, ne, divisione dioecesis semel facta, partes magis excultae obligationem novae dioecesi amplius subveniendi recusent.

Solutio ergo, fortasse in aliquibus circumstantiis consisteret in retinendo in statu quo antea dioecesim extensivam, dum simul intra eius limites nonnullae partes minus excultae designantur, quae Congregationibus Religiosis committi possent. Quae Congregationes curarent pecunias necessarias esse colligendas, auxilium petendo sive ab aliquibus florescentibus Institutis suis, sive in regionibus externis (Americae et Europae) ope suarum Congregationum ibi.

Ad illustrandum modo practico omnia quae implicat haec suggestio, sumamus exemplum Archidioecesis Bombayensis. Dum vigebat Concordatum inter Sanctam Sedem et Lusitaniam, Archidioecesis divisio formalis non erat possibilis, tamen clare percipiebatur totum territorium ex una parte consistens ex Sind et Baluchistan, et ex alia parte consistens ex Kutch, Gujarat et Kathiawar speciali cura et attentione indigere. Consequenter S. C. de Propagatione Fidei suo decreto diei 21 ianuarii 1934, Prot. N. 336/34 concredidit Sind et Baluchistan Patribus Hollandicis ex Ordine Fratrum Minorum, sede principali Karachi, et Kutch, Gujarat

Kathiawarque Patribus Societatis Iesu ex provincia Aragonensi sede principali Ahmedabad. Facultates Superioribus Ecclesiasticis horum districtuum concessae tales erant ut eos practice « sui iuris » redderent. Ad breviorem longam historiam faciendam, res ita dispositae tam bene processerunt ut haec territoria fructuosissime excolerentur. Tempore opportuno, cessante supradicto Concordato, Karachi et Ahmedabad erecta sunt in dioeceses cum suis episcopis. Hodie territorium Sind et Baluchistan amplius divisum est in Archidioecesim Karachiensem et Dioecesim Hyderabadensem (Sind). Similes conditiones in aliis etiam regionibus missionariis vigebant. Omnino ad rem et consideratione digna sunt haec excerpta ex litteris scriptis a Congregatione de Propaganda Fide ad Archiepiscopum Bombayensem illius temporis:

« Hae vero normae in relationibus definiendis cum missionariis prae mente, habeantur:

1) *Intacta manente ecclesiastica circumscriptione* Archidioecesis Bombayensis, concedatur districtus de Karachi (Sind, Baluchistan) Patribus hollandicis ex Ordine Fratrum Minorum, districtus vero de Ahmedabad (Kutch, Gujarat, Kathiawar) Patribus Societatis Iesu ex provincia Aragonensi.

2) Horum missionariorum Superioribus haec Sacra Congregatio Facultates concedet quas Superioribus Missionum sui iuris tribuere solet; non directe tamen illas communicabit, sed per Archiepiscopum transmittet.

3) Plena agnoscatur missionariis libertas in suo opere apostolico exercendo intra fines districtuum illis concreditorum.

4) Ad quaestiones oeconomicas quod spectat cum missionariis definiendas certa est haec sacra Congregatio Te pro bono et aequo acturum. Si vero in aliqua re ad concordiam sententiarum perveniri non poterit controversia deferatur Exc.mo Delegato Apostolico dirimenda ».

Card. MEYER: Totum hoc schema agnoscit problema omnino practicum pro vita pastorali Ecclesiae, problema autem quod valde differt pro diversis nationibus. Est problema quod resultat non tantum ex quibusdam conditionibus historicis, sed etiam ex certis tendentiis vitae modernae, v. g. ex tendentia ad maiorem « urbanizationem » nostrae civilizationis.

Cum multae sint conditiones quae variari possunt relate ad hoc problema, nescio utrum prudens sit legislatio quae universaliter legem ferret. Dicerem potius quod singulariter, vel particulariter deberet agi in unoquoque casu. Rationes enim pastorales non possunt tantummodo in abstracto considerari, sed potius relate ad omnes alias circumstantias,

praesertim oeconomicas, quae quandoque militant adversus divisionem sic dictae « nimis magnae dioecesis ». Etenim propter illam « urbanizationem » extensio dioecesis non est geographica sed politica. Problema quod habetur pro administratione talis dioecesis (quae sub quibusdam rationibus nimis magna dici debeat) multa communia habet cum problemate civilis administrationis ipsius magnae civitatis ex qua potissimum dioecesis constat.

Numquid speciale studium haberi possit quod hoc problema precise in quantum refert ad magnam dioecesim (civitatem) examinet? Hoc esset studium quod consideraret praesertim novas adaptationes iuris vigentis uti habetur can. 217, et can. 445-450, ubi agitur de divisione dioecesis in regiones seu districtus, et de vicariis foraneis.

Pro magnis dioecesibus tota quaestio non est resolvenda per divisionem ipsius dioecesis, sed potius de aliqua magis precisa distributione territorii dioecesis.

Quoad singula in hoc schemate:

a) Ad num 3, dicitur: « decernatur ». Sed quaeritur: « a quibusnam? ».

b) Ad num. 12, qui forte respondet huic numero 3. Loquitur de « commissione peculiari ac permanenti ». Non mihi placet hic numerus. Timeo valde ne nimis augeatur numerus harum commissionum. Melius est ut episcopi quorum interest directe cum Sancta Sede, per Nuntium vel Delegatum Apostolicum, hac de re tractent. Omnino non placet hic numerus, uti etiam magis patet ex iis quae dicam de conferentiis episcopalibus.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum, iuxta quae dixi et scripsi.[1]

Card. PIZZARDO: Placet: principia optima, sed quoad actuationem valde difficilia, v. g. quoad suppressionem parvarum dioecesium.

Placet praesertim quod dixit Em.mus Card. Decanus circa Praelaturas *nullius*.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum, 1) idest, quae nunc sunt dioeceses aeque principaliter unitae, meo humili iudicio, in nonnullis casibus iterum separari deberent pro bono animarum et commoditate fidelium; dummodo praedicta separatio non fiat, unaquaeque dioe-

---

[1] Cf. pp. 505-506.

cesis propriam curiam episcopalem cum Vicario Generali omnino habeat oportet.

2) Relate ad Abbatias nullius nihil innovandum.

3) Dioeceses suburbicariae conservandae sunt.

4) Commissio episcopalis de qua in n. 12, si opus fuerit, constituenda erit praevio consensu Sanctae Sedis.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum, secundum scilicet ea quae dixi [2] et secundum ea quae Eminentissimi Patres animadverterunt.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum, secundum animadversiones ab Em.mis Card. Decano et Card. Ferretto expositas.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum, iuxta dicta ab Em.mis Tisserant et Ferretto.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum. Tota res remittatur ad Pont. Commissionem pro redactione Codicis Iuris Canonici.
Demantur articuli 4, 5.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum, scilicet secundum observationes Cardinalium Decani et Ferretto.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: ad n. 3, § 1: Suppressio dioeceseon ne fiat nisi consentiente Episcopo vel sede vacante, ne videatur tangi potestas episcopalis a iure divino derivanda.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: seu exceptis iis quae sub n. 4 de Abbatiis nullius et Praelaturis nullius dicuntur secundum ea quae ab Em.mo Card. Decano et ab Em.mo Card. Ferretto exposita sunt.

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum, iuxta folium adnexum: ad numerum 5, pagina 6,[4] lineis 21-22: censeo necessarium esse aliquid dici in Concilio, ne res postea in indefinitum remittantur. Bonum enim animarum postulat ut de his dioecesibus aliquid fiat quod magis congruat cum bono animarum. Potest equidem servari rationem Episcoporum Cardinalium.

---

[2] Cf. pp. 506-507.
[3] Cf. pp. 507-508.
[4] Cf. p. 497.

Ad numerum 8, pagina 6,[5] paragrapho secunda: dispositum huius articuli rem non ordinat respectu Capitulorum Canonicorum. Et hoc videtur necessarium eo magis quia, unificatis Curiis, maneret tamen multiplicitas Capitulorum Cathedralium, quorum officium quandoque agit in gubernatione dioecesis.

Ad numerum 12: non videtur opportunum. Etenim commissio, permanens statuta ab ipso Concilio in unaquaque Natione pro mutationibus circa Dioeceses, cum per longa etiam tempora posset nihil habere faciendum, tentatio est ut aliquid inopportunum promoveat ut demonstret se existere. Bonum est equidem constituere Pontificiam Commissionem.

Adhaereo praeterea his omnibus quae edixit Em.mus Tisserant.

Card. McIntyre: Placet iuxta modum: excepto n. 12.

Card. Wyszynski: Placet iuxta modum, habitis semper prae oculis opinionibus et consiliis Conferentiarum Nationalium Episcoporum quando tractatur de mutatione dioeceseon finium.

Dioeceses Suburbicariae conservandae sunt ob rationes historicas et traditionales.

Card. Quiroga y Palacios: Placet iuxta modum, hoc est: demantur numeri 4 et 5. Bona et practica videtur Commissio Episcoporum, de qua agitur in numero 12, quae tamen actuari debet non modo permanenti, sed data occasione.

Card. Léger: Placet, quoad principia.

Non placet, quoad modum procedendi: i. e. prima pars ad Concilium proponi potest; secunda pars ad emendationem Codicis transferenda est.

Tamen quoad ipsam introductionem schematis, credo quod praecipua difficultas dioecesis nimis parvae non est exiguitas bonorum et reddituum sed potius penuria sacerdotum habilium ad competenter adimplenda officia hodie tam diversificata pro diversis operibus et pro regimine dioecesis.

Cum magna cautela mutanda sunt confinia Dioeceseon quae partim constituuntur magnis civitatibus, propter migrationes populorum. Olim populatio erat stabilis. Hodie operarii sive in officiis, sive in fabricis operam navant in civitate et degunt in alio loco. Dioeceses quae circumferunt civitates appellantur « Dormitoria », et locus ubi homines vivunt et habent veram influentiam est ipsa civitas, etsi ad horas nocturnas videatur vacua.

His dictis, fuerunt partitiones olim factae, quae hodie non haberent suam rationem, sed, e contrario, creaverunt conditiones peiores. Conditiones sociales tales sunt nostris temporibus et mutationes tam profun-

---

[5] Cf. p. 497.

dae ut partitiones dioeceseon deberent continere tam homines qui in civitate laborant quam iidem homines qui extra civitates degunt cum suis familiis.

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum.[6]

Card. MONTINI: Placet iuxta modum, scilicet: I) principia considerata in schemate praecipue respiciunt numerum fidelium et extensionem territorii; videntur quoque consideranda principia de spirituali et traditionali cohaesione communitatis dioecesanae: Dioecesis est Ecclesia, seu societas religiosa quae non facile est dismembranda; II) difficultates circa mensuram amplitudinis dioeceseon imprimis oriuntur ex parvitate circumscriptionum, non ex magnitudine, cui hodie facile providere possibile est per moderna media communicationum, a qua, e contra, non parva utilitas pastoralis evenire potest.

Card. CENTO: Placet iuxta modum, ratione habita de illis quae ab Em.mo Decano et a Card. Ferretto dicta sunt. Optima criteria sunt, quae data sunt ad unionem vel divisionem Dioecesium, consultis, non tamen necessario consentientibus Episcopis.

Quoad Suburbicarias Dioeceses, quaestio recenter fuit in studio Sanctae Sedis. Cardinales quidam suam opinionem manifestaverunt; Sanctissimus decernet, ratione habita de illis quae hodie a nonnullis exposita sunt.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet iuxta modum: Ad n. 3, § 2, addere velim: Recognoscendum tamen est providum munus magnarum metropoleon, etiam in vita sociali nationis et ad solvenda maiora problemata et arduas quaestiones. Earum vero peculiaribus necessitatibus consulatur opportunioribus modis.

N. 4, de Praelaturis Nullius, supprimatur; rationes pro quibus erectae fuerunt adhuc validae sunt.

N. 5, supprimatur: Summi Pontifices (S. Pius X, Ioannes XXIII) « manus apposuerunt ».

N. 12, omittatur, et pariter n. 13: praematurum et audax quod dicitur, cum emigrationes continuae perdurent.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: habita ratione observationum Em.mi Cardinalis Ruffini et Em.mi Cardinalis Cicognani et eorum quae scripsi in folio adnexo.

Quoad numerum quintum, pagina sexta:[7] Non facile videtur utilitas

---

[6] Cf. pp. 508-509.

[7] Cf. p. 497.

dioeceseon Suburbicariarum, sed, uti patet, quaestio a schemate relinquitur iudicio sapienti Sanctae Sedis an supprimendae an conservandae sint.

Ratio dubitandi est id quod dicitur numero septimo, pagina sexta, de residentia Episcopi eiusque Curiae in loco aptiore et commodiore quo facilius clero et fidelibus pateat accessus.

Quoad numerum decimum, pagina septima,[8] de dioecesibus immediate subiectis Sanctae Sedi placet omnino ut aggregentur viciniori Provinciae.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum. *a*) Principia bona, ardua actuatio. Deus adiuvet. *b*) Quoad n. 4 de Abbatiis et Praelaturis nullius caute procedendum est. *c*) Puto, ut iam aliquando humillime dixi, Concilium omnes quaestiones aggrediatur oportere et de ipsis mentem suam proponere, etiam quoad particularia, quia leges apparare debet ad Codicem immutandum et perficiendum. Aliud est an omnes dispositiones sint postea enumerandae in sollemnioribus Constitutionibus an potius aliquae dispositiones minores in documento minus sollemni enunciandae ut Codici inserantur.

Card. RICHAUD: Placet.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: quoad n. 12 adhaereo his quae dixerunt Card. Siri et Meyer. Semper audiatur Conferentia Episcoporum si quid in hac re decernendum videtur.

Card. DÖPFNER: Placet, pro executione experientia et circumstantiis bene consideratis.

Standum — saltem secundum principium et necessitatem — pro n. 12.

Card. MEYER: Placet iuxta modum, iuxta ea quae scripsi in folio adnexo.[9]

Card. TRAGLIA: Placet.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum, secundum ea quae dixit Em.mus Card. Decanus; in n. 12, statuatur saltem dioeceses non esse dividendas sine episcopis localibus quorum interest.

Card. CONCHA: Placet. Non enim aestimo mentem esse Eminentissimi Relatoris schema esse ad litteram in Constitutione definitiva transcribendum.

---

[8] Cf. p. 497.
[9] Cf. pp. 509-510.

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: iuxta vota Em.morum Cardinalium Tisserant et Ferretto. Supprimantur articuli 4 et 5.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum, attentis animadversionibus praecipue propositis ab Em.mo Cardinali Decano et Em.mo Card. Ferretto.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum, adhaereo animadversionibus schemati illatis ab Em.mis Patribus Decano, Ferretto, Meyer, Cicognani. Forte per Concilium tota res reduci potest ad nonnulla decreta seu vota.

Card. JULLIEN: Non placet, iuxta folium adiunctum. Ratio est quia sive iuxta canonem bis centesimum decimum quintum (215, § 1), sive iuxta canonem tercentesimum undetrigesimum (329), qui dogmatici dici debere videntur, res, de qua Concilium iuxta propositum Decreti schema ageret, « *Unius supremae ecclesiasticae potestatis est* », quo eam explicat per SS. Congregationes Consistorialem et de Propaganda Fide. Unde disceptatio in Concilio hac de re videretur sapere quasi de quadam admonitione ad Summum Pontificem.

Ad summum retineri posset regula numero duodecimo (12) schematis contenta, de *Commissione Episcoporum* scilicet constituenda, « quae ... videat an et quaenam immutationes circa Dioeceses sint inducendae easque Sedis Apostolicae iudicio subiiciat »; ceterum, iam Concilium Tridentinum (cf. Sess. XXIV, cap. XII de ref.) huiusmodi munus Conciliis Provincialibus detulerat, quae Summo Pontifici rationem conficerent.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum, generatim: aliquas animadversiones voto addo et illis plene adhaereo quae circa Abbatias et Praelaturas, circa Sedes Suburbicarias, circa Commissiones in nationibus pro iis divisionibus praeclare dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Decano, Ferretto, Siri, Gracias, Meyer, Cicognani. Revera schema saltem revidendum est; saltem dico quia etsi regulae et criteria plura vera sunt, ipsum perpetua aequivocatione iuridica laborat, quia haec ad normam can. 215 § 1 ad Romanum Pontificem pertinent, ideo saltem satis diverso modo redigendum esset.

Card. HEARD: Non placet, quia iam satis provisum in lege Codicis. Ceterum quoad n. 12, haec materia melius ordinatur auctoritate directa S. Sedis quam per commissionem Episcoporum.

Card. BEA: Placet iuxta modum, secundum animadversiones Em.mi Card. Decani et Card. Ferretto. Concilium proponat principia. Applicatio fiat ope Conferentiarum Episcopalium et audito Episcopo dioecesis

dividendae. Non placet art. 4 de suppressione Praelaturae nullius. Tollatur art. 12, et res agatur a Conferentia Episcoporum.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum, i. e. attentis iis quae dicta sunt ab Eminentissimis Patribus.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum, ita scilicet ut, retentis principiis, quae rem dirigunt, normae practicae propositae, ad Sanctam Sedem, ut Commissionis desideria, deferantur. Res est enim multi consilii et prudentiae, in singulis casibus ab auctoritate summa definienda, auditis, ut palam est, iis quorum interest.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum, videtur mihi opportunum saltem *generali modo* rationes adducere quibus facilius diiudicetur necessitas partitionis dioecesium nimis amplarum vel suppressionis nimis parvarum: exempli gratia si dioecesis proprium Seminarium, Curiam bene ordinatam et alia huiusmodi ad rectam territorii ecclesiastici administrationem necessaria habere non possit.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: idest cum observationibus factis ab Em.mo Cardinali Decano quoad numerum 4, p. 6,[10] et etiam cum observationibus Em.morum Cardinalium Ferretto et Ruffini, praesertim quoad suppressionem numeri 12, p. 7.[11] Sed mihi videtur opportuna dioecesis partitionis recognitio uti agitur in numero 3, p. 6, quoad linn. 10-15.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum, secundum quae animadverterunt Em.mi Patres Card. Decanus et alii Cardinales: Larraona, Gracias, etc.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum, i. e. iuxta observationes factas ab Eminentissimo Cardinali Heard.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum. Placet quantum ad principia generalia. Applicatio tamen reliquenda Sanctae Sedi auditis Episcopis Ordinariis. Hoc tamen notandum: in regionibus missionum partitio dioeceseon generatim secum fert progressus maximos est ergo saepe saepius optanda.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum, secundum quod dixerunt Eminentissimi Cardinales Decanus et Ferretto.

Quaestio videtur maximi momenti quoniam multiplicatio episcopo-

---

[10] Cf. p. 497.

[11] Cf. pp. 497-498.

rum erit fons renovationis apostolatus. Nonne est quasi unicum medium a D. N. I. C. ad evangelium propagandum? Quod dicitur de dioecesibus suburbicariis a Card. Ottaviani nonne verum est pro magnis civitatibus?

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum, scilicet secundum observationes Em.morum Cardinalium Decani, Ferretto, Ruffini, Meyer et Bea.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum, iuxta animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Tisserant, Siri et Bea.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum, sc. iuxta observationes factas ab Em.mis Cardd. Meyer, Siri et Bea.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum, non tamen video cur dioeceses personales ratione idiomatis vel nationalitatis erigendae non sint (artic. 13, § 1).

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: emendetur numerus 12 secundum modum, quem proposuit Em.mus Card. Bea.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum, secundum ea quae eminentissimi Patres valde opportune animadverterunt, praecipue Eminentissimi Cardinales Decanus, Ferretto, Siri, Cicognani ac Ottaviani.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum, iuxta ea quae dixerunt Em.mus Card. Decanus et Em.mus Cardinalis Ferretto.

Rev. GUT: Placet iuxta modum, secundum dicta Em.morum Cardd. Tisserant et Ferretto. Retineantur Abbatiae nullius, praesertim ubi historia missionum vel dignitas sanctuarii hoc postulet: caderet pulcherrimus flos ex arbore Ecclesiae.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum, attentis dictis ab Em.mis Patribus et cum observatione quam scripto trado.

1. Schema bonum est, complexive consideratum.

2. (Consideratio generalis iuridico-theologica). Quoad paragr. 1^{am} (pag. 5,[12] lin. 34), verum quidem est quod dioecesis sit *Ecclesia peculiaris,* sed adhuc proprie dioecesis est complexus quidam Ecclesiarum peculiarium, ordinarie localium, quarum singularum Episcopus est proprius Pastor, habens tamen in singulis presbyterum, proprium quoque pastorem, qui pro et sub Episcopo curam omnium et singulorum fidelium pa-

[12] Cf. p. 496.

roeciae exercet. Exinde habetur quod etsi paroecia satis determinata sit quoad extensionem et quoad numerum fidelium quem sub se habere debeat, extensio et numerus fidelium alicuius dioeceseos ex natura rei multo minus est determinatus, et, sub hoc respectu, propter varias circumstantias multum variari potest, et quidem bono iure. Illud quod, inter alia, valde essentiale in hac re apparet est quod dioecesis sit sufficienter ampla ut, in tuto posita cura animarum, Episcopo suppeditare possit Curiam bene instructam pro omnibus negotiis dioeceseos debite gerendis.

Rev. SÉPINSKI: Placet, quoad principia; applicatio principiorum exaretur a Commissione pontificia a S. Pontifice instituenda.

Ad n. 1, pp. 5-6: proponitur sequens interpunctio: « quae Episcopis, ex divina institutione Apostolorum successoribus, regendae committuntur, sub ... etc. ».

Ad p. 7,[13] lin. 4: exstinctiva.

Card. MARELLA: Liceat mihi dicere hanc quaestionem pertractatam esse a nostra Commissione quia commissa expresse fuit nostro studio a Beatissimo Patre. Ergo episcopi tractarunt quaestionem, ita ut aliqua consilia et vota modo generali transmittenda essent Commissioni Centrali ut videat. De cetero adhaereo libenter, ex parte mea, omnibus animadversionibus, correctionibus et votis ab Em.mis et Exc.mis Patribus propositis et de his omnibus, puto, certe ratio habebitur a Commissione de emendamentis, cui nostra Commissio semper parata est adiumentum praestare.

II

DE EPISCOPORUM COETU SEU CONFERENTIA

(Prima Congregatio: 20 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM
A COMMISSIONE DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

« Ad officium pastorale fructuosum et efficax gerendum multum confert frequens ac mutua inter Episcopos communicatio.

Ita in assequenda experientia inque usu rerum alius alium perficit; redditur maior regiminis similitudo, vitatur christifidelium admiratio qui saepe

[13] Cf. p. 497.

non intelligunt cur in alia dioecesi res hoc modo se habeant, in alia autem, quae fortasse proxima ei adiacet, dissimili modo, quin etiam interdum contrario. Ad haec autem consequenda plurimum possunt communes Coetus, qui fere ubique iam in usu sunt, et augustiore celebranda ritu Concilia provincialia et plenaria, quae in Codice iuris canonici constituta certisque legibus circumscripta sunt ».[1]

Universae nationis Praesulum Conventus seu Conferentiae ad rem catholicam provehendam elapso saeculo in nonnullis dicionibus celebrari coeperunt, cum Concilia plenaria rariora facta fuerint et Concilia provincialia nimio temporis intervallo coadunarentur.

Asperrimis enim illis temporibus, mutatis longe lateque rebus politicis, religiosis, oeconomicis et socialibus atque ingravescentibus in dies erroribus, necessarium visum est ut non modo singularum dioecesium Pastores in dominici gregis incrementum omni qua possent alacritate incumberent, sed etiam universae nationis Episcopi, in Coetum convenientes, collatis consiliis, singulari quadam animi conspiratione et concordia ea potissimum persequerentur, quae aptius ad gloriam Dei, ad Ecclesiae utilitatem et animarum salutem in tota natione conducere reputaverint.

Romani Pontifices huiusmodi nationales Episcoporum Coetus non solum adprobaverunt sed etiam amplissimis verbis laudaverunt, eorum annuam celebrationem commendantes.[2]

Novissime vero, cum naturalis rerum evolutio et praesertim sive primum sive alterum immane bellum permulta in nationibus peperissent problemata, Episcopales Conventus frequentiores habiti sunt, ut ingruentibus quotidie periculis novisque communibus dioecesium necessitatibus Sacri Pastores aptiore modo occurrerent, collatis sententiis conspiratisque viribus.

Propria earum Conferentiarum Statuta Praesules ipsi confecerunt, quae ab Apostolica Sede fuerunt opportune recognita ac deinde vel ad tempus vel in perpetuum adprobata.

Attamen Nationales Episcoporum Coetus praeter leges canonicas constituti sunt eorumque decisiones et instructiones vim iuridicam non obtinent nec ullo modo impedire possunt quominus Concilia plenaria et provincialia, ad normam iuris, coadunentur; praeterea indolem pastoralem potissimum habent. Quod in multis Romanorum Pontificum documentis videre est, siquidem in ipsis enumerantur passim quaestiones et negotia quae in episcoporum conventibus pertractantur.[3]

Omnibus denique compertum est quantum utilitatis et fructus ex illis Coetibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam sive ad rem catholicam provehendam quantamque in praesens consecuti sint auctoritatem, vel apud ipsa Civilia Gubernia et acatholicos viros.

Quapropter permulti Sacrorum Antistites summopere exoptant ut Nationales Episcoporum Coetus seu Conferentiae in Codice iuris canonici constituantur certisque legibus circumscribantur ita ut qui hucusque praeter

leges canonicas habiti sunt Conventus, in posterum ex sacrorum canonum praescripto celebrari possint.

Cum autem Episcoporum Coetus in diversis nationibus diversas induerint formas, experimento probatas, cumque, ex indole sua pastorali, rationem habere debeant variarum conditionum singularum nationum, schema proponitur, quod generalia tantum principia continet dum particularia ipsis Episcoporum Conferentiis, in propriis Statutis ordinanda, remittuntur.

I – De constitutione et natura

1. In unaquaque natione constituatur Episcoporum Coetus seu Conferentia ut collatis consiliis viribusque unitis perpendatur quid in universa natione agendum sit ad bonum religionis promovendum, ad salutaria apostolatus studia et opera excitanda, ad apta et tempestiva remedia paranda serpentibus erroribus et abusibus vel instantibus periculis contra fidem, mores et ecclesiasticam disciplinam.

2. Coetus Episcoporum characterem pastoralem habet.

3. Si ob nimium Episcoporum numerum vel plures ritus vel aliam gravem causam, in particularibus statutis recognoscendam, impossibile vel inopportunum evadat ut omnes Episcopi personaliter Coetui seu Conferentiae Nationali intersint, tunc una cum Metropolitis vel Praesidibus Conferentiarum Episcoporum Regionalium aut ritualium interesse possunt, tamen et ipsi cum suffragio deliberativo, etiam aliqui Episcopi pro unaquaque provincia seu regione ecclesiastica a suae provinciae coëpiscopis vel a sua Conferentia Regionali aut rituali eligendi.

Hoc autem in casu quaestiones omnes, antequam in Conferentia nationali pertractentur, Metropolitis vel Praesidibus Conferentiarum regionalium aut ritualium opportuno tempore communicari debent mediis idoneis, ita ut consilia et vota omnium Episcoporum exquirantur.

II – De moderamine

1. Episcoporum Coetus seu Conferentia regitur peculiaribus Statutis a Sancta Sede probatis.

2. E gremio eiusdem Coetus Constituantur:

§ 1. Consilium permanens, ex aliquibus Praesulibus constans, quod ipsam Conferentiam repraesentet in omnibus causis et negotiis eidem concreditis;

§ 2. Commissiones Episcopales, quae peculiaribus negotiis praeficiantur et res in Conventu plenario tractandas parent.

3. Constituatur insuper Secretariatus generalis in servitium Coetus Episcoporum et tanquam centrum informationis et activitatis.

III – De vi decisionum

1. Decisiones, a Coetu seu Conferentia Episcoporum prolatae, iuridice non obligant sed moraliter: ideoque ratione unitatis maxima reverentia accipiendae sunt ac religiose servandae.

2. Episcopus in sua dioecesi in casu aliquo particulari praeter decisiones Conferentiae agere intendens, antea scripto certiorem faciat Praesidem Conferentiae de suis agendi rationibus.

3. In rebus pro quarum solutione oporteat normas iuridicas ferre, adeatur Sancta Sedes eiusque iudicio standum erit.

4. Unusquisque Episcopus pro sua prudentia et discretione normas in Coetu Episcoporum latas, vi iuridica in propria dioecesi fulcire potest.

IV – De relationibus inter Episcopos diversarum nationum

1. Foveantur relationes inter Episcopos diversarum nationum ad maximum commune bonum tuendum, ad communia gravissima damna avertenda.

2. Illos potissimum Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis divexantur vel in carceribus detinentur, Episcopi fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores ardore precationis operisque Confratrum leniantur et mulceantur.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Pius XII, in Allocutione ad Em.mos Patres Cardinales atque Exc.mos DD. Sacrorum Antistites die 2 novembris 1954 habita: AAS, XXXXVI (1954), p. 675.

[2] Pius IX, Ep. *Maximae quidem,* ad Episcopos Bavariae, 19 aug. 1864: Acta Pii IX: pars I, vol. III, p. 674.

Leo XIII, Ep. *In ipso supremi* ad Episcopos Austriae, 3 mart. 1891: Acta Leonis XIII, vol. XI, p. 35; Ep. *Pastoralis vigilantiae,* ad Episcopos Lusitaniae, 25 iun. 1891: ib., vol. XI, p. 207; Ep. *Delectati summopere,* ad Episcopos Peruviae, 22 aug. 1902: ib., vol. XXII, p. 177; Ep. *Litteras a Vobis,* ad Episcopos Brasiliae, 2 iul. 1894: ib., vol. XIV, p. 228; Ep. *Inter graves,* ad Episcopos Peruviae, 1 maii 1894: ib., vol. XIV, p. 133 etc.

Pius X, Ep. *Sollicite vehementer,* ad Episcopos Lusitaniae, 5 maii 1905: Acta Pii X, vol. II, p. 42; Ep. *Magnopere Nos,* ad Episcopos Peruviae et Americae Latinae, 24 sept. 1905: ib., vol. II, p. 172; Ep. *Diligentia ipsa,* ad Episcopos Bavariae, 30 apr. 1911: AAS, vol. III (1911), p. 264 etc.

Benedictus XV, Ep. *Communes Litteras,* ad Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 10 apr. 1919: AAS, XI (1919), p. 171.

Pius XI, Ep. *Communes accepimus,* ad Episcopos Australiae, 12 febr. 1923: AAS, XV (1923), p. 108; Ep. *Perlibenti,* ad Episcopos Lusitaniae, 14 maii 1923:

AAS, XV (1923), p. 239; et passim in Epistulis ad Episcopos diversarum nationum in unum convenientes missis.

[3] In Instructione *Quo constet firmius*: De conventibus Sacrorum Antistitum in Ditionibus Austriaci Imperii, 22 iul. 1898, haec leguntur: « Res ad deliberandum hae maxime congressuris proponantur: – christiana populi eruditio, atque institutio iuventutis; – fidelium gregis suis pastoribus coniunctio arctior et adhaesio; – Seminariorum cultus et incrementa; – catholicae studiorum universitatis erectio; – catechismus ab episcopis nove conficiendus et coniunctim edendus (*Breve Pii Pp. IX, 5* octobris 1855); – Ecclesiae iurium et bonorum tuitio; – Summi Pontificis strenua auctoritatis et libertatis vindicatio; – ephemeridum aliarumque vulgatarum curatio scriptionum; – matrimonii christiani religio et sanctitudo; – monialium et cleri utriusque disciplina provehenda; – laicorum sodalitia ad pietatem et caritatem fovenda utiliora; – inviolata festorum custodia; – romanae liturgiae urgenda aequalitas; – lustrationis dioecesanae, synodorumque, iuxta Tridentinas leges, instauratio; – conditionis opificum, agricolarum, emigrantium sollicitudo; – socialis, quam nominant, et popularis causae studium; – militum cultura religiosa; – petriana stipes; – sacris item missionibus, servitudinis extinctioni, conferenda subsidia; – communia scripta vel acta, ad utilitates rei cum sacrae tum civilis, unanimi pastorum consilio edenda; – alia demum id generis negotia, quibus rite expediendis, non modo proficuam, verum etiam necessariam esse agendi et sentiendi concordiam omnino compertum est omnibus » (Acta Leonis XIII, vol. XVIII, p. 98).

2) RELATIO EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

I. Quaestio de Coetu Episcoporum non fuit explicite Commissioni Nostrae posita, sed utentes facultate singulis Commissionibus praeparatoriis a Summo Pontifice facta, huiusmodi quaestionem pertractandam esse censuimus propter maximum momentum quod hodiernis temporibus huiusmodi Coetus Episcoporum habent ad officium pastorale fructuosum et efficax gerendum, ad animarum salutem procurandam et ad bonum Ecclesiae aptius promovendum.

II. In prooemio schematis clare describitur origo et natura Conferentiarum, quae elapso saeculo in nonnullis dicionibus celebrari coeperunt, quaeque in dies numero auctae sunt et hodie in multis nationibus exstant, Apostolica Sede probante et confirmante.

III. Ecclesia enim necessitatem conventuum Episcoporum tum universae nationis tum uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae semper agnovit ad quaestiones, variis dioecesibus communes, ab Episcopis una simul pertractandas. Ad hoc in iure canonico constituta sunt certisque legibus circumscripta organa collegialia, Concilia scilicet plenaria et provincialia, quae potestate legislativa sunt praedita.

Haec quidem Concilia — medium pastorale maximi momenti constituunt.

Sed, nostris temporibus, Concilia plenaria rariora facta sunt, immo Codex Iuris Canonici pro Conciliis plenariis celebrandis nullum tempus definit, dum pro Conciliis provincialibus statuit ut quoque celebrentur vicesimo anno.

IV. In ipso autem Codice sermo est de conferentiis Episcoporum comprovincialium cum Metropolita, saltem quinto quoque anno celebrandis « ut collatis consiliis videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur eaque praeparent de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum ».

Iamvero coadunationes istae nullum superius organum constituunt, nullo charactere iuridico gaudent et sunt mere privatae.

V. Nunc autem, stante urgente necessitate quaestiones communes pertractandi, formula iuridica Conciliorum, quae, ob solemniorem celebrationis ritum, rato et difficulter coadunantur, haud sufficere visa est, dum e contra nova Coetus Episcoporum formula nostris temporibus ob hodiernas apostolatus necessitates, aptior et efficacior apparet.

VI. Interdependentia enim inter diversas dioeceses eiusdem nationis hodie maxima est et maior in dies fit.

Si agatur de materia doctrinali; quot circumstantiae politicae et sociales nationis adsunt, quae applicationem principiorum doctrinae catholicae uniformem pro posse exigunt; si de rebus disciplinaribus cogitetur, quantae sunt quae eumdem agendi modum ab Episcopis postulant; si de associationibus laicorum vel de institutis quaeratur, nonne evidens est quamplurimum ea in campo « nationali » collocari.

Praeterea quae obstant religioni christianae, vitaeque fidelium, communem originem ducunt: ita omnia technica informationis media (prelum, radium, cinematographeum, televisio etc.); omnes politicae artes, syndicales, consociationes nationales cuiuscumque generis, hominum et communitatum migrationes etc.

Unde positiva media, quae pastoralem actionem ordinare debent simpliciter localia vel regionalia esse nequeunt, sed communia. Malis communibus, remedia communia apparari necesse est.[1]

VII. In hoc amplissimo Coetu iterum iterumque audivimus: remittatur quaestio ad Conferentias Nationales Episcoporum, cum de gravioribus negotiis agebatur!

Ut autem plenius Conferentiae Episcoporum finem suum assequi possint, id est, summa consensio et consociatio virium, Sacri Pastores

---

[1] Responsabilità comune a problemi comuni.

summopere exoptant ut Nationales Episcoporum Coetus in Codice iuris canonici constituantur.

VIII. Hac de causa schema exaratum est ut « lex constitutionalis » pro Conferentiis Episcoporum in iure condatur.

De huiusmodi gravi argumento duo schemata exarata fuerunt, quorum primum forma ampliori conscriptum, alterum vero breviori. In primo proponebantur quae sequuntur capita: 1) de constitutione et natura Coetus Episcoporum; 2) de moderamine; 3) de vi decisionum; 4) de relatione S. Sedi facienda; 5) de casibus extraordinariis; 6) de praecedentia et praesidentia; 7) de officio seu munere Praesidis; 8) de conventu plenario eiusdemque sodalibus; 9) de Consilio permanenti; 10) de modo procedendi et de suffragio ferendo; 11) de Commissionibus episcopalibus; 12) de secretariatu generali.

In altero autem schemate quattuor tantum puncta tractabantur: 1) de Constitutione et natura Conferentiae; 2) de moderamine; 3) de vi decisionum; 4) de relationibus inter Episcopos diversarum nationum.

Multae habitae sunt disceptationes, sed praevaluit sententia Sodalium, qui summa tantum lineamenta statuenda esse censebant. In lege enim fundamentali novae cuiuslibet Institutionis pauca omnino determinari debent, attamen *obligatoria pro omnibus,* ita ut eadem essentialis structura pro universis nationibus habeatur. Particularia in singulis cuiusque Conferentiae statutis, ab Apostolica Sede probandis, determinari debent, diversae cum sint in unaquaque natione rerum conditiones et apostolatus necessitates.

Quis Vestrum forte mirabitur quod in praesenti schemate nihil prorsus de relationibus inter S. Sedem et Episcoporum Coetum statutum fuerit.

Vobis autem notum facio Commissionem Nostram quosdam de re articulos apparavisse, qui in ampliore schemate proponebantur: hi sunt:

1) Nuntius Apostolicus vel Delegatus Apostolicus semper invitari debet ad Conventum Plenarium et eiusdem sessionibus, si putaverit, interesse poterit.

2) Opportuno ante Conventum plenarium tempore de rebus pertractandis earumque ordine certior fieri debet Nuntius vel Delegatus Apostolicus, cuius responso accepto, omnibus qui convocandi sunt rerum tractandarum ordinem Praeses tradendum curet, triginta saltem diebus ante Conventus Plenarii sessiones.

3) Conventu Plenario expleto, initae deliberationes et acta ad Sanctam Sedem per Nuntium aut Delegatum Apostolicum communicanda sunt ut haec si opus sit, sua auctoritate intervenire possit, neque singulis

Episcopis acta et consilia capta transmitti poterunt nisi prius Apostolica Sedes responsum dederit et mentem suam patefecerit.

Attamen maior Episcoporum pars articulos istos praeterire ac relinquere maluit, cum revera in singulis Conferentiarum Statutis, ab Apostolica Sede probatis vel probandis, hanc super rem certae normae semper definiantur.

Ceterum, ipsis Patribus visum est de istis relationibus nihil esse in Concilio dicendum ad vitandam admirationem facile orituram, quasi Episcopi, in coetum convenientes, hucusque renuerint vel aegre tulerint cum Apostolica Sede eiusve Legatis libenter communicare.

Si Vobis autem placuerit, perlectos articulos in schema Concilio proponendum iterum includemus.

IX. His praemissis, pauca tantum animadvertere velim:

Art. III: *De vi decisionum.*

De hoc capite multum disceptatum est. Quidam Episcopi affirmabant nullam strictam obligationem recognoscendam esse decisionibus Conferentiae, ne ictus vulnusque inferretur Episcopi auctoritati, qui unicus legislator est in sua dioecesi. Alii, e contra, putabant agnoscendam esse aliquam iuridicam obligationem, praesertim in decisionibus gravioris momenti. Quo in casu, clara non esset distinctio inter Concilium plenarium, quod potestate legislativa gaudet, et Conferentiam Episcoporum, cuius munus est deliberare, proponere et decernere ea quae in ordine disciplinari, pastorali et etiam magisteriali, unitatem inter Episcopos nationis exigant.

Inter sententias oppositas, media via selecta est, quae proponitur in art. 1 cap. III, pag. 7:[2] « Decisiones, a Coetu seu conferentia Episcoporum prolatae, iuridice non obligant, sed moraliter: ideoque ratione unitatis maxima reverentia accipiendae sunt ac religiose servandae ».

« Praeter obligationes iuridicas, sunt etiam verae *obligationes morales* seu titulo ethico innixae, puta fidelitatis, caritatis, animi grati, honestatis seu convenientiae etc. ». In nostro casu radix obligationis oritur ex fine qui obtineri debet: scilicet « unitas agendi ».

In communibus enim expediendis negotiis quae responsabilitatem communem exigunt, si unus vel alius Episcopus dissimili aut contrario modo se gerat, magnum detrimentum Ecclesiae et ipsis fidelibus obvenire potest.

Hinc in art. 2 cap. III, norma statuta est in casu quo Episcopus praeter decisiones Conferentiae agere intendat.

X. In capite I, art. 1, pag. 6,[3] quando sermo est *de erroribus et pericu-*

---

[2] Cf. p. 521.

[3] Cf. p. 520.

lis contra fidem, mores et ecclesiasticam disciplinam non ita intelligi debent illa verba quasi ius et officium Episcopalis Conferentiae sit ex auctoritate inquirere directe in errores contra fidem et mores, sed ipsius est declarare, defendere et promovere ea fidei, morum vel iuris capita, quae in specialibus adiunctis, universae Nationis conveniant et errores deviationesque impugnare periculosiores.

XI. *Quoad Commissiones Episcopales,* de quibus agitur in cap. II, art. 2 § 2, pag. 7,[4] tot constitui poterunt quot in unaquaque natione opportunae videantur: de his autem statuta particularia cavebunt.

XII. Caput IV: *De relationibus inter Episcopos diversarum nationum.*

Cum plures oriantur in dies quaestiones, quae ultra peculiarem nationem mundi ipsius limites attingant, ut exempli gratia adiutorium ab Episcopis alicuius nationis Ecclesiae in America Latina praestandum, bonum est ut mutuae ineantur relationes inter varias Conferentias Episcopales Nationales.

Ceterum hodierna nationum consociatio in multis negotiis, rei politicae et socialis, et consequentes civium atque familiarum transmigrationes, gravissima pariunt spiritualis et moralis ordinis problemata, quae Episcopis maxime cordi esse debent.

Ecclesia non iam considerari debet solummodo ut iuridica societas, sed ut « Mysticum Christi Corpus », quo limites iurisdictionis transgrediuntur ad vitam omnium membrorum Corporis promovendam, necnon ad urgendam erga omnes caritatem: lex Mystici Corporis est lex caritatis in Spiritu Sancto.

Haec est ratio cur Episcopi caput IV et praesentim art. 2 proponendum censuerunt, verba S. Pauli cogitantes « gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum invicem sentientes ».

XIII. Quae disposita sunt in hoc schemate, mutatis mutandis, omnia valere possunt pro Ecclesiis Orientalibus, ad unitatem et caritatem fovendam inter diversos ritus in bonum universalis Ecclesiae et in salutem animarum.

XIV. De schemate quater discussio facta est in Sessionibus Generalibus et approbatio definitiva data est in Sessione mensis septembris anni elapsi.

De hoc argumento *viginti duo* vota conscripta sunt.

Ponens quaestionis fuit Exc.mus Archiepiscopus Gawlina, a Secretis Commissionis Nostrae.

---

[4] Cf. p. 520.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. FERRETTO: Ad pag. 4,[1] lineam 19: Bonum fuisset referre, saltem in notulis, quot sint et quinam in praesentiarum Coetus huiusmodi ab Apostolica Sede adprobati, uti in Annuario Pontificio prostat.

Ad pag. 5,[2] lineis 5 et sq. et pag. 6,[3] lineis 25 et sq. simul: Censeo supervacaneam huiusmodi declarationem.

Ad pag. 7,[4] a linea 12 ad 22: Censeo haec omnia omittenda quum iam abunde provisum sit in n. 1: ad maximum res relinquatur Codici Iuris Canonici reformato.

Ad pag. 7, lineis 24 et sqq. ubi de vi seu obligatione decisionum: Loco verborum « sed moraliter ... servandae » inducerem « nisi Apostolicae Sedis adprobatione corroborentur ». Eadem pag. 7, lineis 27 et sq. n. 2: Quae hic habentur viderentur aliquam limitationem potestatis Episcopalis inducere, ideoque numerus 2 supprimendus.

Ad pag. 8,[5] n. 3, lineis 1-3: iam provisum ut supra, ideoque omittendus hic numerus.

Ad pag. 8, a linea 10 ad finem: Optimum sane caritatis consilium, at nulla adest necessitas hoc praeceptum dandi, praesertim ne quis censeat — debitores sumus sapientibus et insipientibus — Episcopos, Successores Apostolorum maximi et primi mandati oblitos esse.

Card. FRINGS: Episcopi Germaniae experientiam in hac re plus quam centum annorum habent. Ipse ego praeses sum inde ab anno 1945. Statuta provisoria conferentiae sibi dederunt anno 1867, viginti annos post primam conferentiam. Aliquot post annos statuta definitiva facta sunt. Sed approbationi Sedis Apostolicae non sunt subiecta. Haec statuta oretenus tantum tradebantur, donec Nuntius Apostolicus in archivis antiquis ea invenit.

Decisiones nec habent vigorem iuridicum nec moralem, sed unusquisque Episcopus secundum suam conscientiam et praecepta Sedis Apostolicae regit ecclesiam suam. Revera autem fere semper omnes se conformant decisionibus conferentiae. Hoc modo magna opera exorta sunt, ut v. g. comitatus centralis pro actione catholica in Germania, opus a

---

[1] Cf. p. 519.
[2] Cf. p. 519.
[3] Cf. p. 520.
[4] Cf. p. 520.
[5] Cf. p. 521.

Nicolao Cusano nuncupatum pro studentibus catholicis bonis dotibus mentis praeditis adiuvandis, opus pro ecclesiis et scholis in regionibus diasporae aedificandarum, opus « Misereor » contra famem et infirmitates in mundo, opus « Adveniat » pro adiuvanda America Latina. Secretariatus generalis non existit; eius vices gerit ordinariatus praesidis, qui alternatim fuit Archiepiscopus Wratislaviensis et Archiepiscopus Coloniensis.

Nuntius Apostolicus non est membrum conferentiae, sed interdum salutat eam, quin adsit sessionibus. Postea ei transmittitur protocollum, et quidem in tribus exemplaribus, quorum duo pro dicasteriis Romanis destinata sunt.

His experientiis innisus haec dicere vellem:

1) Conferentiae nationales valde commendandae sunt, sed ne praecipiantur et libero consensui Episcoporum uniuscuiusque nationis relinquantur, ut liberius et fructuosius agant.

2) Decisiones earum ne habeant vigorem iuridicum neve moralem, sed unusquisque Episcopus a Spiritu Sancto positus secundum suam conscientiam regat ecclesiam suam.

3) Secretariatus generalis ne sit obligatorius sed facultativus. Hic latent magna pericula: primo imminet dualismus inter praesidem et secretariatum generalem, praesertim, si sit in loco dissito; secundo timendum est, ne secretariatus « tanquam centrum informationis et actionis » acquirat magnam potestatem, speciatim in dioeceses minores. Ita per conferentiam nationalem et eius secretariatum generalem praeparatur instantia media inter Sedem Apostolicam et singulos Episcopos in iure divino minime fundata.

Ex his gravibus rationibus mihi dicendum videtur: non placet.

Card. Ruffini: Placet iuxta modum: Principia statuantur in textum Concilii Oecumenici inserenda; normae practicae ad Codicem I. C. denuo promulgandum remittantur.

Pag. 7,[6] III, 1: Quae a Coetu seu Conferentia Episcoporum *libere* statuta sunt (tamquam Normae « directivae »), Sanctae Sedi quam primum referantur, tum ut ipsa res, quae interdum maximi sunt momenti, cognoscat, tum ut de rebus pertractatis — si opportunum ei videbitur — iudicium suum proferre possit.

Pag. 7, III, 2: Si haec praescriptio servatur — quamvis de eius opportunitate multum dubitem —, post verba « ... de suis agendi ratio-

---

[6] Cf. p. 521.

nibus » adderem: « quin teneatur Praesidis adprobationem expectare ». Secus quaedam nova hierarchia institueretur.

Pag. 8 [7] ad 1: « Foveantur relationes inter Episcopos diversarum nationum... ».

Sed quomodo? Essent definiendae nonnullae — saltem — normae generales.

Card. GRACIAS: Relator, postquam ostendit tales conferentias in variis regionibus mundi existere et Romanorum Pontificum approbationem confirmationemque obtinuisse, clarissime indicat has Conferentias nulla potestate iuridica gaudere, nec esse concilia plenaria vel provincialia. Earum praecipuum character est pastorale. Relator tunc delineat pro talibus Conferentiis nonnullas normas, quae emphasim ponunt in Conferentiarum charactere pastorale. Iuxta has normas Conferentia de facto nulla habet munera extraordinaria. Quo non obstante, mihi videtur Conferentias in quibusdam regionibus talia extraordinaria munera de facto exercuisse. Concilium plenarium nationale magno cum fructu aliquas iuridicas commissiones communicare posset, sicut factum est Decretis Plenarii Concilii Indiae, e. g. in campo Actionis Catholicae (D. 146), in campo apostolatus apud educatos non-Catholicos (D. 169), in campo Catechesis (D. 207), in campo Actionis Socialis (D. 191), in campo Educationis (D. 248), in campo rerum politicarum et vitae publicae (D. 162) et in variis aliis materiis.

Et tunc decisiones Conferentiae Nationalis, mihi videtur, iuridice obligant et non solum moraliter; et hoc quidem virtute mandati dati a Concilio Plenario. Et sic tum coram populo ac clero cum coram episcopatu Conferentia Nationalis gauderet potestate valde utili pro bono Ecclesiae.

N. B.: Moderamen nostrae Conferentiae Nationalis est integre conformis normae propositae p. 7,[8] II a Relatore. Ergo quod nos in Indiis proposuimus decem et octo annis abhinc et approbatum decem annis abhinc, hodie proponitur considerationi Commissionis Centralis.

Card. MEYER: Generaliter schema hoc omnino placet, praesertim quia sequitur principium « quod generalia tantum principia continet dum particularia ipsis Episcoporum Conferentiis, in propriis Statutis ordinanda, remittuntur ».

Attamen etiam haec principia generalia quae in schemate habentur

[7] Cf. p. 521.
[8] Cf. p. 520.

aliquando nimis particularia practice evadunt. Loquor praesertim de numero III, pagina 7, qui inscribitur, « De vi decisionum ».

Non mihi placet quod per statutum decernitur « moralis illa obligatio ». Iam ex eo quod ita statuitur nonne fit quaedam species obligationis iuridicae?

Iuxta meam opinionem, practice non esset magna differentia inter « moralem obligationem » per hoc statutum determinatam, et « iuridicam obligationem » quae a sola Sancta Sede imponi potest.

Inde, ut mihi videtur, decisiones omnes nullam aliam vim habere debent quam, ut ita dicam, consultativam, i. e. accipiendae ab unoquoque Ordinario iuxta prudentem conscientiam propriam, ex qua sola oriatur obligatio quaecumque sit. Secus, coetus seu conferentia Episcoporum fit quaedam species « super-dioecesis », in damnum auctoritatis Ordinarii.

Si non obstantibus his rationibus quae hic urgentur, decernatur ut retineatur hoc statutum quod moralem obligationem statuat, omnino necessarium erit aliud statutum quod hic non habetur, nempe quod decernat praecise quomodo decisio, de qua in statuto, habeatur, i. e. quanam pluralitate, an scripto vel oretenus tantum, etc.

Exc. Hurley: (Ad capitulum III, num. 1, pag. 7,[9] lin. 23): Scopus huius numeri est ut effectus decisionum a Conferentia Episcoporum prolatarum clare determinetur. Qui scopus, ni fallor, perfecte non attingitur, cum verbum *moraliter* in contextu sensum quendam incertum et ambiguum praeseferat.

Igitur, quo clarius effectus decisionum a Conferentia Episcoporum prolatarum exprimatur, propono ut sequenti modo redigatur: « Decisiones, a Coetu seu Conferentia Episcoporum prolatae, iuridicam obligationem non pariunt; exprimunt tamen commune quoddam propositum, quod ratione unitatis reverenter ac religiose servandum est ».

Rev. Browne: 1) Schema bonum est. 2) Quoad paragraphum III, *De vi Decisionum* n. 1 (pag. 7, lineis 23-26): *a*) vellem scire de quibus personis agatur quando in linea 24 dicitur « (Decisiones) ... iuridice non *obligant* sed moraliter ». An agatur de singulis Episcopis obligandis quoad eorum gubernandi rationem, an potius de singulis fidelibus ut dirigendis a decisionibus Conferentiae. *b*) In eadem linea 24 loco vocis *moraliter* (*Moraliter,* proprie intellectum, indicaret obligationem strictiorem quam iuridicam) melius videtur ut dicatur *normative,* saltem si

---

[9] Cf. p. 521.

agatur de singulis Episcopis. In eadem suppositione, verba ultima lineae 26, scilicet, *ac religiose servandae* non essent, ut videtur, amplius convenientia.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum, ratione habita animadversionum Em.mi Cardinalis Frings.

Card. PIZZARDO: Non placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum. Relate ad cap. tertium « De vi decisionum » aestimo conferentias episcoporum solum normas directivas constituere posse: ideoque non videtur opportuna norma quae stabilitur in cap. III n. 2, nam decisiones Episcoporum debent esse omnino liberae, salva subiectione Sanctae Sedi.

Insuper considerare oportet quod Concilia Provincialia cum adsistentia utriusque cleri saecularis et religiosi sunt magni momenti, ideoque eorum celebratio urgeri deberet.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum, a me expositum.[1]

Card. LIÉNART: Placet, ratione tamen habita de his quae dixit Em.mus Card. Frings.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum, i. e. iuxta observationes Em.mi Card. Frings.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum, secundum dicta ab Em.mis PP. Ruffini et Frings.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: remittatur ad Codicem Iuris Canonici redigendi, ratione habita animadversionum quas Em.mi Patres protulerunt, praesertim Cardinales Ferretto, Frings, Aloisi Masella.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum, ob rationes datas a Cardinali Frings.

Card. FRINGS: Non placet.[2]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3]

---

[1] Cf. p. 527.
[2] Cf. pp. 527-528.
[3] Cf. pp. 528-529.

Card. VALERI: Placet. Omnino adhaereo iis quae ab Em.mo Card. Ruffini dicta sunt circa modum agendi in nostra Commissione. Evidenter possumus, auctoritate collata a S. Patre, ea proponere quae etiam contra canones actuales I. C. statuuntur. Consequenter non potest talis propositionibus opponere ea quae pro nunc in Codice dicuntur.

Quantum ad praesentiam et participationem Nuntiorum vel Delegatorum Apostolicorum Conferentiis Episcoporum, experientia personali, dicere possum dictam participationem tantum constitisse in amabili invitatione quam semper accepi ad comestionem in unum ex diebus Conferentiae Episcoporum.

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum, ratione habita eorum quae dicta sunt a Patribus. Censeo tamen forsan omnia remittenda esse vota ad Commissionem futuram reformationis Codicis.

Pag. 6,[4] num. 3, tit. I, lin. 35: loco « ... Etiam aliqui », ponatur: « ... unus saltem Episcopus ». Etenim potest nimis augeri numerus Eorum qui talibus coetibus intersunt et res et negotia tunc difficilius expediuntur. Si non omnes interveniant oportet, tunc manendum est in numero qui possit coetum fungibilem reddere.

Card. MCINTYRE: Placet iuxta modum: conditio est: Apostolicus Delegatus haberet capacitatem consultivam et hanc solummodo quando utilis est sicut est practicum nunc in Statibus Foederatis.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum. In Polonia per annum fiunt quatuor Conferentiae Episcoporum residentialium, et quinta pro omnibus Episcopis Poloniae in Iasna Gora Chestochoviae, unita cum exercitiis spiritualibus. In conditionibus difficillimis et specialibus, in quibus Ecclesia Catholica in Polonia versatur, Conferentiae Epscoporum magni momenti sunt, non solummodo in ordine pastorali, unitatis agendi, *sed etiam in ordine iuridico,* quando nempe tractatur de modo se gerendi in defensione legum S. Matris Ecclesiae contra leges civiles, nocivas et hostiles pro vita christiana et unitate Ecclesiae.

A 14 annis Praesidens Conferentiarum Episcoporum Poloniae, in 70 iam Conferentiis, pro humili experientia mea, aestimo quod magni momenti pro evolutione S. Ecclesiae sunt.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: secundum ea quae ad Caput III animadverterunt Em.mi Frings et Ruffini.

---

[4] Cf. p. 520.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones ab Eminentissimo Cardinali Frings prolatas.

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum.[5]

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: a Cardinalibus Frings, Ruffini et Meyer expositum.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae ab Eminentissimis Ferretto, Frings et Ruffini exposita sunt. Quoad relationes cum Legatis Pontificiis, nulla certe eos invitandi obligatio. Addam tamen manifestationem esse deferentiae et amicitiae erga ipsos spontanea invitatio, ut mos est in Belgica, ubi, semper invitatus, semper interveni, nunquam, ut patet, in decisionibus votum ferens.

Card. CICOGNANI H. I.: Placet iuxta modum: habeantur Conferentiae Episcoporum non uti corpus legislativum (non sunt enim concilium), sed uti *conventus quo Episcopi se conferunt ad deliberandum libere* de rebus disciplinae et negotiis ecclesiasticis ad unitatem fovendam, quatenus possibile et quantum desideratur, in regione seu natione.

In num 1, pag. 7,[6] « De vi decisionum » expungatur illud « moraliter ».

Quoad praesentiam Nuntii vel Delegati Ap., respondendum videtur: Negative. Liberi sint Ordinarii in suis disceptationibus. De cetero mos est ut actorum exemplar mittatur dein ab Episcopis ad S. Sedem (ad S. C. Concilii, Consistorialem ...), et S. Sedes respondet laudando et nonnulla adnotando.

Relinquatur Episcopis modus agendi ac constituendi Secretariatum generalem.

Institutio tamen Conferentiae, qua talis, obtineat adprobationem Sanctae Sedis.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum, nempe ad mentem Eminentissimorum Cardinalium: Card. Frings, Card. Ruffini, Card. Meyer, Card. Valeri et Card. Cicognani.

Quod Sancta Sedes desiderat de Conferentiis Episcoporum existit quoad essentiam in variis nationibus.

Commissio sapienter proponit schema terminis sat generalibus, quia in unaquaque natione circumstantiae ita differunt ut rigida uniformitas non esset desiderabilis nec efficax esset ad finem.

---

[5] Cf. p. 529.
[6] Cf. p. 521.

Patet quod Secretariatus utilis erat crescente numero fidelium, cum consequente aucto labore erit necessarius secretarius. Progressu temporis Secretarius cum assistentibus suis plene occupatus erit quaestionibus numero semper crescentibus.

De secundo articulo, sectionibus prima et secunda: apud nos Commissiones Episcopales pro peculiaribus negotiis existunt quando necessariae videntur et instituuntur « ad hoc », supposita particulari competentia praesulum in quaestione de qua agitur.

In capite tertio, numeris primo et secundo (pag. 7 [7]) placet, habita ratione eorum quae dixerunt Em.mi oratores de termino « moraliter ».

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum, in capite III, n. 2, lin. 29, dicatur potius: « ... certiorem faciat Conferentiam in persona Praesidis », et hoc ne auctoritas impropria Praesidi inducatur. Attendantur etiam quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Frings. Quoad Nuntios attendantur prolata ab Em.mis Valeri et Cicognani. Quoad criterium generale de potestate Concilii Oecumenici (ideoque, proportione facta, de propositionibus a Commissione faciendis) adhaereo his quae ab Em.mo Card. Ruffini dicta sunt. Prae oculis habeatur c. 228 § 1 CIC (et c. 215): videant Venerabiles Patres si conveniat ut ipsi pro seipsis quemdam autolaesionismum foveant.

Card. RICHAUD: Placet.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Patres (Cardd. Frings, Ruffini et Cicognani) quoad consilium permanens (Secretariatus) et quoad obligationem iuridicam et moralem.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: ut secundum intentionem Card. Frings relinquatur episcopis omnino opportuna libertas. In n. III, 1: modificetur sec. proposita ab Archiepiscopo Hurley. Ceteroquin conferentiae a Concilio commendentur et fulciantur, ut fit in schemate.

Card. MEYER: Placet iuxta modum, iuxta ea quae dixerunt Cardinales Ruffini, Frings, Gracias, Cicognani et a me in folio adnexo scripto.[8]

Card. TRAGLIA: Placet iuxta modum: i. e. perspectis iis quae dicta sunt, praesertim de vi decisionum conferentiarum Episcoporum.

Card. ALFRINK: Placet, et nihil addatur; plene et libenter assentio eis quae dixerunt Em.mi Card. Frings et Card. Cicognani.

---

[7] Cf. p. 521.

[8] Cf. pp. 529-530.

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: quae dicuntur pag. 7 [9] de obligatione non iuridica sed morali ambigua mihi videntur, unde forte termini mutandi erunt. Non videtur obligatio imponenda Episcopis communicandi Conferentiae Praesidi rationes quae illum impellunt ad discedendum ab iis quae in Conferentia decisa sunt. Forte sufficeret dicere Conferentias non habere characterem legislativum sed pastoralem.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: ad caput III, sub num. 1: Decisiones potius quam ferant obligationem iuridicam vel moralem habeantur uti norma directiva iuxta necessitates uniuscuiusque dioecesis.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus Em.morum Patrum Frings, Meyer et Cicognani, praesertim quoad vim obligandi decisionum.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Meyer, Cicognani, Valeri et Exc.mi Hurley.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: sensu in meo voto expresso.

* * *

1. « Introductio » Schematis: clara, exemplariter accurata, et solida est.

2. Loquendum etiam esset de Conferentiis *provincialibus*: 1) illa canonice complendo quo in can. 292 C.I.C. indicantur, relate ad Concilium provinciale etc.; 2) ea etiam colligendo et complendo quae, relate ad Conferentias *nationales* seu *regionales,* in Schemate habentur.

3. In particulari:

A) De Nationalibus.

B) De Conferentiis Provincialibus (ecclesiasticis: i. e. Provinciae ecclesiasticae seu eidem aequiparatae regionis).

A) *De Conferentiis nationalibus*

I. N. 1. Optime redactus est.

N. 2. In pag. 5,[10] linn. 1-6 edicitur, has Conferentias praecipue seu « potissimum pastoralem indolem habere » seu induere debere.

a) Optima sane haec Ordinatio est, sub multiplici ratione:

1) ne in primis Conferentiae nationales Concilia plenaria ordinaria constituere videantur, quod historia teste, et quidem obstinate et

---

[9] Cf. p. 521.

[10] Cf. p. 519.

multipliciter fideli, etiam si hunc characterem veluti *mere de facto, tacite* ac tantum *initialiter* assumant satis periculosa et evaserunt et non difficulter evadere possunt et timendum est ut graviter evadant;

2) praeterea, ne Concilium plenarium verum et proprie dictum, quod in Codice optime describitur et circumscribitur, inutile reddant (cfr. cc. 281-282), immo absorbeant, — Conferentias in verum Concilium *practice* et *audacter* convertendo —, sed sine Summi Pontificis convocatione, neque eius Legati praesideant neque ipsorum vel ipsarum plena adsit posterior confirmatio;

3) denique ne, ex alia parte, *Concilia provincialia* reapse, item de facto et practice hae Conferentiae prorsus evacuent.

4) Ut non tantum negative pericula Conferentiarum indicemus, sed ut aliqua suggeramus ex quibus, verius et aptius legislatio per convenientes formulas periculis obviare valeat quae per viam adspectus pastoralis, largo sensu accepti, introduci et confirmari facile possint.

Has proponimus:

Dicatur: « potissimum characterem pastoralem ex regula, et nisi in exceptis et probatis, habent ».

Vel clarius: « potissimum Characterem pastoralem habeant, seu de rebus pertractent quae ad " practicum regimen ", " ad Administrationem ecclesiasticam atque civilem bonorum ", " ad rerum agendarum immediatam ordinationem iuxta Statutorum definitas normas spectant " ».

5) n. 3. Optime, sed linn. 30-31 adderem:

« Ut omnes Episcopi intersint seu interesse facile valeant, quod optandum sane esset ».

Rationes in promptu sunt, scilicet: evidenter hoc melius respondet hierarchicae Ecclesiae constitutioni, sed praeterea quia absentiae non placent Episcopis, qui facile in hoc tendunt ut eas non recte interpretentur, de ipsis leviter et submisse, *vel non adeo,* murmurent et conquerantur.

II. P. 7,[11] nn. 1, 2, 3.

Indicari debent « modi » quibus Consilium permanens (n. 2 § 1) Commissiones (n. 2 § 2) et Secretariatus (n. 3) eligi debent. « Consilium permanens, ad normam Iuris (C.I.C. c. 101 § 1, 1°) et Statutorum, a praesentibus adstantibus constituitur, ponderatis informationibus Conferentiarum provincialium, et cum interventu membri legitime electi quod, iuxta casus, pro ipsarum numero unam vel plures provincias repraesentet ». Secretariatus, saltem quod ad Secretarium praecipuosque

---

[11] Cf. p. 520.

ex Subsecretariis vel a tota Conferentia, vel saltem a Consilio Permanenti eligendus est. Alii officiales Maiores, sed subordinati a Consilio permanenti optime designari possent, Minores vero, Praesidi relinqui valent nominandi.

III. P. 7,[12] n. 1. Forsan excipi posset « aliquis ex casibus *unanimitatis* », ipsum reducendo ad casum « moralis uniformitatis, seu consensus (etsi proprie ad absolutam unanimitatem *nec uno excepto,* non pertingat). Sane, in iure comparato, quandoque haec moralis uniformitas admittitur, ne res quae evidenter convenit, nec dici potest, quod absolute singulos, ut singulos, absolute tangat (c. 101 § 1, 2°), uno alterove obstinato voto contrario, arbitrio impediatur.

B) *De Conferentiis Provincialibus*

N. 8 III. n. 4. Addendus esset numerus de Conferentiis provincialibus, ex quo c. 292 canonice compleretur et cum hoc Schemate coordinaretur. En aliqua, quae hic addendus numerus, comprehendere posset.

a) *Canonice can. 292 veluti interne compleri his in rebus opportune deberet.*

1° Conferentiae provinciales celebrari deberent ante Conferentiam nationalem. Bene notetur, Conferentiis provincialibus definitionem reservari illorum quae in Conciliis provincialibus tractanda sunt. Ne fiat periculosa invasio competentiae, ex parte Conferentiae nationalis, indeque, et pessime practice utraque Conferentia confundatur cum magno periculo stabilitatis in Ecclesia, quae levibus organis vento facile agitatis denique gubernaretur.

2° Conferentiae provinciali posset prudenter attribui interpretatio Concilii Provincialis et suspensio vel generalis dispensatio alicuius ipsius praescripti, sed tantum in casu urgenti et usque ad sequentem Conferentiam; *Archiepiscopus seu Praeses,* atque Consilio semper audito, haec facere posset.

3° Pariter normae utiliter a Conferentiis dari possent, pro exsecutione Concilii provincialis; pro ipso urgendo, atque melius applicando; et si casus evidenter ferret, pro ipso etiam, iuxta dicta, pastoraliter in eadem vel prorsus vel fere linea complendo.

b) *Conferentiae Provinciales relate ad Conferentias nationales.*

1° Optime normae satis efficaces statuerentur, quae frenum prudens sed satis validum, simul organicum et rapidum constituerent ad defen-

[12] Cf. p. 521.

dendas Conferentias Provinciales et singulos etiam Episcopos contra faciles invasiones Conferentiarum nationalium, ex. gr. invaliditas ipso iure actuum incompetentiae, recursus in suspensivo, etiam absoluta Conferentia interposito, etc.

2° Experientia, ex historia saec. XVII et XVIII atque ex recentioribus Conferentiis, necnon ex normis pro ipsis datis, semel iterumque comprobatum est, in his similibusque Conferentiis et coadunationibus Episcoporum *minoritatem audacem* non raro praevalere, et maioritates satis frequenter fluidas esse atque inopinato, ventis agitatas, mutari seu deformari posse.

3° Speciatim normae necessariae essent:

a) pro electionibus et propositionibus Candidatorum ad praesidentiam Secretariatus.

b) pro formulatione et legitima praesentatione votorum et postulatione ad Conferentias nationales.

c) pro votis, motionibus, industriis suggerendis sive ad exsecutionem quod attinet rerum quae statuta iam fuerant, sive ad remissionem ipsorum praescriptorum, sive ad aliqua addenda vel complenda quae prius praevisa non fuerant.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. in cap. III, art. 1, verba « iuridice non obligant sed moraliter » delenda sunt. Agitur de Episcopis qui de natura obligationis ipsi iudicare possunt; item ad finem delenda verba « religiose servandae sunt ». Etiam adhaereo voto Em.mi Ferretto; art. 2 omittendus est, tamquam limitationem potestatis Episcopi.

Card. BEA: Placet iuxta modum: ratione habita maxime animadversionum Card. Frings. In III, n. 1, dici poterit: « sunt normae directivae »; n. 2 omittatur. Variae Conferentiae habent suas traditiones quae non tangantur nec fiat uniformitas, sicut exposuit Em.mus Card. Cicognani.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. considerandae sunt animadversiones Eminentissimorum et Excellentissimorum membrorum huius Commissionis Centralis.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: nempe res remittatur ad Codicem: pressius autem definiatur vis obligationis decisionum Conferentiarum, ne eae practice penes aliquos in irritum cedant, penes alios conscientiam per obligationem moralem angant.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: minime inutile mihi videtur propriam significationem verborum « pastor », « pastoralis » pressius

declarare. Dicitur enim *personam Episcopi* propriam rationem pastoris habere, propter potestatem magisterii, ministerii et regiminis (cf. « De partitione... », pag. 5 [13]); pariter dicitur parochum vere et proprie esse pastorem (« De rationibus inter Episcopos et Parochos », pag. 6 [14]) etiam si sit *persona moralis*; denique dicitur Conferentiam Episcoporum « characterem pastoralem habere » quamvis eius decisiones nullam habeant vim magisterii et regiminis (« De Episcoporum coetu », pp. 6-7). Equidem agitur de significationibus diversis unius eiusdemque vocis, maximi momenti ad totam materiam proponendam.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet omnia remittenda sunt peculiaribus statutis a Sancta Sede probatis pro unaquaque natione. Puto quod omnia quae relationem habent cum Conferentiis Nationalibus sunt res delicatissimae et complexae, praesertim de vi decisionum Conferentiae.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali de Polonia et ab Em.mo Cardinali Larraona, praesertim circa valorem decisionum Conferentiae; optimum, mihi videtur, esset si hae Conferentiae iungantur cum exercitiis spiritualibus.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: id est iuxta observationes factas praesertim ab Eminentissimo Meyer.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: conferentiae Episcoporum nationales sunt maximae utilitatis, sicut optime dixit Eminentissimus Card. Frings. Sed quamvis decisiones non habeant vigorem iuridicum, tamen, saltem in quibusdam circumstantiis, aliquem vigorem debent habere v. g. quando quaestio est de relatione cum gubernio civili speciatim hostili: nam si unusquisque agit modo proprio erit divisio inter episcopos maximo cum Ecclesiae detrimento.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixit Cardinalis Frings et quae dixit Cardinalis Cicognani.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae in folio adnexo scripta sunt de communi proposito potiusquam de obligatione morali. Ceterum miratus sum audire in disceptatione talem insistentiam in libertatem et iurisdictionem particularem uniuscuiusque episcopi et quasi nihil de necessitate collegialiter agendi. Episcopi non sunt tantum individui,

---

[13] Cf. p. 496.
[14] Cf. p. 578.

sed cum Summo Pontifice collegium constituunt. Consulendum est quod haec indoles collegialis in variis Ecclesiae hierarchiis appareat. In hac nostra aetate cooperatio in omnibus vitae humanae aspectibus crescit. Quare non etiam inter episcopos qui prae omnibus exemplum cooperationis fraternae dare deberent? [15]

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversionem Excellentissimi Hurley; aliquid adderem: In quibusdam locis optarem ut plurium nationum episcopi in eodem coetu adunarentur. Quando pauci in natione fideles adsunt, una tantum aut aliquae adsunt dioeceses, quae vix provinciam ecclesiasticam constituunt. Si nationes finitimae eamdem culturam habent et sub pondere eiusdem acatholicae religionis sunt, Ecclesiae locales in similibus conditionibus erunt. Optandum est ut harum nationum episcopi in uno coetu adunentur ad actionem pastoralem et missionariam praeparandam.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: sc. hi coetus sunt necessarii. Quoad vim decisionum, assentio iis dictis ab Em.mis Cardd. Cicognani, Ferretto et Ruffini.

Quoad praesentiam Apostolici Delegati in episcoporum coetibus, libertas sit eum invitandi vel non. In regionibus, ut in mea, ubi Ecclesia adhuc in infantia est, indigemus Apostolici Delegati auxilio, et desideramus eum adesse in coetibus nostris.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: salvis scilicet animadversionibus Em.mi Cardinalis Frings praesertim de vi decisionum Conferentiae.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Cardd. Frings et Bea. Sed quaedam decisiones debent stricte obligare ut unitas agendi salvetur in eadem natione, v. g. in gravibus rebus politicis.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae dicta sunt ab Eminentibus Cardinalibus Frings, Cicognani et Alfrink.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Cardinales Frings et Döpfner. Optandum est, ne Concilium hanc rem omittat, considerans rationes, quas Card. Wyszynski proposuit, quae etiam valent in parte orientali Germaniae, scilicet strenua defensio Ecclesiae contra atheismum.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: libentissime ac in toto adhaereo his quae de Episcoporum Coetu seu Conferentia exposita sunt ab

---

15 Cf. p. 530.

Eminentissimo Cardinali Frings. Puto et etiam affirmo hoc esse autem consilium omnium Episcoporum nationis Helveticae quae permulta habet communia etiam in re religiosa cum alemannica regione. Ex deferentia semper invitentur Nuntii Sanctae Sedis, uti est praxis in nostra Conferentia.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Em.mi Cardinales Frings, Cicognani et Alfrink.

Rev. GUT: Placet iuxta modum, quem exposuit Em.mus Card. Frings. Conferentiae episcopales Germaniae, quae etiam extra Germaniam summa gaudent auctoritate, exemplo sint aliis nationibus.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus Em.morum et Exc.morum Patrum et cum quodam scripto adiuncto ex parte mea.[16]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Frings.

Ad pag. 7,[17] n. 3, ultima linea: melius dicatur « actuositas ».

Ad pag. 7, III, n. 1, linn. 23 ss.: melius dicatur: « Decisiones, a coetu seu conferentia episcoporum prolatae, *quamvis* iuridice non obligent, ratione tamen unitatis maxima reverentia accipiendae sunt ».

III

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET SS. CURIAE ROMANAE CONGREGATIONES

(Secunda Congregatio: 21 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

Officium Episcoporum, praeter primatum Romani Pontificis, ipsum Christum Dominum, etsi dispari ratione, immediatum habet auctorem.[1]

Iurisdictio particularis, quam singuli Episcopi vi officii pastoralis in suas dioeceses exercent, a Romano Pontifice, tanquam ex causa proxima est derivanda.[2]

Romanus autem Pontifex, iure primatus, iurisdictionem Episcopalem

[16] Cf. pp. 530-531 .

[17] Cf. p. 520.

plus minusve amplificare vel restringere potest, sibique reservare causas quae dicuntur maiores, quas per SS. Curiae Romanae Dicasteria expedire solet.

Iamvero huiusmodi maior vel minor amplificatio vel restrictio semper respondet Ecclesiae universalis bono atque utilitati, siquidem (quod attinet ad restrictionem) causae maiores « vel ipsa natura sua sunt maioris momenti atque Romano Pontifici propriae, aut sunt dubiae et arduae quoad exsecutionem aut pertinent ad personas in sublimitate constitutas ideoque saltem ex positiva ordinatione Romano Pontifici reservantur ».[3]

Sed in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut quae olim apta erant et idonea ea labens aetas faciat vel inepta vel inutilia vel etiam contraria.

Quapropter quae salubriter veterum canonum vel Romanorum Pontificum auctoritate constituta, ordinata vel reservata sunt sic retineri solent ut si tempus rerumque mutatio quidpiam esse temperandum vel immutandum vel supprimendum suadeat, Romanus Pontifex congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat, praesertim si in evidentem christifidelium utilitatem feliciusque eorumdem regimen redundare existimaverit.

Nostris igitur temporibus graves adsunt rationes, quae postulare videntur ut causae maiores, saltem aliquae, minuantur.

Imprimis coram omnibus fidelibus clare deduci debet Episcopos vere esse pastores in propria dioecesi atque vera membra Collegii Apostolici eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi. Ergo illis facultatibus polleant necesse est sine quibus forte censeri possent tanquam capite deminuti.

Insuper aliqua sunt, quae iam obsoleta dici debent et alia non pauca quae extraordinaria appellari non possunt: inde reservationes decursu temporum suppressae et facultates concessae in ipso Codice iuris canonici et etiam post eius promulgationem.

Iam in Concilio Vaticano I nonnullos Episcopos maiores facultates petiisse constat. Scribebant enim: « Hanc obligationem obtinendi per indulta indesinenter renovanda, facultates ad bonam muneris publici exsecutionem necessarias, nullibi videre est nisi in regimine ecclesiastico quod tamen deberet esse omnium regiminum simplicissimum et in quo praeterea Episcopi locum praestantiorem tenent quam, in regimine politico, praefecti et officiales ».[4]

Eamdem petitionem plurimi Sacri Pastores renovant, enixe postulantes ut quaedam leges reformentur, quaedam vero mutatis rerum temporumque condicionibus accommodentur; ut plures nunc vigentes reservationes tollantur et facultates ampliores Episcopis tribuantur, iis exceptis casibus quos Romanus Pontifex sibi reservaverit et explicite declaraverit ac recensuerit.

Principia igitur sive theoretica sive practica in primis affirmanda videntur: quaedam vero ad modum exempli enumerantur iura et facultates Episcopis stabiliter tribuenda.

I – Principium fundamentale

1. § 1. Cum Episcopi iure divino sint Apostolorum Successores atque peculiaribus Ecclesiis praeficiantur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis (can. 329 CIC), qui ex positiva voluntate Christi est centrum visibile et necessarium unitatis fidei, cultus et regiminis Ecclesiae Catholicae;

§ 2. Cumque Episcopi sint ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis (can. 334, § 1 CIC), quibus proinde ius et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva, ad normam sacrorum canonum exercenda (can. 335, § 1 CIC), convenit ut ipso iure habeant facultates quas aptius et expeditius exercitium ordinariae potestatis, sub primatu iurisdictionali universali Romani Pontificis, expostulat;

§ 3. Quapropter Episcopis facultates ampliores tribuantur, salvis iuribus et privilegiis Ecclesiae Orientalis.

II – Principia practica quoad facultates

Ut convenienter iura et facultates Episcoporum augeantur ac melius determinentur:

1. SS. Curiae Romanae Dicasteria, iuxta propriam competentiam, recognoscant indicem Facultatum Quinquennalium ita ut plures ex praedictis facultatibus stabiliter concedantur Episcopis, paucis gravioribus exceptis, quae Nuntiis vel Delegatis Apostolicis tribuendae sint vel ipsis Episcopis peculiarium nationum vel dioecesium ad tempus concedendae videantur;

2. Videant ipsa SS. Dicasteria ut stabiliter Episcopis concedatur facultas per se consulendi casibus:

a) in quibus facultas vel gratia semper conceditur;

b) in quibus S. Dicasterium competens, ex natura rei, aliud fundamentum habere non potest ad iudicium ferendum de merito petitionis nisi commendationem Episcopi.

III – Facultates quibus stabiliter frui Episcopi desiderant

1. Concedendi licentiam per se vel per alium legendi ac retinendi, sub custodia tamen, ne ad aliorum manus perveniant, libros prohibitos et ephemerides, eos etiam qui haeresim et schisma ex professo propugnant, vel etiam ipsa Religionis fundamenta evertere nitantur, sub condicionibus iam in Indice Facultatum Quinquennalium statutis.

2. Concedendi omnibus sacerdotibus, parocho impedito aut absente, facultatem Confirmationis Sacramentum administrandi in periculo mortis, servata S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum instructione pro simplici sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante.

3. Concedendi omnibus sacerdotibus facultatem substituendi, iusta et gravi de causa, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum reliquiae ab eodem Episcopo recognitae. Servatis de coetero servandis iuxta rubricas praesertim quoad tobaleas et corporales.

4. Concedendi sacerdotibus infirmis aut aetate provectis indultum oratorii privati aut domi celebrandi; itemque indultum sedendi dum Missam celebrant, si ob infirmitatem stare non possunt, servatis de iure servandis.

5. Concedendi sacerdotibus visivae potentiae debilitate laborantibus facultatem Missam votivam Deiparae Virginis aut Missam Defunctorum celebrandi, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis adsistentia.

Eamdem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper adsistentia sacerdotis vel diaconi.

6. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam causam, eaque perdurante, obligationem recitandi divinum officium cum quotidiana recitatione Rosarii B. M. V. vel aliarum precum.

7. Concedendi facultatem binandi propter penuriam sacerdotum, iusta de causa, diebus etiam ferialibus, et etiam trinandi, ubi vera necessitas adest, diebus dominicis et festis de praecepto.

8. Dispensandi ab irregularitate ex defectu (can. 984 CIC) et ab irregularitate quae conversis ex haeresi vel schismate incumbit (can. 985, 1° CIC) necnon ab impedimentis (can. 987, 1° CIC) quibus filii acatholicorum adstringuntur.

9. Dispensandi super impedimentis matrimonialibus: facultates amplificentur et determinentur a SS. Congregationibus iuxta competentiam.

10. Sanandi in radice matrimonia invalida ex impedimento disparitatis cultus et ex defectu formae.

11. Permittendi usum memorialis rituum Benedicti Pp. XIII in ecclesiis minoribus pro benedictione candelarum in festo Purificationis B. M. V. et cinerum die prima Quadragesimae.

12. *a*) Libere ingrediendi et permittendi, iusta et gravi de causa, ingressum in clausuram papalem aut egressum ab eadem;

b) dispensandi, iusta de causa, a dote religiosarum;

c) dimittendi aut transferendi sodales religiosos, urgente gravissima necessitate, si Superior non providerit, re iudicio Sanctae Sedis sine mora delata.

13. Concedendi sororibus facultatem corporalia, purificatoria et pallas prima etiam ablutione purificandi.

14. Concedendi sacerdotibus facultatem erigendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae Crucis, cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus, a Summis Pontificibus impertitae sunt.

IV – Privilegia et indulta Episcopis personaliter tribuenda

1. Audiendi ubique terrarum confessiones;
2. Absolvendi ab omnibus censuris, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii;
3. Verbum Dei ubique praedicandi, loci Ordinario non renuente;
4. Conservandi in proprio sacello Ss.mam Eucharistiam;
5. Discedendi ab Ecclesia Cathedrali tempore Adventus et Quadragesimae, abrogata dispositione can. 338, § 3 CIC.

V – Leges Codicis quarum mutatio exoptatur

1. Abrogentur quae in can. 1006, §§ 2-5 CIC praescribuntur ita ut Episcopi Ordines extra tempora conferre valeant, cum valde iuvet ad vocationes fovendas Ordinationes peragere in pluribus ecclesiis paroecialibus.
2. Non sint amplius Sedi Apostolicae reservata, ita ut ab Ordinariis libere conferri valeant — salva tamen lege concursus, ubi viget — beneficia quae vacaverint per beneficiarii obitum in Urbe, et beneficia curata quae vacaverint per obitum, promotionem, renunciationem vel translationem familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis.
3. In alienatione bonorum ecclesiasticorum et in aere alieno contrahendo, Coetus Episcoporum uniuscuiusque nationis proponat summam ad quam pertingere possit potestas Ordinariorum, inde a Sede Apostolica approbandam.
4. Revisio fiat systematis iudiciorum ecclesiasticorum, praesertim celerius definiantur causae matrimoniales, ita ut, inter alia, sententiae citius edantur et patefiant Ordinariis.
5. Recognoscatur liber V CIC de delictis et poenis.

VI – Exoptanda circa praxim SS. Congregationum

1. Taxae in casibus in quibus aes alienum contrahitur ad providendum necessitatibus dioecesis vel piarum causarum aboleantur.
2. Relationes ad Sanctam Sedem mittendae, minuantur, simplificentur, unificentur, coordinentur.
3. Antequam promulgentur acta vel decreta SS. Congregationum in diariis vel ephemeridibus, Ordinariis locorum, quantum fieri potest, nota fiant.
4. Episcopi diversarum nationum, designati a Conferentia Episcopali Nationali, nominentur Consultores SS. Romanae Curiae Congregationum a quibus convocentur, statutis temporibus, ad maximum commune bonum tuendum, ad communia damna avertenda.
5. Adnitantur SS. Curiae Romanae Congregationes ut Episcopos valide adiuvent in regimine dioeceseos, eis mentem Apostolicae Sedis pandendo, eorum quaesitis plene respondendo, rationes tradendo quibus aliquando

eorum petitionibus satisfieri nequit, et omnino praetermissis quondam usitatis formulis.

6. Episcopi, vero, consilia ipsasque decisiones SS. Congregationum reverenter accipiant, scientes eadem fulciri rationibus boni communis, ampliori rerum totius Ecclesiae usu, ipsius Romani Pontificis approbatione quoad graviores, necnon, aliquando, necessario tutamine iuris alterius personae.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 27 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Concilium Vaticanum, sess. IV, Const. *Pastor aeternus,* prooem.
[2] Wernz-Vidal, *Ius Can.,* vol. II, *De Personis,* n. 579.
[3] Ibid., n. 429.
[4] Mansi, t. 53, p. 339.

2) RELATIO EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

I. Secunda quaestio nostrae Commissioni posita, *De Episcopi potestate* inscribitur, et tria capita seu argumenta comprehendit, quorum primum *his verbis* enuntiatur: « *Determinentur rationes Episcopos inter et Sacras Curiae Romanae Congregationes. Videatur quaenam facultates pro dioeceseon regimine stabiliter tribui possint* ».

Neminem fugit quot quantaeque graves quaestiones sub hoc capite comprehendi possint.

Ipsi Episcopi magnam difficultatem experti sunt studium quaestionis aggredientes. Siquidem agendum erat de rebus quae directe Supremam Ecclesiae Auctoritatem attingunt necnon Sacra illa Dicasteria, per quae Ipse Summus Pontifex Ecclesiae universalis negotia expedire solet.

Hinc dubitationes et anxietates multae!

Sed ex alia parte agendum erat de rebus, quae maxime cordi erant omnibus Ecclesiae Pastoribus, quorum ingens numerus « decentrationem » in iure disciplinari et administrativo postulabant et maiores facultates stabiliter Ordinariis locorum tribuendas proponebant ad bonum animarum et ad rectum dioeceseon regimen aptius consequendum.

II. Quando quaestio ponitur de relationibus inter Episcopos et Sacras Curiae Romanae Congregationes, *theologice* attingitur problema de potestate Episcoporum in Ecclesia particulari et de eius relatione cum primatu iurisdictionali Romani Pontificis; *iuridice* vero causae quae dicuntur maiores considerari debent.

Etiam si *iuridice* tantum quaestio haec pertractari debeat, ut in casu, id effici certe non potest quin aliquod principium theologicum prae oculis habeatur.

Quapropter Episcopi principium fundamentale asserendum esse censuerunt firmam fidem plenamque oboedientiam in primis profitentes erga Summum Pontificem, qui est centrum visibile et necessarium unitatis fidei, cultus et regiminis Ecclesiae Catholicae.

In eodem principio fundamentali claris verbis asseritur quoque Episcoporum potestas, qui cum iure divino sint Apostolorum Successores et insuper ordinarii ac immediati Pastores particularis Ecclesiae cui praesunt, convenit ut habeant facultates quas aptius et expeditius exercitium ordinariae potestatis expostulat.

III. Duae adsunt praecipuae rationes quae postulare videntur ut causae maiores, saltem aliquae minuantur.

Prima est ordinis theologici. Revera coram omnibus fidelibus clare deduci debet Episcopos veros esse pastores in propria dioecesi eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi. Ergo iuridice illis facultatibus pollere debent sine quibus forte censeri possent tamquam capite deminuti. Exempli gratia: si extra propriam dioecesim confessiones audire nequeant aut quaedam peccata absolvere non valeant, aut si pro minimis vel frequentioribus quaestionibus Curiam Romanam semper adire cogantur.

Secunda ratio est ordinis practici. Nostris temporibus aliqua sunt quae iam obsoleta dici debent et alia non pauca quae extraordinaria appellari non possunt.

IV. Vobis omnibus compertum est Romanos Pontifices decursu saeculorum reservationes multas suppressisse. Recentiori tempore, per promulgationem Codicis Iuris Canonici, Ordinarii locorum facultatibus quam pluribus ipso iure instructi fuerunt, quas antea ab Apostolica Sede postulare solebant et communibus indultis assequebantur.

Index quoque facultatum quinquennalium iuxta varias formulas iterum iterumque recognitus est, quoties Ecclesiae utilitas et animarum salus id postulaverunt.

V. Ut optata Episcoporum melius expleantur principia practica in capite II suggeruntur.

Positis principio fundamentali et principiis practicis Episcopi quaedam « obiecta » seu « causas maiores » enumerare voluerunt, quae vel supprimere vel in suo ambitu reducere oporteret.

VI. *Itaque in capite III* facultates quaedam in concreto enumerantur. Huiusmodi autem index nullatenus est taxativus, sed tantum de-

monstrativus, ad exemplum scilicet, ita ut Patres Concilii alias facultates addere vel propositas quasdam auferre valeant.

De nonnullis vero facultatibus hic recensitis sermo iam factus est in hoc amplissimo Coetu cum disceptata fuerunt schemata aliarum Commissionum. Ita quae *in art. 2, pag. 8* [1] de ministro Confirmationis, quae in *n. 8 pag. 9* [2] de irregularitatibus ex defectu (et ex delicto) necnon de impedimentis ad Ordines componenda erunt cum schematibus propositis a Commissione de Sacramentis.

Pariter quae in articulis 9 et 10 concordanda erunt cum schemate de Sacramento Matrimonii.

Convenientia concessionis facultatum quas petunt Episcopi non est necesse ut hic probetur.

VII. *Circa caput IV,* ubi agitur de privilegiis et indultis Episcopis personaliter tribuendis, ego potius dicerem: « *Facultates personales et indulta Episcopis tribuenda* ».

De facultate audiendi confessiones et absolvendi a censuris, i. e. art. 1 et 2, disceptatum est in Sessione Generali Commissionis Centralis cum propositum fuit schema de Sacramento Poenitentiae. In illo schemate distinctio fiebat inter Metropolitas et Episcopos: maior potestas tribuebatur Archiepiscopo Metropolitae in sua provincia. In nostro autem schemate nulla fit distinctio, cum ratio concessionis facultatis ab ipso charactere Episcopali repetenda videatur.

Ego potius articulum complerem his verbis: « Absolvendi ab omnibus *peccatis* et censuris, etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis etc. ... ».

VIII. *Etiam leges quae in capite V recensentur,* considerari debent demonstrative tantum.

Propositiones 2 et 3 pag. 11 [3] plene concordant cum votis prolatis a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani, de quibus egimus in hoc Coetu mense novembri.

Item dicendum de propositione *n. 5 pag. 11,* quae votum repetit a Commissione de Sacramentis in schemate de Poenitentia prolatum, ut recognoscatur scilicet totum systema poenale ecclesiasticum.

IX. *In cap. VI pauca tantum attinguntur de praxi Sacrarum Congregationum.*

a) *In art. 1 pag. 11* sermo fit de taxis abolendis in casu particulari. Attamen Episcopi quaestionem generalem multum agitaverunt et agno-

---

[1] Cf. p. 543.
[2] Cf. p. 544.
[3] Cf. p. 545.

scentes obligationem colligendi pecuniam ad sustentandam S. Sedem et Sacra Curiae Romanae Dicasteria, verbum « *taxae* » nostris temporibus minus congruere dixerunt ac proinde substituendum esse aliquo alio vocabulo, ut v. g. oblatio. (Episcopus quidam consultor in suo voto scripsit: « Tolle, tolle verbum taxae, quia odiosum est! »).

Ceterum ipsi Sacri Pastores de corroganda pecunia pro Ecclesiae universae necessitatibus valde solliciti sunt et in schemate « de cura animarum » peculiare articulum de hac re proponendum esse putaverunt.

b) *Circa art. 2 pag. 12* [4] adnotare velim Episcopos iterum iterumque conquestos esse de crebris relationibus, quas ad varias Curiae Romanae Congregationes remittere debent. Hinc valde exoptant ut maior vigeat inter ipsa Sacra Dicasteria collaboratio et coordinatio ad maximam unitatem et uniformitatem obtinendam praesertim cum agitur de statuendis normis et de consiliis vel praeceptis dandis pro Ecclesia universa.

c) Quae proponuntur in *art. 4 pag. 12*, de Episcopis ex universo orbe catholico inter Consultores SS. Congregationum cooptandis apprime respondent desiderio Romanam Curiam, uti aiunt, *internationalizandi* (sit venia verbo).

Episcopi enim Consultores ad hoc praecipue constituantur ut problemata quae in dies ponuntur apud diversas nationes ample et profunde exponant, informationes dent circa desiderata pro gubernio vel Sanctae Sedis orientationibus, solutiones proponant pro negotiis ecclesiasticis expediendis, attento diversorum populorum essendi modo.

In Sacris Romanis Dicasteriis Episcopi Consultores testes authentici existerent opinionis publicae Ecclesiae Catholicae!

d) In *art. 5 pag. 12* commune Episcoporum desiderium exprimitur de abolendis praesertim quondam usitatis formulis; siquidem extra Urbem hodie non amplius bene intelleguntur antiquae formulae: ut, exempli gratia, « Utatur iure suo, In decisis, Consulat probatos auctores » etc. « Non expedire ». Optatur insuper ut rationes decisionum Episcopis clare significentur ne dubia et anxietates oriantur.

e) Denique ipsi Sacri Pastores postremo schematis articulo in Sacra Dicasteria Curiae Romanae reverentiam et observantiam repetunt, cum probe noscant quantum utilitatis ex illis accedat sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices adiuvandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos.

X. Schema propositum plures redactiones habuit, quinquies discepta-

---

[4] Cf. p. 545.

tum est in sessionibus generalibus et definitive adprobatum fuit in sessione generali mense septembri anno elapso.

Ponens quaestionis fuit Ill.mus ac Rev.mus D. Iosephus Pasquazi, Praelatus Auditor Sacrae Romanae Rotae.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. FERRETTO: Mihi liceat nonnulla submisse minorisque momenti animadvertere circa cap. VI, quae potius quam substantiam formam respiciunt.

Ad pag. 12 [1] n. 3 legitur « antequam promulgentur »: rectius forsan diceretur « antequam evulgentur » quum can. 9 CIC statutum sit quod « Leges ab Apostica Sede latae promulgantur per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali ». Pariter Em.mi ac Venerabiles Patres sciunt notitias quae produnt in *L'Osservatore Romano* sub rubrica « Nostre informazioni » habere peculiarem vim scilicet promulgationis quasi-officialis.

Hic agitur de diariis et ephemeridibus omne genus ideo rectius diceretur « evulgentur ».

Sed quidquid sit de promulgatione proprie dicta sensu iuridico, heic res valde difficilis in praxi expostulatur immo et valde laboriosa.

Praesentibus temporibus in quibus diaria innumerabilia et ephemerides frequentissimae eduntur et prostant media facillima telephonica, radiophonica et televisiva, fere impossibile est cavere ne diaria et ephemerides evulgent acta et decreta Sanctae Sedis antequam officialiter Ordinariis locorum nota sint.

Hoc ordinarie loquendo, nam in nonnullis peculiaribus negotiis utpote in electione Episcoporum, in erectione dioecesium et aliis huiusmodi Sanctae Sedi sarctum sanctumque est communicare cum Ordinariis quorum interest, antequam acta Sanctae Sedis publici iuris fiant.

N. 4, lin. 6, cur « *designati* a Conferentia Episcopali Nationali » simpliciter? Hic modus loquendi videtur limites quosdam imponere libertati et auctoritati Sanctae Sedis. Forsan melius et prudentius esset dicere « expostulante Sancta Sede, si ipsi placuerit a Conferentia Episcopali *propositi* ».

N. 5, quaeritur: quid fecerunt usque in praesentem diem, seu usque ad Concilium Vaticanum Secundum SS. Romanae Congregationes, nisi adiuvare Episcopos in regimine dioeceseon etc.?

---

[1] Cf. p. 545.

N. 6: Supervacaneus mihi videtur hic numerus ne dicam forsan aliquantulum iniurius pro Episcopis qui — sicut me docuit experientia plus quam triginta annorum — maxima reverentia et devotione filiali Sacras Romanas Congregationes, utpote longam manum Romani Pontificis, prosequuntur.

Card. LIÉNART: Schema decreti nobis propositum mihi videtur ad quaestionem exhauriendam diversis modis deficere.

1) Non satis concordat prima pars, in qua auctoritas ordinaria Episcopi in sua dioecesi recte agnoscitur et proclamatur, cum articulis sequentibus, in quibus facultates ampliores a Sacris Congregationibus postulantur, quasi favores essent. Non de favoribus agitur sed de iuribus Ordinariorum, quae Supremus Pontifex iure sibi reservare potest, sed restringi non oportet nisi ad bonum Ecclesiae commune magis promovendum.

Optarem ergo ut in textu facultates illae ampliores appareant non tanquam concessae sed tanquam Episcopis redditae.

2) In decreto proposito quaestio de facultatibus sola tractatur. Attamen aliae quaestiones, etiam graviores, de rationibus inter Episcopos et Sacras Curiae Romanae Congregationes remanent, quae melius definiri deberent. Quales sunt enim rationes inter Episcopos et Supremam Congregationem S. Officii in specie? Haec Suprema Congregatio, tanquam potestatem habens universalem in Ecclesia et illam disciplinis secretis exercens, auctoritati Episcoporum super dominium illis commissum, non raro adversatur. Salva reverentia mihi liceat dicere quod ipse expertus sum. Evenit quod accusationes contra personas aut usus alicuius dioecesis, a delatoribus Sancto Officio allatae, acceptae sunt et instructae, quin Episcopus huius dioecesis nullo modo informaretur nec consuleretur, quamvis in huiusmodi causis testis optimus esset et dignissimus. Sententia lata sine Episcopo, si sanctiones annexae erant, Ordinarius mandatum imperativum ad illas applicandas recipiebat: executor erat et nihil amplius, sin autem sententia non erat sanctionibus accommodata, vi disciplinae secreti, Episcopus nesciebat quod unus de suis subditis, quem ipse aestimabat, suspectus remanebat inscriptus in archiviis Sancti Officii. In decursu Episcopatus mei iam provecti, plures sacerdotes eximios cognovi, quorum sacerdotalis activitas sic infeliciter diruta fuit et qui, vulnus morale condemnationis Ecclesiae, ad instar indignorum, tam dolorosum subierunt, quin Episcopus qui, uno verbo illorum perfectam submissionem obtineri potuerit, possibilitatem interveniendi habuerit.

Sane fuerunt in historia Ecclesiae mala tempora quibus haeresis

periculum tam urgeret ut mediis extraneis ad avertendum illud recurrere oportuerit. Sed hodie credo quod sine damno, ad media ordinaria Ecclesia Mater redire poterit et ideo propono ut addatur capiti sexto votum sic emissum:

« Quando aut persona aut usus alicuius dioecesis apud Supremam « Sancti Officii Congregationem denuntiatur, decisio non interveniat, « nisi prius Ordinarius informetur et consulatur, tanquam auctoritatem « habens super suos subditos et super regimen Ecclesiae localis sibi « commissae ».

Denique, in votis meis est ut, mutatis mutandis, inter Episcopos et omnes alias Sacras Romanae Curiae Congregationes, rationes similiter et eadem mente accommodentur.

Card. Frings: Valde salutandum est in hoc schemate proponi, ut reservationes, quas decursu temporum Curia Romana sibi fecit, restringantur in bonum potestatis episcopalis, prout tempus hodiernum exigit.

Sed quia in prooemio aliqua dicta sunt, quae minus apta videntur, proponere audeo, ut quattuor primae partes huius prooemii deleantur et etiam primum vocabulum partis quintae, sc. « sed », ita, ut prooemium incipiat a verbis « In Ecclesia Dei ».

De hac re mihi scripsit his diebus Patriarcha Maximos IV et me rogavit, cum ipse sit impeditus, ut opinionem suam hic aperiam. Et quidem:

Primo aggreditur phrasim in linn. 4-7, pag. 5 [2] positam, iurisdictionem particularem Episcoporum derivandam esse a Romano Pontifice « tanquam ex causa proxima ». Dicit hanc sententiam esse quidem sententiam communem vel potius sententiam currentem, sed minime dogmatisatam et oppositam esse opinioni Ecclesiae orientalis a Romanis Pontificibus agnitae temporibus ante magnum schisma; Romanos Pontifices nunquam postulavisse designationem vel investituram Episcoporum nec explicite nec implicite. Immo dicit hanc potestatem particularem dari per auctoritatem, quae praeest electioni vel nominationi Episcopi. Adiungit, si ista theoria papalis sine restrictione proponatur a Concilio Oecumenico, maximum obstaculum creari pro unione orientalium.

Deinde Patriarcha offensus est verbis Sanctam Sedem posse amplificare vel restringere iurisdictionem Episcoporum quasi ad arbitrium suum. Ipse credit reservationes causarum maiorum a Sancta Sede quidem fieri posse, sed tantum propter bonum commune Ecclesiae et in quantum

[2] Cf. p. 541.

bonum commune Ecclesiae id expostulat. Episcopi iure ordinario debere omnibus iuribus frui, quibus indigent ad gregem suum bene pascendum. Reprobat vocabulum « privilegii » et « indulti » pro talibus iuribus, quae fluunt ex ipso munere bene exercendo. Postulat ergo, non ut dentur maiora privilegia et indulta, sed ut reservationes Curiae restringantur.

Tertio postulat gravibus verbis internationalisationem Curiae Romanae et repraesentationum diplomaticarum Sanctae Sedis, quae adhuc ad 75 per centum reservatae sunt uni nationi. Etiam hic vidit maximum obstaculum pro unione Christianorum, praesertim orientalium.

Mihi non videtur bonum in prooemio, quasi in parenthesi, ponere theoriam, quae tantopere impugnatur, et creare maximas difficultates pro unione Christianorum sine necessitate. Haec gravis quaestio reservetur Constitutioni de relatione Episcopos inter et Summum Pontificem, quam forte proponet Commissio Theologica.

Quapropter censeo quattuor primas partes prooemii esse delendas.

Card. Ruffini: Pag. 5,[3] linn. 1-3: Textum mutarem in hunc modum: « Primatus iurisdictionis Romani Pontificis et iurisdictio Episcoporum — sub auctoritate suprema ipsius Pontificis Romani — immediatum habent auctorem Iesum Christum ».

Eadem pag., lin. 6: « ... tamquam ex *causa* proxima est derivanda », dicerem « tamquam ex *fonte* proximo profluit » et adderem: « quia locum in quo, vel personas pro quibus, iurisdictio Episcopalis exercenda est Summus Pontifex, pro sua prudentia, adsignat ».

Pag. 6,[4] linn. 13-15: « ... vera membra Collegii Apostolici eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi ». Locutio haec est saltem ambigua, quia iurisdictio (potestas) *universalis* qua gaudebant Apostoli Christi non transivit in eorum successores, quorum iurisdictio est particularis; propterea non potest affirmari — nisi lato sensu — ad Episcopos pertinere sollicitudinem *universae* Ecclesiae Christi cum Romano Pontifice. Huiusmodi verbis insinuatur — contra voluntatem Commissionis quae schema praeparavit — aliqualis *Episcopalismus*.

Pag. 8,[5] III, ad 3: Non concederem facultatem, de qua ibi est sermo, omnibus sacerdotibus; faciliter enim orirentur abusus.

Pag. 9,[6] ad 8 et 10: Reor facultatem dispensandi in casibus ibi recensitis esse a Suprema S. C. Sancti Officii temperandam.

---

[3] Cf. p. 541.
[4] Cf. p. 542.
[5] Cf. p. 544.
[6] Cf. p. 544.

Haud raro causae sunt quae bene dirimi non possunt si antea plura in multis locis non investigentur, quod quidem vix a singulis Episcopis fieri posset.

Pag. 10,[7] 12, *c*: Nescio an Superiores Religiosorum id adprobent. Episcopus melius et prudentius finem, quem prosequitur, obtinere potest per religiosi — in casu — suspensionem a confessionibus fidelium excipiendis et a Missae celebratione.

Pag. 10, IV, 2: « Absolvendi ab omnibus censuris... ». Si Sedes Apostolica censuras quasdam sibi reservat, quomodo potest concedi Episcopis facultas ordinaria ab ipsis dispensandi? Haberetur in re aliqualis contradictio.

Pag. 11,[8] VI: « Taxae ... aboleantur ». Nomen quidem « taxae » in aliud opportune mutari potest, e. gr. « oblationes », sed res maneat quia expensae quas S. Sedes in suo regimine sustinet sunt permagnae.

ADNOTATIO: Suprema S. C. Sancti Officii *secretum* in actibus suis servat, et quidem prudentissime, sed nemini iniuriam infert, et — servata iustitia — semper misericordiam multam adhibet.

Card. LÉGER: Optime exponuntur principia fundamentalia et practica de rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes. Mihi tamen opportunum videtur aliquas suggestiones afferre de applicatione illorum principiorum in schemate proposita.

Quoad legem indicis: Bonum est concedere, iure commune, Episcopis facultatem dispensandi, per se vel per alium, a lege indicis. Tamen propono quod ipsa lex indicis recognoscatur.

Modificetur ipsa lex ita ut a Sancta Sede et ab Ordinario loci tantummodo indicentur libri vel alia scripta quorum lectio periculosa est pro conscientia lectorum. Et sic remittatur ad conscientiam informatam editoris, venditoris vel lectoris eorum editio, venditio, vel lectio. Et moneantur pastores de eorum gravi munere educandi fideles de eorum responsabilitate in hac materia. Hoc est enim modum agendi pro aliis occasionibus peccandi quas aliquando quotidie inveniunt fideles. Lex indicis sicuti nunc est, intelligitur a multis ut lex mere positiva cuius violatio contra solam oboedientiam peccatum est. Et haec ratio est cur in multis regionibus haec lex in aliquam desuetudinem cecidit; quod magnum damnum affert conscientiae christianae.

Propono quod non tantummodo plures sed omnes facultates quin-

---

[7] Cf. p. 544.
[8] Cf. p. 545.

quennales concedantur simpliciter Episcopis quia hae facultates semper conceduntur a Sancta Sede.

Propono etiam quod aliae sequentes facultates concedantur Episcopis:

— facultas concedendi celebrationem Missae in mari;

— facultas concedendi indultum saecularisationis pro omnibus religiosis laicis (sororibus et fratribus);

— facultas concedendi religiosis indultum condendi novum testamentum;

— facultas concedendi religiosis indultum inter vivos, dandi de patrimonio;

— facultas dandi privilegium altaris portatilis sive ad actum sive habitualiter sacerdotibus suis, onerata conscientia Episcopi.

Hae enim sunt materiae ubi Sacrum Dicasterium non habet aliud fundamentum ad iudicium ferendum *nisi commendationem Episcopi.*

Card. CONFALONIERI: Praeter iam dicta de prooemio, humiliter observo:

1. Opportune in ipso prooemio, pag. 6,[9] linn. 30 et seqq. memoratur: « Episcopi locum praestantiorem tenent quam, in regimine politico, praefecti et officiales ». Res est evidens, quia Episcopi non sunt functionarii cuiusdam potestatis centralis, sed iure divino, potestate ordinaria propria, suam Ecclesiam gubernant authentico magisterio, pontificali ministerio, pastorali regimine. Scribit Sanctus Hilarius: « Dominus ... specialem populi *principibus,* id est, episcopis, ... sollicitudinem mandat ... ». Quod criterium bonum esset si semper, etiam hic Romae, prae oculis haberetur; nam, sensim sine sensu, etiam apud quosdam nostrorum videtur instaurari erroneum principium considerandi Episcopos ut functionarios, quasi exteriores vicarios. Hanc mentem ego ipse audivi, et non a minoribus. Qua mente erronei istius parallelismi inducitur usus seu abusus praecedentiarum, cum detrimento honoris Episcopis debiti (cf. S. Gregorium Magnum Suo tempore, et Pium IX in Concilio Vaticano primo), et, consequenter, cum fidelium admiratione, qui in Episcopo venerantur Successorem Apostolorum. Oportet ergo ut nunquam canones iuris discrepent a dogmatica theologia.

2. Pag. 7,[10] cap. I, lin. 9: Post verba « cum potestate ordinaria » addatur « propria », ad praecavendum noxiae interpretationis periculum.

[9] Cf. p. 542.
[10] Cf. p. 543.

3. Pag. 10,[11] cap. IV, n. 2: Hic numerus non bene concordat cum disposito iam admisso in Schemate De Sacramento Poenitentiae. Videat Subcommissio de rebus mixtis.

4. Pag. 12,[12] cap. VI, n. 2: Unica potius fiat Relatio, postea communicanda, pro materiae competentia, variis Congregationibus. Qui Episcopi residentiales sumus vel fuimus scimus quantum temporis spatium subtrahendum est spirituali ministerio proprie dicto ut munera potius burocratica observentur.

5. Item pag. 12, cap. VI, n. 4: « De episcopis consultoribus ... ». Nulla obiectio, imo vera laetitia. Sed (timeo) species multa, res satis vacua. Quia apud nonnulla Dicasteria, (non omnia) Consultores potius numerantur tantummodo honoris causa.

Card. Richaud: In cap. III, pag. 9,[13] numerus 6us mihi videtur inutilis, quia talis obligatio recitandi officium divinum non tenet coram magnis difficultatibus. Episcopus habet ex officio facultatem interpretandi in hoc casu.

Quoad numerum 9um in eadem pagina, exoptandum est ut non solum impedimenta matrimonialia numerice minuantur sed quoque exigatur ut causae allatae, etiam pro minoribus impedimentis, sint verae, contra canonem millesimum quinquagesimum quartum. Insuper rogatur aliqua praecisio de natura erroris communis in canone ducentesimo nono, e responsione data a Commissione interpretationis die vigesima sexta anno millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo.

In capite IV, pag. 10,[14] quoad numerum 3um, facultas verbum Dei ubique praedicandi restringenda est ad episcopos residentiales.

Denique generaliter valde utile apparet tribuere omnibus episcopis omnes facultates iam concessas episcopis in territoriis Missionum degentibus, speciatim quoad Missam celebratam absque praesentia, non solum ministri, sed cuiuscumque assistentis.

Card. Döpfner: Inter causas a Concilio Vaticano II suscipiendas, quas opinio publica maiori cum studio prosequitur et quarum tractatio a multis exspectatur, certe adnumeranda est quaestio de declaranda et corroboranda auctoritate Episcopali. Qua in re Schema propositum multa et optima continet, unde sine dubio bonam receptionem inveniet quoad

[11] Cf. p. 545.
[12] Cf. p. 545.
[13] Cf. p. 544.
[14] Cf. p. 545.

substantiam. Hic agitur de normis practicis statuendis, quae suum cuique, i. e. et Episcopis et Curiae Romanae, tribuant et bonae collaborationi ac mutuae subsidiorum praestationi vias parent.

In specie adnotare velim sequentia:

I. Inter rationes, quae firmandae positioni et amplificandis iuribus Episcoporum suadent, non est obliviscenda illa — ut ita dicam — oecumenica: Hodie multi homines extra Ecclesiam catholicam versantes (et multi quoque catholici praeoccupationibus contra Ecclesiam, uti aiunt, nimis « centralisatam » capti) vigili cum animo Ecclesiam nostram eiusque vitae manifestationes observant et quaerunt, quomodo in ea institutionem salvificam Christi Domini inveniant. Quanto perfectius in Episcopis ipsum Christum Dominum recognoscent, qui, mediante cura pastorali Episcoporum, in unaquaque Ecclesia particulari, seipsum praebet Caput et Pastorem perenniter populum suum electum edocentem sanctificantem et in viam salutis regentem, tanto fortius ipsi attrahentur et tanto promptius ad Ecclesiam accedent. Qua de causa omnino exigitur, ut officium Episcopale gaudeat illa auctoritate et illis iuribus, quibus munus docendi, sanctificandi et regendi homines vi missionis ab ipso Christo Domino derivantis expedite expletur. Propositiones Schematis his necessitatibus generatim respondent, imprimis ubi statuuntur principia generaliora (nn. I et II, pag. 7 [15] sq.).

II. In prooemio quaestiones tanguntur etiam ordinis speculativi. Hac in re desideratur adhuc Schema « De Ecclesia » a Commissione Theologica proponendum. Ibi etiam de natura officii Episcopalis et de relatione Primatum inter et Episcopatum agetur. Unde enuntiationes quaedam nostri prooemii, v. gr. utrum ipsa iurisdictio episcopalis vel potius erectio vel institutio in concreto a Romano Pontifice tanquam ex causa proxima (cf. pag. 5,[16] lin. 6) sit derivanda, iterum recensendae et accommodandae erunt illo alio Schemate promulgato et disceptato. Unde hic quaestionem speculativam ingredi nolo.

III. In intricata quaestione, utrum aliqua facultas pertineat de se ad successorem Petri an ad Episcopos dioecesanos, melius mihi videtur, ut in nostro Decreto abstrahatur a tali problemate, quia de facto difficile, immo impossibile est, talem limitem exacte statuere. Propterea loco notionis « concedatur » (pag. 7, lin. 32 et pag. 8,[17] lin. 5) eligatur terminus potius neutralis, e. gr. « Episcopi stabiliter habeant facultatem... ».

---

[15] Cf. p. 543.
[16] Cf. p. 541.
[17] Cf. p. 543.

IV. Ad n. VI, pag. 11 [18] sq.: Inter exoptanda circa praxim SS. Congregationum consideratur res quaedam maximi momenti pro bono totius Ecclesiae, scilicet collaboratio magis intensa inter Summam Congregationem Sancti Officii et Episcopos in tuenda fide catholica. Nescitur utrum v. gr. relate ad modum quo libri periculosi in indicem ponantur vel auctores talium librorum vel opinionum tractentur, schema quoddam speciale praeparetur. Si non, tunc enixe desideratur hic paragraphus quaedam addenda, quae fere ita enuntiari poterit: « In indicendis libris periculosis vel prohibendo eorum promulgationem vel correptione auctorum res in prima instantia ab ipso Ordinario loci auctoris agatur, adiuvante — si necesse est — Conferentia Episcoporum Regionali vel Nationali. Quae tunc Summae Congregationi Sancti Officii decidenda visa fuerint, fiant consulto prius Ordinario loci et — si casus ferat — consulta Conferentia Episcoporum ».

Praxis hac in re hucusque adhibita multis incommodis ansam praebere potest. Unde necesse est, ut tota haec praxis de novo ordinetur quam celerrime, sive in Decreto quodam Conciliari, sive in revisione disciplinae ecclesiasticae post Concilium facienda.

Card. MEYER: 1. Quoad num. V, pag. 11,[19] n. 3: Vellem habere legislationem quam appellarem « realisticam » i. e. legislationem quae reales conditiones hodiernas respicit.

Etenim expansio materialis, praesertim in modernis civitatibus, talis est ut semper novae paroeciae, scholae, etc. condendae sint, proindeque nova semper aedificia construenda.

Haec expansio pergrandis omnino impossibilis esset sine contractione aeris alieni, plerumque magnarum summarum pecuniae.

Apud nos datur maior facilitas maiorque possibilitas has summas mutuandi, propter praesertim demonstratam fidem (creditum) atque generositatem nostri populi catholici.

Non videtur practicum quod suggeritur in textu, nempe quod « coetus episcoporum uniuscuiusque nationis proponat summam ad quam pertingere possit potestas Ordinariorum, inde a Sede Apostolica approbandam ». Etenim conditiones variantur etiam in eadem natione. Ego, v. g. nihil scirem de conditionibus oeconomicis in New York, vel Los Angeles, et vicissim Ordinarii illorum locorum nihil scirent de conditionibus in Chicago. Proinde videtur requiri legislatio quae aliquo modo adaptari possit singulis dioecesibus.

---

[18] Cf. p. 545.
[19] Cf. p. 545.

Proinde hic numerus requirit, ut puto, maius studium.

Si finis legislationis sit restringere Ordinarium in rebus oeconomicis forte imprudentem, mihi videtur eumdem finem melius et aptius attingi posse per necessitatem strictam consultandi vota coetus consultorum dioecesanorum quam per necessitatem alicuius recursus ad Sanctam Sedem.

Forte tota res clarior evadet si legislatio proposita conceptum iuridicum « alienationis » explicabit, ita ut revera habeatur illa « realistica » applicatio ad conditiones modernas, praesertim relate ad nova aedificia construenda.

2. Quoad num. VI, pag. 12,[20] n. 3: Commendare velim num. 3, pag. 12 cum saepe quaestus oriantur hac de re. Video difficultates: attamen quando res maximi momenti, uti v. g. nova disciplina de ieiunio Eucharistiae ab episcopis tantummodo ab ephemeridibus saecularibus cognoscitur, permagna admiratio exoritur ex parte tum catholicorum tum acatholicorum.

Card. ALFRINK: Decretum sub quodam aspectu mihi admodum placet — sicut probabiliter omnibus Episcopis placebit, quia Episcopis donantur quaedam facultates et iura valde utilia et desiderata. Altera autem ex parte de modo quo quaedam hic et illic dicuntur non omnino contenti erunt.

Loquitur quidem textus Decreti de Episcoporum facultatibus ampliandis, ac si ageret de favoribus et privilegiis quae Episcopis benigne conceduntur, dum revera saepius solummodo agitur de diminutione restrictionis iurisdictionis Episcopalis necessariae et ordinariae, quae restrictio iam dudum abolenda videbatur.

Ubi inveniri potest alia societas humana ubi homines certi valoris, omni cum sollicitudine electi quia determinatis qualitatibus praediti videbantur, in aliquo munere sunt constituti et postea vel simplicissimas causas facere nequeunt.

Ideoque de hoc decreto gaudeamus.

Solummodo speramus ut executio huius decreti non differatur ad revisionem Codicis iuris canonici tot decennia post Concilium Vaticanum secundum exarandum ad utilitatem nostrorum successorum in episcopatu.

Si principium quod pagina 8,[21] linn. 8-11, deliniatur scl. Episcopis omnes casus relinquendos esse « in quibus Dicasterium competens, ex

---

[20] Cf. p. 545.
[21] Cf. p. 543.

natura rei, aliud fundamentum habere non potest ad iudicium ferendum de merito petitionis nisi commendationem Episcopi », revera in praxim deducitur, plura — nisi fallor — iudicio Episcopi relinqui possunt, sicut v. gr. in pag. 11,[22] sub 3, ubi agitur de alienatione bonorum ecclesiasticorum et de aere alieno contrahendo, vel in eadem pagina, sub num. 2, de reservatione beneficiorum.

Curiae Romanae illa tantum reserventur, quae iustis de causis in bonum commune Ecclesiae sunt necessaria.

Magno cum gaudio permulti legent in pag. 12,[23] sub 4, quod illic dicitur de Episcopis diversarum nationum nominandis Consultoribus Curiae Romanae qui statutis temporibus convocentur Romam ad res Ecclesiae consulendas.

Est conatus laudandus in ordine ad sic dictam internationalisationem gubernationis Ecclesiae. Consulto non loquor de internationalisatione Curiae Romanae, de qua praesertim ultimis decenniis saepius et aliquando acriter disputatur, sed loquor de internationalisatione gubernationis Ecclesiae.

Cogitari etenim potest modus gubernandi Ecclesiam qui realiter est internationalis quin Curia Romana omnino internationalisetur — et ex altera parte cogitari potest internationalisatio Curiae Romanae quae in re paululum iuvat ad gubernationem internationalem Ecclesiae universalis.

Internationalisatio regiminis Ecclesiae permultis in diversis Ecclesiae partibus videtur esse necessaria et perutilis. Immo sunt qui dicunt Concilium Vaticanum secundum ad irritum redigi, si ista internationalisatio quam sperant, non attingitur. Dicunt etiam in mundo hodierno vix aliud institutum internationale inveniri quod ita paululum internationaliter regatur ac Ecclesia Catholica.

Hi omnes valde gaudebunt de isto conatu qui hic in pag. 12, sub 4, relate ad istam internationalisationem invenitur.

Ex altera parte autem dubito an conatus iste revera ad praxim deduci possit. Si etenim in isto coetu Consultorum Episcoporum *universa* Ecclesia revera repraesentanda est, coetus iste debet esse institutum quoddam sicut haec alma Commissio Centralis Praeparatoria quae habet plus quam centum membra.

Et si unumquodque Dicasterium Romanum habebit talem coetum Episcoporum Consultorum, Ecclesia habebit fere decem instituta consultativa pergrandia.

---

[22] Cf. p. 545.
[23] Cf. p. 545.

Timeo ne nationes adsint quae non habent numerum Episcoporum sufficientem ut in istis coetibus locum habeant.

Et si non omnis natio vel fere omnis natio in istis coetibus adest, finis internationalisationis quae intenditur non attingitur.

Quare proponere auderem ut Ecclesia non decem, sed unum tantum habeat tale institutum vere internationale et universale in quo omnes nationes vel fere omnes nationes adsunt ita ut revera universalem Ecclesiam repraesentent — institutum quoddam sicut est haec alma Commissio Centralis — quod unoquoque anno si opus est, a Sanctissimo Patre convocatur ut res maioris momenti quae universalem Ecclesiam spectant ab eo tractentur.

Tali modo gubernatio Ecclesiae habebit aspectum vere internationalem. Et sine dubio si universa Ecclesia experientiam habet res universales revera ab universa Ecclesia diiudicari, fiducia universae Ecclesiae erga gubernationem centralem maxime augebit. Oboedientia facilior redditur et unitas Ecclesiae corroborabitur.

In ista periodo hodierna in quo modus procedendi internationaliter ubique terrarum in omnibus vitae humanae negotiis maxime colitur, haec vel similis forma internationalisationis pro Ecclesia maximi videtur esse momenti.

Card. Ottaviani:[24] Liceat mihi quasdam animadversiones adnotare quoad ea quae leguntur in n. 8. Conceditur ibi Episcopis facultas dispensandi ab irregularitate « quae conversis ex haeresi vel schismate incumbit ». Hoc sane facile concedi potest si agitur de conversis ex haeresi vel schismate in quo nati sunt. Quid autem si agitur de apostatis quorum lapsus est personalis et culpa gravissima?

Quod quidem magis horrendum est quando agitur de apostasia clericorum, maxime vero sacerdotum. Pro magnitudine igitur delicti videtur necessaria obligatio recurrendi ad S. Sedem, sive ad inculcandum etiam hoc modo horrorem contra apostasiam, sive ad melius dimetiendas circumstantias quae prae oculis habendae sunt tum poenitentiae imponendae, tum cautionibus exigendis, tum denique exemplaritati providendae, attentis experientiis quae S. Sedi praesto sunt, non vero singulis Episcopis.

Denique ipsa opportunitas tractandi hos graves casus cum quadam uniformitate criterii et non cum diversitate aestimationis et propensionis singulorum Episcoporum, quae possunt esse diversae, suggerit opportunitatem recurrendi ad S. Sedem.

[24] Animadversiones Em.mi Card. Ottaviani lectae sunt ab Exc.mo Secretario Generali.

Igitur aut res maneat uti est nunc in Codice, aut saltem explicite excludatur ab hac facultate casus dispensationis ab irregularitate ex apostasia.

De impedimento vero quo filii acatholicorum ligantur, proponerem ut prorsus aboleatur. Illud enim impedimentum comprehensibile erat in tempore quo haereseos propagatio erat in actu veluti quaedam revolutio religiosa et dissidia tum in natione, tum in pagis, tum in familiis propagabat. Hodie res aliter se habent, et vocatio religiosa alicuius filii acatholicorum non est res perniciosa aut ipsa obnoxia periculis, sed potius est res aedificans ex qua boni fructus expectari possunt. Igitur propono abolitionem illius impedimenti.

In n. 10 [25] editur pro Episcopis facultas « sanandi in radice matrimonia invalida ex impedimento Disparitatis Cultus ». Haec sane facultas iam continetur in formulis facultatum quae v. g. Ordinariis in locis Missionum conceduntur; itemque per specialia rescripta Ordinariis quarumdam nationum iuris communis.

Verum semper cavetur ut adsit praestatio cautionum. Iamvero, generatim, matrimonia invalida ob impedimentum Disparitatis Cultus talia sunt quia ob non praestitas cautiones contrahuntur non coram Ecclesia et igitur accedit nullitas ob defectum formae, si pars baptizata erat catholica.

Iamvero recursus ad S. Sedem ad sananda matrimonia huiusmodi, quando est contumacia in denegandis cautionibus (quod accidit praesertim in matrimoniis cum musulmanis) omnino necessarium videtur ad tuendum, quantum possibile sit ius divinum, quod obligat christianos ad baptizandos et educandos filios in religione christiana.

De cetero experientia docet quam perniciosum sit facile se praebere in concedendis huiusmodi sanationibus.

Pro ipso Episcopo erit magno consilio monere partem catholicam agi de re difficili, pro qua est necessarius recursus ad S. Sedem, ut ipsam partem catholicam moveat ad omnia adhibenda quae sive ab infideli quaerenda sive ab ipsa parte catholica praestanda sunt.

S. Officium saepe insistendo apud ipsos Episcopos, antequam gratiam concederet, obtinuit ut partes aliquid amplius praestarent, quam quod in initio pollicitum est.

Igitur propono ut modificetur textus hoc modo: « Sanandi ... disparitatis cultus dummodo debitae cautiones a partibus praestentur ».

Card. BEA: Prima phrasis Prooemii non valde clara esse videtur. Num dicitur: *tam* Romanum Pontificem *quam* ipsum Christum esse

[25] Cf. p. 544.

« immediatum auctorem » Officii Episcoporum? Et quomodo Romanus Pontifex dici potest « auctor » Officii Episcoporum? Phrasis saltem aequivoca est et minus recte intellegi potest.

Quae sequuntur « Iurisdictio particularis ... causa proxima est derivanda » certe exprimit rem magni momenti, quae res tamen hic non probatur. Unicus testis invocatur Wernz-Vidal; sed Wernz-Vidal eam quidem vocat « certam et indubitatam », sed addit, sententiam contrariam a paucis semper theologis et canonistis defensam esse et concedit eam a nonnullis scriptoribus denuo defendi. Addi potest Orientales eam vix ac ne vix quidem admissuros esse. Potest igitur quaeri num conveniat Concilium talem sententiam, nulla constanti traditione veri nominis probatam, summa sua auctoritate confirmare. Timendum est, ne hoc modo procedendi tractationes cum Orientalibus satis difficiles reddantur, id quod certe non potest esse intentio Concilii, cum non agatur de re fidei. Melius esse videretur insistere in illo principio *positivo* quod valde bene exprimitur p. 6,[26] II, 11-17, quin quidquam dicatur de *origine* illarum facultatum.

Pag. 7,[27] II, 1, sermo est de facultatibus concessis Nuntiis et Delegatis Apostolicis. Cum secundum ea quae in Schemate dicta sunt de Conferentiis episcopalibus, illae iam statum iuridicum a S. Sede approbatum habiturae sint, fortasse quaeri potest nonne consultius esset illas Facultates sive plerasque sive omnes concedere Conferentiae Episcopali, quae de rebus immediate informata est?

Exc. HURLEY: In praefatione ad schema decreti, pag. 6, lin. 11, sequens principium clare enuntiatur: « Imprimis coram omnibus fidelibus clare deduci debet Episcopos vere esse Pastores in propria dioecesi atque vera membra Collegii Apostolici, eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi ».

In ipso autem schemate decreti, nullibi suam applicationem invenit ea pars principii quae statuit Episcopos tanquam vera membra Collegii Apostolici clare videndos esse. Quae tamen applicatio fieri sane potest, et, meo modesto iudicio, fieri debet, per emendationem textus n. 4, cap. VI, pag. 12,[28] lin. 6, ut tenorem sequentem accipiat: « Episcopi diversarum nationum, ad hoc munus a Conferentia Episcoporum Nationali designati, coetum efformant consultativum statutis temporibus coadunandum, ut, Romano Pontifice praeside, cum ipso et cum maioribus

[26] Cf. p. 542.
[27] Cf. p. 543.
[28] Cf. p. 545.

Romanae Curiae officialibus de rebus ad commune Ecclesiae bonum spectantibus colloquantur ».

Rationes propositae emendationis ad haec tria reduci possunt:

1. Si Episcopi consultores tantum Congregationum Romanae Curiae essent, clare deduci non posset eos esse « vera membra Collegii Apostolici, eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi ».

2. Magna ex parte debilitarentur vis et robur consilii ab Episcopis nomine respectivae Conferentiae Nationalis dandi, si tale consilium non directe et per tramitem unius eiusdemque corporis consultativi Summo Pontifici praeberetur, sed tantum indirecte et modo fragmentario per diversae Romanae Curiae Congregationes traderetur.

3. Coadunationes periodicae coetus Episcoporum consultativi egregias praeberent occasiones declarationes Summi Pontificis solemniores, necnon Encyclicas maioris momenti, promulgandi; quibus occasionibus adhibitis, aptius determinari posset modus quo doctrina, in novo quodam documento contenta, in totum orbem catholicum expeditius diffunderetur, et in effectum securius deduceretur.

Exc. LEFEBVRE: In schemate proposito, pagina septima,[29] linea quarta dicitur: « quaedam vero ad modum exempli enumerantur iura et facultates Episcopis stabiliter tribuenda », et de facto exempla dantur postea.

Cum in regionibus Missionum usi sumus de formula facultatum decennalium data a Sacra Congregatione de Propaganda Fide quae valde iuvat in apostolatu, nonne haec formula, servatis servandis, posset extendi omnibus Ordinariis? In multis regionibus et circumstantiis eaedem sunt necessitates ministerii in omnibus dioecesibus.

In pagina undecima,[30] linea decima sexta et in pagina duodecima [31] in numero quarto fit recursus ad Coetum episcoporum et sic videtur conferri huic coetui aliquas praerogativas quae videntur potius spectare ad Summum Pontificem, qui his rebus providebit per suos Legatos et suam Curiam. Legati Apostolici, ut mos est hodie, consulant episcopos et referant ad Sanctam Sedem.

Sine dubio coetus episcoporum maximas utilitates habent sed non debent esse instantiam super-episcopalem, ut mihi videtur. Super episcopos non sit nisi Summus Pontifex cum adiutoribus suis, et legatis suis.

Eadem in pagina duodecima numerus quintus mihi videtur innuere

[29] Cf. p. 542.
[30] Cf. p. 545.
[31] Cf. p. 545.

quod Congregationes Curiae Romanae non satis adiuvent episcopos. Nescio in quibus factis hoc innititur sed, si reverenter aliquid potest dici de hoc capite, humiliter dicam: difficultates si adsunt aliquando, certe non exsurgunt ex membris ipsis Curiae, qui exemplum admirabile laboris et zelus in opere dant omnibus, sed potius ex organisatione aut ex relationibus inter ipsas Congregationes. De hoc forsan dolent ii qui egent adiutorio Congregationum.

Rev. BROWNE: 1. In pag. 5,[32] linn. 9-10, suggererem ut dicatur *temperare potest* loco verborum *plus minusve amplificare vel restringere potest.*

2. In pag. 6,[33] linn. 13-15, verba adhibita, involuntarie, se praestare possunt alicui ambiguitati. *Sollicitudo universae Ecclesiae* pro quanto spectat ad eius gubernium est unius Romani Pontificis: pro quanto spectat auxilium Romano Pontifici pro executione proprii muneris praestandum est, utique, omnium Episcoporum sive singulariter sive collegialiter.

3. In pag. 7,[34] lin. 31, suggererem ut dicatur « ita ut plures *quantum fieri possit* ex praedictis facultatibus... ». Ratio huius cautela est quia usu harum facultatum potest pendere a gradu perfectionis Curiarum Episcopalium quae non est in omnibus casibus aequalis.

4. In pag. 9,[35] n. 8, lin. 22, vix prudens aestimo ut omnibus Episcopis concedatur facultas dispensandi ab omnibus irregularitatibus ex defectu (can. 984).

5. In pag. 10,[36] n. 12, *c*, puto quod potestas de qua ibi agitur reservari debeat saltem Legato S. Sedis in illa natione.

6. In pag. 10, par. IV, n. 2, linn. 22-25, nimia esse videntur quae ibi proponuntur. Desideria Episcoporum referri possunt ad Commissionem revisionis Iuris Canonici.

7. *Obs. Generalis*: Pro propositis hic allatis allegatur ut ratio quod Episcopi sunt pastores suorum gregum, et quidem cum potestate ordinaria et immediata. Sed Romanus Pontifex quoque est pastor ordinarius non solum Ecclesiae universae in sua totalitate, sed etiam omnium suarum partium, omnium pastorum et omnium fidelium, ab Ipso, utique, prudenter regendorum, attento quod cum Ipso et sub Ipso dantur pastores qui iure quoque divino munus habent fideles pascendi et regendi.

[32] Cf. p. 542.
[33] Cf. p. 542.
[34] Cf. p. 543.
[35] Cf. p. 544.
[36] Cf. p. 544.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum praesertim Em.morum Liénart, Frings, Léger, Ottaviani.

Card. PIZZARDO: Etsi plura in schemate laude digna videantur aliqua tamen profundius examinanda sunt etiam iuxta animadversiones aliquorum Em.morum Patrum: quapropter: placet iuxta modum, id est sub hac conditione ut schema remittatur Commissioni de Episcopis, quae, de consensu Sacrarum Congregationum interesse habentium, novum Schema huic Commissioni Centrali proponat.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: in pag. 6,[1] paragraphus quae incipit « Imprimis » et desinit cum verbo « deminuti », meo humili iudicio, propter rationes allatas a Rev.mo P. Browne, Magistro Generali O. P. clarius explicanda videtur.

Quoad facultates quibus Episcopi frui desiderant distintio fiat inter eas quae ipso iure illis concedi possunt et quae per rescriptum obtinendae sunt.

Relate ad facultatem dimittendi aut transferendi sodales religiosos urgente gravissima necessitate, de qua in pag. 10 *c*,[2] adhaereo voto Em.mi Card. Ruffini.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: habita scilicet ratione eorum quae ab Em.mis et Exc.mis Patribus et praesertim a Cardinalibus Ruffini, Ottaviani, Bea et Magistro Generali Ordinis Praedicatorum necnon a meipso humiliter dicta et subscripta sunt.[3]

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dixi [4] et ea quae dixerunt Em.mi Cardinales Frings, Léger, Confalonieri, Döpfner, Alfrink et Bea.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Em.mi Cardinalis Liénart.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: secundum dicta ab Em.mis PP. Confalonieri, Döpfner et Alfrink.

---

[1] Cf. p. 542.
[2] Cf. p. 544.
[3] Cf. pp. 550-551.
[4] Cf. pp. 551-552.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: schema reformetur habita ratione animadversionum ab Em.mis, Exc.mis ac Rev.mis Patribus prolatarum.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum.[5]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[6]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: attentis iis quae a plurimis Eminentissimis observata sunt.

Quoad n. 12, pag. 10,[7] praeter ea quae ab Em.mo Card. Ruffini dicta sunt circa paragraphum sub numero *c*), vellem addere ea quae proponuntur sub *a*) approbari omnino possunt pro ingressu in clausuram papalem Episcopi sed non pro permissione aliis personis in clausuram papalem ingrediendi. Etenim Lex canonica iam providet pro Syndico, puta, Medicis, operariis etc. Quantum ad egressum, Episcopi quibus vigilantia clausurae commissa est, possunt iam in casu gravi eam sororibus permittere. Tandem omnino adhaereo iis quae dicta sunt ab Em.mo Ferretto circa nn. 2, 3, 4, 5, 6, pag. 12.[8]

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: pag. 5,[9] linn. 1-3, modus exprimendi non est valde aptus. Adhaereo in hac re propositioni factae ab Em.mo Ruffini.

Pag. 5, linn. 6-7 tantum: textus videtur esse ulterius expoliendus non tollendus, sive quia aliquando aliqui dubia protulerunt, sive quia hic, cum textus utatur terminologia valde scholastica, deberet aliquo modo explicari. Sine explicatione aliqua possent male intelligi.

Consentio his quae dixit Em.mus Ferretto, item cum P. Browne de ratione theologica.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: pag. 9,[10] n. 9: In processibus de nullitate matrimonii et de dispensatione a matrimonio valide contracto coram Ecclesia consuetudo et praxis in processibus faciendae sunt modo universali inter omnes dioeceses.

---

[5] Cf. pp. 552-553.
[6] Cf. pp. 553-554.
[7] Cf. p. 544.
[8] Cf. pp. 545-546.
[9] Cf. p. 541.
[10] Cf. p. 544.

Card. Wyszynski: Placet iuxta modum: ad bonum commune S. Matris Ecclesiae Universalis fovendum, maxime valent conatus amplificandi s. d. « internationalisationem » — potius dicam « *Oecumenisationem* » — S. Curiae Romanae, ut magis ac magis *Universalitas* ipsa Ecclesiae Romanae appareat, et melius consulatur necessitatibus Ecclesiarum dioecesanarum in Orbe. Hoc videtur mihi inevitabile, speciatim, in comparatione cum magnis organismis politicis, qui s. d. « internationalisationem » in genere, tamquam sibi propriam et exclusivam esse putant, tamquam si Ecclesia Oecumenica omnium gentium a saeculis in Orbe terrarum amplius non esset (cf. pag. 12, n. 4 schematis).

Quod *attinet facultates Episcoporum,* prae oculis habeantur oportet vastissimae Regiones in quibus Episcopi amplius non existunt, et residui sacerdotes et fideles nec habent nec habere possunt relationes cum S. Sede, neque cum vicinis Episcopis. Ad conscientiam eorum tutandam non sufficit providere per facultates speciales, de quibus neque sciunt neque scire possunt.

Card. Quiroga y Palacios: Placet iuxta modum: hoc est retenta omnino doctrina contenta in prooemio schematis stylus et verba expoliantur iuxta dicta praecipue a Card. Ruffini et a Magistro Generali Ord. Praedicatorum. Adhaereo propositioni Em.mi Alfrink circa constitutionem cuiusdam Commissionis Centralis.

Card. Léger: Placet iuxta modum: i. e. adhaereo eis quae ab Eminentissimis Cardinalibus Frings, Confalonieri, Döpfner, Meyer, Alfrink et Bea edicta fuerunt.[11]

Card. Gracias: Placet.

I. Omnino cum Relatore concordo extensiores facultates Episcopis dari debere, et applicationes usuales pro renovatione Indultorum, etc. abrogari debere.

II. Huius systematis utilitates has futuras puto:

a) Hoc modo maior fiducia in statu iudiciisque Episcoporum exhiberetur.

b) Romanarum Congregationum officiales consequenter minus onerarentur mere formalitatibus, plusque temporis pro rebus maioris momenti haberent.

c) Si Episcopis totius mundi darentur *saltem* tales facultates, quales Sacra Congregatio de Propaganda Fide Episcopis missionariis dare solet — Formula Maior — haec concessio amplecteretur fere omnes

---

[11] Cf. pp. 554-555.

propositiones a Relatore in pp. 8, 9, 10,[12] etc. factas. Quinimmo, haec Facultas etiam magis ampla esse potest. Si Episcopis in terris missionum fidere possumus istis facultatibus magna cum discretione uti, a fortiori idem dicendum est etiam de Episcopis totius mundi christiani.

d) Puto propositionem in pag. 11,[13] V, n. 3 contentam, quoad « alienationem bonorum ecclesiasticorum et quoad debita contrahenda », esse optimam; nempe ut Conventus Episcoporum uniuscuiusque nationis determinet fines, a Sancta Sede approbandas, intra quas unusquisque Episcopus suas vires exercere valeat. Nam isti (Episcopi) melius istas res ponderare possunt potiusquam Delegati Apostolici vel Nuntii.

e) Quoad illam propositionem nominandi diversarum nationum Episcopos, a Conventibus Episcoporum propositos, tamquam Congregationum Romanarum Consultores, qui Episcopi consultationis gratia ab istis Congregationibus in Urbe vocarentur — propositionem sine dubio optimam esse puto. Sed quomodo hoc in praxi deducatur est valde difficile dictu; nam etiam nunc illi Cardinales, extra Urbem degentes, qui constituti sunt Consultores diversarum Congregationum, rarissime suum consilium praebere possunt, et quidem ob hanc unicam causam, quia illorum consilium rarissime petitur!

Propositum Card. Alfrink de criterio etiam gubernationis Ecclesiae esset optimum.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum quae a Cardinalibus Liénart, Frings, Léger, Confalonieri, Döpfner, Alfrink et Bea exposita sunt.

Nulla oriatur suspicio de auctoritatis Supr. S. Congregationis S. Officii detractione facienda, sed circa methodos exercitii eiusdem auctoritatis exprimitur votum ut aliqualis melior ratio inducatur, quae dignitati et auctoritati Episcoporum magis consulat.

Quod in pag. 8,[14] lin. 20, dicitur de facultate confirmationis sacramentum administrandi omnibus Sacerdotibus, in periculo mortis, concedenda non placet; conceptui quem populus christianus in Ecclesia occidentali habet de auctoritate Episcopi et de Confirmationis solemnitate videtur eiusdem facultatis concessio detrahere.

Quod in pag. 12,[15] sub n. 4, exponitur valde videtur commendandum iuxta fortasse quae Em.mus Card. Alfrink exposuit.

---

[12] Cf. pp. 543-545.
[13] Cf. p. 545.
[14] Cf. p. 543.
[15] Cf. p. 545.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ratione, idest, habita de illis quae a Patribus praesentibus dicta sunt.

Abundans in solidis principiis quae schema hoc inspirarunt, reor, quoad facultates Episcoporum, minuendas, generatim, esse reservationes Curiae Romanae. Opportunum etiam erit in organismis gubernii Ecclesiae universalis adesse membra variarum nationum. Certus sum nullimode derivare ex hoc relaxationem sacri illius vinculi quod Episcopos Summo Pontifici iungere debet: maior, e contra, patebit indissolubilis unitas Ierarchiae cum eodem Divi Petri Successore, super quem Christus fundavit Ecclesiam.

Card. CICOGNANI: Placet iuxta modum: vota Episcoporum favorabiliter accipiantur; schema tamen *facultatum* et *privilegiorum* iterum videatur, initis consiliis cum Revisione Codicis I. C., per tramitem secretariatus huius Pont. Commissionis Centralis.

Expungatur n. 5 (pag. 12), cum factis minime respondeat; n. 6, videtur supervacaneus esse.

Auspicata internationalizatio Curiae Romanae iam incoepta magnum percurrit iter: officiales, consultores praesertim, et ipsi Cardinales sunt undequaque gentium.

Relationes ad S. Sedem mittendae, p. 12,[16] n. 3, quatenus possibile, unificentur.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: id est: ad mentem Em.morum Cardinalium Meyer, Ruffini, Confalonieri et Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum. Alia in folio adnexo scripsi.

Generatim Schema sanum et sapiens videtur quia iam tempore nostro, crescente numero fidelium et numero dioeceseon, proponit quod ampliores facultates Episcopis tribuantur, ita ut labor Curiae episcopalis minuatur. Quin etiam decet omnino ut stabiliter facultates concedantur Episcopo, dignas pastori gregis eius regimini commissi.

In pagina octava,[17] numero secundo, quoad *a*) et *b*), optima proponuntur in schemate principia quae, uti spero, servabuntur tamquam normae pro revisione Facultatum Quinquennalium. Intelligitur quod exceptiones erunt pro casibus gravioribus sed paucae sint ne potestas Episcopi nimis limitetur.

Item in pagina octava quantum spectat ad facultates desideratas. Attamen id quod dicitur sub numero tertio clarum non est: deberet addi,

---

[16] Cf. p. 545.
[17] Cf. p. 543.

ni fallor, « omnibus sacerdotibus indulto altaris portatilis gaudentibus » secus potest male intelligi. Clarificetur haec paragraphus.

In pagina decima,[18] de facultate praedicandi ubique, Episcopo non renuente, facultas nimis larga videtur quia Episcopus qui non est membrum hierarchiae localis possit ignorare conditiones locales et difficultates, v. g. posset commendare quae a Synodo prohibentur.

In pagina duodecima [19] numero tertio optima iam sunt dicta ab aliquibus Em.mis Oratoribus quia valde nocivum est si Episcopi cognoscunt decreta a diariis. Hoc modo male interpretantur fideles et quando errores corriguntur non parva est admiratio.

In eadem pagina duodecima numero secundo multum desideratur ut minuatur numerus relationum et quaestionariorum. Nonne sufficit Relatio quinquennalis, salvis casibus urgentioribus? In hac re simplificatio magnum esset adiumentum Episcoporum.

Quod dictum est de reformatione Indicis Librorum sapienter omnino dictum est.

Deleatur num. sextus in pagina duodecima.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet ut dixi et scripto trado.[20]

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: ratione habita observationum Eminentissimorum Cardinalium Liénart, Confalonieri, Meyer, Bea et Excellentissimi Lefebvre, etiamque dictorum a Rev.mo Magistro Generali Praedicatorum, saltem de immediata et universali potestate Summi Pontificis, et quoque secundum a me dicta vel scripta adnexa.[21]

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: i. e. ratio habeatur eorum quae dicta sunt a Patribus, imprimis Liénart, Frings, Ruffini, Confalonieri, Döpfner, Bea et Alfrink.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: secundum ea, quae dicta sunt a Card. Liénart, Frings (de prooemio), Léger, Confalonieri, Alfrink (de n. 4, pag. 12) [22] et Bea (de Indice) et a me dicta.[23]

Card. MEYER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae scripsi in

---

[18] Cf. p. 545.
[19] Cf. p. 545.
[20] Cf. pp. 555-556.
[21] Cf. p. 556.
[22] Cf. pp. 545.
[23] Cf. pp. 556-558.

folio adnexo,[24] atque iuxta animadversiones ab Em.mis Léger et Alfrink factas.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: secundum ea quae dixerunt praesertim Em.mi Liénart, Frings, Léger, Confalonieri, Meyer, Döpfner, Bea et quae sunt scripta in folio adnexo.[25]

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae ab Em.mo D.no Cardinali Ferretto ac Em.mo D.no Cardinali Liénart, Em.mo D.no Cardinali Frings ac reliquis Em.mis D.nis Cardinalibus qui sententiam de hoc schemate ediderunt. Quibus addendum quod dictum est ab Exc.mis Archiepiscopis et aliis.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: attendantur quae a Patribus hic proposita sunt; tamen quod pertinet ad sic dictas facultates, plurimae remittantur ad reformationem Codicis Iuris Canonici et, quando patet, iure proprio Episcoporum solvantur.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum, oppositae animadversiones aeque ac prudenter componantur.

Ad IV, num. 4, p. 10,[26] videtur omitti posse, cum optata facultas, mea quidem humili sententia, iam adsit: oratorium (sacellum) enim Episcopi semipublicis aequiparatur (can. 1191, § 2); et oratoriis semipublicis domus piae Episcopus potest dare facultatem servandi Ss.mam Eucharistiam (can. 1265, § 1, 2°), ergo et sibi. Verum facultas potest clarius declarari.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: uti in folio adnexo. Quoad sic dictam internationalisationem Curiae Romanae sumatur exemplum a S. Romana Rota quae a septem saeculis variarum nationum praelatis formatur et, ut experientia constat, Ecclesiam bene inservit.

Non modo utilis sed necessaria est reformatio de qua agitur, sed, periculosum videtur quod Concilii fere duo millia quingenta Membra, quasi in publico, disputent singuli de iis quae contra Curiam Romanam habeant. Nonne tutius esset si Concilium exponeret principia tantummodo generalia de rebus Ecclesiae universalibus uti Em.mi Patres nonnulli petunt atque a Sanctissimo Concilium peteret instituendam Commissionem peritissimorum virorum, Episcoporum nempe et Moderatorum Dicasteriorum Romanae Curiae, quae de reformatione Curiae Ro-

---

[24] Cf. pp. 558-559.
[25] Cf. pp. 559-561.
[26] Cf. p. 545.

manae videat (*praesertim iuxta Episcoporum postulata*) ac Eidem Sanctissimo res reformandas exponat?

Placet votum ut revisio fiat systematis iudiciorum ecclesiasticorum a peritissimis nempe viris, *sed minime placent* quae in linea vigesima prima pagellae undecimae [27] optantur: « *praesertim celerius definiantur causae matrimoniales* »; loquendi ratio etenim talis est quasi vero processus matrimoniales non sint causae gravissimae, sed meri ritus, « formalitates »! Re quidem vera, optandum est non ut causae matrimoniales citius definiantur, sed potius ut earum numerus minuatur, puta per aptam praeparationem eorum qui matrimonium sint ituri et per idoneam formationem iudicum primae instantiae in tribunalibus dioecesanis.

Postremo placent quae Rev.mus Pater Magister Ordinis Praedicatorum animadvertit de Episcopis et Ecclesiae gubernatione.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: hac scilicet mente, ut ad generales normas accurate, doctrinaliter et iuridice castigatas, schema reducatur, coeteris ad Codicem vel ad documenta modestiora remissis.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita animadversionum factarum a Patribus, praesertim Em.mo Ruffini, Em.mo Ottaviani et Patre Generali Praedicatorum.

Card. BEA: Placet iuxta modum: [28] ratione habita animadversionum factarum in nostro Coetu. Schema reformetur et denuo proponatur.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta animadversiones et observationes Em.morum Ruffini, Bea, Ottaviani, Alfrink et Rev.mi Browne.

Beat. CHEIKHO: Non placet. Hoc sensu quod non convenit, saltem pro maiori parte schematis, ut sit materia Concilii, et hoc pro honore Sanctae Sedis et ipsorum Episcoporum. Alio modo res potest regi: v. g. normis directivis a Summo Pontifice impositis pro regimine SS. Congregationum, attentis iis quae Em.mi et Exc.mi Sodales dixerunt.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: iuxta ea quae rite dicta sunt ab Em.mo Card. Jullien et a Rev.mo P. Browne.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: convenientius mihi videtur in capite III potius tractare de facultatibus quae stabiliter Episcopis

---

[27] Cf. p. 545.
[28] Cf. pp. 562-563.

conceduntur quam de eis quibus Episcopi frui desiderant, quia Decretis Concilii (sub auctoritate Summi Pontificis promulgantis) non convenit desideria exprimere sed potius statuere et declarare.

Exc. SILVA SANTIAGO: Post plures et graves et non semper concordes observationes inter eos qui hic et nunc magna auctoritate verbis usi sunt, humillimum meum votum est: placet iuxta modum, nempe ut schematis decreti propositi a Commissione de Episcopis et dioeceseon regimine, diligentissime attentis dictis observationibus, textus modificetur et noviter proponatur huic Commissioni Centrali ut definitive probetur. Forte haec propositio non est omnino conformis cum natura et fine huius Commissionis Centralis, sed forte opportuna erit quia, sine dubio, materia huius schematis erit materia candens Concilii.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones ab Em.mis Cardinalibus praesertim Ottaviani, Bea et a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, prolatas, ad bonum Ecclesiae commune.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: nempe iuxta quae dicta sunt ab Eminentissimis Léger, Meyer, Bea et Jullien.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: i. e., bene perpensis omnibus quae hoc in coetu dicta sunt, ampliandae sunt Episcoporum facultates. Insuper evitanda verba etiam obscura in materia tam gravi ac quae hic tractatur: e. g. verba « sub auctoritate » (in pag. 7,[29] linn. 8 et 10): melius esset dicere « sub primatu iurisdictionis »; prima verba « sub auctoritate » non tam facile accipient quidam Orientales.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: attentis praesertim iis quae ab Em.mo Card. Alfrink dicta sunt et proprio voto in scriptis folio separato adnexa sunt.[30]

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: secundum ea quae dixerunt Em.mus Card. Ferretto et Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, et quod dixi.[31]

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Cardinalium Liénart, Frings, Ruffini, Léger, Confalonieri, Döpfner, Ottaviani, Bea et Exc.morum Lefebvre et Hurley. Accenseo praesertim votis

---

[29] Cf. p. 543.
[30] Cf. pp. 563-564.
[31] Cf. pp. 564-565.

propositis a Cardinali Léger de lege Indicis et ab Em.mo Alfrink de Commissione Centrali proroganda.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: sc. iuxta observationes Em.morum Cardd. Ferretto, Liénart, Frings, Léger, Bea, Alfrink, Agagianian, Cicognani.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: optandum tamen mihi videtur ut Episcopis omnibus ipso iure agnoscatur facultas perficiendi omnes benedictiones, etiam reservatas exceptis solummodo illis quas Summus Pontifex sibi ipse personaliter reservaverit; atque ut Formula Facultatum quinquennalium Episcopis Missionum concedi solita omnibus Episcopis orbis extendatur.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dixerunt Cardinales Frings, Döpfner et Pater Generalis Fratrum Praedicatorum et secundum ea quae dixit Cardinalis Alfrink de Commissione Centrali continuanda post Concilium.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: nempe ad mentem Cardinalium Liénart, Frings, Ruffini, Alfrink et Rev.mi Browne.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: id est: optandum est, ut mutetur prooemium, omissa prima eiusdem parte et addatur articulus de indice secundum ea, quae dicta sunt a Cardinali Bea.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: prae oculis habeantur quae de hoc argumento dixerunt Eminentissimi Cardinales Liénart, Frings, Döpfner, Confalonieri, Léger et Montini: sed magna debetur consideratio animadversionibus Eminentissimi Cardinalis Ruffini et Rev.mi Magistri Gen. Ordinis Praedicatorum de Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii et Em.mi Card. Bea de indice librorum prohibitorum.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, Döpfner, Alfrink et Bea.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: ita ut, ad mentem plurium Eminentissimorum, auctoritas Episcoporum in luce ponatur et tantummodo in casibus extraordinariis, ad bonum totius ecclesiae necessariis, restringatur. Valde placet quae Sua Beatitudo Patriarcha Chaldaeorum exposuit. Addatur articulus de Indice librorum prohibitorum.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: secundum ea quae scripto adiungo [32] et aliis perpensis quae ex disceptatione emerserunt.

---

[32] Cf. p. 565.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Ferretto, Ruffini et Bea et eorum quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Alfrink quoad continuationem, post Concilium, coetus internationalis. Adiungo folium aliquas observationes continens. Exaretur et proponatur iterum noviter redactum schema.

Ad pag. 5,[33] lin. 14: omittatur verbum « semper ».

Ad pag. 5, linn. 25-26: omittatur « vel etiam contraria ».

III. Facultates quibus stabiliter frui Episcopi desiderant.

Ad pag. 9,[34] n. 4, lin. 1 ss.: « Concedendi ... itemque indultum sedendi dum Missam celebrant, si ob infirmitatem *aut provectam aetatem* stare non possunt, servatis de iure servandis ».

Ad pag. 9, n. 5, lin. 6 s.: « Concedendi sacerdotibus *infirmis* vel visivae potentiae debilitate laborantibus... » (cf. AAS, vol. XXV, 1958, pp. 51-54).

Ad pag. 9, n. 6, lin. 14 s.: « Commutandi ob visus debilitatem vel aliam *iustam* causam... ».

Ad pag. 9, n. 8, lin. 24: omittatur citatio can. 985, 1° CIC.

Ad pag. 10,[35] n. 12, lin. 4 ss.: *a*) « Libere ingrediendi et permittendi iusta et gravi de causa, ingressum in clausuram papalem *monialium* aut egressum ab eadem ». *c*) Omittatur utpote haud expediens.

VI. Exoptanda circa praxim SS. Congregationum:

Ad pag. 12,[36] n. 4, linn. 6-11: omittatur.

Ad pag. 12, n. 5, linn. 15-17: deleantur « rationes tradendo quibus aliquando eorum petitionibus satisfieri nequit ».

---

[33] Cf. p. 542.
[34] Cf. p. 544.
[35] Cf. p. 544.
[36] Cf. p. 545.

IV

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET PAROCHOS

(Secunda Congregatio: 21 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

Episcopi sunt pastores et patres gregis sibi commissi, immo tam patres « *ut inter cetera Episcoporum lineamenta et dotes illud emineat, ut iidem paternam in se referant imaginem* ».[1] Quod potissimum in eos ostendant oportet qui gregis praecellentem efformant partem, parochos videlicet, quibus et cooperationis contulerunt onus [2] per sacri presbyteratus ordinem, et quandam corresponsabilitatis subministrationem [3] in Christi corpore mystico aedificando per curae animarum officium participarunt.

Parochi autem, « *auctoritate ecclesiastica instituti* », quorum « *officium ex iure divino, quod mediatum et hypotheticum vocant, proficiscitur* »,[4] sunt et ipsi, sub Episcopo, veri nominis et pastores animarum et patres, eius filii eiusque adiutores. Paroecia est dioeceseos « *pars ac vivens veluti membrum* »,[5] dioeceseos « *veluti cardo, circa quem omnis pastoralis navitas, in eius finibus praestanda, vertitur, instimulatur atque ordinatur* ».[6] Ex quibus liquido patet parochorum ad Episcopos necessitudines super vincula non solum iuridicae disciplinae sed potissimum supernaturalis caritatis esse fundandas, ita ut consociatio eorum voluntatum cum Episcoporum voluntate profundiorem perficere suam ipsorum cum Christo per Ecclesiam spiritualem unionem, et uberiorem suam pastoralem actuositatem reddere valeat.

Hinc magnum speratur bonum paroeciis eventurum et per paroecias dioecesi « *quae maior est animarum consociatio* », atque universae denique Ecclesiae, cui per dioecesim paroeciae conglutinantur.[7]

Quoniam igitur dare paroeciis bonos pastores, qui supernaturali spiritu ducti animarum curae se devoveant, est res maximi momenti pro populi christiani aeterna salute, opus omnino est ut Episcopis, quibus et onus pastorale totius incumbit dioeceseos et plenior prae ceteris sive gregis necessitatum sive uniuscuiusque clerici virium inesse cognitio praesumitur, amplior quoque a iure tribuatur agendi facultas in parochorum nominatione et amotione.

Proinde in expolitiore notione paroecialis officii — quod nempe non in iure beneficiario utendo essentialiter consistit sed in munere pastorali curae animarum gerendae — fundandum videtur *stabilitatis* institutum ab eaque clarius dimetiendum, ita ut parochi in eadem paroecia stabilitas eousque recognoscatur quousque revera illam animarum bonum exigat. Consequenter etiam negotium *amotionis* administrativae parochorum nova indiget iuridica formula quae, servata naturali aequitate et data amovendis sufficienti suae

defensionis facultate, permittat Episcopis, ob praevalens animarum bonum, simpliciorem, expeditiorem definitivumque modum agendi.

I – De pastoralibus rationibus inter Episcopos et parochos

1. § 1. Parochus est sacerdos vel persona moralis cui, tamquam pastori proprio, officium curae animarum in paroecia sub Ordinarii loci auctoritate exercendae, est collatum.

§ 2. Proinde parochus singulari et strictiore prae ceteris Clericis nexu cum Episcopo se vinctum sentiat oportet quatenus non solum « cooperator ordinis »[8] episcopalis per sacerdotium ab eo receptum est constitutus, sed insuper per paroeciale officium ab eo collatum praecipuus comparticeps illius pastoralis sollicitudinis ac responsabilitatis, et quasi quidam cum eo pro tota dioecesi sponsor est effectus.

2. § 1. Studeat igitur parochus Episcopum, uti patrem sui sacerdotii immo et « typum Patris » D. N. Iesu Christi,[9] revereri et in caritate non ficta diligere.

§ 2. Cum Episcopus iure divino sit ordinarius et immediatus pastor in dioecesi sua (can. 334 CIC), habeatque ius et officium gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda, unusquisque parochus tenetur oboedientiam, reverentiam et fidelitatem Episcopo praestare et eius mandatis, decretis et consiliis prompte et sincere parere.

3. Parochus gaudeat Episcopum videre, ei tamquam filius animum et proposita aperire, patris consilia libenter excepturus. Pro inviolabili denique regula habeat « nihil sine Episcopo », nedum contra Episcopum, ipsum cum suis ovibus moliri.

4. Etsi Episcopus plena et immediata polleat in singulos dioeceseos christifideles potestate, tamen parochus est obvium hos inter et Illum unionis vinculum. Propterea parochus verbo et exemplo, forma factus gregis ex animo, amorem et oboedientiam paroecianorum in Episcopum excitet ac foveat; publicas saepe preces pro Eo promoveat (v. g. in die anniversaria electionis seu consecrationis, etc.); Episcopum in suam paroeciam secundum opportunas occasiones invitet; documenta episcopalia christifidelibus innotescere faciat.

5. Episcopus vicissim suos parochos magni faciat ac diligat, intuitu quoque gravium difficultatum quae hisce nostris temporibus paroeciali officio occurrunt; eos non tamquam servos sed tamquam amicos, immo filios carissimos habeat et praecipuos in pastorali munere adiutores, e quorum vita et labore maxima pendet ex parte gregis sibi commissi aeterna salus.

6. Proinde eos bene cognoscere satagat, praesertim per crebras congregationes dioecesanas vel intervicariales; paternis colloquiis et prudenti vigilantia de eorum indole, ingenio, vita spirituali et zelo, valetudine physica, statu oeconomico, familia etc. certior fiat; nonnisi rationabiliter et sine eorum animae periculis eis munia concredat; sobrie, numquam coram aliis, redarguet, immo, ad populum verba faciens, prudenter laudet; eorum iustis inceptis fa-

veat; contra iniustos oppressores strenue defendat; eos aegrotos consoletur praesens vel saltem scripto; defunctos ipse, per se vel per alium, quantum fieri potest, funeret.

7. Parochorum existimationem Episcopus publice patefaciat suam in eos fiduciam ostendens, aures minime faciles dicteriis contra eos praebens, optimos ex eis vocans ad munia dioecesana quae cum paroeciali officio componi possint, in gravioribus dioeceseos negotiis, etsi non obligatus, eos sententiam rogans.

8. Ita denique Episcopus in suos parochos et parochi vicissim in suum Episcopum se gerant ut omnes facile animadvertant necessitudines iuridicas et administrativas, quas profecto nemini detrectare licet, esse logicam et ultro amplectendam sequelam illius supernaturalis vinculi quod, ex divina Christi institutione, inter Episcopum eiusque clerum et fideles intercedere debet, quodque ordinem in primis dicit ad communem fidem, ad supernaturalem caritatem et ad unam eandemque vitam divinam.

II – De parochorum stabilitate [10]

1. Cum salus animarum suprema in Ecclesia lex sit, etiam officium paroeciale censendum est institutum non in commodum sacerdotis cui confertur, sed in spiritualem fidelium utilitatem qui eius curae committuntur.

2. Proinde parochi omnes stabiles in sua quisque sunt paroecia, prout officium expostulat pastorale. Tamen, id exigente animarum bono, possunt ab ea amoveri secundum quae sequuntur normas.

3. § 1. Abrogatis iis quae in can. 454, §§ 2-4 CIC et in can 494, §§ 2-4 CICO [11] habentur de parochorum vel paroeciarum inamovibilitate et amovibilitate, firmo tamen praescripto can. 454, § 5 CIC et can. 494, § 5 CICO quoad parochos ad religiosam familiam pertinentes, Episcopo ius est parochum quemcumque a paroecia amovere quando aliqua ex causis, quae in can. 2147, § 2 CIC demonstrative recensentur, vel alia, iudicio Episcopi, similis (v. g. ineptitudo evidens ad munus implendum quod attinet ad verbi Dei praedicationem, catecheticam institutionem, actionem catholicam, opera socialia, uno verbo ad graves et actuales vitae paroecialis necessitates), ipsius parochi ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

§ 2. Nonnisi in casibus extraordinariis vicarius adiutor, praetermissa amotione, detur parocho, qui ob causam aliquam permanentem suis muniis rite obeundis impar evaserit.

4. § 1. Ad amotionem valide decernendam Episcopus, auditis tribus parochis consultoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa, parochum amovendum, nisi agatur de parocho vitio mentis laborante, scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem faciendam paterne invitet, ei significans causam quae Ordinarium movet et argumenta quibus ipsa innititur, simulque indicans quibus subsidiis, ad normam can. 2154 CIC, renuntianti consulere intendat.

§ 2. In dioecesibus e pluribus nationibus compositis saltem unus e parochis consultoribus audiendis, sit eiusdem nationis ac parochus amovendus.

5. Parochi consensus in renuntiationem ipso iure praesumitur si intra 7 dies ab accepta renuntiationis invitatione oppositionem scripto ad Episcopum non significaverit.

6. Parochus renuens, intra 10 dies ab oppositione interposita, rationes seu probationes Episcopo in scriptis exhibere potest.

7. Episcopus, auditis iisdem tribus parochis consultoribus super oppositione et rationibus ab amovendo forte allatis, eas aut approbat aut definitive reiicit. Quo ultimo in casu applicantur cc. 2154-56 CIC.[12]

8. Episcopus ius quoque habet, ob animarum bonum vel Ecclesiae necessitatem seu utilitatem, parochum ad quodlibet aliud officium ecclesiasticum, etsi diversi ordinis transferendi, servata ad validitatem in omnibus eadem procedendi ratione quae pro parochi amotione statuta est.

9. § 1. Ordinarius loci, auditis ad validitatem duobus examinatoribus, decernat utrum, inspecta necessitate ministerii, parochi qui septuagesimum aetatis annum expleverint, vel alium terminum aetatis, in Conferentiis Nationalibus Episcoporum pro diversis locorum adiunctis praefinitum attigerint, in officio servari possint, aut ab eodem amoveri debeant.

§ 2. Parochi qui ita amoventur, ius habent ad congruam sustentationem ab Ordinario providendam, itemque privilegia honorifica servant quibus ratione officii legitime gaudebant.

10. Ad loci Ordinarium, audito parocho si Ordinario libuerit, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] IOANNES XXIII in *Epist. Apost.* ad Archiep. Pechinen., 29 iunii 1961: AAS, LIII (1961), p. 466.

[2] Cf. *Pontif. Rom.* in Ordin. Presbyt.

[3] Cf. *Summ. Theol.* 2, 2^{ae}, q. 184, a. 6 ad 2 et 3.

[4] LEO XIII, Litt. Ap. *In superna rei christianae,* 10 iunii 1882: cf. Acta Leonis XIII, vol. III, p. 91.

[5] *Syn. Rom. Const.* 101, d.

[6] *Syn. Rom. Const.* 100.

[7] *Syn. Rom. Const.* 101, d.

[8] Cf. *Pontif. Rom.* in Ordin Presbyt.

[9] S. IGNATIUS, *Ad Trall.* III, 1.

[10] Textus huius schematis partis concordatus est inter Commissionem de Episcopis et de Dioeceseon Regimine et Commissionem de Disciplina Cleri et populi christiani.

[11] Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* 2 iunii 1957: AAS, XXXXIX (1957), p. 433 sqq.

[12] Commissio de Episcopis et de Dioeceseon Regimine praeterea proponit addenda haec verba: « et paroecia vacans, abrogato recursu de quo in can. 2146 CIC, potest stabiliter de novo pastore ab Episcopo provideri ».

2) RELATIO EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

I. Quaestio posita est Commissioni Nostrae *his verbis*:

« Determinentur rationes Episcopos inter et parochos.

« Institutum inamovibilitatis parochorum recognoscatur ita ut Episcopis pro bono animarum maior tribuatur agendi facultas ».

Schema Vobis propositum in duas dividitur partes, quarum prima inscribitur « De rationibus pastoralibus inter Episcopos et parochos », altera vero « De parochorum stabilitate ».

II. Cum rationes iuridicae et administrativae inter Episcopos et parochos sufficienter in Codice Iuris canonici tractentur, Episcopi in prima parte schematis voluerunt agere de relationibus potius *pastoralibus,* quibus Codex fere nihil habet, quae tamen hodie magni fiunt et de quibus Concilium Oecumenicum, quod « *pastorale* » potissimum prospectatur, silere non debet. Sic etiam explicatur articulorum forma non stricte iuridica sed potius exhortativa.

III. *Primum* necessitudinum pastoralium *fundamentum,* quod affirmatur, est potius *personale;* scilicet vinculum paternitatis et filiationis spiritualis proveniens ex incardinatione ad dioecesim, ex Sacra Ordinatione et ex collatione beneficii curati.

Mutuum ergo vinculum patris ad filium: Episcopus est pater sui Cleri et in primis parochi, qui est prima ovis; vinculum filii ad Patrem, cui reverentia et oboedientia praestari debet.

Alterum necessitudinum *fundamentum* quod asseritur est potius *publicum* seu *officiale*: scilicet Episcopus est in sua dioecesi Pastor, rector ac magister ex iure divino: sed curam directam et immediatam fidelium committit parochis: in Episcopo directio suprema de cura animarum remanet, de qua strictam obligationem ipse habet apud Deum: unde saepe parochos suos exhortare, adiuvare, incitare debet in muneribus paroecialibus recte obeundis.

Tertium denique ponitur *principium,* scilicet unio, quae parochum et christifideles cum proprio Episcopo coniungit, non est dumtaxat iuridica et administrativa, sed in primis ordinem dicit ad communem fidem,

ad supernaturalem caritatem et ad unam eamdemque vitam divinam. Brevi, unio illa nititur ipsa constitutione, qua Christus suam fundavit Ecclesiam.

IV. In hac prima schematis parte animadvertatis articulum 1: In quo datur definitio parochi, illam immutando quae in can. 451 § 1 CIC legitur.

In Codice enim paroecia identificari videtur cum « beneficio » et distingui ab « officio » curae animarum, quod ponitur secundo loco. In definitione schematis, e contra, paroecia identificatur exclusive cum officio curae animarum, quod pressius determinatur et specificatur per comma « tamquam pastori proprio ».

V. *In secunda parte schematis agitur de stabilitate parochorum.*

Textus huius partis concordatus est cum « Commissione de disciplina Cleri et populi christiani ».

Claro modo Episcopi voluerunt asserere: perpetuitatem seu inamovibilitatem non essentialiter requiri ab ipso officio paroeciali. Tota enim ratio paroecialis officii in eo stat quod sacerdos tamquam pastor et peculiaris rector curam animarum habeat, *nomine proprio* exercendam. Parochi, potius quam beneficiarii, considerandi sunt ut *titulares officii curae animarum.* Beneficium est propter officium. In hoc amplissimo Coetu mense novembri communi sententia adprobata fuit accuratior beneficii ecclesiastici notio, proposita a Commissione de disciplina cleri et populi christiani.

Affirmatur igitur in art. 1 iuridica conditio officii paroecialis, verbis desumptis « Decreto *Maxima Cura* » Sancti Pii X (20 augusti 1910).

Determinata conditione iuridica officii paroecialis, abolenda esse censuerunt distinctionem inter parochos « inamovibiles » et parochos « amovibiles ». In omnibus enim eadem ratio pastoralis adimpletur. Iamvero si eadem repetitur summa iurium et obligationum, quae curam pastoralem constituunt, eadem debet esse « conditio iuridica ». Sacerdotes ergo, qui nomine proprio veram curam animarum exercent in populum determinatum, « parochi » simpliciter appellentur.

In officio autem paroeciali distinguenda sunt *quae ad ius publicum* pertinent ab iis quae *ius privatum beneficiarii potius spectant.* Revera iuris publici est ipsa cura animarum. Sub hoc aspectu considerari debet officium paroeciali: 1) *iuxta necessitates hodiernas*: quam ingens spiritualis exigentia hominum nostrorum temporum!; 2) *iuxta exigentias* ipsius curae pastoralis: quam difficilis saepe habetur!; 3) *iuxta diversos gradus humani civilisque cultus,* qui cura pastorali attingi debent: quam diversa methodus saepe adhiberi oportet!; 4) *iuxta qualitates persona-*

les, quae in parocho saepissime requiruntur: quas hodie postulant paroeciae nostrorum temporum!

Exinde patet officium paroeciale non esse simpliciter administrativum sed *praesertim pastorale.*

Quod si de iure privato in officio paroeciali quaeratur, dicenda veniunt quae ipsam parochi personam spectant, praesertim subiectiva securitas ad necessaria apostolatus opera exercenda ac promovenda et propria honesta substentatio.

Iamvero quae ad ius privatum cuiusque officii spectant, nusquam praemitti debent iis quae iuris publici sunt.

VI. *Attamen officium ipsum paroeciale quamdam stabilitatem in ministerio postulat;* idcirco articulum secundum positum est. « Parochi omnes stabiles in sua quisque sunt paroecia « prout officium expostulat pastorale... ».

Huiusmodi autem stabilitas in salutem est inducta fidelium et non eo urgenda est ut in perniciem potius cedat animarum.

Ideoque statuitur in secundo commate articuli: « Tamen, id exigente animarum bono, possunt ab ea amoveri secundum normas quae sequuntur ».

VII. *Processum amotionis quod attinet pauca dicam.*

Sublata distinctione inter parochos « inamovibiles » et « amovibiles », tollendus est duplex modus processum administrativum instruendi.

Quin immo processus ipse administrativus amotionis, qui in Codice habetur, simplicior factus est.

Statuta est auditio trium parochorum consultorum et non duorum examinatorum quia, cum iudicari debeat de animarum cura, sententia eorum qui munere pastorali actu funguntur maiorem auctoritatem et securitatem praebet, quam iudicium illorum qui plerumque munera magisterii in scholis vel in seminario persolvunt, et scientiam ac experientiam pastoralem nullam vel fere nullam habent.

Parochi autem consultores audiendi sunt ab Episcopo sive ante invitationem parocho faciendam sive post eius oppositionem, ut perpendant argumenta contra motiva ab Ordinario allata pro amotione.

In art. 7, pag. 10,[1] « Commissio de Episcopis » proposuit addenda verba « et paroecia vacans, abrogato recursu de quo in can. 2146 CIC, potest stabiliter de novo pastore ab Episcopo provideri ».

Multum disceptatum est in Commissione de Episcopis utrum facultas recurrendi ad S. Sedem parochis amotis vel translatis concedenda esset ad normam can. 2146 necne.

---

[1] Cf. p. 580.

Omnibus perpensis, de iure condendo, ob animarum bonum, recursum abrogandum esse censuerunt Patres, ita ut Episcopus statim ac legitima procedura fuerit observata, definitive et pacifice possit paroeciam de novo pastore provideri. Hae fuerunt rationes:

1) Una ex rationibus ob quas ingens Episcoporum numerus votum expresserunt pro supprimenda inamovibilitate et pro expeditiore reddenda procedura de amotione vel translatione parochorum fuit haec praecise: quia recursus ad S. Sedem nimias moras interponit, cum animarum damno et nonnumquam cum fidelium scandalo.

Ceterum semper et de omnibus rebus quis poterit conqueri apud S. Sedem ad animum suum profundendum et ad moralem satisfactionem inveniendam, sed non agetur de vero recursu sensu iuridico.

2) In nova procedura, quae proponitur, satis tutatur ius et bonum nomen parochi.

3) In quibusdam negotiis vel gravioribus: v. g. in amotione Vicarii Generalis, officialis Curiae, rectoris seminarii, quae omnium animos in dioecesi commovere possunt, non conceditur iuridicus recursus ad S. Sedem, quare autem parochis? Fortasse sub hac quaestione de recursu parochorum latet inconscia idea « iuris beneficiarii » defendendi; recurrunt nempe parochi non ad tuendum bonum animarum sed ad tuendum ius suum sive oeconomicum sive morale. Sed si quaestio prospiciatur sub nova luce « officii curae animarum », sub luce supremae legis in Ecclesia, scilicet salutis animarum, tunc statim intelligitur cur optimus iudex de bono concreto animarum huius vel illius paroeciae debeat esse Episcopus.

S. Sedes accipiens recursum tandem aliquando de hoc bono animarum debet iudicare; in quo iudicio ferendo maximum pondus habere debent informationes Episcopi.

Sed quis dicere poterit: Episcopi possunt errare! Utique possunt. Sed ad hoc ut ab erroribus et abusibus, quantum humana fragilitas permittit, praecaveatur, ecce tres parochi consultores semel et bis audiendi, ecce defensio plena parochi amovendi vel transferendi, ecce procedura iure definita.

Demum nova paroeciae provisio debet esse definitiva ac tranquilla: quod non esset cum evidenti animarum damno, si quasi « ensis Damoclis » recursus ad S. Sedem super Episcopum et novum parochum haberetur!

Ponens quaestionis fuit Exc.mus D. Aloisius Maria Carli, Episcopus Signinus. De Schemate quinquies disceptatum est in Sessionibus generalibus. Vota scripta undeviginti fuerunt.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Pag. 6,[1] lin. 20 et pag. 9,[2] lin. 11 sgg.: *Stabilitas* statuitur Parochorum; sed cum ea nullo iure divino fulciatur, silentio praeteriri potest. Inamovibilis non est Parochus, sed salus animarum, quae est suprema lex. Propterea in schemate remotio Parochi praesefert, in omni casu, speciem cuiusdam poenae, cum plures haberi possint causae, quae nullam poenam exigunt, ex. gr. ut curae animarum melius consulatur. Rogo igitur ut in textu forma adhibeatur latior, Episcopi enim indigent, ad Parochos quod attinet.

Aliquali libertate in ipsis removendis vel transferendis, cum prudentia quidem, nempe *auditis* peculiaribus Consultoribus a Codice I. C. — in nova editione — definiendis. Neque admitterem liceitatem recursus Parochi amoti vel translati ad S. Sedem, nisi in aliquo casu omnino extraordinario.

Card. RICHAUD: 1. In cap. I, n. 6, pag. 8,[3] lin. 18: aliquam sepositionem suadeo quando dicitur quod nunquam episcopus « redarguet presbyteros coram aliis ». Experientia autem probat quod, in casibus saltem exceptionalibus, Ordinarius cogitur redarguere sacerdotem aliquem coram aliis sacerdotibus.

2. Quoad cap. II, n. 4, pag. 10,[4] lin. 5: obligatio audiendi tres parochos consultores mihi videtur vana et periculosa.

Vana, quia parochi qui ad curiam episcopalem non pertinent fere nihil cognoscunt de negotiis particularibus ac privatis sacerdotum et aliunde non habent sufficientem sollicitudinem de bono communi dioecesis et animarum.

Periculosa, et forsan valde periculosa, quia certo metuendum est tale medium quo episcopi sententia submittatur sententiis aliquorum ipsius inferiorum.

Determinatio a Synodo istorum parochorum consultorum omnino arcenda est. Nam non erunt necessario parochi aptiores qui designarentur ab aliis et aliunde possunt postea senescere aut quodammodo minus mereri.

Oportet saltem quod tales parochi consultores non sint nominati in

---

[1] Cf. p. 577.
[2] Cf. p. 579.
[3] Cf. p. 578.
[4] Cf. p. 579.

Synodo ad omnes causas et non sint semper iidem. Sed opus esset quod Episcopus possit in unoquoque casu designare tales ac tales parochos consultores qui melius apti essent ad discernendum verum statum parochi amovendi et eius paroeciae.

Attamen opportunius et magis simplex mihi videret tribuere parocho amovendo facultatem recurrendi, infra quoddam breve tempus determinatum ad Archiepiscopum, vel, si agatur de aliquo archiepiscopo ad alium Archiepiscopum antea designatum, ut evenit in causis matrimonialibus.

Card. König: Schema propositum continet principia quaedam optima de theologia pastorali et de immutatione opportuna iuris. Attamen ut perfectius evadat, adiungenda proponam quae sequuntur: (haec valent caeteroquin etiam de schemate sequente « De parochorum obligationibus quoad curam animarum »).

Notio paroeciae in his duobus schematibus sensu geographico plus minusve sumitur, quod quidem hodie indagationibus theologiae pastoralis non omni modo respondere videtur.

Parochus imprimis modo nimis praevalente exhibetur tamquam is, cui concreduntur fideles isti, qui ab infantia sunt baptizati et uti christiani in ambitu christiano (i. e. dans un milieu chrétien) vivunt. De facto autem vita christianorum hodie in diaspora quadam agitur. Ideo inter officia parochi illud officium « missionarii », uti dicunt, magis urgendum videtur.

Parocho non tantum incumbit fideles suos defendere contra pericula, verbi gratia contra sectas, diaria, spectacula, emissiones radiophonicas, televisiones — quod est agere modo defensivo — sed parocho incumbit agere etiam offensivo, i. e. incitare fideles ut testimonium Christi inter omnes et quoad omnes dimensiones vitae humanae diffundant.

Card. Jullien: Pauca animadvertenda censerem:

— *primum,* de rationibus inter Episcopos et Parochos;

— *secundo,* de Parochorum stabilitate.

Primum: *de rationibus inter Episcopos et Parochos*:

Ad pag. 7,[5] lin. 1. Ad n. 1, § 2: « parochus singulari et strictiore prae ceteris Clericis nexu cum Episcopo se vinctum sentiat ». Haud placet eiusmodi molesta comparatio, falsum subaudiens: nam Vicarius Generalis, Officialis ac Canonici intimius cum Episcopo cohaerent in tota dioecesi regenda, atque Capitulum cathedrale constituitur ut « Episco-

[5] Cf. p. 578.

pum, ... tamquam eiusdem senatus et consilium, adiuvet » (can. 391, § 1).

Rursus, in eodem numero et paragrapho, minus placent quae ponuntur in linea quinta et sequentibus (pag. 7).[6]

Iuri etenim et rectae rationi haud consentaneum est asserere quod parochus est quasi quidam *sponsor pro tota dioecesi* cum Episcopo. Nam *sponsor* is est qui tenetur respondere, et quis respondere non debet nisi de facto suo aut de facto eorum qui ab eo ipso dependent.

Si parochus esset sponsor pro tota dioecesi gubernata, deberet pariter comparticeps esse gubernationis dioeceseos: quod absonum est, nisi in errores Synodi Pistoriensis damnatos prolabi quis iterum velit.

Insuper, puta si Episcopus male dioecesim gubernat, vel si eam obruat aere alieno, parochus sponsor non est, ideoque non tenetur respondere de culpis vel de debitis quibus Episcopus seipsum vel dioecesim gravavit.

Quocirca auferendam esse censerem locutionem in pagella quinta[7] linea octava: « quandam *corresponsabilitatis subministrationem* » atque loco istius neologismi satis sit referre verbum Sancti Thomae, vel « *aliquas subministrationes* » (uti in articulo citato ad secundum), vel melius « *administrationem quandam* » (uti in eodem articulo ad tertium).

Denique haud placet verbum « *invitet* » in linea prima pagellae octavae:[8] nemo etenim in domum suam invitatur.

Secundo: *de Parochorum stabilitate.*

Schema de negotio amotionis administrativae parochorum intendit proponere « simpliciorem, expeditiorem definitivumque modum » (uti legimus in linea vigesima nona pagellae sextae).[9] Sed modus propositus videtur gravioribus difficultatibus impediri atque minus idoneus esse quam ratio Codicis. Etenim:

Primum: Iuxta schema *Episcopus* ipse totam rem expedire atque perficere deberet, dum Codex loquitur de *Ordinario,* ideoque Vicarius Generalis haud excluditur.

Secundo: Iuxta schema *tres* parochi consultores audiri debent ab Episcopo, dum in lege Codicis *duo* parochi sufficiunt: quod rem faciliorem reddit.

Tertio: Schema in paragrapho secunda numeri tertii, in pagella nona,[10] loquitur de *casibus extraordinariis*: sed ratio loquendi iuridica

---

[6] Cf. p. 578.
[7] Cf. p. 577.
[8] Cf. p. 578.
[9] Cf. p. 578.
[10] Cf. p. 579.

non est, immo ambigua; aptius in Codice res committitur « iudicio Ordinarii » (can. 2147, § 2, 1).

Quarto: Numerus quintus (pagella decima) [11] aequitati naturali repugnat, cum neglegat legitimum impedimentum ad respondendum ex parte parochi; ideoque rectius addetur eidem numero can. 2149, § 1.

Quibus praehabitis, quaerendum: lex proposita eritne retroactiva? Nihil in schemate ad rem.

Necquid edicit de recursu ad S. Sedem, quae res gravis est. Placeret recursus ad Metropolitam, iuxta proposita ab Em.mo Card. Richaud; gravissimum est tollere recursum ad S. Sedem.

Sed insuper: si principium statuatur, omnes scilicet parochos *amovibiles* esse, deficit ideo distinctio amovibiles inter et inamovibiles. Ideoque omnes parochi sub regimine erunt tituli XXVIII, libri IV Codicis Iuris Canonici, qui agit quidem « de modo procedendi in remotione parochorum amovibilium »; atque etiam sub canonibus tituli XXIX de « translatione parochorum ». De iis vero schema silet, dum e contra forent Episcopo perutiles in favorem paroeciae *ad quam* parochus transfertur.

Conclusionis instar, igitur dicendum novam legislationem inutilem futuram, quia ratio simplicior in Codice iam habetur: pro omnibus parochis, exinde curatis amovibilibus, serventur canones pro iis promulgati in Codice, qui forte expoliri poterunt a Commissione de Codice emendando.

Duo tantummodo sub fine adnotare velim:

Primum: Scatet hic evidens difficultas quam certo Concilium obibit, si vota dabit vel canones conficiet quae Codicem demoliantur. Opus foret disiungendi Codicis, e quo tantummodo exstarent ruinae.

Secundo: Praesens schema coniungi deberet cum aliis quae *de parocho* agunt. Concilium scilicet statuat, cum vi retroactiva, omnes parochos amovibiles exinde fieri, ideoque regi pertinentibus canonibus.

Exc. COORAY: II. *De Parochorum stabilitate,* ad p. 9,[12] lin. 19 sqq., animadvertendum:

Amoto parocho, statim oritur necessitas novum pastorem pro paroecia vacanti providendi. Si vicarii desunt qui ad hoc munus statim promoveri possint, paroeciae vacanti provideri non poterit nisi per translationem alicuius parochi, quae translatio totam seriem translationum exigere potest.

---

[11] Cf. p. 580.
[12] Cf. p. 579.

Iamvero iuxta Schema Decreti de Officiis et Beneficiis etc. I. n. XI (pag. 8,[13] lin. 21) titulares officiorum ecclesiasticorum transferri possunt sacri ministerii causa, tantum « ab uno ad aliud officium vel beneficium *non inferius* ».

Magna proinde orietur difficultas providendi pro paroeciis quae sive honoris ratione sive ob beneficium annexum haud recensentur altioris gradus. Haud enim semper praesto erunt sacerdotes qui secundum modum procedendi in Decreto statutum (pag. 9,[14] lin. 21 et sqq.) a paroecia aliqua amoti ad aliam « inferiorem » transferri possunt.

Suaderi proinde videtur ut etiam extra casus in II. 3. § 1 (pag. 9, lin. 24 et sqq.) recensitos integra sit Episcopo Dioecesano potestas parochos et vicarios quoscumque transferendi prout salus animarum quae « suprema in Ecclesia est lex » dictaverit.

Modus procedendi expeditior redderetur si nominatio parochorum fit communiter ad sexennium vel duodecennium: quo expleto parochus regulariter transfertur quin talis translatio secum ferat qualemcumque ingloriam. Sex vel duodecim anni sufficere videntur ad illam stabilitatem parochis conferendam quam « officium expostulat pastorale » (pag. 9, lin. 11). Constat ex experientia Missionum ubi talis translationum consuetudo iamdudum viget, bonae administrationi ac simul animarum profectui haud parum conferre tam factum quam possibilitas translationis. E contra e communi experientia constat administrationem enervari ac progressus retardari, parocho diutius in situ manente.

Tali vero tempestivae parochorum translationi obstaret beneficiorum consideratio. Quum vero, ut in Decreto (pag. 9, lin. 5) affirmatur, « suprema in Ecclesia lex » sit « salus animarum », omni ratione suaderi videtur ut omni « gradus » distinctione reiecta ac beneficiis sive paroeciali officio sive aliis operibus annexis suppressis, unicuique sacerdoti operibus dioecesanis incumbenti a proprio Episcopo honesta sustentatio provideatur secundum proprias necessitates, attentis scilicet aetate, valetudine sacerdotis ac gravitate laboris etc. etc.

Haec sustentatio e communi Dioecesi aerario seu e « massa communi bonorum dioeceseos » (cf. Decretum de Officiis et Beneficiis, pag. 9, lin. 31) haurietur. Attenta vero paucitate oblationum et aliorum redituum, in aerarium Dioecesanum seu « in massam bonorum communem» confluere debebunt etiam honoraria Missarum ac iura stolae omnium sacerdotum (unde necesse erit ut etiam Schema Decreti de Officiis et Beneficiis congruenter immutetur).

---

[13] Cf. p. 579.
[14] Cf. p. 579.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Richaud, König et Jullien.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: nempe iuxta animadversiones factas ab Em.mo Card. Jullien.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet omnia quae in suo voto exposuit Em.mus Cardinalis Jullien, ut mihi videtur, attente consideranda sunt. In cap. 2, n. 5, pag. 10,[1] addatur ut in can. 2149 Codicis Iuris Canonici: « nisi probet ipsum quominus responderet legitime impeditum fuisse ».

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet, schema mihi videtur nimis prolixum sed non undequaque perfectum quum nonnulla desiderentur pressius coordinari cum iis quae iam vidimus in schematibus de paroeciarum provisione, de obligationibus parochorum, et de officiis et beneficiis ecclesiasticis ab Em.mo Card. Ciriaci elapso novembri propositis.

Ideoque sufficere videretur heic principia fundamentalia statuere ceteris novo Codici Iuris Canonici apparando remissis, habita potissimum ratione animadversionum Em.morum Cardinalium Richaud et Jullien.

Prima pars videtur potius pia adhortatio in qua tamen, pag. 8,[2] lin. 6, habetur verbum satis durum « eos non tamquam servos » quod forsan facile immutari vel potius utiliter omitti fas erit.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: ratione tamen habita de iis quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Richaud, König, Jullien.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet secundum dicta ab Em.mo Richaud.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: ratio habeatur animadversionum ad mentem Em.mi Cardinalis Ferretto.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: attentis observationibus Card. Jullien et Card. Ruffini.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: modus est, ut n. II, 9, § 1, deleatur, quia pro hac re iam provisum est in n. II, 3-8.

---

[1] Cf. p. 580.
[2] Cf. p. 578.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: attentis iis quae ab aliquibus Em.mis vel Exc.mis membris adnotata sunt, praesertim autem ab Em.mo Card. Jullien et ab Em.mo Card. Richaud.

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet. Si breviori forma redigatur forsan erit magis efficax.

Card. McINTYRE: Placet.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: exceptis iis, quae proponenda sunt in pag. 9,[4] capite II, numero secundo de stabilitate parochorum et relative in sequentibus.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est iuxta animadversiones Em.morum Cardd. Richaud et Jullien et iuxta ea quae in folio adnexo continentur et a me dicta fuerunt.

Cum libertas Episcopi in nominatione parochorum, tam necessaria ad electionem vere idonei pro unaquaque paroecia, admodum coarctetur iure praesentationis, quo privati ecclesiarum patroni, aliquibus in regionibus, fruuntur, ad spirituale bonum fidelium maxime interest ut, — servatis reliquis horum patronorum privilegiis, de quibus in can. 1455, n. 2, — ius praesentandi, de quo in n. 1 eiusdem canonis, saltem quod ad paroecias attinet, supprimatur, et, loco huius iuris, patronis concedantur aliqua publica suffragia aliaeque gratiae spirituales pro se suisque, etiam in perpetuum; vel, si hoc non videatur opportunum, mutetur, saltem, modus praesentationis ita ut patronis non liceat praesentare nisi unum e tribus sacerdotibus, qui eis ab Episcopo proponantur.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones ab Em.mo Card. Jullien factas.

Opportune officium paroeciale declaratur collatum non in commodum sacerdotis sed in spiritualem fidelium utilitatem et modificatur natura iuridica stabilitatis illius officii.

Ubi tamen agitur de amotione parochi non videtur necessaria provisio schematis (pagina decima,[5] numero quarto, paragrapho prima), quae requirit, ad validitatem, quod Episcopus ne quidem parochum ad renun-

---

[3] Cf. p. 585.
[4] Cf. p. 579.
[5] Cf. p. 579.

tiandum invitet nisi « auditis tribus parochis consultoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa ». Sunt, enim, causae quae melius inter ipsum parochum et Episcopum tractantur, sine interventione consultorum. Et satis providetur in numero 7 (septimo), iuri parochi qui renuntiare non vult.

Credo etiam quod notula 12 (duodecima), pagina 10 (decima),[6] de nominatione novi pastoris loco parochi amoti, incorporari deberet ipso textui schematis.

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum.

I. Illa minuscula circa relationes inter Episcopos et parochos, ut in expositione Cardinalis Marella narrata sunt, mihi videntur valde idonea vel pro Statutis Dioecesanis, vel etiam pro Decretis Concilii sive Provincialis sive Plenarii Nationalis. Sed nimis tritum mihi videtur ut ista minuscula, in numeris 1-8, pag. 6 [7] sqq. contenta, inter Concilii Oecumenici Decreta enumerentur.

II. Clare tamen inter considerationes praeliminares esset animadvertendum unamquamque dioecesim non esse, ut ita dicam, unam « Commonwealth », sicut « Commonwealth Britannica », nec esse unam Foederationem multarum entium — paroeciarum vel institutionum religiosarum — sed esse *quid unum totale,* in quo auctoritas coordinans est ipse Episcopus. Multis in locis, ubi paroeciae longe lateque creverunt, apparet tendentia ex parte parochorum considerandi sua territoria tamquam entia independentia; procul dubio, oboedientiam Episcopis suis praebent, vinculumque aliquod, etiamsi valde tenue, cum Episcopis suis retinent. Sed praeter haec, in illorum modo agendi, inconscienter fortasse, isti parochi impressionem dant sese habere tamquam parvos Episcopos. Hic meam in mentem venit quod narratur de aliqua regione valde catholica. Quantum veritatis in hac narratione adsit nescio; tamen, « se non è vero, è ben trovato ». Dicunt aliquem peregrinum in ista regione advenientem interrogasse quantos Episcopos in illa regione habitare; cui, cum aliquo aculeo, responsum est numerum centuplicem esse. Peregrino explanationem quaerenti, nuntiatum est unumquemque parochum in illa regione seipsum tamquam aliquem Episcopum considerare.

III. Etiamsi hoc punctum inter considerationes Cardinalis Marella invenitur, tamen, puto, tendentiis modernis prae oculis habitis, hac in re plus insistere debemus.

---

[6] Cf. p. 581.
[7] Cf. p. 578 s.

Card. MONTINI: Placet iuxta modum, nempe:

Pag. 5,[8] linn. 12-13, abolenda videntur verba, hoc loco allata, scilicet « officium ex iure divino, quod mediatum et hypotheticum vocant » ad vitandas confusiones.

Pag. 6,[9] lin. 16, adderem verbum « translatione ».

Pag. 6, lin. 31, et sequentibus: definitio Parochi muneris videtur meliore ratione enuncianda, id est: Parochus est sacerdos cui Episcopus confert suam paternam et pastoralem potestatem circa animarum dicioni paroeciali pertinentium curam spiritualem.

Pag. 6, linn. 31-32, verba « persona moralis » videntur tollenda, ut caracter personalis et paternus officii pastoralis, iuxta principia in schemate allata, apprime vindicetur.

Convenio tandem his quae a Cardinali Jullien dicta sunt.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae dicta sunt ab Eminentissimis Cardinalibus nec non ab Excellentissimo Episcopo Cooray; semper in materia hac opus est meminisse bonum animarum esse supremam legem.

Card. CICOGNANI: Placet iuxta modum: ratione habita cum revisione codicis, iuxta ea quae dicta sunt, praesertim a Cardinalibus Richaud et Jullien et expunctis nonnullis verbis:

Pag. 7,[10] ad n. 3, in fine dicitur: « Pro inviolabili denique regula habeat " nihil sine Episcopo ", nedum contra Episcopum, ipsum cum suis ovibus moliri ». Expungerem « cum suis ovibus »; videtur quod possit moliri solus, aut dicatur: « ipsum cum suis ovibus aut alio modo moliri ».

Pag. 8,[11] uti dictum est ab alio: « nostris temporibus paroeciali officio occurrunt; eos non tamquam servos sed tamquam amicos »; dicatur tantummodo: « eos tamquam amicos » et expungantur alia verba.

Et in fine, pag. 11,[12] ad n. 9, sermo est de amotione, quando parochi pertingunt ad aetatem septuagesimi anni; dicatur « renuntiatio » potiusquam « amotio »; parochi qui ita amoventur ius habent ad congruam sustentationem; dicatur alio modo. Amotio colligit ideam poenae.[13]

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: attentis observationibus Em.morum Cardd. Richaud, Ruffini et Cicognani.

---

[8] Cf. p. 577.
[9] Cf. p. 577.
[10] Cf. p. 578.
[11] Cf. p. 578.
[12] Cf. p. 580.
[13] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Schema multa optima habet.

In pagina nona,[14] *De Parochorum stabilitate*: Abrogatio de qua sub numero tertio pagina nona adiumentum erit Episcopo.

Sub numero quarto autem, in sectione secunda, pagina decima [15] ubi de parochis consultoribus eiusdem nationis ac parochus amovendus, nonne melius esset addere post vocem audiendis « *ubi possibile* », sit eiusdem nationis ac parochus amovendus?

Non video necessitatem huius rei. Sit potius commendatio seligendi parochum eiusdem nationis: deberet sufficere.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet, perpensis quae a Patribus dicta sunt.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: secundum observationes a me factas [16] de amotione parochorum, auditis consultoribus forsan non expeditis, sed potius cum recursu ad Archiepiscopum, vel si agatur de uno Archiepiscopo ad alium Archiepiscopum antea designatum; et secundum animadversionem Card. Léger de vera natura officii parochi, et Card. Cicognani.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum.[17]

Card. DÖPFNER: Placet.

Card. MEYER: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis ab Em.mis Patribus.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: iuxta ea quae sunt dicta a diversis Patribus.

Card. CONCHA: Placet. Praesertim quatenus schema stabilitatem statuit. Item quatenus distinctionem abolet inter Parochos inamovibiles et amovibiles atque amotionis administrativae novam proceduram decernit. Non infitior quidem redactionem emendari posse.

Card. DI JORIO: Placet iuxta modum: seu iuxta observationes Em.mi Card. Jullien.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: seu iuxta animadversiones factas ab Em.mis Richaud, König, Montini, Cicognani et Jullien. Verum,

---

[14] Cf. p. 579.
[15] Cf. p. 579.
[16] Cf. pp. 585-586.
[17] Cf. p. 586.

pag. 10,[18] n. 4, § 1, loco « auditis » praeferam « consentientibus duobus parochis consultoribus ».

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: iuxta folia adiuncta.[19]

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut, admissa amovibilitate, omnia corrigantur quae sapienter notata fuerunt ab Em.mis Cardd. Richaud, Jullien, König, Ferretto, Quiroga, Montini et Cicognani et applicetur ratio procedendi pro parochis amovibilibus in Codice revidenda.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. voto Em.mi Jullien adhaereo.

Card. BEA: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum eorum quae proposueurnt Em.mi Cardd. Richaud, König, Jullien et Ferretto.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: scilicet secundum animadversiones Em.morum Cardd. Jullien et Richaud.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: ad mentem Em.morum et Exc.morum Sodalium huius Comitatus Centralis.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: iuxta nempe ea quae adnotata sunt ab Em.mis Cardinalibus Ferretto et Jullien.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta animadversiones Eminentissimi Relatoris.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta dicta ab Em.mis Cardinalibus Jullien, Richaud, Ferretto, Ruffini, Cicognani et ab aliis Patribus Concilii.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimorum Cardinalium Ruffini, Jullien et aliorum Patrum.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: iuxta observationes factas praesertim ab Eminentissimo Jullien.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: nempe iuxta ea quae adnexa sunt [20] et iuxta ea quae ab Eminentissimis Patribus dicta sunt.

---

[18] Cf. p. 579.
[19] Cf. pp. 586-588.
[20] Cf. pp. 588-589.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: attenta observatione facta ab Em.mo Cardinali Richaud.

Exc. HURLEY: Placet.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae dicta sunt ab Eminentissimis Cardinalibus König et Jullien; ad paragraphum secundam numeri noni paginae undecimae [21] aliquid adderem: « Si parochus, propter nimiam aetatem suam a paroecia amotus erit, ius habebit non solum ad congruam sustentationem, sed ad vitam sacerdotalem gerendam ».

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: sc. iuxta observationes factas ab Em.mis Cardd. Richaud, Léger, et Exc.mo Cooray.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum propositum ab Em.mo Cardinali Jullien.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita animadversionum Eminentissimi Card. Jullien et Excellentissimi Cooray.

Exc. BENGSCH: Placet.

Exc. JELMINI: Placet. Hoc schema placet praesertim eo quod eius spiritus unitatem et caritatem fovet inter episcopos et suos sacerdotes quod est valde necessarium ac perutile. Adhaereo animadversionibus ab Eminentissimis Patribus factis.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: perpensis observationibus a Patribus factis.

Rev. GUT: Placet iuxta modum: plurima in hoc schemate pulchre et prudenter dicta sunt. Sed, liceat mihi hoc dicere, non clare video cur Concilium Oecumenicum hac de re agere debeat. Faciliori via a Sancta Sede haec quaestio solvi posset.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attenta disceptatione et brevi scripto quod adiungo.

1) Introductio aliqualiter involuta est.

2) Quae dicuntur de amotione parochorum pag. 6,[22] linn. 15-16 et linn. 25-30 indigerent examine prudente a parte Commissionis pro re-

---

[21] Cf. p. 580.

[22] Cf. pp. 577-578.

visione Codicis I. Can. Item quae pag. 9,[23] linn. 14-29 et in pag. 10,[24] linn. 1-3 dicuntur.

3) In pag. 11,[25] lin. 8 dicerem potius 75 annum.

Rev. SÉPINSKI: Placet schema et etiam propositio Commissionis de Episcopis et de Dioeceseon regimine p. 10 [26] nota 12 facta.

V

DE PAROCHORUM OBLIGATIONIBUS QUOAD CURAM ANIMARUM

(Tertia Congregatio: 22 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

Omnia quae in iure statuuntur de obligationibus parochorum finem revera intendunt ut parochi rite ac fructuose curam animarum exerceant, quod est proprium eorum officium. Plura tamen expresse praeterea determinentur oportet, quae directe et immediate attinent ad rectum et aptum exercitium curae animarum a parochis explendum, quo tutius ac facilius copiosiores atque opimi fructus percipiantur.

Haec proinde proponuntur, quae sequuntur:

I - Parochus summa cum diligentia munus suum « pastoris animarum » exsequatur, semper prae oculis habens quod paroecia est pars gregis Christi et fideles membra sunt Corporis Christi Mystici. Pastorali caritate flagrans, Dei gloriam, salutem animarum et Ecclesiae aedificationem summopere prosequatur, tanquam magister et sacerdos ac rector fidelium.

II - Ut *magister,* parochus est Episcopi auditor in exsecutione mandati quo Christus Dominus Apostolis iniunxit: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Matth.,* XXVIII, 19). Proprio et gravissimo suo officio accuratissime fungatur, quo populo christiano verbum Dei nuntiare (can. 1344, § 1) eumque catechetica institutione excolere tenetur (can. 1329).

1) Curet parochus, ut pueri a prima aetate per parentes in praecipuas fidei veritates et in vitam christianam inducantur, iique catechetica institutione in elementaria schola rite imbuantur.

---

[23] Cf. p. 579.
[24] Cf. p. 579.
[25] Cf. p. 580.
[26] Cf. p. 581.

Peculiari studio pueros praeparet ad sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et confirmationis rite suscipienda (can. 1330), eosque qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius in doctrina catholica instituat (can. 1331): quae quidem institutio, ad normam in Episcoporum conferentiis statuendam, per eorum adulescentiam protrahatur oportet.

2) Diebus dominicis ceterisque per annum festis, secundum normas a iure communi et particulari statutas, intra Missas conciones habeantur, in quibus nuntietur evangelium salutis (cf. *Eph.* I, 13), et exponantur quae fideles credere et facere oportet (cann. 1344, 1345, 1347).

3) Praeterea, parochus magna cum sollertia doctrinam catholicam, forma catechetica, secundum Ordinarii statuta fidelibus adultis tempore praesertim Quadragesimae et Adventus et, ubi mos est, diebus dominicis explicet, sermone ad eorum captum accommodato (can. 1332).

4) Dum sponsos ad matrimonium contrahendum praeparat, sacramenta administrat, funus defunctorum persolvit, domibus benedicit, sacris processionibus praeest, aliave publica pia exercitia celebrat, parochus data occasione opportune utatur exponendi doctrinam, quae ad rem pertinet, ut fideles exinde uberiores fructus percipiant.

III - In sacris concionibus habendis parochus nihil aliud intendat nisi praedicare verbum Dei, prouti in fontibus revelationis continetur et ab ecclesiastico magisterio proponitur. Itaque, praedicet integram doctrinam fidei; item, doctrinam moralem etiam ad graviores errores refellendos, qui communius in populo dilabuntur; pariter, doctrinam socialem Ecclesiae, quam Romani Pontifices exposuerunt.

IV - Parochus utriusque Testamenti loca excerpta saepius explanabit et verba quaedam Sacrae Scripturae proponet, quae fideles in cordibus suis conferant (cf. *Luc.*, II, 51) ad cibum et lumen spirituale hauriendum ac vitam sancte ducendam. Peculiares coetus fidelium commendet ac foveat, in quibus — aliquo sacerdote praesente ac moderante — sua quisque pia et opportuna commentaria faciat de his quae ex Sacra Biblia leguntur; omnes autem fideles vehementer exhortetur, ut praesertim Novi Testamenti saepius lectionem faciant, cuius liber in qualibet familia christiana adesse deberet.

V - Ad catecheticam institutionem tradendam parochus, si necessitas id poscat, operam adhibeat clericorum et sodalium Institutorum Saecularium in paroeciae territorio degentium; religiosi quoque, etiam exempti, catecheticam institutionem secundum normas ab Ordinario loci praefinitas populo tradere debent, praesertim in propriis ecclesiis, si ab Ordinario sint requisiti (cf. cann. 1333 et 1334).

VI - In curanda puerorum institutione parochus, iuxta laudabilem et ubi recepta non est omnino inducendam consuetudinem, adhibeat etiam operam piorum laicorum, tum virorum tum mulierum, eorum praesertim qui alicui piae associationi — potissimum quidem Actionis Catholicae — nomen dederint.

VII - Pro locorum et rerum adiunctis, parochus diligentem curam adhi-

beat ut pueri scholas catholicas celebrent, eorumque parentes moneat de gravi ipsorum obligatione non permittendi ut filii sui scholas acatholicas, neutras, mixtas — quae nempe etiam acatholicis patent — frequentent, nisi in casu necessitatis et cautelis adhibitis ab Ordinario loci statutis, ut perversionis periculum vitetur (can. 1374).

VIII - Ut *sacerdos,* spirituales hostias parochus offerre ne desinat, Deo Patri acceptabiles per Eius Filium Iesum Christum, Dominum nostrum. Sacrosanctum Missae Sacrificium sit centrum vitae paroecialis et fidelium pabulum spirituale. Nulla habita ratione eorum originis et conditionis socialis, omnes fideles « actuosa participatione » Eucharistico Sacrificio intersint, et, verbo Dei enutriti, caritate fraterna intimius semper ac perfectius inter se in Domino uniantur. Secundum normas a Sancta Sede et ab Ordinario loci praestitutas, studeat parochus taliter divina officia ordinare et fideles instituere, ut Sacra Liturgia totam vim suam et efficaciam exerceat ad eorundem animos christiane efformandos.

IX - Divina officia statis temporibus parochus sedulus rite peragat, et sacramenta fidelibus sollicite ac devote administret, quoties legitime petant (can. 467, § 1).

X - Ut *rector,* parochus haud unquam immemor paroeciam partem esse Ecclesiae, cor suum et corda fidelium dilatet ad integram dioecesim universamque Ecclesiam actuosa charitate amplectendam.

XI - Divini Pastoris praecepto obtemperans, parochus vere mitis sit et humilis corde, summaque cum humanitate erga omnes se habeat, quos Deus ipsi commendavit. Ceterum, officio et auctoritate sua fretus, scandala strenue compescere ne timeat, quae dentur in paroecia, et sectis hominibusque fortiter obsistat, qui fidei propagationem impedire conentur.

XII - Quoniam pastor bonus oves suas cognoscere debet, parochus semel saltem in anno — per seipsum, si fieri potest, secus per suos vicarios cooperatores — singulas paroeciae familias visitare ne omittat. De omnium fidelium necessitatibus paterne sollicitum se exhibeat, et variis, iuxta normas ab Ordinario statutas, utens adiumentis, uti *statu animarum,* rationariis, aliisque id genus, de eorum religiosae, familialis et socialis vitae conditionibus prudenter inquirat, ac notitias ita obtentas discrete retineat.

XIII - Parochus diligenter adlaboret, ut fideles — de christianorum dignitate et obligationibus plane edocti — crescant in gratia et cognitione Dei (cf. *II Petr.,* III, 18), sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei Salvatoris nostri Iesu Christi (cf. *Tit.,* II, 12-13). Studiose prospiciat ut, saltem decimo quoque anno, sacra, quae vocatur, missio, ad gregem sibi commissum habeatur (can. 1349, § 1). Pium exercitiorum spiritualium usum fidelibus suadeat. Operam det, ut, qui ecclesiasticae vel religiosae vocationis indicia praebeant, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceantur, et ad pietatem informentur, et ad vocationem suam persequendam adiuventur.

XIV - Pauperes et miseros atque aegrotos, maxime vero morti proximos,

parochus peculiariter sibi commendatos habeat. Non solum ipse large liberaliterque opera misericordiae corporalis exerceat, sed etiam efficiat ut quotannis certa pecuniae summa ex bonis paroeciae destinetur ad indigentibus auxilium afferendum, et pias associationes foveat aut instituat ad caritatis opera exercenda; ita ut fideles communitatem constituant caritate coniunctam (cf. *I Petr.* II, 17), eorumque sit cor unum et anima una (cf. *Act.*, IV, 32), ac alter alterius onera portet, sicque iidem adimpleant legem Christi (cf. *Gal.*, VI, 2) et tanquam Eius discipuli evidenter agnoscantur (cf. *Ioan.*, XIII, 35).

XV - Parochus summo studio atque sollertia curare tenetur, ut, sic dicta, *oratoria* vel *recreatoria* habeantur, tum pro pueris tum pro puellis aliaque specialia pro his qui aetatis decimumquartum circiter annum iam attigerunt — quae etiam aptis mediis sint intructa ad eorum animos relaxandos — ut firmiter atque christiane efformentur.

XVI - Adultorum quoque virorum ac mulierum coetus, praeprimis consociationes apostolatus laicorum et actionis catholicae, parochus commendet ac foveat vel erigendas curet, ut ad plenius perfectiusque vitam christianam agendam excitentur et sustineantur, dum praescriptis ac normis hierarchiae ecclesiasticae integre fideliterque obtemperant, prompti etiam atque parati eidem alacriter studioseque praesto esse.

XVII - Maxime intentus ut vero spiritu christiano singulae familiae bene informentur, parochus sanctitatem matrimonii crebro fideles doceat, et operam det ut propinquior quaedam coniunctio cum coniugibus fiat, ut eorum bono etiam spirituali aptius prospiciatur.

XVIII - Si causa ferat, parochus uni vel pluribus vicariis cooperatoribus specialem curam committat exercendam pro operariis, pro agricolis, pro his qui studiis secundariis aut superioribus incumbunt, pro his qui peculiaribus officiis professionalibus funguntur, ut fructuosius eorundem bonum promoveatur, quin tamen caritas et consensus atque unitas inter fideles ullum detrimentum patiantur.

XIX - Quotiescumque rerum adiuncta id requirere videntur, parochus Consilium cogat, praesidibus constans sodalitiorum paroecialium, eique praesit, ut, fraterne collata opera, utiliora incepta perpendant atque in effectum deducant, quae ad paroeciam spectant.

XX - Paterna cum caritate parochus fideles excipiat, qui in paroeciam adveniunt cum animo ibidem perpetuo manendi, aut etiam solummodo ad tempus. Eos visitet, vel saltem ad eos litteras mittat ut certiores fiant de divinis officiis quae in ecclesia paroeciali celebrantur, necnon de *operibus paroecialibus,* quae dicuntur, ad spiritualia et temporalia auxilia fidelibus subministranda. Parochus autem paroeciae a qua fideles discedunt, tempestive eosdem commendet rectori paroeciae ad quam illi se conferunt.

XXI - Parochi sollicitam habeant curam pastoralem fidelium, qui, rusticationis vel sanitatis vel animi relaxandi causa, in eorum paroecia peregrinantur in hospitiis deversantes aut in campis vel sub dio considentes. Pariter, parochis maxime cordi sit diligens et efficax cura pastorali fidelium, qui in tabernis

et hospitiis deserviunt, ad quae praefati peregrinantes et sic dicti *turistae,* convenire solent.

XXII - Fervido amore salutis animarum flagrans, parochus enixe satagat ut fideles, qui cum hominibus materialismo vel atheismo inquinatis conversantur, in vivacem inserantur paroeciae communitatem eorumque spiritualis formatio intima et firma efficiatur, adeo ut fortes sint in fide catholica ac veri testes Christi Iesu. Praeterea, ardentissimo zelo apostolico incensus magnopere contendat ut fideles, qui inter incredulos vitam agunt, doctrina christiana penitus imbuantur, ita ut fallacias mundi detegere valeant, perversitatibus et persecutionibus resistant, fidem suam defendant, iis familiariter utantur qui Ecclesiae Christi vere sunt addicti.

XXIII - Parochus vigilet in societates, quae in territorio paroeciae constituuntur, in scripta quae vulgantur, in spectacula quae dantur, et fideles exhortetur ut ab iis caveant, quae religionem catholicam aut bonos mores impetunt. Instituta foveat quorum sit sive catholica divulgare diaria aliaque scripta, sive fideles certiores facere de ratione habenda librorum et spectaculorum atque emissionum radiophonicarum, quatenus in ordine ad fidem et bonos mores considerantur.

XXIV - Divini Pastoris exemplum secutus, qui venit salvare quod perierat (cf. *Matth.,* XVIII, 11), parochus oves errantes sollicite requirat, et etiam magna cum benignitate atque sollertia eos attingat, qui proprias fidelium obligationes non servant, aut indifferentia religiosa laborant, aut in ipsum communismum vel atheismum prolapsi sunt. In quo, sane, ministerio exercendo, normis seu regulis et monitis atque consiliis obtemperet, quae a Centro Pastorali dioecesano vel nationali ad rem praestituuntur.

Praeterea, parochus commendatos sibi in Domino habeat acatholicos in sua paroecia degentes (can. 1350, § 1).

XXV - In omnibus denique negotiis, quae ad curam animarum exercendam attinent, parochus libenter ac fideliter praescriptis et consiliis obsequatur, quae in Directorio Pastorali praefiniuntur. Vehementer enim suadetur ut in singulis regionibus Directorium Pastorale habeatur, a Centro seu Centris Pastoralibus conficiendum et ab Episcopis in suis conferentiis probandum, ut secundum varia rerum et locorum adiuncta sacerdotes opportune instituantur ad ea omnia prudenter et fructuose agenda, quae necessaria sunt aut utilia in exercitio sacri ministerii et curae animarum.

XXVI - Parochus partes diligenter expleat, ei assignatas in apostolatus operibus supra-paroecialibus et vel etiam supradioecesanis, quae sive ab Apostolica Sede, sive ab Ordinario loci, sive ab Episcopis coadunatis in conferentiis provincialibus vel regionalibus eriguntur, ut aptius et perfectius curae animarum exercendae opportune prospiciatur.

Ad Vicarium Foraneum pertinet opera apostolatus in suo districtu promovere et coordinare secundum normas ab Episcopo statutas.

XXVII - Cum bonum animarum plerumque exigat, ut ubi quamplures fideles diversi sermonis aut nationis in eodem territorio commorantur, pro

iis paroeciae personales erigantur, parochi non solum non impediant ut id fiat, sed potius curent ut id efficiatur.

Eadem autem de causa proponitur ut canoni CIC 216 haec addatur: « § 5. Ubi necessitas vel magna utilitas id exposcat, paroeciae pro fidelibus diversi sermonis vel nationis in eodem territorio degentibus auctoritate Ordinarii loci erigi possunt, auditis Capitulo cathedrali et parochis consultoribus ».

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-7 octobris 1961.

2) RELATIO EM.MI P. D. PETRI CARD. CIRIACI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

Quaestiones propositae et definitae in schemate Decreti « De Parochorum obligationibus quoad curam animarum » ad tres classes referuntur:

1) Institutio fidelium in doctrina christiana, scilicet de catechesi et de praedicatione;

2) Administratio Sacramentorum et functiones religiosae in Ecclesia et extra;

3) Directio fidelium in vita privata et publica christiane exercenda.

Videant mei venerandi Collegae, si formulae, consueta diligentia et intelligentia a mea Commissione confectae, sint et quomodo adprobandae. Vestra opinio habebit nostram maiorem comprehensionem. Sed id quod ante omnia interest non sunt tam formulae quam spiritus, spiritus quo parochus duci debet. Spiritus debet esse paternus. Paternitas est principium quoddam fundamentale in catholica religione, incipiendo ab ipsa Trinitate, seu Pater et Filius et Spiritus Sanctus; incipiendo ab oratione, quam Christus Dominus nos docuit: « Pater Noster qui es in coelis ». Beatissimus Pater est Pater omnium fidelium in Ecclesia dispersorum. Episcopi sunt Patres suorum dioecesanorum; Parochus est Pater suorum paroecianorum. Et, id quod videtur contradictorium, eo minores sunt subiecti, eo minores sunt fideles, eo intimior est paternitas. Igitur verus et intimus pater est parochus.

Haec est fundamentalis igitur parochi obligatio: se ostendere in omnibus patrem suorum paroecianorum; obligatio, quae est eodem tempore praemium. Nam parochus habet praemium in sua paternitate. Parochus sentit se esse patrem, parochus sentit se esse in familia et non habet illum sensum solitudinis quod est principale sacrificium vitae ec-

clesiasticae. Parochus debet se monstrare patrem suorum paroecianorum in momentis quae magis se referent ad familiam: scilicet in ortu, in matrimonio et in morte, praesertim in morte, quando populus videt quid est vita hominis, scilicet porta mortis; tunc parochus debet esse angelus consolationis, tunc debet participare gaudio et doloribus familiae et tunc habebit influxum enormem, duraturum, in familiis ipsis. Et igitur quomodo prudens debet esse in illis quae, phrasi horribili, vocantur « iura stolae », ex poësi ad infimam partem. In hac re debet parochus considerare se magis patrem quam hominem fiscalem.

Utcumque vitandum est ne parochus se consideret dominum. Debemus fateri: in ecclesiasticis est tendentia ad iubendum, ad imperandum, ad dominandum in omnibus rebus et in illis quae ad nos non pertinent. Parochus debet igitur evitare se monstrare dominum; revera Beatissimus Pater est servus servorum Dei. Relate ad hanc rem ego feci observationem uni ex praecedentibus Summis Pontificibus, qui hanc observationem meam benigne accepit et me extra portam non eiecit. Ego eram officialis Secretariae Status, Sub-Secretarius negotiorum extraordinariorum et dixi Beatissimo Patri: Beatissime Pater, meum munus est difficilius quam illud Summi Pontificis. Summus Pontifex est servus servorum Dei, ego sum servus servorum Papae, quod est omnino plane differens. Benigne accepit hanc rem.

In paroecia non sunt omnes boni (nam servi Dei sunt omnes boni); in paroecia sunt etiam mali, sed etiam coram malis parochus debet se demonstrare patrem, debet esse pastor, qui quaerit ovem quae perierat, quae dispersa fuerat et eam ducit ad ovilem. At si parochi habent obligationes, si nos recolimus obligationes parochorum, debemus etiam recolere quid parochi repraesentant in Ecclesia. Parochi sunt illi qui faciunt laborem fundamentalem in Ecclesia; nam sunt illi qui appropinquant fideles. Fideles iudicant Ecclesiam ex parocho de hac re et inde nos habemus etiam officium eos bene tractandi, ad minus intra limites Encyclicae *Mater et Magistra.* Non solum, sed debemus gratum Ecclesiae animum eis ostendere debitamque laudem tribuere. Dixi ut aliqui intelligant.[1]

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Siri: *Observatio generalis.* Plura dicuntur et quidem optima. Ea utique dicenda sunt. Tamen est aliquid *in facto* perpendendum: plurimi parochi, quia soli vel cum uno tantum Vicario Cooperatore et nimio

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

populo, his quae dicuntur nullo modo sufficiunt et hoc sine culpa eorum. Quaestio ergo est, saltem in magnis paroeciis urbanis, ubi diversae categoriae saepe diversis et aptis instrumentis curandae essent,

a) ut veri cooperatores laici formentur;

b) ut intelligant Parochi non tantum acceptare, sed etiam requirere integrationem ab operibus quae sunt extra proprias paroecias, sive supra-paroecialia, sive dioecesana. Onus parochi non cessat ubi eius possibilitates seu vires desunt, sed eousque producitur quo etiam per alios aptiora instrumenta seu remedia suppeditantur. Et hoc in schemate esset dicendum, mea saltem humili sententia. Principium affirmari debet quo dicitur: cum quis domi sufficientia non habet, extra domum sciat esse eadem requirenda.

Quaedam particularia:

Pag. 4,[1] n. IV, lin. 38: demantur « ... sua quisque etc. ». Posset male intelligi.

Pag. 6,[2] n. XII (cf. XX): ne sermo fiat de visitatione singulis annis a parocho facienda in privatis domibus, nisi forte agatur de benedictione paschali. Ea etenim in pluribus locis posset fieri sat periculosa. Singuli Episcopi decernant vel Conferentiae.

Card. LÉGER: Bene exponuntur in schemate diversae obligationes parochi secundum categorias classicas: magisterium, sacerdotium, iurisdictionem.

Tamen multa mihi videntur notanda.

Antequam agatur de diversis obligationibus parochi, propono quod officium parochi explicite et cum aliquo vigore declaretur verum servitium sicuti sunt omnia officia ecclesiastica.

Opinor quod catechesis facienda occasione sacramentorum administrationis, de qua in n. III paginae quartae,[3] anteponenda est, in schemate, explicationibus doctrinalibus de quibus agitur in n. III. Illa catechesis est enim maioris momenti, in se et quoad fideles, et schema insistere deberet super eius uberiores fructus pastorales.

Sublineatur in paragrapho III quod concio intra missas est functio paroecialis maximi momenti quae exigit a parocho praeparationem valde seriosam. In eadem paragrapho non solum scopum negativum praedicationis memoretur (« ad errores refellendos ») sed etiam positivus influxus nempe incrementum vitae christianae.

---

[1] Cf. p. 598.
[2] Cf. p. 599.
[3] Cf. p. 598.

Item particulariter invitentur parochi ad ipsum Evangelium praedicandum in suis magnis veritatibus.

In paragrapho IV, exigitur quod coetus biblici pro fidelibus moderentur a sacerdote; nonne melius esset dicere « a persona vere perita ». Saepe fit ut religiosi non clerici possint munus hoc adimplere.

In paragrapho V, non claro patet quod fratres et sorores proponuntur ad catecheticam institutionem tradendam. Nec intelligitur cur habeatur provisio « Si necessitas id poscat ».

In paragrapho VI, appellatio « pii laici » non est praecisa etsi olim recepta. Melius dicatur « laici christiani et periti ».

In ultima linea paragraphi VII formulae « ut perversionis periculum vitetur », praefero verba: « ut fidem perdendi vel minuendi periculum vitetur ».

In paragrapho IX, propono formulam « ... sacramenta fidelibus sollicite ac devote *ad normam iuris* administret » et suppressionem verborum « quoties legitime petant ».

Quoad paragraphum XII, dicitur quod parochus familias paroeciae visitare debet « per seipsum, si fieri potest, secus per suos vicarios cooperatores ». Melius diceretur « per seipsum, si fieri potest, secus adiuvantibus vicariis cooperatoribus ». Desideratur enim quod parochus saltem aliquam partem habeat in visitatione paroeciae.

In paragrapho XXII, ubi agitur de relationibus paroecianorum cum non-catholicis (materialistae, atheistae, increduli, etc. ...), eadem attitudo debet primo praescribi fidelibus christianis ac pro ipso parocho erga eosdem non-catholicos: i. e. « benignitas et sollertia ad exemplar Divini Pastoris » sicut dicitur in paragrapho XXIV. Actitudo fidelium non debet esse mere defensiva (« fallacias detegere », « perversitatibus et persecutionibus resistere » « Fidem defendere ») sed etiam positiva. Primarie considerandum est quod catholici suam caritatem, fidem, et spem diffundendam habent. Est enim maximi momenti quod omnes catholici non tantummodo in diem melius percipiant quod salutem aliorum exoptare debent, sed etiam conscii sint de eorum responsabilitate coram Deo et humanitate pro aliorum salute. In eodem spiritu, in paragrapho XXIII, parochus non solummodo paroecianos avertet a malo sed etiam incitat ad omne quod bonum est.

Card. KÖNIG: Pag. 4,[4] lin. 24 et sequentibus: In notione exposita sacrae concionis, mihi videtur, mentio explicita esset facienda ex una parte positionis centralis, quam sacra Scriptura in omni sacra concione

---

[4] Cf. p. 598.

— etiam non proprie homiletica — debet obtinere, et ex alia parte mentio facienda esset nexus intimi, qui inter sacram liturgiam et praedicationem verbi Dei obiective habetur.

Pag. 5,[5] lin. 7 ad lin. 20: Hoc loco desideratur, uti mihi saltem videtur, textus generalior et universalior. Videtur explicite commemoranda esse etiam institutio catechetica in illis scholis, quas elementares vocant, (nelle scuole elementari) et scholis superioribus, etsi istae scholae dependent ab auctoritate civili. Nam in nostris et in aliis regionibus magno cum fructu fit institutio catechetica etiam in istis scholis dictis publicis. Ideo brevis sermo fieri hic debet, ut *etiam* in istis scholis (sub auctoritate civili) ordinata institutio religiosa pueris procuretur.

Pag. 5, lin. 21 ad lin. 28: Dubitandum mihi videtur, utrum ea quae his lineis exponuntur omnibus locis satisfaciant. Etenim desiderantur normae positivae quae observandae sunt in illis innumeris casibus, in quibus frequentatio talium scholarum evitari omnino non potest.

Pag. 5, lin. 33: Missae sacrificium, cum sit actus latreuticus versus Deum minus apte exhibetur ut « fidelium pabulum spirituale ». Id enim de Eucharistia sola, prouti est sacramentum, dicitur.

Card. Bea: Cum Concilium etiam Fratribus separatis utile esse debeat, ut Summus Pontifex identidem dixit, conveniens videtur ut eorum aliqualis cura etiam parochis commendetur. Proponitur igitur, ut post num. XXII (pag. 9)[6] hic num. XXII a) addatur: « Parochus eos quoque in sua paroecia commorantes qui in Christo baptizati sunt, sed a visibili Ecclesiae compage seiuncti sunt, curae Ecclesiae aliquomodo commissos esse sciat eosque boni Pastoris exemplum secutus, sincera caritate amplectatur, eorum necessitatibus sive spiritualibus sive materialibus, prout casus fert, amanter subsidio veniat, curetque ne a suis parochianis offendantur, sed ut potius exemplo vitae vere catholicae aedificentur atque christiana caritate et piis precibus studiose iuventur. Simul vero curet, ne in suis fidelibus spiritus quidam indifferentismi vel falsi irenismi oriatur, quo fidei doctrina et vitae vere christianae praxis in eis detrimentum capiat ».

Exc. Cooray: Amplificatio quaedam in hoc Decreto desiderari videtur praesertim in iis quae respiciunt *administrationem Sacramentorum*.

Sicut enim Decretum fusius tractat de ceteris parochorum muniis quae in can. 467 § 1 recensentur, ita etiam optime faciet circa il-

---

[5] Cf. p. 598.
[6] Cf. p. 601.

lud « administrare Sacramenta fidelibus » in eodem canone memoratum. Immo, multo urgentius, quum nostris diebus tentatio haud absit pluris aestimandi varia « opera » etiam administrativa quam veram animarum curam, per administrationem nempe Sacramentorum quibus vita gratiae directe infunditur, alitur ac roboratur.

Immo desiderari videtur ut ipse ordo quo obligationes Parochi proponuntur in schemate (pag. 3,[7] lin. 16) vid. « tamquam magister, sacerdos ac rector fidelium » ita mutetur ut primo loco ponatur « sacerdos » deinde « magister ac rector ». Etenim Parochus est per prius Sacerdos, ac potiores partes tribuendae sunt iis quae, qua Sacerdos, fidelibus dispensat, nempe Sacramenta et Mysteria Dei.

Posito ergo (n. VIII, pag. 5,[8] lin. 30) officio Sacrum pro populo faciendi recensere iuvabit caetera quae, qua Sacerdos, ministrare debet, nempe:

a) *ministerium Orationis,* praesertim per Divinum Officium. Ad rem sunt quae de Divino Officio Summus Pontifex Ioannes XXIII in recentissima Epistola ad Clerum nervose elucidat (cf. *L'Osservatore Romano,* 24 ian. 1962, pag. 1);

b) *ministerium Sacramentorum*: Hoc loco quae ad Parochos respiciunt ac dispersa in canonibus de Sacramentis inveniuntur (v. g. can. 743, 848, 854 § 5, 938, 1020 etc. etc.) in unum utilissime colligentur. Nempe:

I) *circa Sacramentum Baptismi*: Parochorum officium est curare ut Sacramentum Baptismi mature neonatis conferatur. Quapropter curet pariter ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi (ac etiam membra associationum piarum qui domos pauperum ac infirmorum visitant) rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant (cf. can. 743);

II) *Circa Sacramentum Confirmationis*: Parochi est curare ut pueri ad Sacramentum Confirmationis recipiendum mature (regulariter ante Primam Communionem i. e. circa septimum aetatis annum) et rite instituantur. Iuxta Decretum vero De Confirmatione (n. II, pag. 4,[9] lin. 25 et sqq.) urgente mortis periculo, Parochi et Vicarii Cooperatores impigri sint ut per potestatem extraordinariam ipsis factam, Sacramentum Confirmationis etiam parvulis qui nondum annos discretionis attigerint conferant;

III) *circa Sacramentum Poenitentiae*: Curet Parochus ut horis

---

[7] Cf. p. 597.
[8] Cf. p. 559.
[9] Cf. p. 97.

ad commodum fidelium (iuxta loci circumstantias, laboris ac otii gregis) statutis — ac cum moderamine etiam extra has horas — praesto sint Sacerdotes ad Confessiones populi recipiendas. Prudenter vero animarum libertati providens, ipsis Parochus quoque magni faciat ministerium hoc pastorale per seipsum praebere;

IV) *circa Sacramentum S. Eucharistiae*: Parochis speciatim committitur cura Decreta S. Sedis applicandi tum de puerorum Communione, cum de frequenti, imo, quotidiana fidelium Communione (can. 854 § 5, 859, 863). Speciali modo Parochis commendatur ut aegrotis Sacram Communionem frequenter deferant, at omnino tempore ad Paschale Praeceptum utili;

V) *circa Sacramentum Matrimonii*: Quae in Decreto (pag. 4,[10] lin. 17) quasi obiter dicuntur de praeparatione sponsorum ad matrimonium fusius hic poni possunt relate ad « Cursum Praenuptialem » promovendum in paroeciis et de regulis pastoralis prudentiae in institutione talis cursus servandis;

VI) *circa Sacramentum Ordinis*: Sicut omnibus sacerdotibus, ita Parochis et quidem praesertim ac titulo speciali, cordi sit vocationes sacerdotales quaerere et colere, iique cum Spiritus Sancti opera suam coniungentes, adulescentes ita parent, ut in iis vocationis germen crescere possit (ex art. 464 Primae Synodi Roman.). Item parochis vehementissime commendatur cura invigilandi super Seminaristas tempore vacationum: Ipsis verbis art. 472 Primae Synodi Romanae: « Grave Parochorum est officium, sacri ordinis alumnorum curam habere, per tempus quo hi forte domi degant »;

VII) *circa Sacramentum Extremae Unctionis*: Etsi Parochi praesto sunt quavis diei vel noctis hora, per seipsos vel per vicarios, ad aegrotos Sacro Infirmorum Oleo ungendos properare, cura infirmorum ita assidua ac methodica ordinetur ut casus repentinae interpellationis sit potius exceptio quam regula.

Rev. SÉPINSKI: Ad pag. 4, linn. 28-29, dicatur: « item, doctrinam moralem etiam ad errores refellendos, qui ... ».

Ad pag. 5,[11] lin. 2, dicatur: « ex sacris Bibliis ».

Ad pag. 5, linn. 3-4, dicatur: « ut saepius lectionem faciant praesertim Novi Testamenti, cuius liber ... ».

Ad pag. 5, n. V, linn. 9-13, citetur textus completus CIC can. 1334 et dicatur: « Religiosi quoque, etiam exempti, catecheticam institutio-

---

[10] Cf. p. 598.
[11] Cf. p. 598.

nem secundum normas ab Ordinario loci praefinitas populo tradere debent, praesertim in propriis ecclesiis, si ab Ordinario sint requisiti, *sine tamen regularis disciplinae detrimento* » (cf. cann. 1333 et 1334).

Ad pag. 6,[12] lin. 6, dicatur: « eorundem ».

Ad pag. 6, linn. 22-25, proponitur textus: « Quoniam pastor bonus oves suas cognoscere debet, parochus *interdum* — per seipsum, si fieri potest, secus per suos vicarios cooperatores — singulas paroeciae familias visitare ne omittat ».

Ad pag. 7,[13] lin. 32, corrigatur: « instructa ».

Ad pag. 8,[14] lin. 2, corrigatur: « ecclesiasticae ».

Ad pag. 8, lin. 9, corrigatur: « coniugibus ».

Ad pag. 8, linn. 32-34, proponitur textus: « Parochus autem fideles a paroecia discedentes tempestive commendet rectori paroeciae ad quam illi se conferunt ».

Ad pag. 9,[15] lin. 29, post vocem « radiophonicarum » adiungatur vox « et televisificarum ».

Ad pag. 10,[16] linn. 29-34, proponerem hanc redactionem: « Cum bonum animarum plerumque exigat ut pro fidelibus diversi sermonis aut nationis in eodem territorio commorantibus paroeciae personales erigantur, parochi non solum non impediant quominus id fiat, sed potius curent ut id efficiatur ».

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum praesertim Em.morum Léger et Bea.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: placeret maior insistentia circa necessitatem praeparandi sponsos ad matrimonium contrahendum.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet cum additamentis propositis ab Em.mis Card. Siri et Bea.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: scilicet cum ameliorationibus propositis ab Em.mis, Exc.mis et Rev.mis Patribus.

---

[12] Cf. p. 599.
[13] Cf. p. 600.
[14] Cf. p. 600.
[15] Cf. p. 601.
[16] Cf. pp. 601-602.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: scilicet retentis iis quae notaverunt Em.mi Cardd. Siri, Léger, Bea et Rev.mus Pater Generalis Fratrum Minorum.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. secundum adnotationes Em.mi Card. Siri, Em.mi Card. Bea et Em.mi Card. Léger.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: iuxta dicta ab Em.mis Cardd. Siri et Léger. Ad V: Parochi instituant Congregationem Doctrinae Christianae, sicut statutum est in CIC can. 711, § 2 et can. 1333, § 1.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: habeatur ratio animadversionum ab Em.mis, Exc.mis ac Rev.mis Patribus sapienter relatarum.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: attentis observationibus Cardinalium Siri, Bea et Léger.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum:

Pag. 3,[1] lin. 25: « Curet Parochus, ut pueri a prima aetate etc. » dicerem: « curet Parochus *ut baptismus infantibus quamprimum conferatur* (neglegentia multa in hac re deploranda est!), deinde ut pueri a prima aetate etc. ».

Pag. 4,[2] lin. 7: « intra Missas conciones habeantur » adderem inter uncos (non tamen durante celebratione Missae, sed Missam interrumpendo).

Pag. 4, lin. 13 et seq.: « ... adultis ... et, ubi mos est, diebus dominicis explicet » dicerem: « adultis explicet diebus dominicis et praesertim temporibus Quadragesimae et Adventus ... ».

Pag. 4, lin. 36 et seqq: « Peculiares coetus fidelium ... quae ex Sacris Bibliis leguntur ». Hanc adhortationem penitus omitterem, quia commentaria facere de his quae Sacra Scriptura narrantur difficile est et — maxime hodie — summe periculosum; praesentia alicuius sacerdotis moderantis, saepe non sufficit ad cavendos errores qui nunc a multis divulgantur.

Pag. 10,[3] lin. 4 et seq.: Parochus quidem acatholicos in sua Paroecia degentes sibi in domino commendatos habeat, eosdemque caritate multa prosequatur, sed caveat ne cuidam *panchristianismo* viam sternat.

---

[1] Cf. p. 597.
[2] Cf. p. 598.
[3] Cf. p. 601.

Card. VALERI: Placet iuxta modum: attentis scilicet observationibus quae a quibusdam Em.mis et Exc.mis Patribus, necnon a Rev.mo P. Sépinski, factae sunt.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: iuxta folia adnexa [4] et ratione habita eorum quae ab aliis dicta sunt.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: commissio congratulationes meretur; et mentes quae a Cardinalibus dantur prae oculis habeantur.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum, hoc est secundum adnotationes Card. Siri, praecipue relate ad paragraphum IV circa coetus fidelium pro studio Sacrae Scripturae.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: secundum adnotationes adnexas [5] et ab aliis Patribus factas.

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum. Quoad schema « De Parochorum Obligationibus quoad Curam Animarum », tantum tria habeo adnotanda:

I. Quoad adaequatam instructionem illis qui se ad matrimonium contrahendum praeparant adhibendam (cf. II, n. 4), puto illam instructionem systematicam, quae in Canada sive oretenus sive per litteras fit (et qua, forma adaptata, in India utimur), maxima cum cura considerari debere. Mihi enim ex experientia constat hoc systema multos optimosque fructus produxisse.

II. Quoad instructionem Catechistarum (cf. V, pag. 5),[6] omnino necessarium est ut illi, qui sese hoc in opere incumbere debent, optime ad hoc sint praeparati. Hoc fieri potest si, exempli gratia, aliqua systematica instructio religiosa per duos annos istis detur, sicut nunc in Archidioecesi Bombayensi fieri solet.

III. Quoad visitationem paroeciae (cf. XII, pag. 6),[7] hoc omnino essentiale ad intimam cum fidelibus communicationem habendam puto. Ille modus paroeciam visitandi ut fit in Anglia optimos fructus producit. Tamen, multoties, talis methodus paroeciam visitandi non est possibilis, quia sacerdotes paroeciales nimis directione tot tantarumque associationum paroecialium onerantur. Unicam solutionem in hoc consistere mihi videtur, nempe in reductione numeri coadunationum talium associationum, ita ut sacerdotes isti aliquas saltem horas vespertinas habere possint liberas ad systematice suos paroecianos visitandos.

---

[4] Cf. pp. 603-604.
[5] Cf. pp. 604-605.
[6] Cf. p. 598.
[7] Cf. p. 599.

Card. Cento: Placet iuxta modum: schema in melius redigendo, ratione habita animadversionum a praeopinantibus Patribus opportune prolatarum.

Card. Cicognani: Placet iuxta modum: titulus generalis praeferendus videretur: « De munere parochorum ».

Ad n. XII (pag. 6):[8] Non detur praeceptum visitandi familias, nisi agatur de visitatione pro benedictione domus tempore paschali, aut visitatione alicuius infermi, aut motivi extraordinarii. Synodi aut Conferentiae Episcoporum id forsan moderantur.

Catechetica instructio habeatur aliquomodo pro *omnibus* fidelibus paroeciae. Instituatur Confraternitas Doctrinae Christianae ad normam can. 711; ubi in actum deducta et bene directa a parocho mirabilia operatur, cum multorum cooperatio ad bonum commune paroeciae conspiret.

Quoad *acatholicos in paroecia* (n. XXIV, pag. 10 [9]) optime locutus est Card. Bea et Em.mo adhaereo.

Card. Godfrey: Placet. Una animadversio addatur de pueris in scholis acatholicis, potius pro informatione Commissionis Centralis:

In pag. 5,[10] numero septimo de pueris nostris in scholis acatholicis: apud nos fervet opus, ecclesias et scholas aedificando, sed, proh dolor, multi pueri non possunt invenire locum in scholis Catholicis. Difficultas crescit ratione magni numeri immigrantium ex variis nationibus. Sed in casu necessitatis, *adhibitis cautelis,* non possumus aliter facere quam permittere ut pueri frequentent scholas acatholicas.

Quandoque permittitur ut sacerdotes nostri intrent in scholas acatholicas ut instruant pueros catholicos.

Expensae in aedificatione scholarum sunt permagnae, sed populus noster admirabili cum caritate respondet exhortationibus parochorum et sustinet onus humeris impositum.

Quandoque scholae acatholicae nondum in usu, nobis venduntur vel traduntur propter redundantiam et carentiam puerorum.

Crescit numerus puerorum catholicorum. Spes est ut situatio paulatim melior fiat, quod cum fiducia expectamus.

Card. Confalonieri: Placet iuxta modum: id est perpendenda utiliter sunt quae Venerabiles Patres dixerunt.

---

[8] Cf. p. 599.
[9] Cf. p. 601.
[10] Cf. pp. 598-599.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Cardinalis Léger et Cardinalis Bea.

Card. KÖNIG: Placet.[11]

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: cum animadversionibus Cardd. Léger, König, Bea et Archiepiscopi Columbensis, sed ne mutetur ordo distributionis et pars de munere proprie sacerdotali tantum paulum dilargetur!

Card. MARELLA:[12] Placet.

Card. CONCHA:[13] Placet iuxta modum: omnia in schemate optime dicuntur. Mihi tamen videtur nimis ad particularia descendere, unde haud pauca applicari non poterunt. Ratio sine dubio habenda est eorum quae dicta sunt ab Em.mis Siri, Léger, Döpfner et aliis.

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum: ratio habeatur animadversionum ab Em.mis Patribus. Insistendum in reprobatione illius activismi qui est in damnum obligationum essentialium.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: verum aliquid amplius exoptem — pro locorum necessitatibus:

a) de instituendis — per annum vel per anni partes — cursibus catechisticis ad instar verae et propriae scholae;

b) de fovendis scholis catholicis paroecialibus et interparoecialibus;

c) de curis habendis pro non catholicis theoreticis et practicis, sive baptizatis sive non baptizatis.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: praeter ea quae proposuerunt Em.mi Cardinales Léger, Bea et Ottaviani, quae sequuntur ideo animadvertenda censerem:

Primum: nisi in alio schemate hac de re agatur, haud sufficiunt quae in pagella quarta,[14] linea decima septima et sequentibus, veluti obiter dicuntur de officio nupturientes ad matrimonium parandi. Iterum iterumque ideo urgeatur oportet ut parochi, adhibita quidem opera cuiusdam prudentis sacerdotis, medici, patris matrisve familias, necnon iurisconsulti, ad matrimonii sacramentum rite recipiendum atque matrimonialis vitae officia obeunda mentes animosque sponsorum ornare satagant.

---

[11] Cf. pp. 605-606.
[12] Em.mus Card. Marella tertiae Congregationi non interfuit.
[13] Em.mus Card. Concha tertiae Congregationi non interfuit.
[14] Cf. p. 598.

Secundo: apte addi poterit in linea quinta pagellae sextae,[15] ubi de Sacra Liturgia, clausula haec: « *composita iuxta praecepta et instructiones Apostolicae Sedis* », ita ut privatorum arbitria arceantur.

Tertio: in linea vigesima prima nonae pagellae,[16] sermo est de « societatibus » super quas parochus vigilare tenetur: sed forte distinguatur oportet de cuiusnam generis societatibus agatur, ne quis eas quoque puta sabaudiat quae commercii causa instituantur!

Quarto: locutio lineis vigesima sexta et sequentibus pagellae decimae [17] contenta forte compleri debet ita: « Ad Vicarium Foraneum *necnon ad Adsistentes dioecesanos Actionis Catholicae* pertinet opera apostolatus *in paroeciis* promovere etc. ».

Quinto: placeret si adderetur post numerum vigesimum sextum in pagella decima ulterior numerus *de apostolatu* interparoeciali: neminem sane latet conlatis viribus praesertim parvarum paroeciarum multa pastoralia munera faciliora fieri, si parochi inter se uniantur ad invicem sese adiuvandos. Quae igitur apostolatus ratio foveatur oportet ad fidelium spiritale bonum.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut accurata habeatur ratio illorum quae exposuerunt Em.mi Cardd. Siri, Léger, Ruffini, Bea, König, Ottaviani et Exc.mus Archiepiscopus Columbensis et Rev.mi Patres. Addo etiam aliquas parvulas observationes.

Iuridice revera aliquantulum deficiens est, sed forsan aliis complebitur expositio de parochis, praeterea quoad relationem inter huiusmodi quae hic dicuntur et Conferentias Episcopales (etenim in nn. 16, 26, 27 de hoc agitur) et etiam opportune in mente habenda pro expolienda notione Conferentiarum Episcopalium.

Praeterea etiam forsan insistendum est in illis quae dicebat Em.mus Bea, id est non tantum commendatio, sed, nisi fallor, poterimus habere parochos officio illo participes quod ligatur intra limites dioeceseos Episcopus de conversione acatholicorum. Ergo non tantum commendatio, sed participatio huiusmodi officii.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. puto magis insistendum super necessitate instructionis adaequatae sponsorum ante matrimonium.

---

[15] Cf. p. 599.
[16] Cf. p. 601.
[17] Cf. p. 601.

Card. BEA: Placet iuxta modum: habitis ante oculos animadversionibus Em.morum Cardd. Siri et Léger et Rev.mi Min. Gen. O. Fr. Min. et quae ipse proposui.[18]

Beat. GORI: Placet iuxta modum, scilicet prae oculis habitis animadversionibus Em.morum Cardd. Léger, Bea et Ottaviani.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: secundum observationes in hac sessione factas.

Exc. FELICI: Placet: prae oculis probe habeantur quae aptissime dixit Em.mus Card. Ottaviani.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: id est iuxta animadversiones ab Eminentissimo Relatore propositas et iuxta observationem ab Em.mo Card. Ottaviani factam « de activismo »; forsitan utile esset inter Parochorum obligationes quoad curam animarum, addere officium Christifideles illico informandi de nuntiis, adhortationibus et desideriis, in variis rerum circumstantiis, pro toto orbe a Summo Pontifice latis.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: id est cum observationibus factis ab Em.mo Card. Siri praesertim quoad numerum XII pag. 6.[19] Etiam cum observationibus Em.morum Cardinalium Ruffini, Léger, Bea, Ottaviani, et a Rev.mo Patre Generali Ordinis Minorum. Sed si revera omnia vero quae in schemate continentur aptissima sunt ad officium paroeciale fructuosius adimplendum, expediret tamen, iuxta meam humillimam sententiam, commendare explicite: 1) Gravem obligationem parochorum in solida organisatione Actionis Catholicae proprie dictae, iuxta mentem Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII; 2) stabilire ut parochi, ubi fieri potest, procurent ut sint scholae paroeciales saltem elementares.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: scilicet secundum sententias Cardinalis Siri, et prae oculis habeatur quod dictum fuit a Cardinali Bea, atque ab aliis Cardinalibus et Patribus.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum, id est: iuxta observationes factas praesertim ab Eminentissimo Cardinali Bea. Velim addere quod quae dicta sunt in paragrapho XII maximi momenti sunt et studiose servantur in nostra regione cum optimo fructu.

---

[18] Cf. p. 606.
[19] Cf. p. 599.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Siri, Léger, Bea, Ottaviani, Jullien et aliis et iuxta a me adnexa.[20]

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis ab Eminentissimis Cardinalibus Léger et Jullien.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes Eminentissimorum Cardinalium Siri, Léger, Bea et König, speciali mentione ab hoc ultimo Em.mo facta, de necessitate reformandi modum de scholis loquendi in canone 1374. Saepe enim in missionum locis scholae catholicae omnes ratione apostolatus acatholicis patent ideoque ad rigorem saltem verborum mixtae dici possent.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: ratione tamen habita animadversionum a Patribus factis praesertim a Cardinalibus Siri, Léger, Bea, Ottaviani et Jullien. In numero septimo paginae quintae [21] opto ut verbum « mixtas » tollatur. In mea dioecesi omnes catholicae scholae sunt mixtae quia etiam alumnis acatholicis patent et magnum adiumentum Ecclesiae afferunt. Adhaereo animadversionibus Cardinalis Bea de acatholicis. Sed opto ut quod optime dixit de christianis non catholicis, dicatur etiam de omnibus hominibus etiam non christianis (verbi gratia hebraeis, mahometanis etc.).

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: sc. secundum observationes factas ab Em.mis Patribus, praesertim a Cardd. Ottaviani, Léger et Bea. Sed id quod dicit Card. Bea de Christianis acatholicis, dici deberet similiter de infidelibus, quod est maximi momenti in missionibus.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: habita scil. ratione eorum quae ab Em.mo Card. Bea proposita sunt de acatholicis attendendis.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: cum observationibus Em.morum Cardd. Bea et Ottaviani de activismo parochorum.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes a Patribus factas praesertim a Cardinale Ottaviani.

Exc. BENGSCH: Placet.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta opportunas animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Siri, Léger, König, Bea

[20] Cf. pp. 606-608.
[21] Cf. pp. 598-599.

et Rev.mi Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum. Consentio etiam libenter his quae dixit Eminentissimus Card. Ferretto de congrua praeparatione matrimonii et Em.mus Card. Ottaviani de excessu activismi.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta observationes in hac sessione factas.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis observationibus factis et his paucis quae adiungo in scriptis.

1) Ad par. XI, pag. 6,[22] linea 19, adderem in phrasi « scandala strenue compescere ne timeat » verba *prudenter tamen quoad modum.*

2) In par. XIII, pag. 7,[23] linea 4, verba *decimo quoque anno* forte nimis longum spatium indicat pro missione habenda.

3) In par. XIX, pag. 8,[24] linea 20, videretur bonum esse includere vicarios cooperatores in Consilio paroeciali.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita eorum quae a Patribus prudenter prolata sunt et quae in folio adiecto continentur.[25]

VI

DE PRAECEPTIS ECCLESIASTICIS

(Tertia Congregatio: 22 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

Ex his quae communiter praecepta ecclesiastica vocari solent, ea praecipue considerari debent quae spectant ad sanctificationem dierum festorum, ad confessionem annuam et Communionem paschalem, ad ieiunium et abstinentiam. Verum equidem est quod quamplures fideles saepe saepius eiusmodi praecepta non servant, sed sine dubio oportet omnino ut eadem substantialiter in suo robore maneant, cum tanti momenti sint pro bono spirituali fidelium; aptis tamen et opportunis inductis mutationibus in modo quo ipsa praecepta enuntiantur et urgentur ne, propter mutata temporum et rerum adiuncta itemque ob novos populorum usus et mores, multae gravesque sint occasiones fidelibus datae ut leges Ecclesiae neglegant et perfringant. Plurimi

---

[22] Cf. p. 599.
[23] Cf. p. 599.
[24] Cf. p. 600.
[25] Cf. pp.608-609.

revera Episcopi aliique Praelati in suis votis antepraeparatoriis fervidissimum desiderium manifestarunt ut in Concilio Vaticano II tota de integro ordinetur praefatarum legum materia; sed prorsus diversa sunt quae a singulis statuenda proponuntur, cum valde diversae sint propriae diversorum locorum conditiones. Hinc huius Commissionis Sodales, re attente et accurate perpensa, expedire censuerunt, ut, salvis nonnullis praescriptionibus ubique servandis, plura alia certa et definita decernantur in Conciliis particularibus vel in Episcoporum conferentiis regionalibus seu nationalibus.

Haec igitur, quae sequuntur, statuenda proponuntur:

I - *De diebus festis de praecepto servandis*:

1. Festis de praecepto diebus Missae adsistendum est et abstinendum ab operibus vetitis.

2. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis et Octava Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum (can. 1247, § 1).

a) In regionibus ubi omnes praefati dies festi observari possunt sine gravi incommodo, iidem sub praecepto immutati maneant.

b) In regionibus ubi ex legitima consuetudine aut ex concordato inito ab Apostolica Sede cum respectiva Natione, peculiaria vigent praescripta de festis sub praecepto servandis, eadem in suo robore maneant.

c) In regionibus ubi peculiare ius particulare quoad dies festos de praecepto legitime non viget et ius commune observari non potest sine gravi incommodo, facultas sit Conciliis Particularibus vel Episcopis in conferentiis regionalibus seu nationalibus ut, salvis diebus dominicis et festo Nativitatis D. N. I. C., statuere valeant in quibusnam ex ceteris diebus festis non urgeat obligatio abstinendi ab operibus vetitis, aut obligatio adsistendi Missae, aut utraque obligatio, conservata eorundem dierum celebratione liturgica diebus assignatis in calendario, vel ea translata ad proximam dominicam liberam.

3. Concilia Particularia aut Episcopi in conferentiis provincialibus vel regionalibus introducere possunt, consentiente Sancta Sede, peculiares quosdam dies sub praecepto servandos, ubi specialia locorum adiuncta vel traditiones id suadeant.

II - *De Missae adsistendi obligatione*:

4. Diebus festis de praecepto Missae adsistendi obligatione omnes fideles tenentur, qui septimum aetatis annum expleverunt et sufficienti rationis usu gaudent.[1]

5. Moneantur fideles obligationem adsistendi Missae horis postmeridianis adhuc urgere pro his, qui mane legitime sunt impediti, sed post meridiem Missae adsistere possunt.

6. Fidelibus, qui die festo de praecepto Missae adsistere nequeunt, enixe suadetur ut alio hebdomadae die Missae adsistant.

7. Legi de Missae Sacrificio adsistendo satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio, etiam privato.

8. Ordinarii locorum, facultate ab ipso iure iisdem concessa, permittere possunt ut diebus festis de praecepto sacerdotes etiam ter Missam celebrent, si id expostulet bonum spirituale notabilis partis fidelium, vel alicuius communitatis, vel eorum qui in hospitali aliove instituto commorantur.

9. Ipso iure facultas Ordinariis locorum conceditur permittendi ut, iustam ob causam, diebus festis de praecepto Missa quavis diei hora celebretur, etiam post meridiem, sed anteponendo, quantum fieri potest, horas matutinas.

10. Certa quaedam pietatis exercitia in communi peragenda fidelibus ab Ordinario loci praescribi possunt, ubi Missa diebus festis de praecepto ob penuriam sacerdotum vel ob alia peculiaria adiuncta haberi nequit.

11. Valde commendatur ut pro infirmis aliisve qui sine gravi incommodo ad locum accedere nequeunt ubi legi de adsistendo Sacro satisfieri potest, Missae celebratio per radiophoniam aut televisionem exhibeatur, monitis tamen fidelibus quod legi de adsistendo Sacro non satisfaciunt qui Missae adstant radiophonice vel televisifice diffusae.

12. Accurate edoceantur fideles de « participatione actuosa » Missae, quae praeprimis *interne* esse debet, nimirum pia animi attentione et cordis affectibus exercitata, sed eadem plenior evadit si *externa* accedat participatio, actibus scilicet externis manifestata, uti corporis positione, gestibus ritualibus, maxime vero responsionibus, precationibus et cantu (S. Congr. Rit., *Instructio,* d. 3 sept. 1958, n. 22). Sacerdotes autem diligentem operam adhibeant ut, rite ac pie sancteque Missam celebrando, adstantes excitentur et adiuventur ad perfectiorem atque fructuosiorem actuosam suam participationem reddendam.

III - *De abstinendi ab operibus vetitis obligatione*:

13. Opera vetita, a quibus fideles diebus festis de praecepto se abstinere tenentur, ut debitum cultum Deo exhibeant et necessaria requiete fruantur et in vita familiari recreentur, haec sunt quae sequuntur:

a) Labores seu munia quae ferialibus diebus in officinis, in fabricis, in agris exerceri solent, iis exceptis quae necessaria sunt ad publicam seu communem utilitatem; [2]

b) Actus forenses;

c) Publicus mercatus, nundinae aliaeque publicae emptiones et venditiones, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta.

14. Quoniam quies in diebus dominicis plerumque ubique terrarum praescribitur etiam lege civili, curent, non solum locorum Ordinarii et pa-

rochi, sed etiam omnes sacerdotes et sodales piarum associationum, praeprimis Actionis Catholicae, ut magistratus impellantur ad urgendam eiusdem legis observantiam.

IV - *De obligatione servandi abstinentiam et ieiunium*:

15. Abstinentiae lex vetat carne vesci, non autem iure ex carne, ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

16. Iis in regionibus ubi abstinentia a carne, ob proprios populorum usus et mores, nullam poenitentiae seu mortificationis rationem habet, possunt Episcopi in conferentiis nationalibus aliam abstinentiae speciem praescribere.

17. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio plena fiat, in aliis vero comestionibus — quae quotidie fieri solent — tantummodo quantitas ciborum sumatur aliquatenus minor quam consueta, servatis usibus et moribus probatis locorum. Nulla autem ciborum qualitas prohibetur, ideoque caro comedi potest etiam in ientaculo et in coena.[3]

18. Lex solius abstinentiae singulis feriis sextis per annum servanda est, ad revocandam memoriam mortis Domini N. I. C.

19. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria IV Cinerum, singulis feriis VI Quadragesimae, pervigiliis Nativitatis Domini et Immaculatae Conceptionis B .M. V. Obligatio abstinentiae et ieiunii a die 24, pervigilio Nativitatis Domini, ad diem 23 mensis decembris anticipari potest ad liberam singulorum fidelium voluntatem.

20. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus, ut fideles se praeparent ad mysterium Resurrectionis Domini N. I. C. rite celebrandum.[4]

21. Lex abstinentiae, vel ieiunii, vel abstinentiae simul et ieiunii cessat diebus dominicis aliisque festis de praecepto, sive ex iure ecclesiastico sive ex iure tantum civili, nec pervigilia anticipantur.

22. His praescriptis nihil immutatur de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti a legitima ecclesiastica auctoritate approbati; sed quaelibet contraria indulta et privilegia revocantur, sive generalia sive particularia, iis non exceptis quae sint specialissima mentione digna.

23. Abstinentiae lege tenentur omnes fideles qui septimum aetatis annum expleverint et usu rationis gaudeant. Lege autem ieiunii adstringuntur omnes fideles ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

24. Ipso iure a lege abstinentiae excusantur omnes fideles qui itineris vel laboris causa comestionem facere debent extra domum suam; commendatur tamen ut et ipsi, quantum fieri potest, abstinentiam servent.

25. Ordinarii locorum totam etiam aliquam civitatem, immo et totam quoque dioecesim a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare possunt, si et quamdiu iusta et gravis causa id suadeat.

26. Parochi pariter a praefatis legibus etiam totam paroeciam dispensare valent, si et quamdiu gravis ac iusta causa id requirat. Fideles autem accurate edoceantur quasnam ob causas legitime excusentur ab obligatione de observantia sive festorum sive ieiunii et abstinentiae; praeterea, expresse moneantur ut, si casus ferat, ad parochum recurrant ad necessarias vel opportunas dispensationes a praedictis obligationibus impetrandas.

27. Fidelibus enixe commendatur ut, tempore praesertim quadragesimae, accuratius vitam ad christianas virtutes componant; frequentius sacrae liturgiae, pietatis exercitiis et praedicationi verbi Dei adsistant; opera caritatis exerceant et eleemosynas largiantur, pro pauperibus et pro Ecclesiae necessitatibus.

V - *De confessione annua et de communione paschali*:

28. Singuli fideles, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerint, tenentur peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.

29. Item, singuli fideles — postquam ad rationis usum pervenerint — tenentur Eucharistiae sacramentum digne recipere saltem semel in anno, et quidem tempore praescripto ad praeceptum paschale adimplendum, scilicet a feria quarta Cinerum ad festum SS. Trinitatis; salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, ut praeceptum paschale aliis quoque temporibus legitime adimpleri possit.

30. Praeceptum communionis paschalis adhuc urget intra annum, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.

31. In singulis paroeciis, confessariorum copia fidelibus praebeatur, ut ad sacramentum poenitentiae tempore paschali facilius accedere possint.

32. Ipso iure facultas conceditur ut, tempore paschali, omnes confessarii possint poenitentes absolvere a peccatis in dioecesi reservatis, si quae sint, itemque a casibus a Sancta Sede Ordinario loci reservatis.

33. Curent locorum Ordinarii ut sacerdotes, educatores iuventutis, sodales piarum associationum et praeprimis actionis catholicae, per catechesim et exhortationes, verbis et scriptis, magnopere promovere satagant observantiam praeceptorum de annua confessione et de communione paschali.

VI - *De aliis praeceptis ecclesiasticis urgendis*:

34. Parochi ne omittant fideles expresse docere et opportune monere de obligatione, qua ex iure tam divino quam ecclesiastico tenentur, ut munera seu dona ad fines Ecclesiae proprios necessaria conferant, secundum praescripta Ordinarii loci et legitimas consuetudines.

35. Parochus curet ut sponsi, iis non exceptis qui matrimonium contrahant cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest quolibet anni tempore, sed solum in Missa, servata speciali rubrica.

36. Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, ad fidem ostendendam finalis corporum resurrectionis. Episcopi tamen in conferentiis regionalibus seu nationalibus determinare possunt quandonam, pro locorum adiunctis, cadaverum crematio tolerari queat; quo in casu sacer ritus sepulturae ecclesiasticae domi tantum et in ecclesia persolvi potest, non vero usque ad cremationis locum.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Quaestione accurate disceptata: utrum legi de adsistendo Missae Sacrificio fideles satisfacere possint a vespere diei praecedentis, solummodo sex Sodales (seu Membra) Commissionis suffragium affirmativum, sexdecim autem suffragium negativum, et quinque nullum suffragium tulerunt.

[2] Non omnibus Membris Commissionis, sed solummodo 15 ex 27, placuit in textu allato determinatio operum quae hucusque *servilia* vocari solebant; communior Membrorum sententia fuit, quod in determinandis operibus vetitis non sola ratio haberi debeat de gravi labore quo eadem viribus physicis sint perficienda, neque lucrum consideretur ad quod faciendum eadem expleantur.

[3] Textus huius propositionis solummodo a 18 Membris probatus est. Duobus dumtaxat, vel tribus, placuit haec alia propositio: « lex ieiunii praescribit ut quantitas omnium simul ciborum, qui in ientaculo et in coena manducantur, quantitatem non adaequet comestionis plenae ». Pluribus Membris autem placuisset ut statueretur carnes in diebus ieiunii comedi posse solummodo in comestione plena, seu in prandio; sed eiusmodi praescriptum quampluribus fidelibus valde onerosum esset, quia saepius in familiis cibi simul et pro prandio et pro coena parari solent.

[4] Huius propositionis textus solummodo a 16 Membris probatus est, quibusdam enim gravior videtur obligatio servandi ieiunium per integram Quadragesimam, quibusdam vero placeret ut tempore quadragesimae abstinentia a carne bis in hebdomada praecipiatur.

2) RELATIO EM.MI P. D. PETRI CARD. CIRIACI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

Praecepta Ecclesiastica, quae in relativo schemate considerantur, sunt:

Primo, adsistentia Missae et abstinentia ab operibus vetitis. Haec praecepta sunt actualia, imprimis adsistentia Missae. Missa est centrum vitae christianae, est repetitio sacrificii crucis et hodie facilior reddita est haec adsistentia per Missam vespertinam, ita ut Ecclesia obviam sit fidelibus ut hoc fundamentali praecepto satisfaciant. Etiam abstinentia ab operibus vetitis est moderna et curiosum est quod ex omnibus partibus

mundi perveniant ad S. Sedem petitiones ut dispensetur ab obligatione abstinendi ab operibus servilibus. Sed hodie doctrina haec est: ut operarius sit centrum sollicitudinum, ita ut augeatur stipendium minuaturque labor. Igitur si debet minui labor operarii, ad minus habeat quietem die dominico. Igitur abstinentia ab operibus vetitis est actualis, immo dico pertinet ad doctrinam socialem Ecclesiae. Noto quod in n. 11 est aliquid addendum. Recolendum est recens responsum S. Congregationis Concilii circa adimplementum praecepti ex parte eorum qui laborant in Ecclesia ad transmittendam Missam televisivo modo. Ipsi adimplent vel non adimplent praeceptum? Responsum (quod tamen non fuit publicatum, nam fuit responsum quoddam privatum) fuit quod illi qui laborant in Ecclesia et prope Ecclesiam, non extra Ecclesiam, sed prope, et formant unum continuum cum illis qui sunt in ecclesia, qui habent intentionem satisfaciendi praeceptum et unionem moralem cum sacerdote celebranti habent, adimplent praeceptum.

Secundum punctum est abstinentia et ieiunium. Ille famosus iurista qui fuit Card. Gasparri ad hanc rem referebat aneddotum. Ipse fuit professor Iuris Canonici in famoso Instituto Catholico Parisiensi et prima vice quando fuit ieiunium, mane tantummodo dederunt ipsi cafeum sine alio. Tunc professor Iuris Canonici dixit Ius Canonicum permittere etiam aliud, non solum liquidum, sed aliquid solidum. Responderunt quod si Ius Canonicum ita dicebat, ipsi oboediebant et dederunt aliquid amplius, non solum professori Iuris Canonici, sed etiam aliis. Coena fuit aliquid terribile. Nescio quot ciba attulerunt et professori Iuris Canonici et etiam aliis. Tunc dixit professor Gasparri: « Sed hoc est contra Ius Canonicum, Ius Canonicum non permittit ut tot alimenta in coena habeantur ». Et illi, qui fuerunt tam solliciti Iuris Canonici mane, responderunt: « Huc Ius Canonicum non ingreditur, habemus consuetudinem ». Et ita fuit. Hoc principium de consuetudine est principium fundamentale hac in re. Non potest Ecclesia legislationem generalem ferre in hac re quae est manducatio et non manducatio, quae differt secundum diversos populos, ex. gr. sunt populi, inter quos etiam germanici, qui multum manducant, latini minus; igitur totum est relativum et etiam mihi non intelligitur, etiam est actuale hoc praeceptum, nam geographia non est mutata, sunt maria quae circumdant terram, sunt lacus, sunt flumina; exportant pisces et petunt dispensationem ab abstinentia. Quaenam est conclusio? Conclusio est ista: quod modus faciendi poenitentiam in Ecclesia iam non est popularis, est vox moderna. Inde est quod n. 27 hoc statutum est: « Fidelibus enixe commendatur ut, tempore praesertim quadragesimae, accuratius vitam ad christianas virtutes componant; frequentius sacrae liturgiae, pietatis exercitiis et praedicationi verbi Dei

adsistant » et hoc loco de quaresimalibus, qui aliquando sunt exercitia oratoria, e contra debent esse occasio ut fideles inflammentur in christiana vita exercenda; opera caritatis exerceant et, dulcis in fundo, necessitatibus Ecclesiae provideant. Nos usi sumus vocare pecuniam « stercus diaboli », sed est exceptio quando pecunia datur ecclesiasticis. Quando pecunia datur ecclesiasticis non est stercus diaboli, sed medium a Providentia datum ad opera bona exercenda.

Tertium punctum est confessio annua et communio paschalis. Hic veniunt multae petitiones, ita ut amplietur tempus paschale et toto anno possit adimpleri praeceptum, quod evidenter mutat praeceptum faciendi confessionem et communionem saltem una vice et praeceptum paschale; tempus paschale est ad urgendam obligationem. Si igitur aufertur, et totus annus quaeritur ita ut adimpleatur praeceptum, iam non est vis urgendi. Igitur debet haberi limitatio vel in tempore, ita ut aliqui menses excipiantur, vel limitatio in spatio, ex. gr. in sanctuariis; in sanctuariis potest admitti quod toto anno adimpleatur praeceptum paschale, nam ibi est ad urgendam obligationem, est limitatio spatii, non in tota dioecesi, sed in illo sanctuario.

Alia praecepta quae considerantur in schemate sunt contributio necessitatibus Ecclesiae de qua locutus sum.

Secundo, ad receptionem benedictionis nuptialis, est aliquid novi; nescio utrum collegae, et praesertim illi S. Officio pertinentes, hoc approbare velint.

Tertio, fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, ad fidem ostendendam finalis corporum resurrectionis. Iam phrasis haec esset corrigenda, nam statuitur tolerare cremationem; quando et quibusdam conditionibus, remittitur Episcopis, non uni vel alio Episcopo, sed quia hoc dependet ex variis regionibus (nescio in Iaponia...), hoc remittitur Episcopis loci qui debent reunionem agere et videre utrum et quibusdam conditionibus crematio potest fieri. Sed crematio per se potest tolerari: igitur si dicitur: « Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, ad fidem ostendendam finalis corporum resurrectionis » est res quasi dogmatica. Igitur ego dicerem: « ad clarius ostendendam finalem corporum resurrectionem et in memoriam sepulturae Corporis Christi a cruce sublati ». Nam haec est ratio quam theologi adducunt contra cremationem. Non est ratio theologica; si esset ratio theologica non posset tolerari.

Concludo: ex hisce non debet deduci partem poenitentialem Ecclesiae esse abolendam vel minuendam. Haec pars poenitentialis in Ecclesia est pars essentialis, partem facit sanctitatis. Semper Ecclesia habet partem poenitentialem, est lectio pro fidelibus. Fideles ex poenitentia vident quod est fundamentale in religione, scilicet quod vita praesens non est

nisi praeparatio vitae futurae, et quod vita praesens non est nisi punctum coram infinito aeternitatis, unde habet elementum educationis. Deinde poenitentia refrenat passiones, deinde poenitentia dat vim ut vincantur inevitabiles difficultates vitae. Omnes sancti fuerunt poenitentes. Ordines Religiosi magis rigidi habent poenitentiam. Quis iudicat poenitentiam esse contra tempora moderna? Sunt praecise difficillima tempora moderna quae exigunt poenitentiam. Quinam est defectus principalis mundi? Plus minusve tot volunt unam rem: gaudere; materialismus vel theoretivus vel practicus, ita ut non videatur nisi haec temporalis vita, sc. utilitas temporalis et non aeterna. Igitur in hisce temporibus in quo gaudium vitae est finis principalis multorum hominum, est repetendus invitus apprime factus a Virgine Fatimae: « Poenitentiam agite ».[1]

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Tappouni: Conditiones omnium hominum nostri temporis, tum in Oriente cum in Occidente, revera postulant, plus minusve, iisdem rationibus, ut aliqua introducatur reformatio vigentis disciplinae, in materia sanctificationis dierum festorum, necnon ieiunii et abstinentiae, ut fidelium consulatur conscientiae.

Omnes fere Praelati, suis in votis, necessariam reformationem hac in re iure autumant, eorumque desiderium certo considerari debet.

Ceterum, praeferenda videtur reformatio vigentis legis in materia, innumeris pene dispensationibus in dies crescentibus, quibus ipsius legis existentia inutilis fere evadat.

Altera ex parte, valde opportunum videtur ut Concilium Oecumenicum, saltem in hac materia, communes pro universa Ecclesia Catholica leges promat.

Minimum uniformitatis propositum, in materia sanctificationis festorum et ieiunii et abstinentiae, praeter aspectum practicum obtentum, signum quoque magnum videtur Ecclesiae Universalis pulchritudinis in diversitate, rituum, nationum, sibi hodie tam frequenter occurrentium, itinerum causa, vel migrationum.

Minimum uniformitatis erit: quinquaginta duae dominicae anni, necnon quinque dies festi: Festa Nativitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum.

---

[1] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Pro diebus abstinentiae, minimum erit: quinquaginta duae feriae sextae anni.

Pro abstinentia simul et ieiunio: prima die quadragesimae, feria sexta in Passione Domini, et duae vigiliae Nativitatis Domini, et Assumptionis B. M. V.

In universum: quinquaginta sex dies.

Nostra humili sententia, in hodiernae vitae circumstantiis, plus exigi non posset.

Hoc minimum uniformitatis, in universali Ecclesia, ita tamen imponi deberet, ut ius relinqueretur legitimae auctoritati, alios statuendi dies pro suo quisque ritu vel territorio pro opportunitate.

Ut videtur, nihil ita revera innovatur, excepta obligatione de praecepto, et cyclus liturgicus omnino respectatur: Imo hortantur fideles ut eum secundum proprium ritum celebrent.

Card. LÉGER: *De Diebus festis de praecepto*: Antequam dicatur quid sit faciendum et a quo sit abstinendum diebus festis de praecepto. definiatur quid sit dies festus et ad quid institutus est. Secus dies festus accipitur a fidelibus et etiam a pastoribus ut institutio mere legalis. Et mens legalista valde perniciosa est pro vita christiana et etiam pro ipsa observatione legis.

Bonum est quod in paragrapho 2, sub littera *c*) praevisa est pro diversis regionibus aliqua accommodatio legis generalis de diebus festis sub praecepto.

De Missae adsistendi obligatione: In paragrapho 5 valet obligatio adsistendi Missae horis postmeridianis pro omnibus qui, impediti vel non, mane non adsisterunt. Paragraphus modificetur in hoc sensu.

In paragrapho 9 explicite notetur obligatio observandi legem eucharistici ieiunii.

In paragrapho 12, loquatur etiam de participatione sacramentali, nempe de receptione Eucharistiae.

De abstinendi ab operibus vetitis obligatione: Quoad paragraphum 13, opportunum mihi videtur aliquam determinationem dare de operibus servilibus (quae in textu melius dicuntur « vetita »).

De obligatione servandi abstinentiam et ieiunium: In paragrapho 15, mutatio legis abstinentiae mihi videtur opportuna.

Ad par. 16: Hodie ubi est poenitentia nisi sit nihil ad manducandum? Quoad paragraphum 17 approbo mutationem legis ieiunii qua « nulla ciborum qualitas prohibetur ». Tamen, ut habeatur vera poenitentia, propono quod quantitas sit *notabiliter* minor.

In multis regionibus occidentalibus, ab ultimo bello mundiali, nu-

merus dierum ieiunii valde minuitur. Et hoc in aliquibus regionibus ob penuriam ciborum et in aliis ob profundam modificationem mentalitatis christianae et modi vivendi populorum.

Credo quod saltem pro illis regionibus difficile et inopportunum erit redire ad pristinam legislationem sicut proponitur in schemate.

Et opinor quod melius est habere, ad mentem indultorum nunc vigentium, legislationem sic formulatam:

— dies abstinentiae et ieiunii sunt: feria IV cinerum et feria VI Sanctae Hebdomadae;

— dies solius abstinentiae sunt: singulae feriae sextae per annum.

Praxis poenitentiae est optima pro vita christiana. Sed melius est habere legislationem reductam quae tamen observatur. Antequam nova legislatio fiat in ista materia, conscientia christiana debet reperire sensum poenitentiae: sensum socialem (particulariter sensum privationis propter eos qui quasi nihil habent manducandum), et sensum personalem. Reeducatio fieri debet. Multae erunt excusationes ad legem in schemate propositam non observandam: in nostro mundo, variae enim et numerosae sunt situationes sanitatis et laboris quae postulant excusationem veram vel dubiam a lege. Verbi gratia, scimus, saltem pro nostra dioecesi, quot sunt petitiones dispensationum pro pervigilio Immaculatae Conceptionis et Nativitatis et etiam pro die vigesima tertia decembris. His in circumstantiis, timendum est quod lex duceret ad mentalitatem legalisticam potius quam ad praxim poenitentiae.

Potius invitentur fideles, in sensu proposito in paragrapho 27, ad omnia et varia opera poenitentiae spontanee exercenda.

De aliis praeceptis ecclesiasticis urgendis: Quoad paragraphum 35. Hic supponitur quod in futuro, contra praescriptum canonis 1102, matrimonium mixtum vel cum dispensatione disparitatis cultus celebretur cum Missa. Nisi habeatur obiectio quoad communicationem in sacris, hoc mihi videtur opportunum. Sed credo quod opportunum est quod illud problema de communicatione in sacris bene studio subiiciatur.

Opportuna mihi apparet regula paragraphi 36.

Card. CONFALONIERI: Veniam peto si, data occasione art. 2 in pag. 4 [1] propositi, desiderium exprimam ut huic fidelium obligationi Missae adsistendi conformetur obligatio Episcoporum et Parochorum applicandi pro populo. Non intelligo (imo moerore afficior) cur in aliquo alio Schemate propositum sit ut Pastores solummodo diebus dominicis et Iesu Christi Natali applicent: cur non etiam in aliis paucissimis festis

---

[1] Cf. p. 618.

de praecepto hic numeratis? Laetitia maxima Pastorum uti Patrum, fidelium uti filiorum maxima aedificatio, si strictissimo vinculo et mutua caritate — augustissimi Sacrificii supereminenter propriis — mysticum corpus in Christo et cum Christo Domino simul sanctificetur.

Card. Döpfner: I. Schema nostrum, quod aliquem ordinem praeceptorum ecclesiasticorum ponere conatur, complura habet incommoda, inter quas indico praesertim sequentia:

1) Schema deficit in unitate interna. Diversae obligationes mere iuxtaponuntur; ita v. gr. praecepta confessionis et Communionis annuae, quae certe cum Missa, i. e. cum eius fructuosa participatione arcte cohaerent, solummodo post ieiunium et abstinentiam tractantur.

2) Enumeratio et tractatio eorum, quae « communiter praecepta ecclesiastica vocari solent », et quidem quae « praecipue » consideratione sunt digna (cf. Prooemium, pag. 3,[2] lin. 1 sq.), est incompleta. Si intenditur, ut « tota de integro ordinetur praefatarum legum materia » (cf. Prooemium, pag. 3, lin. 18 sq.), adiungenda essent praecepta de librorum vetitione, de catholica prolis educatione, de vitando matrimonio mixto.

3) Decretum maxima ex parte consistit in mera legum enuntiatione; deficit fundamentum theologicum et pastorale, v. gr. obligatio de adsistendo Missae, quae est tam fundamentalis pro tota vita christiana, non potest inculcari nuda praecepti affirmatione. Dici quaedam deberent de Missa tamquam sacro populi Dei conventu, in quo Christus per sacerdotem nobiscum celebrat S. Coenam, in qua sacrificium crucis repraesentatur et pane coelesti reficimur. Ita primum debent monstrari necessitas interna S. Missae pro vita christiana et invitari fideles ad frequentem, consciam, actuosam eius participatione et S. Communionis receptionem (quae est fastigium participationis Missae); deinceps tanquam minimum et indispensabile debitum statuatur lex de obligatione participandi Missam diebus festis et communicandi tempore Paschali.

Similiter dicendum est de obligatione abstinendi ab operibus vetitis diebus festis et de abstinentia et ieiunio.

4) Normae positivae hic propositae quoad substantiam iam sunt in vigore vi legis actualis. Minime velim negare, quod in particularibus quibusdam bonae et utiles modificationes proponuntur, v. gr. n. 6 (invitatio ad Missam die feriali participandam, cum Dominica eius frequentatio sit impossibilis); n. 10 (pietatis exercitia, ubi Missa impossibilis);

---

[2] Cf. p. 617.

n. 35 (benedictio nuptiarum solemnis nunc fere semper possibilis et commendata).

Tamen haec non sufficiunt pro novo Decreto a Concilio Oecumenico statuendo!

5) In quibusdam concretis normis determinandis (et quidem maximi momenti, scilicet de praecisione operum vetitorum, obiecti ieiunii, extensionis ieiunii quadragesimalis) iam in ipsa Commissione maioritas votorum aegre tantum adimpleta est, ut patet ex nota in pag. 10 [3] sq.

Sic mihi concludendum videtur, quod *Schema praeiacens non sit proponendum Concilio, vel elaboretur novum Schema,* quod contineat rationes generales tantum de diebus festis sanctificandis et de temporibus et diebus poenitentiae observandis. Primo dentur rationes biblicae, theologicae, pastorales; tunc demum enuntientur leges generales et normae particulares.

II. Quoad singulas normas — in Concilio vel post Concilium promulgandas — haec notare liceat:

1) Pag. 3,[4] lin. 30 sq.: Verbum « adsistere Missae » easdem inconvenientias involvit quam vocabulum hucusque adhibitum « audire Missam »; nam praetextum praebet ac si Ecclesia fideles vellet obligare ad meram praesentiam externam. Eligatur formula magis apta, forsitan « participare Missam », quae diversos gradus participationis admittit; si revera necesse est, alibi declarari poterit, quid ad nudam legis impletionem requiratur, scilicet ut quis participet saltem adsistendo.

2) Pag. 4,[5] lin. 23 sq.: Conveniens esset, si obligatio adsistendi Missae diebus festis, quibus fideles operari debent, iam de se cederet.

3) Pag. 5,[6] lin. 18: Melius adhuc exprimatur, quod Missae dominicalis tempus ordinarium est antemeridies.

4) Pag. 5, linn. 23-27: Melius determinentur illa pietatis exercitia pro casu Missae dominicalis impeditae. Nam fideles non debent obligari ad quaelibet pietatis exercitia, sed ad talia, quae Liturgiae Missae magis accedant vel partem eius repraesentent, scilicet ad quamdam « Liturgiam verbi ».

5) Pag. 7 [7] sq.: Lex ieiunii et abstinentiae profundiorem adhuc deliberationem et discussionem exigit. Nam tot sunt fideles vel integrae nationes, qui propter circumstantias diversissimas ipso iure iam sunt

---

[3] Cf. p. 622.
[4] Cf. p. 618.
[5] Cf. p. 619.
[6] Cf. p. 619.
[7] Cf. p. 620.

exempti vel ab auctoritate competenti dispensati a lege. Insuper lex illa diversis in regionibus, spectatis usibus et moribus ibi vigentibus, iam non imponit veram mortificationem! Praeterea, quot sunt anxietates conscientiae hominum imprimis rudiorum, v. gr. qui edunt in « cantinis » officinarum, vel coquarum, quae v. gr. reliquias farciminum vel hillarum die Veneris consumere debent, ne istae pereant! Remanet etiam difficultas praeprimis a rudioribus aegre tolerata distinguendi inter dies solius abstinentiae, solius ieiunii, et abstinentiae simul cum ieiunio. Unde praesertim materia ieiunii et abstinentiae revidenda mihi videtur. Ulteriora quaedam dicam infra in parte III annotationum mearum.

6) Pag. 7, lin. 22 sq.: Ieiunium et abstinentia in vigilia Immaculatae Conceptionis reapse a plurimis non observatur et gravia habet incommoda, cum ipsum festum in multis nationibus non sit lege civili sancitum.

7) Pag. 9 [8] (*de confessione annua*): Opinio communis et certa est, quod lex confitendi peccata semel in anno obliget tantum praesupposito peccato gravi revera commisso. Pia tamen Mater Ecclesia adhortatur peccatores, ut quam primum sua peccata confiteantur, ne ipsi periclitentur quoad salutem aeternam. Unde legem statuit, ut saltem infra annum, i. e. practice propter legem Communionis Paschalis: tempore Paschali, recipiant sacramentum Poenitentiae. Forsitan hic rerum ordo logicus in Decreto novo clarius exprimi poterit.

Insuper non convenit pro confessione annua statuere limitem aetatis 7 annorum, quia multi periti scientiae psychologicae et paedagogicae et Theologiae moralis valde dubitant de capacitate pueri 7 annorum ad peccatum mortale patrandum. Cum difficile sit determinandum, quandonam haec capacitas incipiat, nominatio alicuius aetatis determinatae omittatur!

8) Pag. 9, lin. 30 - pag. 10,[9] lin. 4: Vehementer inculcantur a Schemate actiones ad promovendam observantiam (externam) praeceptorum annuae confessionis et Communionis Paschalis, quae tamen ex se solae sine fructu remanebunt, nisi prius ratio, voluntas et affectus hominum in rationes internas horum praeceptorum directi fuerint.

III. Si placuerit novum elaborare schema, forsitan vocari poterit « De sanctificatione dierum festorum et de observantia dierum et temporum poenitentiae » (transmissis forsan praeceptis de libris vitandis, prolis educatione, matrimonio christiano, ecclesiastica sepultura ad alios locos competentes). Praeter criteria iam supra recensita respici poterunt

---

[8] Cf. p. 621.
[9] Cf. p. 621.

capita sequentia, quas hic propono solummodo ut consilium et specimen.

1) *De obligatione sanctificandi dies festos.* Res ita fere componi poterit:

a) Inde a tempore, quo Christus Dominus Apostolis suis dedit mandatum « Hoc facite in meam commemorationem » (Lc. 22, 19), Pastores convocant statutis diebus, praesertim Dominicis, fideles ad sacram synaxim seu congregationem, in qua celebrent mysterium S. Eucharistiae.

b) S. Eucharistiae celebratio maximum habet momentum pro vita populi christiani, quia hic fideles in fraterna communitate uniti sunt, verbum Dei lectionibus et homiliis viva voce annuntiatum et declaratum audiunt, publice et communiter creaturae et laudem et adorationem et gratiarum actionem Deo praestant, sacrificium redemptionis celebrant, in sacra Coena cum Christo et ad invicem uniuntur.

c) Unde in celebratione S. Missae diebus Dominicis magna cum diligentia attendatur, ut fideles per suam consciam et actuosam participationem revera in fide nutriantur, ad Dei maiestatem laudandam et adorandam perducantur, et omnia dona spiritualia recipiant, quorum iis opus est ad vitam sancte ducendam per hebdomadam.

d) Invitentur fideles participare Missam praesertim in paroecia propria.

e) Cum haec sacra synaxis seu sacer conventus tanti momenti sit sive pro vita communitatis christianae sive pro singulo fideli, omnes catholici gravi tenentur obligatione, diebus festis Missam participare saltem adsistendo.

f) Non cessat Ecclesia invitare christifideles ad S. Communionis receptionem, quoties Missam participent; cum tamen multi sint, qui egent externo quodam et efficaciori incitamento, ne receptionem Sacramentorum ad eorum salutem institutam nimis negligent, Sancta Mater Ecclesia statuit grave praeceptum, quo tenentur omnes catholici supra aetatem 7 annorum Eucharistiae sacramentum digne recipere saltem semel in anno, et quidem tempore Paschali, i. e. a feria IV Cinerum usque ad festum SS. Trinitatis (salvis indultis peculiaribus).

2) *De obligatione observandi dies et tempora poenitentiae.*

a) Inde a primordiis Ecclesiae ipsa magni aestimabat actus poenitentiae sive internae sive externae, memor verborum Domini: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me » (Mt. 16, 24) et exempli, quod nobis dedit Christus.

b) Unde invitabat homines ad opera poenitentiae, praesertim ad ieiunium tempore Quadragesimae, quando ad solemnitatem nostrae redemptionis et regenerationis celebrandam praeparamur et vitam reno-

vare conamur, et ab abstinendum a carne diebus VI^{is}, quibus mortis Domini speciali modo recordamur.

c) Praesertim temporum recentium in adiunctis Ecclesia fideles exhortatur ad fovendum spiritum poenitentiae et mortificationis, quo interne sese a rebus huius saeculi separent et animum in Christum Dominum erigant, qui centuplum reddit in hoc tempore et vitam aeternam in saeculo futuro iis, qui propter Evangelium omnia relinquunt (cf. Mc. 10, 29 sq.). Consilium dat ut fideles manifestent hunc spiritum etiam operibus externis, v. gr. restringendo usum mediorum luxus moderni, abstinendo se per tempus a fumando, a spectaculis cinematographicis, a nimia cura cosmetica corporis, a sumptibus superfluis et similia, imprimis etiam abstinendo a carne et ieiunando.

d) Ut tamen Christifideles efficacius ad talem spiritum abnegationis propter Christi amorem fovendum inducantur, legem statuit Ecclesia abstinentiae et ieiunii. Abstinentiae lex vetat carne vesci diebus feriis VI^{is}, lex ieiunii autem praescribit, ut quantitas ciborum minuatur diebus feriis Quadragesimae (val saltem: diebus II^{is}, IV^{is} et VI^{is} Quadragesimae).

e) Ubi hae leges propter proprios usus et mores populorum vel ob alia incommoda legi extrinseca difficilius observandae evadant, Conferentiae Episcoporum habeant ius substituendi alia poenitentiae opera.

Card. ALFRINK:[10] Nomine Conferentiae Episcoporum nostrae regionis rogare liceat attentionem ad duo puncta sequentia:

1. Ad n. II in pag. 4,[11] ubi agitur de Missae assistendi obligatione.

Proponere vellent Episcopi ut fideles praecepto assistendi Missae Sacrificio in diebus dominicis non tantum satisfacere possint ipsa die Dominica, sed etiam Missis vespertinis in sabbato praecedenti.

Ratio est mutatio vitae economicae et vitae socialis.

Apud nos — sicut in diversis aliis regionibus — permulti homines per quinque tantum dies hebdomadae laborare debent, ita ut duo dies — sabbatum et dies dominica — liberae sint.

Multi homines in die dominica iter facere volunt aut extra civitates aerem sanum quaerunt (in campagna), dum e contra die sabbati domi manent.

Alii multi vespere diei sabbati visitationes faciunt vel visitatores

---

[10] Animadversiones Em.mi Card. Alfrink lectae sunt ab Exc.mo Secretario Generali.

[11] Cf. p. 618.

recipiunt, quae visitationes saepius in horas seras protrahuntur, quia dies sequens est dies libera ideoque ad horam tardam dormire possunt. Hac de causa saepius die dominica horis matutinis non invenitur occasio assistendi Missae sacrificio, et remanet obligatio assistendi Missae vespertinae. Multis autem fidelibus esset magis commodum ut Missae sacrificium assistant non in vespere diei Dominicae sed in vespere diei sabbati.

Revera dies Dominica in legislatione ecclesiastica electa est ob memoriam Resurrectionis Domini, quae sabbato non occurrit. Sed mos est liturgicus ut vesperae antecedentes alicui festo ad ipsam festivitatem computentur. Ita vesperae diei sabbati quodammodo partem diei Dominicae effingunt.

Et in Ecclesia Orientali fideles omnes praecepto dominicali satisfacere possunt etiam vespere diei sabbati, sicut videri potest in Decreto proposito a Commissione de Ecclesiis Orientalibus « De Ecclesiae Praeceptis » sub n. V.

Ideoque Episcopi nostrae regionis rogare vellent ut possibilitas implendi praeceptum dominicale extendatur ad vesperem sabbati et ad vesperem praecedentem alicui diei festo.

Et si non opportunum videtur ut hoc pro tota Ecclesia statuatur, rogant Episcopi ut diversis Conferentiis Episcoporum haec libertas donetur.

2. Ad n. 35, pag. 10[12] sermo est de Missae sacrificio in occasione matrimonii mixti.

Episcopi nostrae nationis, quae est specifice regio mixta quoad religionem, praeferunt ut lex antiqua quae in matrimonio mixto Missae sacrificium excludit, servetur.

Primo ex ratione practica — quia est clara distinctio inter matrimonium mixtum et matrimonium ex utraque parte catholicum.

Deinde ex ratione theologica — quia si sacrificium Missae celebratur ut quoddam complementum matrimonii celebrati, ratio non est tantum in hoc quod novi coniuges Dei benedictionem quaerant, sed etiam ut in hoc Novi Foederis Sacrificio solemniter sanciant eorum voluntatem et eorum promptum ut seipsos et eorum vitam matrimonialem et familiarem Novo Foederi integrent. Sicut novi coniuges in matrimonio concludendo inter se fidelitatem promittunt, sic in Sacrificio Novi Foederis celebrando (ut complementum sui matrimonii) novi coniuges ambo sese ut membra huius Foederis cum promissione fidelitatis declarant. Hoc autem fieri non potest in matrimonio mixto.

---

[12] Cf. p. 621.

Ne autem matrimonia mixta sine aliqua ceremonia religiosa celebrentur, Episcopi neerlandici iuxta can. 1102 § 2 Codicis I. C. ritum specialem confecerunt quo sacerdotes cum permissu Ordinarii uti possunt.

Forse autem Secretariatus ad fovendam unitatem Christianorum de ista materia nobis proponet postea suam opinionem.

Card. OTTAVIANI: Primo quidem de Missa pro matrimoniis mixtis. Nolite mirari si hac vice Secretarius S. Officii liberalis videatur. Ego commendo propositionem factam, non loquor tamquam Secretarius, sed tamquam aliquis qui habet experimentum rerum quae respiciunt matrimonia mixta; commendo igitur propositionem factam a Commissione de concedenda Missa sponsis, dummodo restringatur ad sponsos qui matrimonium ineunt cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis. Igitur quodammodo accedimus etiam ad praxim severiorem quam vellent Episcopi Hollandiae. Ratio haec est: quia est magna differentia inter matrimonia mixtae religionis et matrimonia disparitatis cultus, nisi agatur de locis Missionum. Ratio est quia tandem aliquando is qui contrahit matrimonium cum dispensatione mixtae religionis, iam est christianus, et, praesertim si est orthodoxus, admittit etiam Eucharistiam, Sacrificium accipit et elongare istos christianos a satisfactione celebrandi matrimonium cum celebratione Missae esset nimis durum, mihi videtur. Experientia nos docet, quot quaestiones oriuntur quando multi petunt ad S. Officium ut permittatur Missa, et reapse S. Officium quodammodo etiam aliquatenus iam elargivit praxim, v. gr. in Gallia, in Belgio concessit ut Missa celebraretur quando agitur de cathecumenis, quando v. gr. matrimonium contrahit aliquis catholicus cum aliqua persona, quae iam instructionem recipit ad amplectendam religionem catholicam. Sed alia etiam ratio me movet, quia in tempore in quo matrimonium tam fortiter discerpitur per divortium, quanto magis celebratur cum solemnitate religiosa matrimonium, eo magis inculcatur idea proprietatum eius, sanctitatis eius et quod sit res non mere civilis sed res vere religiosa, sacramentalis. Quando autem personae dederunt etiam cautiones, habent etiam ex hoc titulo quamdam rationem ut eis satisfiat, quia quodammodo se monstraverunt leales cum Ecclesia catholica, in parte acatholica, exhibendo cautiones de non faciendo periculo pro parte catholica, de educandis et baptizandis omnibus pueris in religione catholica. Igitur facienda est haec distinctio: si quis est christianus et vult Missam, cur ei denegare hanc, quae etiam contribuit ad sanctitatem matrimonii evehendam? Esset etiam quaedam, non dico concessio, sed demonstratio caritatis Ecclesiae erga acatholicos; in tempore in quo nos volumus eos allicere ad Ecclesiam Catholicam bonum est ut etiam haec satisfactio detur. Cur ego excludo, nisi

agatur de locis Missionum, matrimonia disparitatis cultus? Posset dici: « exclusis matrimoniis quae contrahuntur cum mahometanis, cum hebraeis », sicut est distinctio quando agitur de facultatibus quae dantur a S. Officio pro dispensationibus ordinariis, datur facultas dispensandi a disparitate cultus, v. gr. in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, habent omnes ordinarii hanc facultatem, igitur et omnes ordinarii in Missionibus. Igitur cur excluditur praesertim cum mahometanis? Quia experientia docet quod haec matrimonia generatim malum exitum habent tum quoad pericula fidei pro parte catholica, tum quia numquam adimplentur cautiones, etiam si dantur, quia etiam iuxta rationem ipsam consuetudinum localium musulmanorum, si esset quidam qui educaret filios suos in religione catholica, esset proditor patriae, currit periculum vitae etiam; illi qui sunt experti in rebus de musulmanis sciunt quam vera sint ista. Igitur, nunc non sum paratus ad exhibendam aliquam formulam, sed proponerem, ut acceptetur criterium Missae etiam pro matrimoniis quando contrahuntur cum dispensatione a mixta religione et, si agitur de locis Missionum, quando agitur cum ethnicis, sed invenienda esset formula ad excludendam Missam, sine offensione, quando agitur de musulmanis, saltem dicendo quod pro hac deberet recurri ad S. Sedem ne habeatur odiosa exclusio: quando agitur de matrimoniis contrahendis cum musulmanis, cum hebraeis etiam, tum ad habendam Missam, recurrendum ad S. Sedem. Pro ceteris casibus ego commendarem illam propositionem.

Dein quod attinet ad cremationem corporum: S. Officium petivit ut Concilium ageret de hac re, quia hodie omnes istae societates, quae cremationem provehunt, insistunt: Nos non habemus amplius illa criteria antiqua massonica, antireligiosa, in crematione fovenda, nos volumus tantummodo, iuxta progressum civilem, iuxta exigentias igienicas, iuxta etiam difficultates quae crescunt pro inveniendis locis ad inhumanda corpora, volumus tantummodo aliquid respicere quod habet aspectum quemdam civilem non antireligiosum. Igitur esset consideranda quaestio. Bene dixit Em.mus Card. Ciriaci quia non est res connexa cum doctrina, est tantummodo quaedam correlatio cum fide de resurrectione corporum etc., sed corpora habebunt divina potestate resurrectionem tantum si sunt ossa, quantum si sunt cineres, et ipsae religiosae functiones possunt fieri sive cum corpore sive cum cineribus, tantummodo videndum est utrum expediat ob rationem pastoralem, et in hac re bene iudicabunt ii qui sunt in ministerio, Episcopi etc., qui cognoscunt consequentias quae possunt venire sub aspectu pastorali. Mihi videtur non posse insisti hodie in quaestionibus doctrinalibus, sed exspectat S. Officium quamdam normam,

ut possit in hac re tutius procedere secundum sensum Ecclesiae, seu secundum sensum Episcoporum.[13]

Rev. BROWNE: 1. Observationem quamdam complexivam facere vellem respicientem paragr. IV, nn. 15-20 (pag. 7).[14]

Intentio mea esset duplex (sicut ceteroquin est quoque mens et intentio schematis), *a*) ut in hac materia legislatio valde simplex sit, ita ut a toto populo christiano facile capiatur et memoria teneatur; *b*) ut quoad fieri possit servetur in hac re traditio Ecclesiae.

His praemissis dicerem nn. 15 et 16 posse stare ut sunt in textu schematis.

Invenio n. 17 esse aliqualiter complicatum et textum sequentem proponerem: « Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio plena fiat, sed non prohibet ne fiant aliquae aliae parvae comestiones iuxta mores regionum. Nulla autem ciborum qualitas ab ea prohibetur ».

Quoad n. 18 ita eum redigerem: Lex abstinentiae (omissa voce *solius*) singulis feriis sextis per annum servanda est ad revocandam memoriam Passionis D. N. I. C. necnon in die Cinerum.

Quoad n. 19. Iste quoque numerus aliqualiter complicatus est. Proponerem ut ita redigatur: « Lex ieiunii servanda est omnibus diebus ferialibus Quadragesimae et Adventus usque ad pervigiliam Nativitatis ut fideles se praeparent ad mysteria Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. C. celebranda ».

Reversio ad praescriptum de ieiunio Adventus est aliquid quodammodo novum sed prae mente tenendum est: *a*) quod ipsum ieiunium ut nunc proponitur aliquid facillimum est; *b*) quod ita aliqua mensura conservaretur natura sacra Temporis Adventus sicut et Quadragesimae; *c*) quod ieiunium Quatuor Temporum amplius non conservatur; *d*) quod in meo schemate ieiunium et abstinentia pervigiliarum ut sic non retineretur; *e*) quod ita tota haec legislatio afficiens universum populum catholicum ad aliquid valde simplex reduceretur, scilicet, abstinentia in omnibus feriis VI^{is} et in die Cinerum, ieiunium in omnibus diebus ferialibus Quadragesimae et Adventus.

2. Ad n. 24 (pag. 8,[15] linn. 16-17) suggererem ut forte dicatur « Ipso iure ... qui itineris aut laboris causa comedunt extra domum suam » i. e. omittendo vocem *debent*.

---

[13] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

[14] Cf. p. 620.

[15] Cf. p. 620.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: desideratur quod fideles satisfacere possint praecepto de assistendo Missae sacrificio a vespere sabbati, quia multi die dominica impediuntur, qui sabbato liberi sunt horis pomeridianis. Adhaereo observationibus Em.mi Léger de operibus servilibus et de ieiunio.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: quoad Missae adsistendi obligationem adhaereo animadversionibus Em.mi Card. Decani. Timeo ne maior tolerantia cremationis sit gravissimum vulnus « Suffragiorum ».

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet: *a*) pag. 6,[1] num. 13, descriptio laborum a quibus abstinere debeant fideles diebus festis de praecepto clarius explicetur; *b*) pag. 10,[2] num. 35, in nuptiis initis cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus Missa celebranda est tantum si Ordinarius licentiam concedat; *c*) pag. 10, n. 36, relate ad cremationem cadaverum adhaereo voto negativo Em.mi Card. Pizzardo; *d*) forsitan opportunum esset non tacere de obligatione quam fideles habent adiuvandi ecclesiam et cultum divinum oblationibus atque stipite sicut in antiqua traditione populus christianus generose praestitit.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: seu iuxta animadversiones ab Eminentissimis Patribus propositas. Duo minimi momenti adnotare vellem:

1. Ad nn. 18 et 20: ubi de rationibus ob quas observanda est sola abstinentia vel lex solius ieiunii.

Nescio utrum conveniat has addere rationes, quamvis optimas et certo certius veras, quum dubium oriri possit ne populus christianus nil aliud facere valeat nisi istas poenitentias minimi momenti sive ad recolendam Passionem et Mortem D. N. I. C. sive ad sese parandum ad gloriosam Eiusdem Resurrectionem.

Dixi poenitentias « minimi momenti » prae oculis habens leges propositas in praesenti Decreto: certe idem asserere non auderem si cum omni veritate nobis dicere liceret « Concede nostrum conteri corpus per abstinentiam » (Hymnus ad Vesperas, Tempore quadrag.) vel « Utamur ergo parcius verbis, cibis et potibus, somno, iocis, et arctius perstemus in custodia » (Hymnus ad Matutinum tempore quadrag.).

---

[1] Cf. p. 619.
[2] Cf. p. 621.

Ergo alio opportuniori modo rationes illae praenobiles dandae censerem.

2. Ad n. 36: ubi de crematione cadaverum.

Forsan recolere iuvat quid veteres christiani sentierunt de usu corpora mortuorum vel cremandi vel inhumandi.

a) Quoad cremationem.

Morem cremandi corpora Romani, teste Plinio, a sic dictis « barbaris », in longinquis regionibus bellantes, sumpserunt: « Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur... At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum... » (Hist. l. 7, c. 54).

Priscis temporibus Christiani abhorruerunt cremationem, teste Minucio Felice qui aiebat: « Et exsecrantur rogos et damnant ignium sepulturas » (Octavius, IX), « Templa ut busta despiciunt » (ib. VIII).

b) Quoad inhumationem.

Primis Christi aevi saeculis Christianis sanctum fuit corpora mortuorum sepeliri per inhumationem iuxta formam qua Iesus Christus Dominus Noster sepultus est.

Inhumatione usi sunt Christiani persecutionum etiam tempore, dum in Romano Imperio usus corpora cremandi vel urendi invalescebat.

Inhumatione Christiani usi sunt non sine magno immo maximo labore, uti Romana Coemeteria seu Catacombae facile ostendere valent.

Labor « fossorum » scilicet eorum qui coemeteria effodierunt et loca apparaverunt ad recipienda corpora mortuorum, valde exsistimatus fuit; habitus fuit tanquam « labor per antonomasiam »: « Il più apprezzato, nobile, santo dei lavori — ait Armellini (*Lezioni,* pag. 45) — il *labor* per eccellenza nelle catacombe era quello che esercitava il fossore ». Iste labor privilegium — « quod multi cupiunt sed raro accipiunt » (G. B. De Rossi, *Inscr.* I, 142, n. 319) — dabat fossoribus suum corpus sepeliendi prope corpora Sanctorum Martyrum uti in inscriptione inventa in Coemet. Calixti: « Constituit suum loco sanctis propiore. Haec tibi sit Fossor merces condigna laboris » (G. B. De Rossi, *R. S. C.,* III, 543).

Nec praetereunda sunt SS. Patrum testimonia de cura corporum christianorum et sepulchrorum, necnon de pristinis moribus seu de sacris ritibus quibus corpora christianorum sepeliebantur, vel melius « deponebantur » iuxta illud quod adhuc legitur in Coemeterio Calixti in cubiculo Severi Diaconi qui, tempore Marcellini Papae et iussu Illius (annis scilicet inter 296 et 304), sibi suisque sepulchrum paravit:

... memor quo membra dulcia somno
per longum tempus Factori et Iudici servet.

Salvo sapientiori iudicio, igitur, traditio christiana mihi humillime videtur integre et universim sancte servanda.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: id est exceptis articulis 19mo et 20mo.

1) Ad 19um. Valde opportuna est facultas fidelibus tributa ut observationem legis abstinentiae et ieiunii pervigilia Nativitatis anticipare queant. Sed, quod facultas illa diei 23^{ae}, referatur non expedit, quia dies 23^{a} potest esse (ut accidet praesenti anno) dies Dominica in qua neque abstinentia neque ieiunium fiunt et tunc facultas evanescit. Melius esset si obligatio abstinentiae et ieiunii traslata esset ad diem semper ferialem et traditioni Ecclesiae magis consentaneum, sicut esset dies sabbati quatuor Temporum Adventus.

2) Ad 20um. Exopto quod articulus illa deleatur retentis rationibus a pluribus Patribus allatis.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. sicut scripsi in folio adnexo.[3]

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta dicta ab Em.mis Patribus. Quoad IV-17: comedere carnes in ientaculo et in coena esset ieiunium pro divitibus, ideo non placet.

V-29: tenentur Eucharistiae sacramentum digne recipere saltem semel in anno, praesertim in paschate.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Cardinalis Ottaviani, circa Missam celebrandam in matrimoniis mixtae religionis, circa cremationem cadaveris. In pag. 10,[4] n. 36, loco verborum « ad fidem ostendendam etc. » ponatur: « iuxta antiquissimum Ecclesiae morem ».

Obbligatio assistendi S. Sacrificio diebus dominicis et festis anticipari possit vespere sabbati vel diei praecedentis.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: numero IV, pag. 7,[5] leges novae de obligatione servandi abstinentiam et ieiunium, eam in formam simpliciorem redigentes et non amplius vetantes ius ex carne (n. 15) neque carnem in ientaculo et in coena diebus abstinentiae (n. 17, ex lin. 14) optime proponuntur. Idem dicendum est de quantitate ciborum

[3] Cf. pp. 625-626.
[4] Cf. p. 622.
[5] Cf. p. 620.

in comestionibus extra illam plenam diebus ieiunii (n. 17), et de reductione dierum abstinentiae et ieiunii (n. 19).

Ut locus controversiae amplius non detur, autem, numero 7, pag. 5 [6] addendum est quod legi de Missae Sacrificio adsistendo satisfacit etiam is qui Missae adest a sacerdote celebratae qui privilegio altaris portatilis vel indulto in mari celebrando gaudet.

Notandum est etiam ipso facto exemptionem vel excusationem a lege abstinentiae numero 24 pag. 8 [7] iis concessam qui extra domum suam itineris vel laboris causa comestionem facere debent, valde fretam esse periculis interpretationis indebitae de itineris natura necnon confusionis ne dicam admirationis multorum qui cotidie in civitatibus nostris laboris causa extra domum comestionem meridianam faciunt. Hi, revera, sine ullo vero incommodo facile possunt legem abstinentiae servare.

Etiam nunc caute perpendum est utrum necne propositum numeri 35, pag. 10, viam aperiat ad attenuandam in fidelium mente severitatem prohibitionis Ecclesiae de matrimoniis mixtis.

Propositum numeri 36, pag. 10,[8] sequelis infelicissimis locum dare potest.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum: pag. 4,[9] II, 4. Facultatem satisfaciendi praecepto Missae audiendae diebus dominicis, vespere sabbati nullatenus admitterem. Si haec ianua aperiretur festum Dominicum, ex vetustissima traditione tam sacrum, paullatim in desuetudinem caderet.

Pag. 8 [10] ad 26. Non concederem Parochis facultatem dispensandi etiam *totam paroeciam,* quia abusus facile orirentur et diversitas agendi haberetur in diversis paroeciis. Ceterum hodie facillimum est pro omnibus Parochis recurrere ad Episcopum, cui huiusmodi potestas reservanda esset.

Pag. 10, n. 35. Benedictionem *solemnem* impertiri sponsis quorum pars sit acatholica, mihi absonum est. Nunquid etiam communistis et Ecclesiae persecutoribus benedicetur solemniter?

Pag. 10, ad 36. *Cremationem tolerare* — excepto casu belli vel pestilentiae — scandalo hodie afficeret — ut opinor — fideles, quibus veneranda est humatio, secundum antiquissimam consuetudinem christianam.

---

[6] Cf. p. 619.
[7] Cf. p. 620.
[8] Cf. p. 622.
[9] Cf. p. 618.
[10] Cf. p. 621.

Si aliquando — extraordinariis rationibus — toleranda esset, id petatur a S. Sede; sed nihil dicatur in textu Concilii Oecumenici.

Card. VALERI: Placet iuxta modum, attentis observationibus iam factis.

Quoad Par. VI n. 35 notare vellem non paucos hebraeos, vel melius hebraeas, quae matrimonium cum catholica parte ineunt, saepe saepius adamussim fideles se monstrare cautionibus praestitis, etiam quando pars catholica indifferens in suis obligationibus est. Dantur etiam frequentes casus in quibus istae mulieres ad religionem catholicam convertuntur praesertim si adest proles.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita eorum quae prolata sunt prout merentur. Addo: in hac materia ratio utique habeatur necessitatum hominum, ut ipsis facilius aperiatur porta salutis; tamen *caute* est procedendum, quia « praeceptum diei festi » fundatur iure divino — quod ius Ecclesia servare omnimode debet — et praeceptum de abstinentia et ieiunio quodammodo fundatur in ipsa doctrina Evangelii.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: pag. 4, n. 2: Conditiones praevalent in multis partibus — praesertim in partibus ubi catholici sunt commixti cum acatholicis — a quibus praesentantur impedimenta ad observandum praeceptum de obligatione audiendi Missam diebus de praeceptis in America stricto modo. Melius est ergo ut maneat obligatio sine deminutione, quia confessarii in tribunali poenitentiae exercent principia Theologiae Moralis, quae sunt ampla.

Pag. 10,[11] ad notam: Non probata est sententia de satisfactione praecepti audiendi Missam a vespere diei praecedentis.

Ad observationem Cardinalis Ottaviani de pag. 10 n. 5: Mihi videtur difficile concedere benedictionem sollemnem quando matrimonium celebratur cum dispensatione disparitatis cultus, cum hoc matrimonium non sit Sacramentum et existat possibilitas dispensationis ad validitatem.

CARD. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum, hoc est: attentis observationibus Em.mi Card. Léger. Adhaereo propositioni Em.mi Card. Confalonieri circa applicationem Missae pro populo omnibus diebus festis. Circa cremationem cadaverum adhaereo dictis ab Em.mis Card. Ottaviani et Tisserant.

---

[11] Cf. p. 622.

Card. Léger: Placet iuxta modum: iuxta adnotationes adnexas.[12] Et exopto totis viribus ut votum Em.mi Card. Decani, de praecepto Missae a vesperis sabbati adimplendo, a Concilio accipiatur.

Card. Gracias: Placet.

Card. Cento: Placet iuxta modum: attentis quae protulerunt praeopinantes Patres, maturius tamen studium dedicando aliquibus problematibus inspectis, e. g. cremationi cadaverum etc.

Optime proposuit Eminentissimus Léger praeponere prooemia quaedam super transcendentiam Sacrificii Eucharistici in vita christiana et super necessitatem mortificationis, « ad adimplendum in nobis quae desunt Passionum Christi ».

Card. Cicognani: Placet iuxta modum: sanctus, sartus tectusque remaneat dies Domini; sanctificetur praesertim per intimam partecipationem fidelium Missae et receptionem S. Eucharistiae; obligatio Missae non videtur extendenda ad vesperem diei praecedentis, etiam attento quod parochus die dominico dat sua monita et enunciat quae pertinent ad vitam paroeciae.

Quoad matrimonia mixta: quaedam solemnitas religiosa necessaria est ad imprimendam in animo nupturientium naturam sacram et praestantiam nuptiarum: et proinde et ea matrimonia in ecclesia celebrentur, cum Missa et benedictione, si tamen cautiones datae fuerint.

Item dicatur de matrimoniis inter partem catholicam et partem non baptizatam (ethnicam, vel iudaicam; quoad Mahumetanos, recurratur ad S. Sedem).

Quoad n. 26: Non videtur concedenda parocho facultas dispensandi totam paroeciam, cum facile ipse recurrere possit ad Episcopum.

Circa n. 36, *de crematione*: Non videtur opportunum statuere in Concilio Oecumenico quod crematio cadaverum tolerari possit pro locorum adiunctis, etc. Servandus videtur sensus traditionalis christianus, quatenus possibile est, *de sepeliendis* mortuorum cadaveribus; patent motiva: symbolum resurrectionis, preces liturgicae, cultus sepulcrorum apud populos, etc. Ubi lues et morbi contagiosi serpant, Ecclesia difficultatem non facessit, et pariter providet per instructiones peculiares pro hac vel illa regione (uti Japonia) ubi mos civicus et leges sociales militant pro crematione. De hac materia silendum potius.

Card. Godfrey: Placet iuxta modum: id est ad mentem Em.mi Relatoris.

---

[12] Cf. pp. 626-627.

In pagina septima,[13] numero decimo nono, quoad legem abstinentiae in pervigilio Nativitatis Domini, speciatim de verbis « ad liberam singulorum fidelium voluntatem ».

Ad evitandas difficultates v. g. in una et eadem familia relinquatur conferentiae Episcoporum ut eligant diem determinatum pro abstinentia et ieiunio in pervigilio Nativitatis Domini.

In pagina quarta,[14] numero secundo, ubi agitur de diebus festis sub praecepto, desideranda esset uniformitas in universa Ecclesia. Quodsi in certis locis exceptiones quaeruntur, videatur ne substituatur festum, dempta una ex diebus praeceptis enumeratis in canone 1247.

Si autem Sancta Sedes vellet exceptiones concedere, meo humili iudicio posset eliminare Octavam Nativitatis Domini a numero festorum sub praecepto, salvo semper meliore iudicio.

Magni momenti est numerus quintus in pagina quinta,[15] quia ita solvitur quaestio a moralistis disputata.

Quod dicitur in eadem pagina numero septimo optimum est. Item quod conceditur in numero octavo de satisfactione obligationis assistendi Missae Sacrificio in quacumque ecclesia, etc.

Caput Tertium, pagina sexta:[16] De abstinendi ab operibus vetitis obligatione. Noto quod schema non loquitur de operibus servilibus et melius est, quia male intelligitur vox « servilis » quando quaestio est de operibus. Enumeratio operum vetitorum clarior est cum explicationibus additis in schemate « labores, actus forenses etc. ».

Sub numero decimo septimo, pagina septima,[17] quantum mihi videtur lex ieiunii ita praescripta confusionem faciet fidelibus. Dicitur « quantitas ciborum sumatur aliquatenus minor quam consueta ». Scrupulos gignet.

Concessio edendi quamcumque qualitatem cibi nimis larga est. Quid de precibus tempore quadragesimali ubi loquitur de « maceratione corporis » et similibus? Quantum distat talis concessio a spiritu Liturgiae de quo Ecclesia nos instruit?

Propono ergo quod ieiunium quadragesimale significare debet comestionem carnis in prandio et non in aliis refectionibus.

Insistere debemus de qualitate cibi potiusquam de quantitate. Placet

---

[13] Cf. p. 620.
[14] Cf. p. 618.
[15] Cf. p. 618.
[16] Cf. p. 619.
[17] Cf. p. 620.

quod dicitur in nota tertia paginae undecimae [18] et non videtur insuperabilis obiectio proposita de cibo pro prandio et coena simul praeparato. Estne adeo difficile mutare talem methodum in diebus ieiunii?

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum.[19]

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: attentis observationibus Card. Léger de magna necessitate definiendi ac determinandi quid sit dies festus et quae sint opera servilia et de reeducatione christianorum quoad sensum paenitentiae; et attentis etiam observationibus similibus Card. Döpfner de urgentia proponendi fundamentum theologicum istorum praeceptorum, ad vitandum merum legalismum.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum, quem exposuit Card. Tisserant.

Pag. 3 [20] et saepius in schemate invenitur locutio « Missae adsistendum » vel « Missae adsistere ». Nostris temporibus melius sonat, quod invenitur in schemate anteriore, ibi pag. 5,[21] linn. 35-36 et sic legitur « omnes fideles actuosa participatione Eucharistico sacrificio intersint ».

Pagina 10,[22] ad notam in fine, haec animadvertere liceat: In schemate de ecclesiis orientalibus, quod erit ultimum schema in hac sessione, legitur in pagina 4,[23] linn. 18-20: « Facultas datur fidelibus satisfaciendi obligationi Missae a vespere vigiliae usque ad finem diei festi ». Quod orientalibus conceditur, vix latinis negari potest.

Card. DÖPFNER: Non placet, iuxta ea quae dixi.[24] Consentio cum n. 35 (Missa occasione matrimonii mixti) et n. 36 (de crematione cadaverum). Permittatur Missa dominicalis secundum iudicium Ordinarii vespere sabbati.

Card. MARELLA:[25] Placet.

Card. CONCHA:[26] Placet iuxta modum: ad pag. 6,[27] num. 13, littera *a*). Cum fideles passim angantur conscientia circa liceitatem exercendi diebus festis quaedam opera, clarum forte dicendum licitum esse iis diebus:

---

[18] Cf. p. 622.
[19] Cf. pp. 627-628.
[20] Cf. p. 618.
[21] Cf. p. 599.
[22] Cf. p. 622.
[23] Cf. p. 863.
[24] Cf. pp. 628-632.
[25] Em.mus Card. Marella tertiae Congregationi non interfuit.
[26] Em.mus Card. Concha tertiae Congregationi non interfuit.
[27] Cf. p. 619.

texere, suere, acu pingere, hortum domesticum excolere sine magno labore.

Ius carnis idem est ac caro, imo caro concentrata.

Convenire non videtur ut Conferentiae seu Concilia Provincialia statuant opera poenitentiae praeter abstinentiam.

Pag. 7,[28] num. 18, addendum: « salvis indultis Sanctae Sedis ». Idem addendum numero 19 atque numero 20.

Disciplina universalis abstinentiae et ieiunii de qua pag. 8,[29] numero 22 extendi non posset Dicioni Columbianae pro qua indultum Sanctae Sedis viget.

Ad num. 35. Difficultas oritur ex eo quod in tabulis taxarum pro aliquibus Dioecesibus Columbianae Dicionis a Sancta Sede probatis editur nihil, pro matrimonio simpliciter celebrato, a fidelibus exquirendum esse atque simul animadvertitur modum illum simplicem ex se excludere celebrationem matrimonii.

Card. OTTAVIANI: Placet iuxta modum:[30] cum notis Em.mi Card. Léger. Praceptum Missae audiendae maneat pro die Dominico.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: seu iuxta animadversiones ab Em.mis ac Rev.mis Patribus factas; servatis autem, quantum possibile est, spiritu poenitentiae quoad ieiunium et abstinentiam et charactere diei festi quoad auditionem Missae; cremationem vero nonnisi exceptione admitti velim.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: probatis iis quae animadverterunt Em.mi Léger, Döpfner, Ottaviani. Insuper plura dixi in foliis adnexis.

Titulus schematis huius melius inscribitur: « de *quibusdam* praeceptis ecclesiasticis »: ipsum enim haud est codex omnium praeceptorum ecclesiasticorum.

Expoliatur insuper latina lingua: ita, exempli gratia, in linea decima tertia (quartae pagellae),[31] locutio « ex concordato inito cum respectiva Natione » reddatur aliter, puta, « ex conventionibus initis cum variis nationibus ».

Pariter pag. 4,[32] in linea decima septima, sufficiat locutio « ius particulare » quin vox « peculiare » addatur. Denique, « ius *commune* » re-

---

[28] Cf. p. 620.
[29] Cf. p. 620.
[30] Cf. pp. 634-636.
[31] Cf. p. 618.
[32] Cf. p. 618.

ctius dicatur per « ius *generale* » atque concilia « *particularia* » vocentur per iuridica verba « *plenaria* » vel « *provincialia* ».

Quid vero magis substantiale addere liceat:

1) Pag. 5,[33] n. 10: aliquid grave ac novum videretur induci praeceptum, ubi Ordinario ius confertur pietatis exercitia *praescribendi* fidelibus si Missa diebus festis de praecepto celebrari nequeat. Ideo melius aliud verbum quis adhibeat, puta « *suaderi* ».

2) Pag. 6,[34] lin. 20: pressius definiantur oportet verba ubi de operibus vetitis adhibita, nempe « officina » et « fabricae », ut clare pateat de quibusnam rebus agatur.

3) Pagg. 9 et 10:[35] optime in numero trigesimo tertio adhortatio fit ut foveatur observantia praeceptorum de *annua* confessione et communione: sed data hac occasione oblivioni ne dentur graves exhortationes pro communione frequenti; quare hic addendum videretur praescriptum can. 863.

4) Quae dicuntur pag. 10 in num. 35, de benedictione sollemni in matrimoniis mixtis, aptius forte proponantur et discutiantur ubi de istis directe agetur.

Pariter haud congruit sermo de *crematione cadaverum* cum praeceptis ecclesiasticis: melius alibi, puta ubi de ritibus.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: hoc sensu: 1) quod plura schematis placent; 2) quod animadversiones Em.morum Tappouni, Léger, Döpfner, Confalonieri, Alfrink, Ottaviani, Ferretto, Masella, Pizzardo, Ruffini, Godfrey et Rev.mi P. Magistri diversis respectibus optimae fuerunt et colligendae sunt; 3) quod plura adsunt certe non levia quae lecta non sunt et notabiliter modificant disciplinam quae in Voto recenseo. Hinc schema, ut censeo, retractandum necessario esset forsan cum Commissione Orientali ad unificandam disciplinam nunc possibilem.

* * *

1. Quoad *Introductionem,* aliqua certe mihi probanda viderentur, alia non ita absolute et clare certa, dicere auderem. Certum profiteor et utiliter dicendum censeo, non inde abstinere debemus a praeceptis communibus renovandis, quod plures ea non servent, ne occasionem peccandi ipsis scilicet tribuere videamur. Damnum, et quidem grave, bono spirituali fidelium iniceremus. Haec: est consideratio *positiva,* quae praevalere debet. Absque dubio ad damnum et occasionem damni vitanda,

---

[33] Cf. p. 619.
[34] Cf. p. 619.
[35] Cf. p. 621.

dummodo sufficienter bono omnium provideamus, *facilior* reddenda est communium praeceptorum observantia.

2. Quod *in fine* Introductionis, ut compromissum, proponitur, scilicet: « Hinc huius Commissionis Sodales, re attente et accurate perpensa, expedire censuerunt, ut, salvis nonnullis praescriptionibus ubique servandis, plura alia certa et definita decernantur in Conciliis particularibus vel in Episcoporum conferentiis regionalibus seu nationalibus ». Adnotarem: 1° Disciplina, si ipsa absolute relinquatur Auctoritatibus territorialibus, experientia teste in peius vel ruit vel tendit saltem ut ruat. Hinc, clausula semper addatur: res tota tractetur, quin ullo modo publici iuris fiat, et integra S. Sedis iudicio, confirmationi et approbationi subiiciatur.

Nisi agatur de rebus minoris momenti, haec *Conciliis* melius subiiciuntur et a Conferentiis substrahuntur. Sane Concilia accuratius praeparantur et maiore securitate atque gravioribus oblatis cautionibus procedunt.

2° Transmittantur semper S. Sedi *et* acta completa *et* relatio circa discussionem ac vota.

I. *Ad textum et notas correlatas.*

n. 1. Probamus.

n. 2. Introductio et *a*), prorsus nobis confirmanda viderentur. Nulla pretiosa ratione, demonstrari sane potest, *omnes gentes* ex illis regionibus normam petere debere, in quibus *dechristianisatio* eousque processit, ut ad pauca sane festa, et quidem die dominica celebranda, reducuntur.

b) Aliqua adderem, ut ex iis pateret, Ecclesiam non sine dolore illis consensisse, ex. gr. auferrem « de *praecepto servandis* »; innuerem possibilitatem mutationis, esto de communi consensu.

c) Res *Conciliis* sive *Provincialibus* sive *Plenariis* ad normas iuris celebratis (cc. 281-282) reservetur *semper.*

Ut ad Introductionem diximus (n. 2), melius praeparata, magis seria, minus fluxa et fluentia sunt et difficilius *fictis maioritatibus* occasiones Concilia praebent, quam diversae multiplices Conferentiae. Etsi plures nunc satis ingenui hoc non videant, post aliquot annos vix non omnibus patebit.

n. 3. Dum fiat consentiente *Sancta Sede,* cui Acta mittantur, nihil obiiciendum.

II. *De Missae adsistendi obligatione*:

n. 4. nota 1. Quaestioni: « utrum legi de adsistendo Missae Sacrificio fideles satisfacere possint a vespere diei praecedentis, solummodo sex Sodales (seu Membra) Commissionis suffragium affirmativum, sexdecim autem suffragium negativum, et quinque nullum suffragium tu-

lerunt ». Haec quaestio, facile et secure resolvitur, si duplex in ipsa adspectus distinguatur: *a*) In primis, adspectus *theologicus,* scilicet de Ecclesiae potestate ad extendendam diem dominicam vel diem festum ad praeceptum adimplendum. Haec quaestio authentice iam olim soluta est, ex expressis concessionibus factis pro aliquibus Ritibus Orientalibus.

b) Quaestioni: An expediat vel minus hoc concedere, quod concedi valet, ita respondere, ut credo, *potest* ac *debet*: Episcopis ac Ordinariis haec facultas concedenda vel agnoscenda certe est, pro casibus in quibus *alio modo* Missa vel audiri *non posset* ex impedimentis absolutis, vel in quibus ex non recta voluntate seu debilitate certe non audietur.

In concreto Episcopi iudicare debent, an pro animarum bono et ad tutandam generalem diei festi sanctificationem hoc concedere, et qua ratione et quibus limitibus expediat necne.

nn. 5-12. Approbatione mihi digni videntur.

III. *De abstinendi ab operibus vetitis obligatione.*

nn. 13-14. Nihil notatu dignum.

IV. *De obligatione servandi abstinentiam et ieiunium.*

nn. 25-26. Ius Ordinariorum ac parochorum ad illos etiam extendi debuisset, etiam expresse, qui Ordinariis seu parochis in iure pro personis subditis aequiparantur.

V. *De confessione annua et de communione paschali.*

Omnia admitti possunt.

VI. *De aliis praeceptis ecclesiasticis urgendis.*

n. 36. Aliqua, quoad cremationem, difficultas, quae hic conceditur, mihi videretur.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: maxime habita ratione animadversionum Em.morum Cardd. Léger et Tappouni de inculcanda necessitate poenitentiae, Em.mi Card. Döpfner de legibus tantum generalibus, sed cum motivis theologicis, denique Card. Ottaviani de Missa in matrimoniis mixtis cum dispensatione mixtae religionis et de crematione (casus extraordinarius). De matrimoniis mixtis Secretarius pro unitate praeparavit votum quod traditum est Commissioni de disciplina Sacramentorum.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: 1) Quoad tempus satisfaciendi obligationi assistendi Missae, necesse est easdem dispositiones sequi in locis ubi habentur fideles rituum differentium. Et concedatur haec facultas a vespere vigiliae ad finem diei festi.

2) Insuper prae oculis habeantur animadversiones propositae ab Em.mis Cardd. Léger, Döpfner, Tappouni.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes ab Em.mis et Rev.mis Patribus factas.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: quaestionem cremationis cadaverum, censeo non esse in Concilio tractandam. Em.mi Cardd. Ferretto et Ruffini optima hac de re dixerunt. Melius igitur est ut quaestio sub adspectu quoque doctrinali peritius investigetur: deinde Sancta Sedes det opportunas instructiones, iuxta investigationis conclusiones, et consuetae prudentiae normas.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: 1) Mea humili opinione vitae christianae in nostra aetate profectus maiorem fidelium christianam institutionem exigit: quod ut obtineatur minuere melius videtur legis generalis praecepta, praesertim quoad abstinentiam et ieiunium, et omnino rarissime a lege dispensare.

2) Circa dies festos servandos, non solum insistere oportet in obligatione abstinendi ab operibus servilibus, sed magis in sanctificatione positiva istorum dierum, qui dies, praeter participationem ad divinum Sacrificium, destinantur ad instructionem religiosam impertiendam, ad vitam familiarem muniendam: ad opera de apostolatu laicorum roboranda, denique ad animos more christiano recreandos.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta proposita ad Em.mo Card. Léger quoad necessitatem insistendi circa naturam praecepti Missae. Etiam iuxta dicta ab Em.mo Card. Ottaviani quoad numerum 35 in pag. 10.[36] Quoad numerum 18, lex ... nunquam fuit in America Latina per privilegium Sanctae Sedis, et hac de causa, etsi recenter existit, tamen practice a paucis etiam catholicis adimpletur et ita aestimo ut hic numerus 18 habeat aliam redactionem, v. g. ut addatur: « ... iuxta mentem Sanctae Sedis pro unaquaque regione aut natione ».

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Em.morum Cardd. Ottaviani, Léger et aliorum Patrum. Et liceat mihi dicere quod sequitur: In lege civili Boliviana prohibitum est introducere cadavera in templa, sed fideles petunt Missas exsequiales generatim corpore praesente in domibus; quare hac de causa videtur mihi bonum esse admittere Missas semel in unaquaque domo toties quoties, saltem pro benefactoribus Ecclesiae.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum, id est: placent quae dicta sunt a Cardinali Léger et Liénart praesertim quoad ad deletionem pa-

---

[36] Cf. p. 621.

ragraphi vigesimae, pag. septima.[37] Placent quae dicta sunt a Cardinali Ruffini quoad paragraphum trigesimam quintam et Missam in die sabbati.

Exc. Cooray: Placet iuxta modum: i. e. iuxta sequentia:

1) Pag. 4,[38] lin. 14, post verba « respectiva Natione » addantur verba « vel indulto Apostolico ».

2) Pag. 5,[39] n. 10. Non clarum utrum assistentia dictis exercitiis debeat esse sub gravi an non.

3) Pag. 8,[40] n. 25. Dispensatio totius paroeciae Ordinariis relinquenda, ad uniformitatem servandam.

4) Pag. 9,[41] n. 29. Insistendum in Sacra Communione in periculo mortis.

5) Praeceptum ieiunii non ampliandum saltem relate ad regiones tropicales, ubi ieiunium protractum est valde difficile.

Exc. Lefebvre: Placet iuxta modum: i. e. quoad *obligationem audiendi Missam in die dominica* maneat in *sola* die dominica: facultas assistendi Missae horis vespertinis affert iam magnam facilitatem.

De ieiunio et de abstinentia sint leges determinatae a Conferentiis Episcoporum.

Non detur parochis facultas dispensandi totam paroeciam.

De matrimoniis mixtis: non detur benedictio solemnis, sed benedictio detur in ecclesia, non autem in sacristia.

De crematione: nonnisi in casibus belli vel calamitatis admittatur.

Exc. Hurley: Placet iuxta modum: i. e. relate ad legem ieiunii et abstinentiae iuxta vota Em.morum et Exc.morum Patrum qui maximam legislationis generalis simplicitatem desiderant, praesertim propter diversitatem conditionum novarum populationum christianarum Africae et Asiae.

Exc. Perrin: Non placet. Novum schema praeparetur ad mentem Eminentissimi Döpfner; rationes doctrinales praeceptorum exponantur.

Dies abstinentiae et ieiunii determinentur secundum propositionem Eminentissimorum Tappouni et Léger.

Totaliter adhaereo animadversionibus Eminentissimi Ottaviani de

---

[37] Cf. p. 620.
[38] Cf. p. 618.
[39] Cf. p. 619.
[40] Cf. p. 620.
[41] Cf. p. 621.

non celebranda Missa pro matrimoniis cum dispensatione disparitatis cultus cum agatur de Mahometanis.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: secundum observationes factas, praesertim a Cardd. Léger, Döpfner et Arch. Lefebvre. Vellem ut n. 10 in pag. 5 [42] clarificetur, quia multas difficultates invenimus in Missionibus.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: habita scil. ratione eorum quae Em.mus Card. Léger de abstinentia et ieiunio exposuit.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: ad mentem Cardinalium Ruffini, Siri, Cicognani et Ottaviani quoad obligationem Missae assistendi tantum die dominica, quoad legem ieiunii et abstinentiae et quoad cremationem.

Exc. BENGSCH: Non placet.

Exc. JELMINI: Placet. Prae oculis tamen habeantur animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Léger, Döpfner, Alfrink, Ottaviani, speciatim de celebratione Missae in matrimoniis mixtis. Consentio cum Eminentissimo Card. Confalonieri circa applicationem pro populo Missae diebus festivis. Relate ad cremationem cadaverum, nil innovetur nisi in specialibus casibus ab Ecclesia admissis. Quod attinet ad celebrationem Missae serotinae die sabbato ad praeceptum adimplendum consentio, necessitatis ratione hisce temporibus.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Em.mi Cardinales Léger, Döpfner et Ottaviani. Censeo cremationem cadaverum admittendam esse.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum, attentis observationibus a pluribus Patribus factis et scripto quodam meo pro simplici consideratione proposito.[43]

Rev. SÉPINSKI: Placet schema ob claritatem et indolem simplicem et practicam. Proponere velim aliquas animadversiones:

II - De Missae adsistendi obligatione:

Pag. 5,[44] n. 7, lin. 11: adiungatur « Immo in quocumque loco ubi Missa licite celebratur ».

---

[42] Cf. p. 619.
[43] Cf. p. 636.
[44] Cf. p. 619.

IV - De obligatione servandi abstinentiam et ieiunium:

Pag. 7,[45] n. 17, linn. 9-10: Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio plena fiat, in aliis vero comestionibus — quae *semel* mane et vespere fieri solent — ... (pro textu: « quae quotidie fieri solent »).

Pag. 8,[46] n. 22, linn. 4-6: His praescriptis nihil de constitutionibus ac regulis cuiusvis *Status perfectionis* a legitima auctoritate ecclesiastica approbati; ... (Quaeri potest de indultis S. Sedis sodalibus Statuum Perfectionis etiam applicabilibus, cum nempe Ordinarius loci dispenset nomine Sanctae Sedis).

Pag. 8, n. 24, lin. 17: proponerem post verba « extra domum suam » additionem: « dummodo non agatur in fraudem legis ».

Pag. 8, n. 25, lin. 23: clarius dicatur: « de observantia abstinentiae vel ieiunii vel etiam utriusque dispensare possunt ».

Pag. 8, n. 26: Parochi pariter, in particularibus casibus iustaque de causa, possunt singulos fideles sibi subiectos singulasque familias, etiam extra territorium, atque in territorio suo etiam peregrinos a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae vel ieiunii vel etiam utriusque dispensare; immo a praefatis legibus dispensare valent, si et quamdiu gravis et iusta causa id requirat, totam paroeciam. Fideles autem accurate edoceantur ...

V - De confessione annua et de communione paschali:

Pag. 9,[47] n. 32: Ipso iure ... itemque censuris a Sancta Sede Ordinario loci reservatis.

---

[45] Cf. p. 620.
[46] Cf. p. 620.
[47] Cf. p. 621.

VII
DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Pars prima
DOCTRINA DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Sectio secunda
De aliquibus institutis status perfectionis in particulari

(Quarta Congregatio: 23 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE RELIGIOSIS

1. [*Transitus a sectione prima ad secundam*]. Licet praecedens constitutio omnia sane complectatur instituta Status perfectionis, Sacra Synodus tamen opportunum ducit aliquid in particulari addere tum de institutis laicalibus, praesertim Fratrum docentium, praesentibus in adiunctis speciali ratione commendandis,[1] tum de institutis saecularibus nuperrime iuridice ordinatis et ad statum perfectionis adquirendae adscriptis.

Caput VII
DE INSTITUTIS LAICALIBUS PRAESERTIM FRATRUM DOCENTIUM

2. [*De aestimatione vitae religiosae laicalis habenda*]. Vita religiosa laicalis, qualis a prioribus temporibus in Ecclesia exculta[2] atque hisce ultimis saeculis volventibus nova forma, tam pro viris quam pro mulieribus, variis apostolatus operibus mirum in modum aptata et nunc ubique vegetior efflorescens, ab omnibus habenda est tamquam evangelicae perfectionis adquirendae et Deo consecrationis status completus a Sancta Ecclesia recognitus; eam igitur Sacra Synodus amplissimis laudibus extollit omniumque aestimationi ac speciali Sacrorum Praesulum sollicitudini commendat.

3. [*De speciali fratrum docentium vocationis indole*]. Inter vitae religiosae laicalis sectatores viros, qui « peculiari Dei vocatione sacerdotii dignitati iisque solaciis quae ex eo oriuntur, renuntiant »,[3] placet specialiter recensere diversorum Institutorum Fratres docentes, qui, sicut de aliis quibuscumque religiosis docentibus quoque dicendum est, ab Ecclesia eorum Constitutiones approbante utpote finem specialem prosequendum munus[4] christiane erudiendi iuventutem receperunt; atque ideo veluti missionem obtinuerunt non tantum disciplinas profanas sensu catholico tradendi sed praesertim docendi doctrinam christianam, qua, in scholis cuiuscumque ordinis et gradus, iuvenis animum ad vitam christianam reapse instituunt.

4. [*De speciali religiosorum docentium vocationis merito*]. Huius pecu-

liaris vocationis Religiosi docentis meritum manifesto apparet consideranti « christianam educationem causam esse sane gravissimam, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam etiam civilemque consortionem ».[5] Itaque, « dilucidum est quam praestabilis sit, prae ceteris omnibus, christianae educationis opera, quippe quae eo potissimum spectet, ut summi boni, nempe Dei, possessionem adulescentibus educandis comparet, et humanae societati maxima, quoad in terris fieri potest, emolumenta ac commoda pariat ».[6]

5. [*Specialis missio docendi religionem in scholis*]. Quapropter, stante fine speciali Institutorum Fratrum docentium, licentia Ordinarii loci ipsis concessa scholam aperiendi secumfert facultatem docendi in eadem doctrinam christianam, firmo tamen iure Ordinarii loci vigilantiae ac visitationis, servatisque legitimis conditionibus in ipsa permissione forte appositis.[7]

6. [*Congrua praeparatio fratrum ad religionem docendam*]. Tam nobilis vero missio gravem inducit necessitatem ut religiosi docentes ad eam rite explendam profunde accurateque formentur. Immo, si de doctrina Religionis in scholis mediis et superioribus tradenda agatur, seria et proportionata requiritur in docente institutio generalis theologiae, sine qua tantum munus eo gradu tuto ac competenter exerceri vix potest.[8] Huic quidem apostolatui se totos dent, illum caeteris omnibus quae illos ab eo distrahi possint anteponentes.

7. [*Vocatio fratrum docentium fovenda et promovenda*]. Ut tam utilia Instituta maiora in dies incrementa capiant,[9] scriptores de rebus paedagogicis et asceticis, educatores, confessarii et moderatores spiritus christifidelibus ostendant hanc peculiarem Fratrum docentium vocationem secumferre, cum integra personae Deo consecratione, opus omnimode laudandum et fovendum, christianam nempe puerorum et iuvenum institutionem et educationem, quae ars artium et scientia scientiarum [10] merito dicitur quaeque nostris temporibus adeo necessaria et urgens est; itemque adspirantes et religiosos eorum consilia requirentes sapienter illuminent atque in vocatione, quae dispositiones ingenii animique dotes haud communes certo postulat, pro sua prudentia confirment.

Caput VIII

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

8. [*De institutis saecularibus honorandis*]. In Sancta Dei Ecclesia, cuius mirabilis foecunditas singularibus temporum necessitatibus occurrentibus subveniendis numquam impar invenitur, exsorta sunt Instituta Saecularia, quae a Sede Apostolica iuridice recognita, christifidelibus in saeculo permanentibus perfectionis evangelicae prosequendae viam commonstrant atque modos apostolatus in saeculo et ex saeculo exercendi amplos et efficaces suppeditant.[11] Igitur, Sacra Synodus facere non potest quin Divinae Bonitatis gratias referat, de novo hoc agmine, quod exercitium consilia evangelica profitentium in saeculo adauxit.[12]

9. [*Institutorum saecularium distinctio: A fidelium Associationibus*]. Haec Instituta saecularia, quorum sodales in saeculo dispersi absque votis publicis et sine vita communi canonica « tam generose sanctitatem sectantur »,[13] veras societates, clericales vel laicales, ad modum corporis organici cum propriis internis moderatoribus in Ecclesia constituunt, quae dioecesanae, interdioecesanae vel universales, et quidem iuris sive dioecesani sive pontificii esse possunt. Et licet, quoad externam rationem vitae et modum apostolatum exercendi cum communibus fidelium associationibus sive laicorum sive sacerdotum conveniant, ab iisdem tamen iuridice distinguuntur, quia veram et essentialiter completam, etsi in saeculo, consiliorum evangelicorum professionem secumferunt, propterea que inter status perfectionis ab Ecclesia recognitos iure meritoque adnumerantur.[14]

10. [*Institutorum saecularium distinctio: A religionibus et societatibus*]. Ad institutorum saecularium naturam, ut iam supra innuitur, necessario pertinet plena christianae perfectionis professio, tribus evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa. Attamen, non solum in iisdem vota publica non admittuntur; sed indoles saecularis vel ut aiunt, « saecularitas » in qua eorum specifica existendi ratio consistit, fideliter quoque asservanda est et in omnibus elucere debet.[15]

Quapropter, haec Instituta nec religiones nec societates vitae communis sunt, neque iis in omnibus aequiparari possunt. Ideoque, proprium nomen, scilicet: « Instituta saecularia » de iure sortiuntur, a nulla societate vitae communis etiam sine votis a nullaque alia fidelium associatione in saeculo usurpandum.

11. [*Instituta saecularia proprio utuntur iure*]. Pariter, instituta saecularia proprio quoque utuntur iure, peculiaribus suis conditionibus socialibus, vitae et operae in saeculo necnon saecularibus muneribus, officiis et operibus quae licite exercentur plane accommodato. Ea, igitur, pro aliis statibus perfectionis specialiter praescripta, ipsis non applicantur nisi ob peculiarem rationem a Sancta Sede aliter provisum fuerit.[16]

12. [*Forma genuina institutorum saecularium praeservanda*]. Ideoque, cavendum est ne propria institutorum saecularium indoles extraneis formis alteretur vel a sua genuina ratione et integritate iuridica certis modis vivendi vel apostolatum exercendi sibi alienis incaute acceptis recedat, non sine vero periculo confusionem inducendi inter varios status perfectionis.

Hinc, in iis quae particulariter spectant ad praxim consiliorum evangelicorum, speciatim in materia paupertatis, et ad officia ac munera in saeculo suscipienda necnon ad externam formam vitae socialis sodalium, non iure pro aliis statibus perfectionis vigenti, sed propriis normis a Sancta Sede sibi impertitis reguntur.

13. [*De subiectione institutorum saecularium Ordinariis locorum*]. Instituta saecularia ad normam iuris pro non exemptis Congregationibus et Societatibus vitae communis vigentis, subiecta sunt Ordinariis locorum [17] quibus etsi de iure innotescunt,[18] potest tamen haud raro iuvare, immo ali-

quando omnino necessarium esse ut sodalium nomina vel ipsa centra ceteris prorsus ignota maneant.

14. [*De subiectione sacerdotum incardinatorum Ordinariis locorum*]. In iuridica autem ordinatione institutorum clericalium, quorum sodales incardinationem propriae dioecesi ex instituto retinent, id semper prae oculis habendum est, auctoritatem Ordinarii loci in hos clericos nullo sub respectu imminuendam sed potius novo vinculo firmandam esse. Quamobrem, in Constitutionibus apte definienda est materia obedientiae Superiori interno debitae, qui numquam quidquam praecipere vel consulere potest quod dependentiae ab Ordinario adversetur, cuius sententia in omnibus casibus conflictus praevalere debet.

15. [*De subiectione sacerdotum non incardinatorum*]. Quando sacerdotes incardinationem dioecesanam ex instituto non retinent, statuendum est tempus quo illam de iure amittunt.[19] Interim, ad normam Constitutionum plane pendent a proprio Superiore interno, quin tamen ipse in officia ab Ordinario commissa directe intervenire valeat, salva semper eorumdem adimpletionis vigilantia.

16. [*De institutis saecularibus alicui religioni aggregandis*]. Ad relationem quod attinet alicuius Instituti saecularis cum aliqua Religione, nihil impedit quominus, ex speciali Sanctae Sedi concessione, Institutum saeculare alicui Religioni aggregetur ut ab ipsa adiuvetur et etiam aliquomodo moraliter dirigatur.[20] Attamen, aliae strictioris formae, quae Instituti saecularis autonomiae detrahant, etiamsi ab ipsis Institutis desiderentur et invocentur, nonnisi difficulter, bono Instituti attente considerato, opportunisque adhibitis cautelis, concedi poterunt.[21]

NOTAE

[1] Cf. Epist. Pii XII ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XLVI (1954), p. 204.

[2] « Etiam, dum antiquitus Monachi plerumque sacerdotio carebant et pauci inter eos ad illum suscipiendum quasi necessitate compulsi, ut populi scilicet ad christianam religionem converterentur, a propria Regula fere distrahebantur ... » (Pius XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 7 iulii 1956, I, n. 3): AAS, vol. XXXXVIII (1956), p. 355.

[3] Epist. Pii XII ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XXXXVI (1954), p. 204.

[4] Ibid., p. 202.

[5] Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* d. 31 dec. 1929: AAS, vol. XXII (1930), pp. 51-52.

[6] Ibid.

[7] Cf. can. 1381, 497 § 2; Circ. S. Congr. Concilii d. 21 iunii 1930, IV: AAS, vol. XXII (1930), p. 397.

[8] Cf. can. 1373 § 2.

[9] Pius XII, Epist. ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XXXXVI (1954), p. 202.

[10] S. GREG. NAZ., *orat. II*; MIGNE PG XXXV, col. 426.
[11] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 februarii 1957; n. 7: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 117.
[12] Cf. Motu Pr. PII XII *Primo feliciter,* d. 12 martii 1948: AAS, vol. XXXX (1948), p. 283.
[13] Const. Apost. citata *Provida Mater,* ibid., n. 12, p. 119.
[14] Cf. Const. Ap. PII XII *Provida Mater,* d. 2 febr. 1947, § 8: AAS, vol. XXXXIX (1947), p. 117; Motu Pr. PII XII *Primo feliciter,* d. 12 martii 1948: AAS, vol. XXXX (1948), pp. 285-286; Alloc. PII XII, d. 8 dec. 1950 ad Congress. de St. Perf.: AAS, vol. XLIII (1951), p. 29.
[15] Cf. Motu Proprio PII XII, d. 12 martii 1948, II: AAS, vol. XXXX (1948), p. 284.
[16] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 februarii 1947, *Lex peculiaris,* II, § 2: AAS, vol. XXIX (1947), p. 120.
[17] Cf. Const. Apost. PII XII *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947, *Lex peculiaris,* art. VIII: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 123.
[18] Cf. S. C. EE. et RR. decretum *Ecclesia Catholica,* d. 11 aug. 1889: AAS, vol. XXIII (1931), p. 634; Const. cit. *Provida Mater,* ibid., p. 119.
[19] Cf. can. 585.
[20] Cf. can. 500 § 3.
[21] Cf. Instr. S. C. de Religiosis *Cum Sanctissimus,* d. 19 martii 1948, n. 9, b: AAS, vol. XL (1948), p. 296.

2) RELATIO EM.MI P. D. VALERII CARD. VALERI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE RELIGIOSIS

Si licet, ante omnia quaedam dicere vellem de modo quo labor in nostra Commissione de Religiosis inde ab initio processit.

In praeparatione schematum de Statibus perfectionis adquirendae, triplicem periodum distinguimus: primam qua quaestiones tractandae rite propositae et ordinatae fuerunt; alteram, qua singulae quaestiones ulteriori studio subiectae sunt; tertiam qua integrum schema de Statibus perfectionis definitive retractatur.

I. *Periodus aptae propositionis quaestionum*

Inde a mense iulii anni 1960, Secretariatus Commissionis de Religiosis, praeparatoriae Concilii Oecumenici Vaticani II, operam dedit laboribus Rev.morum Commissariorum (24) et Consultorum (29) parandis. Materiam satis amplam a Commissione antepraeparatoria particulari penes Sacram Congregationem de Religiosis constituta, solerter digestam collegit, ordinavit, atque una cum schematibus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Centralis apte disposuit ut haec documenta studiosis commode inservire possent; quibus varios adiunxit textus sive suo marte exaratos sive ex aliis fontibus excerptos.

Mense octobri exeunte et sequenti novembri ineunte, septem sessiones Commissionis habitae sunt (dd. 21 octobris, 9, 11, 15, 16, 18 et 22 novembris). In his, Commissio curavit quaestiones tractandas rite distinguere unam ab alia, quam aptissime accuratis terminis ponere et opportunis animadversionibus munire, quo via sterneretur ordinato et fructuoso studio. Eadem ratione regulas quasdam statuit in laboribus explendis observandas.

Cum nostrae Commissionis membra maxima ex parte Romae commorentur, eorum coetus ab altero Consultorum plane distinctus est atque Commissio statuit quod omnes quaestiones pro *studio* et *voto* ad Rev.mos Consultores primum mitterentur, ante earum discussionem in sessionibus plenariis.

Quaestiones dispertitae sunt in tres categorias: ad primam pertinebant quaestiones *demandatae,* scilicet, a Summo Pontifice selectae et Commissioni de Religiosis commissae, quae novem numerabantur; ad secundam categoriam referebantur sex quaestiones *additiciae,* quas nempe Commissio, pro facultate sibi concessa, prioribus adiungendas aestimavit; tandem tertia categoria constabat quinque quaestionibus *connexis,* quae licet aliarum Commissionum praeparatoriarum propriae, specialem tamen connexionem praeseferebant cum institutis Status perfectionis.

Die 14 mensis novembris 1960, omnes Consultores qui pro sollemni Audientia Sanctissimi Domini Nostri Papae Romae inveniebantur, convenerunt ut instructiones reciperent circa operam ab ipsis praestandam: quo conclusa est prima periodus activitatis praeparatoriae Commissionis.

II. *Periodus studii proprie dicti singularum quaestionum*

Ut supra dictum est, quaestiones praevio *studio* Rev.morum Consultorum subiectae sunt et ita quidem ut pro unaquaque tria saltem darentur *vota scripta.* Haec vota quae sexaginta et quattuor (64) numerantur, magna cum diligentia confecta sunt; quaedam eorum vero tractatus amplissima mole et magni scientifici valoris constituunt, quibus materia sub aspectu historico, theologico, iuridico, erudite et perite investigatur, exponitur et enucleatur.

Vota Consultorum exemplaribus multiplicata, Rev.mis Commissariis communicabantur, tempestive, ante conventus quibus discutienda erant. Unaquaeque quaestio suum *ponentem* inter Commissarios selectum habuit, qui ex votis Consultorum suum proprium votum syntheticum exemplaribus pariter multiplicatum singulis Commissariis remittebatur, qui suas animadversiones ad Secretariatum ante diem discussionis scripto

tradere debebant. Tandem edebatur *folium officii* quod integrum textum in conventu examinandum cum animadversionibus Commissariorum ordinatim dispositis praebebat.

Conventus plenarii Commissionis ad singulas quaestiones hoc modo pertractandas, initium habuerunt die 1 februarii 1961 et sine interruptione continuarunt, duo in hebdomada, usque ad finem mensis iunii. Conventus hac periodo fuerunt triginta et quinque (35).

III. *Periodus retractationis definitivae integri schematis*

In secunda periodo a mense februarii ad mensem iunii 1961, singulae quaestiones separatim tractatae fuerunt sine praestituto ordine, prout labor Consultorum et Commissariorum procedere sinebat.

In feriis aestivis, Secretariatus curavit omnes quaestiones iam tractatas inter se *coordinare* et *redigere* sub communi titulo: « *De statibus perfectionis adquirendae* », in unum organicum schema ad instar eius quod factum est in Concilio Tridentino pro Regularibus et Monialibus, in Sessione XXV. Integrum schema duplici parte constat: altera *doctrinali,* scilicet de ipso Statu perfectionis, necnon de aliquibus Institutis in particulari et de vocatione religiosa; altera potius *disciplinari de accommodata renovatione vitae et operae in Institutis status perfectionis.* Index capitulorum videri potest in prima pagina schematis de « Vita religiosa renovanda ».

Schema prius retractatum fuit a Subcommissione speciali, sic dicta, *redactionis,* quae in opere suo explendo impendit triginta et unam sessiones. Deinde textus sic retractatus deliberationibus et definitivo iudicio Commissionis in sessionibus plenariis subiectus est, quae in hoc opere adhuc incumbit a die 10 ianuarii praesentis anni 1962, duas sessiones in hebdomada habens.

Introductio: *Ad schema generale de statibus perfectionis*

Pontificia Commissio de Religiosis praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, ad instar eius quod in Sessione XXV Concilii Tridentini pro « Regularibus et Monialibus » factum est, censuit quaestiones a se tractatas in unum *schema organicum* redigere, sub titulo: « *De statibus perfectionis adquirendae* ».

Ratio huius tituli evidens est. Iure enim vigente, ad statum religiosum canonicum (cf. can. 487) pertinent, non solum, ut tempore tridentino, Regulares et Moniales, sed Congregationes quoque a votis simplicibus utriusque sexus quae, praesertim ultimo saeculo decurrente, in bonum et ornamentum Ecclesiae tanto numero tantisque meritis suc-

creverunt. Praeterea, ad statum religiosum proxime accedunt haud paucae societates quarum sodales, licet absque votis publicis, « vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones » (can. 673 § 1). Tandem, Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia* die 2 februarii 1947 edita, recognovit iuridice et ad statum perfectionis adquirendae adscripsit novam formam Institutorum saecularium, in quibus professio christianae perfectionis assequendae habetur « quoad substantiam vere religiosa », licet in saeculo emissa et exercenda (cf. Motu proprio: *Primo feliciter,* diei 12 mensis martii 1948).

Hae tres professionis perfectionis christianae formae inter se valde dispares, commune tamen habent elementum fundamentale, scilicet, *consilia evangelica paupertatis, castitatis et obedientiae gratia perfectionis christianae assequendae secundum proprias constitutiones suscepta.* Quamobrem ad eundem complexum statum publicum in Ecclesia pertinent et sub eadem denominatione *status perfectionis adquirendae* merito veniunt.

Integrum schema de Statibus perfectionis adquirendae (ut videri potest in prima pagina schematis: *De accommodata renovatione vitae religiosae*), in duas partes dividitur. Prima, quae est *doctrinalis,* disserit de natura et indole Status perfectionis in genere (Capitula I-VI), deinde, de aliquibus Institutis in particulari (Capitula VII-VIII) et clauditur capite IX de Vocatione religiosa. Altera pars est potius *disciplinaris.* In Prima Sectione tractat de Accommodata renovatione vitae religiosae (Capita XI-XV); deinde, de Institutione alumnorum religiosorum (Capita XVI-XXIII), de admissione alumnorum ad Professionem et ad Ordines (Capita XXIV-XXV), de quibusdam quaestionibus particularibus (Capita XXVI-XXVIII) et de apostolatu religiosorum sub moderamine Episcoporum (Capita XXIX-XXXIII).

Desiderium Commissionis nostrae erat *integrum schema* de Statibus perfectionis praesentandi: quod certo multum iuvasset ad singularum partium tum inter se coordinationem tum propriam vim facilius assequendam. Ita, v. g. in praesentibus schematibus parum dicitur de relationibus Religiosorum ad Episcopos dum de iis copiose agitur sive in Prima Sectione Partis Primae, sive in ultima Sectione Partis Secundae. Sed tunc praesentatio schematis ulterius differri debuisset, dum e contra urgebat necessitas Rev.mae Commissioni Centrali materiam discutiendam suppeditandi.

Pars I, sectio II: *De aliquibus Institutis status perfectionis in particulari* (Capita VII-VIII).

Licet *constitutio generalis de statibus perfectionis adquirendae,* nondum Rev.mae Commissioni Centrali praesentata, *omnia* complectatur instituta, attamen, visum est opportunum aliquid in particulari addere tum de Institutis *laicalibus,* praesertim Fratrum Docentium, tum de Institutis *saecularibus* (Cl. 1).

Animadversio ad caput VII: *De Institutis laicalibus praesertim Fratrum Docentium.*

Ratio particularis loquendi de Institutis laicalibus praesertim Fratrum Docentium est necessitas in nostris diebus vocationem religiosam quae sine sacerdotio est, speciatim Fratrum docentium, in aestimatione omnium extollendi. Quare ostenditur hanc vocationem, etsi sacerdotali dignitate iisque eidem adnexis solaciis carentem, omnia elementa constitutiva Status perfectionis in Ecclesia plene possidere, proptereaque ab omnibus esse honorandam et prout cuique competit fovendam (Cl. 2, 3). Inter alia munera institutorum Fratrum Docentium, excellit illud *doctrinam religionis* iuvenibus in suis scholis tradendi (Cl. 5). Sed haec nobilis missio, ab Ecclesia haec instituta docentia approbante recepta, eorum sodalibus gravem imponit obligationem ad eam rite explendam accurate sese disponendi; et quidem, si de doctrina Religionis agatur in scholis mediis et superioribus tradenda, seria et proportionata requiritur in docente institutio generalis theologica, sine qua tantum munus eo gradu tuto ac competenter vix exerceri potest (Cl. 6).

Commissio examinavit etiam quaestionem nostris temporibus satis agitatam de *accessione fratrum docentium ad sacerdotium.* Hucusque, Sancta Sedes valde prudenter egit talem accessionem concedendo paucissimis Institutis eam petentibus. Speciali autem inquisitione apud varia Instituta Fratrum a Commissione facta, post rei accuratum studium, hanc quaestionem non apparuit sufficienter maturam ut sine periculo aliqua norma generalis a Concilio praeberetur.

Animadversio ad Caput VIII: *De Institutis saecularibus.*

De *Institutis saecularibus* etiam in particulari dicendum erat, propter rei *novitatem* in Ecclesia. Notum est, enim, Instituta saecularia licet iam a saeculo fere *de facto* existant, iuridice recognita ferunt tantum anno 1947 cum promulgatione Constitutionis Apostolicae: « *Provida Mater Ecclesia* ».

Inde necessitas horum institutorum naturam breviter exponendi,

quae ad Statum perfectionis adquirendae stricte pertinent, quatenus iis imponitur ut elementum essentiale et fundamentale vera *professio christianae perfectionis,* evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, ut in Motu proprio Pii XII *Primo feliciter,* diei 12 martii 1948 declaratur (Cl. 8).

Non minus necessarium erat sedulo ea *distinguere* ex una parte, ab omnibus fidelium Associationibus piis, quae ad statum perfectionis non pertinent, quia in eis non invenitur professio authentica consiliorum evangelicorum; ex alia parte distinguuntur tum a *religionibus*: quae secumferunt vota *publica,* sollemnia vel simplicia, quibus *Instituta* saecularia carent; tum a *societatibus vitae communis*: quia istae habent vitam communem canonicam quae Institutis saecularibus non imponitur (cf. Cl. 9, 10).

Propterea, quia cum aliis societatibus minime confunduntur, *proprio iure et nomine utuntur* (Cl. 11) et oportet ut eorum genuina forma ab omni alteratione praeservetur (Cl. 12). Dicuntur *saecularia*: non solum ex eo quod apostolatum in saeculo exercent: hoc enim commune est omnibus institutis sic dictis « vitae activae »; sed quia apostolatum exercent « ex saeculo », quatenus eorum sodales post cooptationem Instituto, propriam conditionem socialem et professionem quam in saeculo habebant retinent cum omnibus eiusdem exigentiis professioni perfectionis compatibilibus et ita apostolatum praecipue exercent et propriae sanctificationi consulunt. Consulte dicimus quod conservent conditionem socialem et professionem quam *in saeculo* habebant: quae non tantum est *laicalis,* sed etiam esse potest *sacerdotalis*; et proinde haberi possunt Instituta saecularia etiam Sacerdotum qui in iure dicuntur *saeculares,* quatenus ab illis cleri regularis sunt distincti. Ideoque, instituta saecularia esse possunt, et reapse sunt, sive *laicalia,* sive *clericalia.*

Proprium est, iam diximus, Instituti saecularis ut eius membra propriam quam habebant in saeculo retineant conditionem. Id valet non solum de laicis, sed etiam de *Sacerdotibus* qui *incardinationem* propriae dioecesi *conservare* valent, et quidem cum omnibus obligationibus et plena proprio Ordinario subiectione per ordinem ad munia sacerdotalia et ad rationem vitae huiusmodi incardinationi inhaerentibus, servata tamen debita dependentia a proprio Superiore interno quoad res ad statum perfectionis spectantes. Id dilucidatur in Cl. 14 quae statuit quoad in « Constitutionibus apte definienda est materia obedientiae Superiori interno debitae, qui numquam quidquam praecipere vel consulere potest quod dependentiae ab Ordinario adversetur ».

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Quae hoc schemate et subsequentibus « de statibus perfectionis adquirendae » dicuntur optima sunt, quamquam aliquantulum disiuncta, ut ipse Em.mus Relator agnovit. Ea enim non solum sapientiam et diligentiam, sed etiam pietatem vere religiosam commissionis schemata proponentis redolent.

Nihilominus pauca animadvertenda aestimo.

Pag. 8,[1] ad 8: Laudanda quidem sunt Instituta saecularia, utpote quae mire hodiernis, novis necessitatibus apta remedia afferunt; sed nimia cum facilitate hic illic oriuntur. Non raro Confessor vel Parochus ius sibi tribuit condendi Institutum saeculare cum votis, inscio Episcopo, immo secreto et secreto sodalibus imposito: exinde periculum — praeter alia — est ne plura habeantur Instituta inter se simillima.

Quocirca aliqua frena afferenda esse puto.

Pag. 9,[2] lin. 19: « ... nec societates vitae communis »; opinor subintelligi vocabulum « canonicae ». Quamvis enim Instituta saecularia non sint societates vitae communis, in sensu canonico, reor eorum sodales posse simul vivere, et interdum id esse moraliter necessarium, maxime si sint mulieres.

Adnotatio: Capite VII pag. 6 et 7:[3] Nescio cur non tractetur quaestio: num Instituta laicalia sacerdotes proprios habere possint. Pro comperto habeo plures eorum Sodales ad Sacerdotium adspirare. Aliquid de hac re dicendum esse autumo.

Card. LÉGER: Opportunum est reservare in schemate capitulum speciale pro vocatione fratrum docentium. Illi enim magnum desiderium habent audire a Concilio quem locum habent in Ecclesia. Haec notarem de fratribus docentibus:

— Paragraphus 3 parum dicit de speciali indole vocationis fratrum docentium. Mihi videtur inopportunum suggerere ut definitio vocationis fratrum docentium in hoc constet quod illi sunt qui sacerdotio renuntiant; quasi fratres haberent vocationem sacerdotalem quam sacrificarent.

Nonne aliquod adderet ad descriptionem vocationis fratrum docentium dicere quod fratres docentes maxime destinantur ad institutionem christianam puerorum paupertate aut alio defectu laborantium, et ad

---

[1] Cf. p. 654.
[2] Cf. p. 655.
[3] Cf. pp. 653-654.

educationem religiosam diligentius tradendam et profundius pervestigandam. Sic melius distingueretur vocatio fratrum ab illa catholicorum magistrorum laicorum.

— In paragrapho 6 explicite invitentur religiosi, non modo ad theologiam studendam, sed etiam ad artem *paedagogicam* adaequate acquirendam.

Quoad instituta saecularia, parum affert schema quod non sit notum.

— Tamen mihi placet notare monitionem datam in paragrapho 12 ut forma genuina Institutorum saecularium praeservetur. Vidimus enim instituta saecularia quae non bene distinguuntur a religiosibus (v. g. ducunt vitam communem).

— Quaestio oritur ex lectione paragraphi 13. Utrum significatur quod nullum Institutum saeculare virorum aut mulierum sit exemptum vel assimiletur congregationibus exemptis? Hoc mihi videtur desiderabile et explicite specificandum. Quomodo imaginare praesentiam domus Instituti in dioecesi Episcopo ignotae?

Card. Gracias: Ad 12^{m}: (De institutione sodalium in solida vita interiore):

Si quidem istorum Institutorum sodales qui iuxta suas Constitutiones in saeculo dispersi, totis viribus evangelicam perfectionem prosequendam desudare tenentur, quin habitu religioso et vita communi sustententur, nonnullis periculis et saeculi contagiis exponuntur, ea de causa ipsi speciales cautelae et tutelae adhibeantur oportet.

Si v. gr. in casu « Sacerdotum-operariorum » qui dicuntur, quorum nonnulli stricto sensu religiosi erant, Sancta Sedes censuit strictiorem vigilantiam, opportunas necessariasque cautelas iniungere, nonne etiam relate ad ista Instituta Saecularia, maxime alumnorum spirituali atque morali institutione providendum esset?

Ceteroquin in nostris Regionibus Instituta saecularia, mihi videtur, non conducerent profectui spirituali Ecclesiae. Et ratio est quia secundum nostras traditiones religiosas in India, non-christiani magni aestimant vitam religiosam traditionalem, i. e.: *a*) habitum religiosum; *b*) vitam communem; *c*) vota, sed habemus Congregationem stricte dictam religiosam: « Filiae Mariae », fundatae in Gallia, induunt habitum saecularem, recipiunt optimas vocationes.

Card. Marella: Ad n. 14, pag. 10:[4] (De subiectione Sacerdotum incardinatorum Ordinariis locorum).

---

[4] Cf. p. 656.

Si in articulo sermo est de Institutis saecularibus clericalibus, quae in praesens exsistunt, tunc opportunum quin immo necessarium esse videtur, ut bene et apte definiatur materia oboedientiae Superiori interno debitae, quin ullo modo debilitetur dependentia Sacerdotis saecularis a proprio Ordinario loci.

Attamen si sermo est de novis erigendis Institutis saecularibus clericalibus in dioecesi pro clero dioecesano, tunc quaedam animadvertenda sunt.

Huic amplissimo Coetui notum facio Commissionem Centralem mandatum dedisse tribus Commissionibus praeparatoriis, Commissioni scilicet de Episcopis et de dioeceseon regimine, de disciplina Cleri et populi christiani et de Religiosis, ut in Subcommissione mixta pertractarent quaestionem de Institutis saecularibus clericorum dioecesanorum: an essent constituenda et quomodo?

Tres Commissiones votum commune protulerunt, attentis principiis, sive theologicis sive iuridicis, quod his quae sequuntur verbis enunciatur:

Votum.

« Cum peculiaris sit Cleri dioecesani indoles, quippe qui integre apostolatus addictus sit ministerio, quod sub auctoritate Episcopi exercet; cumque hac de causa peculiaris quoque rationis sit eiusdem spiritualitas, *specialis desideratur legislatio,* qua normae penitus definiantur, naturam, constitutionem activitatemque ordinantes cuiuscumque generis consociationum, etiam earum in quibus Sacerdotes dioecesani consilia evangelica profiteri valeant, ita quidem, ut clare semper et ubique cautum sit et de bono spirituali ipsorum Sacerdotum, servata indole propria Cleri dioecesani, et integra eorumdem unione cum aliis sacerdotibus dioecesanis, et potissimum cum proprio Episcopo, cui plene, immo et promptius, subiecti manere debent ».

Praeter istud votum, quod trium Commissionum commune fuit, Commissio de Episcopis, in Sessione Generali a die 5 ad 13 huius mensis habita, mentem suam clarius aperuit. Exc.mi Praesules censuerunt ne Instituta saecularia pro clero dioecesano amplius erigerentur, quia huiusmodi Instituta mutare videntur status Cleri dioecesani, inspecto iure condito in legibus constitutionalibus Institutorum saecularium (i. e. in Const. Ap. *Provida Mater* et in Motu Proprio *Primo feliciter*). Etenim:

1) In Institutis saecularibus clericalibus *non adimpletur ratio saecularitatis,* quae illis est essentialis, eo quod clerici apostolatum *ex saeculo* perficere non possunt, cum sint, — status clericalis natura inspecta — « extra negotia saecularia » positi;

2) Instituta saecularia constituta sunt, non tantum ad christianam

perfectionem acquirendam, *sed etiam ad apostolatum exercendum in saeculo* (sicut in art. 1 Legis peculiaris): iamvero apostolatus in sacerdote dioecesano omnino pendere debet ab Episcopo, secus specialis cleri dioecesani natura mutatur;

3) Instituta saecularia *vinculum stabile, mutuum ac plenum exigunt,* ita ut sodales se totos Instituto tradant, et Institutum de sodalibus curam gerat atque respondeat (art. III); attamen natura Cleri saecularis exigit ut inter Sacerdotem et Episcopum nullum aliud vinculum publicum exsistat praeter incardinationem;

4) Instituta saecularia supponunt *hierarchicam regiminis ordinationem* (art. IX); Clerus vero saecularis nullam aliam hierarchicam regiminis ordinationem, praeter ea quae ab Episcopo provenit, admittere potest.

Hisce de causis exoptatur nova legislatio circa ius associationis pro Clero dioecesano.

De huiusmodi nova legislatione consilia quaedam proposuerunt Patres:

1) Huiusmodi legislatio plane distincta sit oportet ab analoga legislatione pro Institutis saecularibus perfectionis, quae fidelibus laicis patent;

2) Ut huiusmodi consociationibus pro Clero dioecesano *propria* et *peculiaris* reservetur *denominatio* seu titulus, ut distinguantur ab aliis Institutis;

3) Ut omnes et singulae Consociationes pro Clero dioecesano *sub auctoritate et competentia S. Congregationis Concilii* ponantur: cum enim huiusmodi consociationes sint pro Clero saeculari, et ad sanctificationem eiusdem Cleri saecularis essentialiter ordinentur, congruum videtur ut earumdem suprema moderatio illi sacro Dicasterio demandetur quod de disciplina ipsius Cleri saecularis universim invigilat;

4) Ut consociationes pro Clero debeant *esse dioecesanae* et *sacerdotes Episcopo tamquam Superiori suo subsint,* etsi Episcopus immediatam Consociationis directionem possit committere alii sacerdoti, ut moderatori vel praeposito, et tamquam *illius alter ego.* Ita ut unica exsistat pro Clero dioecesano externa directio et orientatio, atque idem ductus pro sacerdotum modo sese gerendi eorumque activitate apostolica;

5) *Admitti possunt etiam consociationes interdioecesanae immo* et confoederationes, dummodo autem semper cautum sit ut *vinculum iuridicae sacerdotum dependentiae unice erga proprium Episcopum consistat*: et relationes cum Consociatione interdioecesana sint tantummodo ordinis spiritualis, scilicet nullam conscientiae obligationem inducentes, nullusque character iurisdictionis aut potestativus admittatur.

Ipsi Exc.mi Patres suggestiones nonnullas edixerunt quoad vota privata vel promissiones vel iuramenta *oboedientiae et paupertatis;* praesertim *oboedientiae semper erga Episcopum fieri debet*: quod clarius exprimetur in voto quam primum Commissioni Centrali tradendo.

Pariter, in eodem voto, Exc.mi Patres proposuerunt ut Institutorum saecularium perfectionis, quae sunt iam canonice instituta, propria physionomia, indoles ac iuridica forma, clarius et apertius definiatur; ut distinguatur conditio Institutorum saecularium, quae variis classibus coalescunt, scilicet sacerdotibus et laicis, itemque si agatur de Instituto cum membris mixtis, clarior distinctio fiat inter utriusque categoriae conditionem iuridicam.

Card. JULLIEN: Maxima quidem laude digni sunt Reverendissimi Viri qui sodales Commissionis de Religiosis impensa opera adlaborarunt in parandis istis schematibus Decretorum, triginta tribus capitibus contentorum, quorum quaedam, ex iis quae sunt in media re, hodie proponuntur.

Ex iis sane possumus coniicere praeclarum illud opus, procul dubio, haud parum utilitati futurum esse sive ad Concilium, sive ad instructiones dein forte super his quaestionibus edendas ab Apostolica Sede, sive ad Codicis Iuris Canonici canones complendos perficiendosque.

Quod autem res spectat Concilio proponendas, hae haud poterunt quidem recte dignosci atque eligi, nisi ubi omnia schemata Commissionis studio subiecta fuerint: nam, attento fine Concilii, *tota illa materia restringatur oportet ad ea quae magis propositum pastorale respiciunt.* Iam igitur a limine, humiliter insto ut Concilium omnino illustret, exponat, doceat atque imperet quae sint rationes, iuxta Ecclesiae doctrinam, *inter utrumque clerum,* regularem scilicet et saecularem qui dicitur.

Valde nimirum optatur ut Concilium opus exstruat *veritatis, charitatis, unitatis* et *pacis*. Quod opus urget in Christi Ecclesia, nostris praesertim infensis temporibus, in quibus foris bella omne genus premunt et intus serpit liberi examinis periculum.

Prae fidelium oculis vivida sub luce exhibeatur nobilissima ad vitam religiosam divina vocatio, quin tamen contentio vel odiosa comparatio, etsi tacite, cum praeclara ad Sacerdotium divina vocatione innuatur. Sit, exempli gratia, unum idemque schema quod de utraque vocatione in charitate Domini agat easque iterum iterumque illustret: quaecumque alia ratio etenim in Mystici Corporis Christi veritatem offendit.

Ne seipsos Religiosi supra ceteros exaltent, clerici vero saeculares a religioso statu amplectendo fideles ne detrahant. Itaque, in mutua aestimatione, et religiosi fovere poterunt vocationes pro clero saeculari;

et sacerdotes saeculares poterunt ac debebunt vocationes fovere pro institutis religiosis virorum ac mulierum.

Sed insuper Concilium decreta peculiaria edat oportet de operibus apostolatus a Viris Foeminisque Religiosis sub congruenti Episcoporum regimine fovendis: quilibet quidem iuxta suiipsius ordinis regulas, ita ut, puta, Cartusiano alicui paroeciale onus non imponatur; omnes vero in aedificationem Corporis Christi. Urgeatur utique ut sancte serventur constitutiones familiarum religiosarum a singulis sodalibus; Episcopis attamen liceat super Religiosos ad extra adlaborantes unitatis regimen exercere. Ideoque, ex octo sectionibus, maximum momentum habeat ultima sectio quae agit de apostolatu religiosorum sub moderamine Episcoporum. Summi enim momenti sunt ad animarum bonum vires unitae religiosorum et cleri saecularis; dum dissensiones etiam inter paucos vocationes ex utraque parte minuent, operam plurimorum infirmabunt.

Propter debiliorem humanam naturam, conflictus quidem adfuerunt atque aderunt: sed solvendi erunt ad normam iuris, prudentiae et charitatis. Ceterum Legislator, historia duce, principia statuit ad recte definiendos casus qui contingere possunt: exempli gratia, pro stipe quaeritanda, pro domibus novis erigendis, pro ministerio pastorali in paroeciis religiosis concreditis, pro catechetica populi institutione a religiosis tradenda iudicio Ordinarii (cf. can. 1334), et cetera. Quae omnia sane Concilium expolire et pro locorum adiunctis addere poterit.

Card. Larraona: Schema et schemata placent, et quoad substantiam et quoad formam, ad documentationem; non in vanum laboraverunt tot egregi viri; in hoc deficiunt quod superabundant. Ut credo et fateor, haec omnia, quae thesaurum constituunt, non possunt in Concilium transire: plura pertinent ad Codicem; aliqua sunt nimis particularia et iurisprudentiae amandanda sunt, etiam ut nihil ex his perdatur.

His dictis, aliqua particularia propono et, si mihi licet, aliqua etiam innuam ad ea quae tam sapienter, tam prudenter et tam pie dicta fuerunt.

In primis, quoad fratres huiusmodi docentes, notandum est revera nos non posse tantum loqui de fratribus, sed etiam de sororibus, immo et de religiosis foeminis, qua par ministerium complent. Consequenter, saltem in fine dicatur quod id, quod dicitur de fratribus docentibus, intelligendum sit, congrua congruis referendo, etiam de illis mulieribus, quae in vita religiosa huiusmodi munus exercent.

Quoad illa quae dicta fuerunt de renuntiatione sacerdotio, revera textus est Pii XII, sed, nisi fallor, non difficulter est intelligendus. Revera quaestio de uniendo sacerdotio, in aliquibus fratribus, cum vocatione docentis, generatim saecularis, iam tractata fuit agendo de schemate de

Sacramentis. Absque dubio nulla violentia inferri debet vocationi, ita ut, quando vocatio conscia et certa fuit, et a fundatore huiusmodi renuntiatio (idest renuntiatio hoc sensu quod non credatur vocationem haberi pro sacerdotio) fuit idea fundamentalis, non est violentia inferenda: nimium damnum. Postea difficillime res componentur inter illos qui sunt sacerdotes et illos qui non sunt tales. Dicebatur ibi quod alia quaestio erit de diaconatu, si huiusmodi diaconatus admissus fuerit.

Quoad vocationem, quam sequitur missio, hic additur « veluti missionem »; revera Pius XII locutus est etiam de missione canonica; forsan aliquantulum exaggeratur verbum; sed nihil prohibet quominus dicatur esse missionem ecclesiasticam, pauco sensu latiore.

Quoad missionem docendi in scholis, revera facultas fundandi domum ad normam can. 497 pro omnibus secumfert facultatem exercendi in dioecesi propriam missionem. Ergo haec missio non debet limitari (nisi limitetur in constitutionibus a S. Sede approbatis) ad doctrinam christianam, sed ad alia omnia extendenda est quae, iuxta istorum vocationem, ipsi accipiunt, e. g. sive in scholis elementaribus, sive in scholis mediis, sive etiam in universitatibus; idest quae, iuxta instituta approbata a S. Sede, haec vocatio secum ferat. Nihil prohibet quominus huiusmodi facultas limitetur ab episcopo in contractu admissionis, ut dicit optime textus.

Quoad congruam praeparationem fratrum, revera non tantum illa generalis instructio theologica satis fundata debet exigi, sed etiam peritia in aliis omnibus quae docere debent, et etiam in didactica; sed, nisi fallor, opportunum fuisset hic exigere cursum studiorum sic dictum « generalem », quod est in votis iam S. Congregationis a pluribus annis, sed qui speciatim momentum habet pro huiusmodi categoria religionum. Et haec dicta sufficiant quoad huiusmodi fratres. Revera inconvenientia, de quibus non immerito dictum est, possunt et debent vitari, idest non sunt necessaria; dolenda certe sunt, sed possunt corrigi et corrigi debent et, nisi fallor, quod sciam, non sunt universalia, sed sunt particularia.

Quoad instituta saecularia, primum aliquid adnoto de textu nobis hic exhibito; postea, si mihi licet, aliqua verba addam circa dimissiones, quas innuit Em.mus Card. Marella.

Imprimis, in n. 8, hoc est in mente habendum, scilicet quod textus, in fontibus (idest in Constitutione Apostolica *Provida Mater* et speciatim in Motu proprio *Primo feliciter*) non dicit « ex saeculo », sed « veluti ex saeculo ». Proinde est quaedam analogia, quae non est nimis urgenda quia tunc falsa est, et tam pro institutis saecularibus quam pro sacerdotibus. Ergo: « veluti ex saeculo ». Huiusmodi laudes, quibus hic cumulantur instituta, revera, nisi fallor, meritae sunt, quia aliqua inconvenientia, quae lamentata fuerunt, praecipue fuerunt ratio cur Ecclesia, ergo Pius XII,

motu proprio et voluntate propria hoc facere voluit. Ergo fuerunt rationes ob quas facta fuit legislatio. Ex. gr. habeatur illa difficultas ex qua aliquis confessarius, qui eminet forsan in directione, colligit aliquos suos poenitentes vel suas poenitentes et incipit fundare aliquam associationem. Praecise contra hoc, ut non liceret, Motu Proprio factum fuit. Ceterum, quoad fundationem, hoc in mente est habendum: revera iam ab initio rigor fuit acerrimus, et facili ratione, i. e. fuerunt fere 200 instituta, et forsan magis, quae petierunt approbationem; et in primis haec regula fuit imposita: nunquam agetur de approbatione alicuius religionis saecularis, quae prius, in forma humiliore canonica piae unionis, sodalitii, probationem accuratam non dederit de optimo spiritu ascetico, de fine quem sibi proponit, et ceterum etiam de ordinatione, de organisatione, ita ut, quod prius nullo modo licebat, nunc est applicatum congregationibus: fiet probatio praevia, et quidem absque limite temporis; et tantum postea discutitur an huiusmodi associatio, quae bonum sui specimen dedit, digna est quae elevetur ad hanc categoriam. Certe possunt esse errores, absque dubio; sed legislatio sapiens est, et, nisi fallor, secura est. Ergo huiusmodi laudes sunt meritae; forsan etiam sunt abundantes; et ceterum, absque dubio, ut omnia demonstrant, est magna institutio quae potest Ecclesiae optimos fructus offerre, sive sanctitatis diffundendae, sive etiam circa pericula, circa conspirationem non christianam sed paganam, et etiam quoad penetrationem in ministerio et etiam quoad facilitatem ordinate et in societate exercendae perfectionis offerre illis qui, sive ex infirmitatibus, sive ex aliis multis, non possent; consequenter provida videretur. Ceterum experientia Ecclesiae non est brevis: instituta saecularia iam a saec. XVI habentur et, nova forma recentiore, iam fere a duobus saeculis; consequenter Ecclesia non fuit certe nimis propera in illis approbandis; et aderant omnia elementa, clara, non satis distincta, sed fundamentaliter satis probata.

Quoad distinctionem a fidelium associationibus, revera hic nimis urgetur illa quaestio de votorum natura, et hic dicitur « absque votis publicis »; revera in Constitutione Apostolica *Provida Mater,* et quidem consulto, art. 2, dictum fuerat quod non esset impossibile habere institutum saeculare quoad formam, quod haberet etiam vota publica; sed, hoc relicto, nisi fallor, ibi dicenda essent omnia, et textus posset esse plus minusve sic: « ... atque est institutum ad normam Constitutionis Apostolicae art. 2, absque consuetis votis religiosis publicis... »; haec formula est in Codice, ubi agitur de societatibus sine votis; proinde est clara distinctio, inaequivocabilis, huiusmodi institutorum ab institutis, sive religionibus, sive associationibus speciatim. Consequenter non est nimis urgenda. Ceterum alia ratio, quae est satis gravis: omnis doctrina, legislatio institutorum saecularium est revera in evolutione; ego credo humiliter in

Domino, et dico sincere, quod omnia illa ex quibus nimis solemniter haec probarentur essent periculosa, quia e. g. tangunt tantum huiusmodi rationem fundamentalem. Ergo bonum quod vota sint privata, non publica. Iam doctrina actualis de voto publico est revera satis rigida. Votum publicum illud est quod Ecclesia recipit, sed haec ratio publicitatis est summa; adsunt aliae modestiores, quae sunt revera publicae, e. g. nemo non dicet matrimonium, etiam si inter personas privatas fiat, esse revera iuris publici; et Ecclesia tantum assistit. Hic habemus vota quae non sunt ignota; proinde vota non publica distinguit doctrina nunc (et est in evolutione) inter vota privata iuris fori interni, non nota Ecclesiae in foro externo (quae fiunt vel apud Deum vel cum confessario) et vota privata fori interni, quae Ecclesia noscit, quia revera ipsa definit, quia ipsa tribuit effectus huiusmodi votis. Proinde pessime confunderentur cum votis fori interni simpliciter, quae sunt privata, sicut sunt privata illa apud confessarium. Consequenter facta fuit distinctio inter vota privata fori interni et vota privata fori externi; ea noscuntur ex parte Ecclesiae: fiunt coram auctoritate, quae illam repraesentat, non ut accipiat, sed ut assistat. Et revera habentur effectus plures; si insistimus in his votis quae dicuntur « recognita » vel « socialia », aequiparando ea votis privatis, revera malum servitium facimus his sacerdotibus, quia e. g. instituta saecularia clericalia (et non ago nunc de illis quae sunt dioecesana, sed de illis quae sunt internationalia seu catholica) fundantur votis non publicis sensu religioso, sed non possunt fundari votis privatis, nec essent tantum fori interni; e. g. quia hic dicitur (quod dicitur quidem necessarium est): haec vota praebent fundamentum adscriptioni, quae aequiparatur incardinationi, effectus habenti maxime publicos in iure canonico; consequenter, evidenter non est doctrina, si exaggeretur, sufficiens. Inde in casu dicamus: « ... ex instituto, ex sua natura, ex sua indole, ad normam Constitutionis Apostolicae, art. III, absque consuetis votis religiosis publicis... ». Ita negative distinguimus; non insistamus quod non sunt publica; possunt esse publica, et secundae categoriae; possunt esse publica, ita ut revera fundent institutum publicum, i. e. effectus publicos; alioquin revera impossibile quod doctrina postea non debeat recipere interpretationes quas vita imponit; consequenter imprudentissime, pro meo iudicio, res amplius definiretur.

Quoad n. 10, eadem observatio; dicitur: consueta religiosa vota publica ex instituto ac regula non admittuntur. De huiusmodi repetitione, i. e. distinctione inter huiusmodi instituta et societates sine votis et vitam religiosam revera dicatur clarissime; et consequentia haec est: quod illis non applicetur legislatio religiosa nisi expresse dicatur; et quando expresse dicendum est? Quando agitur de ascetica sub aspectu theologico et

etiam quando agitur de forma illa regiminis internationalis, quae hucusque non adest in clero dioecesano, illa ergo quasi necessario accommodando (i. e. non est discussio) ex illis quae experientia comprobavit pro institutis huiusmodi internationalibus, quae sunt religiones; consequenter nimis non est insistendum, quia non est necessarium.

Quoad n. 11, certe, si est principium, hoc est: quod non utuntur iure religioso, nisi expresse approbetur; et, semel dictum, est clarum; adest veluti timor persecutionis, qui non est fundatus.

Etiam hic dicitur de forma genuina institutorum canonica praeservanda; nisi fallor, non sunt verba necessaria, vel saltem potest dici leviter vel breviter. Revera non est exaggeranda saecularitas, et non unum typum debemus agnoscere, quia sunt plurimi typi, respondentes personis qui constituunt huiusmodi instituta et etiam muneribus quae persequuntur. Consequenter sufficit quod non fiat modo religioso; sufficit quod revera in saeculo et veluti ex saeculo hoc ministerium exerceant. Ceterum huiusmodi accurata separatio non est possibilis: non habemus nunc, velut recte notabat Em.mus Card. Gracias: possunt haberi in missionibus, et etiam extra missiones, vera instituta religiosa, ubi mulieres, exuto habito religioso, omnia vel fere omnia (vix non omnia) perficiunt (et quidem sunt religiosae) quae perficiunt mulieres saeculares: i. e. ex eo quod auferimus habitum religiosum, revera huiusmodi mulier penetratur ubique. Consequenter non est separatio, nec etiam in facto. Ergo non demus regulam, quae opprimat et huiusmodi religiosas, quae ita exercent ministerium sub habitu saeculari et fere omnia penetrant, ex illis institutis vere saecularibus, quae profitentur qualitatem adaequatam conditioni, indoli, culturae, formae mentis, et ita porro.

Quoad subiectionem institutorum saecularium, illa quae notata fuerunt sunt vera; revera non debemus concedere illis institutis nisi illam autonomiam quae necessaria est pro regimine exercendo, pro ministerio recte complendo et ita porro. Sed hoc dicitur iam expresse in Constitutione Apostolica *Provida Mater;* proinde nulla debet esse difficultas, saltem gravis.

Quoad subiectionem sacerdotum non incardinatorum. Hic respondeo his quae dixit Em.mus et carissimus collega Card. Jullien. Revera huiusmodi sacerdotes, quando agitur de institutis saecularibus typi internationalis, habent non incardinationem, sed adscriptionem instituto; proinde non sunt incardinati dioecesi, et non applicatur illis theoria generalis de huiusmodi clero, qui non est dioecesi incardinatus; proinde subiiciuntur episcopo plus minusve veluti religiosi non exempti, i. e. non ut clerici, sed ut in dioecesi ministeria sacerdotalia et peculiaria exercentes. Ideo dixi prius quod si non admittimus aliquam publicitatem, non

quidem ultimam, secundi gradus, revera aliquod obstaculum adest, saltem in doctrina, i. e. quod huiusmodi instituta, quae essent plus minusve privata, revera haberent facultatem huiusmodi maxime publicam et proprios sacerdotes.

Quoad subiectionem, haec quaestio non est difficilis; sed alia quaestio prius est tractanda, scilicet hic dicitur: « Quando sacerdotes incardinationem dioecesanam ex instituto non retinent, statuendum est tempus quo illam de iure amittunt ». Non est completa formulatio doctrinae, quia imprimis potest loqui quando huiusmodi adscriptionem seu incardinationem adquirunt, non tantum quando amittunt; i. e. possunt huiusmodi membra ordinari in instituto, et tum adquirunt incardinationem seu adscriptionem, veluti provisoriam, quando votis incorporantur instituto; non est definitiva quia possunt non admitti ad vota perpetua vel definitiva; hoc est notandum, nec etiam adest in schemate, sed facile additur; et tunc, recepta tonsura, adscribuntur veluti clerici proprio instituto sicut religiosi. Sed quando fit definitiva? Imprimis quando emittuntur vincula perpetua; etiam amittunt illam quam habebant, sicut sacerdotes vel clerici extra dioecesim quando huiusmodi definitivam amittunt; hoc est in Codice, can. 585 et in can. 111 et sq. Consequenter nulla magna difficultas, sed, ut dicebam, deficit allusio ad vota sic dicta definitiva, de quibus actum est expresse et clare in Constitutione *Sedes Sapientiae*; i. e. adsunt instituta, quae habent vota tantum temporaria; et tunc, quando fit in illis adscriptio definitiva horum membrorum tamquam clericorum, et quando inde amittunt incardinationem quam habebant in dioecesi, quando vota non sunt definitiva, sunt temporaria, sed post sex annos, secundum regulam generalem, fiunt definitiva hoc sensu, quod, quando membra renovant vota, non possunt haec exigi ab instituto nisi per viam verae admissionis. Consequenter habetur illa sufficiens perpetuitas, intentionalis et etiam realis, de facto; i. e. huiusmodi perseverantia, per huiusmodi periodum probationis dederunt iam sufficiens specimen suae constantiae. Proinde non amittunt. Est doctrina quae convenienter hic adderetur.

Quoad n. 16, ego supprimerem, quia revera adest quaestio de qua tantum actum fuit in instructione addita Constitutioni Apost. *Provida Mater*. Ceterum esset veluti explicatio can. 500, § 3: « Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere congregationes mulierum... », quod fuit applicatum etiam societatibus sine votis, et nisi speciali indulto. Revera adest in Congregatione traditio satis magnanima circa concessionem et circa exercitium huiusmodi indulti. Consequenter non, nisi fallor, excessivum est quod auspicatur in Synodo.

Et ita sufficiat quoad huiusmodi schema.

Si licet, aliqua addam circa illa quae fuerunt proposita. Quoad pri-

mam propositionem exhibitam ab Em.mo Card. Marella, revera possumus admittere: i. e. fiat de hoc legislatio propria, et nulla est difficultas, eo vel magis quod sumus in evolutione. Et plura possumus videre, quae initio sunt aliquantulum difficilia vel impossibilia, vel quae creent conflictus, quae revera experientia probat quod non creant. Habemus in Gallia non minus quam 2500 sacerdotes, qui sunt perfecte dioecesani, ita ut noscantur a collegis in sacerdotio, de quibus fere, quod sciam, non tantum aliquis vel alius episcopus, sed episcopatus gallicus optimum profert iudicium. Et hoc est factum, non tantum unius diei, sed quod perdurat per plures annos, in aliquo instituto fere per saeculum. Consequenter, quando proferuntur iudicia generalia, cum aliquo timore proferenda sunt, quia a facto ad posse valet illatio. Consequenter, nisi fallor, omnes quaerimus bonum Ecclesiae, absque dubio, et bonum sacerdotum et perfectam unionem cum episcopo; sed revera illa prae oculis habeantur, quae sunt fundamentalia in huiusmodi institutis approbandis vel a longe, quae revera pluries non noscuntur, et sunt praecipue haec quae sequuntur.

Illa subiectio episcopo qua navet clericus omnis, sive sit iunctus alicui societati sive non, non tantum non tangitur vel afficitur, sed semper roboratur, addito aliquo novo vinculo, quod non tantum illum roborat et fortificat et confirmat, e. g. sub voto vel sub iuramento, sed extendit, et extendit frequenter, ut dicitur, drastice, ita ut omnia munera sint ad nutum episcopi, ita ut quandoque subscribatur renuntiatio, cuius datam episcopus determinat, ita ut oboedientia canonica extendatur ad omnia, ita ut ii sint prorsus in manibus episcopi; hoc est basis seu fundamentum approbationis, (ita ut timor ille, qui est timor iustus, de minore subiectione, revera sit fundatus in limine), debet esse. Praeterea etiam quod huiusmodi possint aliquomodo minuere caritatem et unionem inter clerum, et res prorsus aperta, et omnes sciunt quod illi, qui huiusmodi vinculum contrahunt, sunt in manibus episcopi; experientia nos docet: integer motus sic dictus ablatitius, qui non tantum in fere tribus vel quattuor maioribus regionibus Italiae adest, adfuit a saeculis, nullo modo huiusmodi divisionem nec umbram ipsius determinat. Etiam quod aliquomodo sint minus uniti dioecesi, ita ut proclivius huiusmodi associatio aliquod velamen faciat, nullo modo realitati respondet.

Consequenter ego credo quod, si volumus res sub omnibus respectibus considerare, non possumus tractare ita celeriter, in una vel duobus sessionibus, sed est quaestio quae pertinet, veluti proprio pondere, ad mixtam commissionem in huiusmodi Centrali, sicut in mixta commissione, in gradu praecedenti, tractata fuit; et, nisi fallor, ita possemus expedite transire, rem superare. Tractetur a commissione: adest commissio

pro huiusmodi definitione; et omnes sentiat, ad hoc ut informetur. Sed, nisi fallor, omnia illa quae nimis concreta essent, periculosa essent, et possent impedire evolutionem rerum sub Spiritu Sancto.[5]

Card. BEA: Haec schemata optime elaborata sunt, sed fortasse sunt nimis diffusa. Multa in eis dicuntur quae omnibus qui de vita religiosorum agunt, plane nota sunt nec opus habent, ut a Concilio explanentur. Comparatio cum Concilio Tridentino claudicat: illo tempore a Reformatoribus vita religiosa impugnabatur et respuebatur; hodie id non obtinet. Fortasse opportunius esset, simpliciter ea exponi quae *hodie* maioris momenti vel difficultatis sint, v. g. de praestantia vitae contemplativae, de virginitate et coelibatu, de Institutis saecularibus, de adaptatione ad vitam apostolicam, de caritate et fraterna collaboratione singulorum Institutorum.

Haec omnia *breviter* tantum essent attingenda, relinquendo particularia constitutionibus singulorum Institutorum quae sub vigilantia Sanctae Sedis ad hodiernas condiciones adaptandae erunt, et Codici Iuris Canonici reformando.

In capp. VII et VIII de duobus tantum Institutis agitur quae utique sunt magni momenti; sed non apparet cur de his *Concilium* adeo diffuse agere debeat, praesertim in quaestione de « Fratribus docentibus ». Talia Instituta ex pluribus saeculis exsistunt (v. g. Fratres Scholarum Christianarum, fund. 1680), neque hodie specialem difficultatem habere videntur in Ecclesia vel in societate civili. Quae ad eorum *formationem* spectant, potius sunt administrationis ordinariae S. Congregationis de Religiosis, vel S. Congregationis de Seminariis, quando agitur de eorum formatione. Et sic de aliis.

Videtur igitur omnia in his capitibus esse omittenda quae non praebent hodie difficultatem particularem quae postulet interventum supremae auctoritatis Concilii.

Rev. SÉPINSKI: Liceat mihi primum aliquas animadversiones indolis generalis facere.

I. Opinor difficile fore ut omnia capita Constitutionis a Concilio qua tali definitive approbentur. Potest vero Concilium Constitutionem in omnibus partibus discussam tamquam votum Summo Pontifici proponere, qui omnia S. Congregationi competenti et Commissioni pro emendando Codice instituendae tradere potest.

---

[5] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

II. De institutis laicalibus praesertim Fratrum docentium: addatur in fine cap. VII paragraphus specialis, qua enunciatur praecedentes paragraphos applicandas esse sororibus docentibus, congrua congruis conferendo.

III. Instituta saecularia, secundum meum submissum iudicium et experientiam, respondent necessitati speciali societatis modernae et optimos fructus producunt; ideoque servari et adiuvari debent, ut adhuc maiores fructus ferre possint.

Pro terris missionum in constitutione poterunt inseri speciales paragraphi.

Ad pag. 8,[6] linn. 8-9, scribatur: « exorta sunt Instituta Saecularia ».

Ad pag. 8, linn. 14-15, corrigatur: « Divinae Bonitati gratias referat ».

Ad pag. 8, linn. 27-28, fiat recta interpunctio, quae necessaria est claritatis causa: « Et licet, quoad externam rationem vitae et modum apostolatum exercendi, cum communibus etc. ».

Ad pag. 10,[7] linn. 22-24, fiat clarior redactio, ut sensus nitidus evadat. Proponerem: « subiecta sunt Ordinariis locorum, quibus de iure innotescunt; potest tamen haud raro iuvare » etc.

Ad pag. 11,[8] lin. 9, melius definiatur hoc modo: « quod dependentiae ab Ordinario loci adversetur ».

Ad pag. 11, linn. 17-18, iterum definiatur melius hoc modo: « quin tamen ipse in officia ab Ordinario *loci* commissa directe intervenire valeat ».

Ad pag. 11, linn. 23-24, corrigatur: « ex speciali Sanctae Sedis concessione ».

Ad pag. 11, linn. 26-30, locutio finalis clarior reddatur; proponerem hanc redactionem: « Attamen, aliae strictiores formae, etc. ... nonnisi difficulter, bono Instituti attente considerato, concedi poterunt, opportunis adhibitis cautelis ».

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.mi Bea et Rev.mi Patris Sépinski.

---

[6] Cf. p. 654.
[7] Cf. p. 655.
[8] Cf. p. 656.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae exposita sunt ab Em.mo Card. Bea et a Rev.mo P. Generali O.F.M.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: attente scilicet perpensis animadversionibus ab Em.mis PP. Ruffini, Léger, Gracias, Marella, Jullien, Larraona, Bea et a Rev.mo Ministro Generali Fratrum Minorum expositis, iisdemque compositis cum iis, quae Em.mus Cardinalis Valeri, Relator, clare huic amplissimo Coetui proponit.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita de his quae exposuit Em.mus Card. Relator et animadverterunt Em.mi Patres sed etiam de observatione sequenti ab Em.mo Card. Jullien iam edita: Decretum in quo explicite tribuitur Institutis de quibus agitur, ius ad apostolatum in Ecclesia exercendum deberet simul aperte declarare quod sub isto respectu, ab Episcopo dioecesis dependent. Hoc non dicitur nisi de Institutis saecularibus sacerdotum incardinatorum, et merito! Sed omnes qui operi Ecclesiae cooperare intendunt, etsi dioecesi non incardinati, subiici debent Episcopo, ita ut normas ab eo statutas ad doctrinam christianam edocendam, ad Actionem Catholicam fovendam, ad apostolatum organisatum promovendum, fideliter observent. Pro bono pacis, exopto quod in decreto ius illud Episcopi memoretur.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. observationes Em.mi Card. Jullien et Em.mi Card. Bea.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: ratione habita de eis quae dixerunt Em.mi Marella, Larraona et Bea.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum, cum concordia verborum Cardinalis Bea et Patris Sépinski.

Cap. VII: Placet. Laudes congruentes eis dantur et vocationes Fratrum Docentium apte foventur.

Cap. VIII: Placet. Distinctio inter Instituta saecularia et veri nominis religiones clare exponitur et subiectio institutorum saecularium Ordinariis locorum declaratur.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum:[1] meum facio additamentum ab Em.mo Liénart factum, et magni facienda esse censeo « generatim » quae Em.mus Card. Léger dixit et Em.mus Card. Marella legit.

---

[1] Cf. p. 663.

Card. CIRIACI: Placet iuxta modum: idest iuxta ea quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Marella.

Card. SIRI: Non placet in capite VII numerus 3, quia in eo tangitur quaestio (linn. 7-8) quae videtur mutabilis.

Non placent in cap. VIII nn. 14-15 hoc sensu: nullus sacerdos Instituti saecularis vere dependet ab Ordinario, nisi et quatenus eiusdem Sacerdotis Superior vere et totaliter ab eodem Ordinario dependeat.

Coetera placent iuxta modum, scilicet iuxta dicta ab Em.mis Marella, Bea, Jullien.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: secundum observationes Eminentissimorum Cardinalium Marella et Bea.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: Instituta saecularia pro laicis, maximi momenti pro apostolatu christiano sunt; evidens est in regionibus speciatim subditis regiminibus politicis, qui atheismo militanti favent. Ipsae potestates civiles, inimicae S. Ecclesiae, optimum testimonium dant Institutis saecularibus, fortiter oppugnando Sodales Institutorum, fortius quam Sodales Religionum et Congregationum Religiosarum. Ergo maxime fovenda sunt.

Quod attinet ad Instituta saecularia clericalia, minoris momenti sunt pro apostolatu moderno, immo in se contradicunt characteri Instituti saecularis, cum sacerdos natura sua non sit saecularis, sed dioecesanus.

Humili meo voto, non sunt amplius admittenda, nec approbanda.

De coetero, omnia quae iam clare exposuit Em.mus Marella, mihi maxime placent.

Loco Institutorum saecularium *Clericorum,* vita communis Cleri dioecesani, maxime fovenda et laudanda est ad normam C.I.C.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: secundum observationes praecipue Cardd. Marella, Larraona et Rev.mi Magistri Generalis O.F.M. Clarior exhibeatur subiectio erga Ordinarios, de qua in n. 13 cap. VIII.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum:[2] attente perpensis quae ab Em.mis Patribus prolata sunt, a Cardinalibus Marella, Jullien, Bea.

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum.[3]

Card. CENTO: Placet iuxta modum: attentis quae ab Eminentissimis Cardinalibus et a Patre Sépinski dicta sunt. Inter clerum saecula-

---

[2] Cf. pp. 663-664.
[3] Cf. p. 664.

rem, ita vocatum, et regularem, atque inter ipsa Instituta religiosa Sacrosanctum Concilium vincula fraternitatis magis ac magis suis decretis adstringere satagat.

Instituta saecularia ad bonum singularum animarum nec non Ecclesiae universalis maxime aptantur, conditionibus huius temporis inspectis. Non nimis tamen multiplicentur. Etiam hac in re, « sine Episcopo nihil fiat », praesertim cum de sacerdotibus quaestio sit. Nunquam et nullimode relaxetur relatio dependentiae inter clerum et Dioecesis Pastorem.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: habita ratione eorum quae dixerunt Em.mi Cardinales: Relator, Marella, Larraona, Frings et Siri. Accurate determinetur relatio sacerdotum Institutorum saecularium ad Ordinarium loci.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: 1) Sicut iam dictum est, prius erant tractanda themata generalia. 2) Quoad Instituta Saecularia schema tractetur in mixta Commissione. 3) Adhaereo his quae ab Em.mis Cardinalibus Marella et Siri prolata sunt.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum, i. e.: 1) attentis observationibus Em.mi Card. Léger et velim ut in pag. 10 [4] n. 13 clarius determinetur quod saltem episcopis semper innotescere debent nomina membrorum pertinentium ad ista instituta;

2) secundum animadversiones Card. Liénart et Card. Jullien;

3) plane assentior ad reservationes Em.mi Card. Marella circa Instituta saecularia sacerdotum dioecesanorum, unde, in pag. 11 [5] quoad n. 14, optarem ut definiatur quod horum Institutorum superiores non possint transferre subiectos suos in aliam dioecesim, neque in ipsa dioecesi intervenire ad suos socios assignandos tali functioni.

Card. KÖNIG: Placet iuxta modum: 1) In Concilio succincte quae hodie necessaria sunt proponantur quaeque in schemate optime dicuntur.

2) Si laudes distribuuntur — et religiosi et religiosae atque Instituta saecularia, omnes laudandi sunt — ita distribuantur ne invidia oriatur.

3) Quoad sacerdotes saeculares in hac materia adhaereo dictis a Cardinali Marella.

---

[4] Cf. p. 655.
[5] Cf. p. 656.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: cum animadversionibus Cardinalis Bea, ut nempe res in Concilio brevissima forma et solummodo in quaestionibus hodie necessariis tractetur. Quae a Card. Marella exposita sunt, placent.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis scilicet ea quae in voto a me scripto et heic adnexo [6] continentur, et insuper iuxta animadversionem Em.mi Cardinalis Gracias circa Instituta saecularia in terris Missionum.

Card. ALFRINK: Placet: cum additamentis Em.morum Marella et Liénart. Videat Summus Pontifex an haec omnia Concilio Oecumenico opportune proponat.

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: attentis quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Marella. Mihi etiam videtur excludenda omnino esse Instituta saecularia a Clero Dioecesano; id provocat gravia incommoda. Adhaereo iis quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Bea de vitanda nimis particulari tractatione harum rerum.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus propositis praesertim ab Em.mo Relatore et ab Em.mis Cardd. Marella, Siri, Confalonieri, Jullien et Bea.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: praeter ea quae dixi,[7] seu praemisso quod tota illa materia restringatur ad ea quae magis propositum pastorale respiciunt, ad mentem eorum quae animadverterunt Em.mi Patres Léger, Marella, Bea, Larraona et Rev.mus Pater Sépinski.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: sensu exposito in Voto [8] et collectis optimis animadversionibus factis.

Card. HEARD: Placet iuxta modum, attento praesertim voto Em.mi Bea.

Card. BEA: Placet iuxta modum, secundum ea quae exposui [9] et quae proposuerunt alii Em.mi Cardinales, maxime Em.mus Card. Marella (de sacerdotibus saecularibus).

Beat. GORI: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum factarum ab Em.mis Cardd. Ponente et Bea, et a Rev.mo P. Sépinski.

Beat. CHEIKHO: Placet.

---

[6] Cf. pp. 664-667.
[7] Cf. pp. 667-668.
[8] Cf. pp. 668-675.
[9] Cf. p. 675.

Exc. Felici: Placet iuxta modum: scilicet secundum votum Em.mi Cardinalis Bea et Rev.mi Patris Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum. Quoad instituta sacerdotum dioecesanorum, adprobo votum Subcommissionis mixtae propositum ab Em.mo Cardinali Marella. Sed de his melius suo loco.

Exc. O'Connor: Placet iuxta modum: id est attentis animadversionibus Eminentissimi Relatoris et ratione habita eorum quae proposita sunt a Patribus.

Exc. Silva Santiago: Placet iuxta modum: id est cum observationibus factis ab Em.mo Card. Relatore et ab Em.mis Cardinalibus Marella, Jullien, Larraona, Ruffini et Siri. Etiam iuxta exposita a Ministro Generali Ordinis Minorum. Quoad Instituta saecularia mihi videtur quod sunt plura quae in schemate magis resolvi debent.

Exc. Antezana y Rojas: Placet iuxta modum: relatio a Commissione de Religiosis facta, mihi videtur, emendari debere secundum animadversiones Eminentissimorum Cardinalium, praesertim Larraona et Bea, et Rev.mi Ministri Generalis Minorum.

Exc. Campbell: Placet iuxta modum: id est, secundum observationes factas a Cardinalibus Léger et Bea.

Exc. Cooray: Placet iuxta modum: i. e. perpensis omnibus quae a Patribus Commissionis dicta sunt speciatim ab Eminentissimis Cardinalibus Léger, Marella, Bea, et a Reverendissimo Patre Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

Exc. Lefebvre: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimorum Cardinalium Léger, Marella et Bea.

Exc. Hurley: Placet iuxta modum: iuxta scilicet observationes Em.mi Card. Bea et Rev.mi Ministri Generalis O.F.M. Relate ad Instituta saecularia valde periculosum mihi videtur permittere ut eorum sodales tamquam deputati in coetus legislativos (parlamenta) status ingrediantur. Impossibile enim est omnem notorietatem de hac re vitare. Consequentia est quod suspiciones, et quidem non sine fundamento, de clericalismo politico oriuntur, quibus spiritus anticlericalis nutritur. Vita politica est pro laicis, non pro fidelium categoriis quae quamdam ecclesiasticam qualitatem induere videntur. Si sodalis Actionis Catholicae qua talis vitam politicam ingredi non debet, multo minus sodalis Instituti saecularis.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: id est ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Léger, Marella, Jullien, Bea, Liénart et Wyszynski et Rev.mi Ministri Generalis Fratrum Minorum.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: sc. iuxta observationes Patrum, praesertim Em.morum Cardd. Léger, Jullien, Bea et Exc.mi Hurley.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, Wyszynski, Gracias et Marella expositum.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Eminentissimi Cardinales Bea, Liénart et Marella. Instituta saecularia aggreganda non sunt alicui religioni nisi Ordinarius permittat. Nam Instituta saecularia sunt ad apostolatum et dependent ab Ordinario, Instituta religiosa autem ad perfectionem membrorum suorum et dependent a Superiore religioso. Ideo paragraphus 16 abrogetur.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: iuxta ea quae dixerunt Cardinales Marella et Jullien.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: id est secundum rationes quas proposuit Em.mus Cardinalis Bea.

Exc. JELMINI: Schema placet sed non video esse ad Concilium pertinens.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus Em.mi Card. Marella et Em.mi Card. Bea. Capita septimum et octavum non videntur pertinere ad partem de Doctrina. Caput octavum videtur remittendum rerum evolvendarum cursui et iurisprudentiae Ecclesiae.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis expositis a Venerabilibus Patribus, praesertim Em.mis Card. Larraona, Bea et Rev.mo P. Sépinski. Attendenda quoque erunt ea quae a Commissione mixta exponentur.

Rev. SÉPINSKI: Placet,[10] ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Larraona, Bea, Relatoris et Jullien.

CARD. VALERI: Si Eminentia Vestra Rev.ma mihi permittit, aliqua velim dicere de iis, quae iam discussa sunt.

Ad observationes Em.mi Card. Ruffini de facilitate concedendi permissionem condendi Instituta saecularia: evidenter sunt multae petitiones ad nostram Congregationem; continuo petunt, sed ut iam dicebam, Congregatio raro accedit. Em.mus Card. Ruffini dicebat quod adsunt in Ecclesia aliquae personae, generatim sacerdotes, qui ad minus conamina

---

[10] Cf. pp. 675-676.

faciunt condendi istas Societates, Instituta, nescio Episcopo, sed evidenter a nostra Congregatione non cognoscuntur; et si cognoscuntur, certe prohibentur. Velim etiam addere quod de facto non semper vivunt in saeculo, sed generatim vivunt etiam simul; ex. gr. in Casa Generalitia alicuius Instituti saecularis (etiam « Opus Dei ») vivunt simul et plus minus omnia ista Instituta habent semper partem Instituti quae simul vivit.

Quantum ad observationes Em.mi Card. Léger pro Fratribus docentibus: Verum est quod isti sunt sensibiles ad extremum et sentiunt istum complexum inferioritatis, quasi Ecclesia non aestimaret ea opera nobilissima quae faciunt. Et possem addere unum exemplum istorum dierum. Ss.mus Pater recenter commendavit orationibus cleri saeculari et religiosi Concilium Oecumenicum. Accepimus litteras dicentes: « Ah! S. Pater non fecit mentionem de Fratribus docentibus neque de mulieribus », sed sunt res quae subintelliguntur. Tamen id demonstrat quantum sensibiles sint et certe, pro nobis, semper insistimus in nominando etiam fratres docentes, quia realiter ea quae faciunt sunt pretiosissima in Ecclesia.

Quantum ad Em.mum Card. Gracias verum est quod primum Institutum saeculare in Ecclesia fuit ista Societas Filiarum Mariae. Ista Societas fundata est opera notissimi P. de la Clorivières durante revolutione gallica et vixit et vivit usque adhuc ut florentissimum Institutum. Est prototypum Institutorum saecularium sed tamen a Benedicto XV obtinuit permissionem se dicendi Congregationem Religiosam. Sed de facto non adest differentia; est privilegium.

Card. GRACIAS: Nunc est Congregatio religiosa.

Card. VALERI: Yes. A Benedicto XV obtinuerunt istud privilegium, antea erat Societas quaedam. Quando *Provida Mater* apparuit putavimus esse institutum saeculare; obtinuerunt privilegium. Est congregatio religiosa, sed vivunt tamquam Institutum saeculare; non adest dubium; non esset tamen dicendum.

Quantum ad ea quae dixit Em.mus Card. Marella, ego possum nihil obiicere sed miror, quia volente Beatissimo Patre, fuit instituta Commissio mixta ex tribus Congregationibus et ista Commissio adunavit se pluries et tandem aliquando emisit votum, postea Commissio de Episcopis fecit votum suum quin aliae Congregationes scirent. Mihi videtur quod non est regulare. Adhaereo iis quae tam pulchre dicta sunt ab Em.mo Card. Jullien, etiam ab Em.mo Card. Bea, a Rev. P. Sépinski et a Card. Liénart.[11]

[11] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

VIII
DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Pars prima
DOCTRINA DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Sectio tertia
DE VOCATIONE RELIGIOSA

(Quarta Congregatio: 23 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE RELIGIOSIS

CAPUT IX
DE VOCATIONE RELIGIOSA IN SE CONSIDERATA

(Caput unicum) *

17. [*Divina origo vocationis religiosae*]. Dominus Deus, cuius est fortiter disponere omnia et suaviter [22] atque dividere singulis prout vult,[23] diversimode hominibus suae gratiae dona dispensat ut ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio consurgat Ecclesiae,[24] dicente Apostolo: « unicuique... data est gratia secundum mensuram donationis Christi ».[25] Quos vero, arcano praedilectionis suae consilio, altiorem tutioremque sanctificationis viam ingredi vult, eligit et vocat ad evangelica profitenda consilia, quorum auctor ipse Divinus Magister merito habetur.

18. [*Definitio descriptiva vocationis religiosae*]. Quae quidem vocatio, adaequate sumpta, duplici veluti essentiali elemento constans, altero scilicet divino, altero autem ecclesiastico,[26] gratia est specialis et excellens qua Deus quos, arcana liberaque sua voluntate, ad statum evangelicae perfectionis eligit, ad illum amplectendum congruis donis ac dotibus disponit, movet et adiuvat; ac tandem in eumdem statum per ministerium suae Ecclesiae admittit.[27]

19. [*De idoneitate positiva ad statum perfectionis: in genere*]. Iamvero, status perfectionis adquirendae natura sua peculiarem postulat idoneitatem positivam seu aptitudinem quae externe manifestari et ab Ecclesia comprobari debet. Haec vero requiritur certa, positivis argumentis suffulta, secumferens omnes dotes et qualitates physicas, intellectuales, morales et psychicas, sive naturae sive gratiae, cum genuina pietate coniunctas, quibus candidatus ad perfectionem christianam, observantia consiliorum evangelicorum prosequendam, et ad onera electi instituti sustinenda apte disponitur.[28]

20. [*De requisita immunitate ab impedimentis et recta intentione*]. In-

super, ut candidatus vocationem prosequi valeat, haud sufficit aptitudo adaequate comprobata; sed attendi quoque debent impedimenta quibus admissio ad electum institutum interdicitur. Tandem, requiritur recta intentio qua ipse sincere moveatur ad hunc statum amplectendum eumque revera desideret et libere eligat ex supernaturalibus motivis, ut scilicet soli Deo placeat animaeque saluti et sanctificationi consulat.

21. [*Divina vocatio ex signis certis dignoscenda*]. Etsi divina vocatio in seipsa omni humano intellectui directe impervia sit, adsunt tamen in divinitus vocato signa certa et sufficientia quibus nisus, tum ipse a Deo vocatum esse merito se aestimari potest et debet, tum legitimus Superior illum tamquam divinitus vocatum tuto agnoscere atque in publicum Ecclesiae statum rite admittere valet. Haec tria supra numerata, scilicet: idoneitas positiva, immunitas ab impedimentis et recta intentio, tamquam divinae vocationis signa necessaria et sufficientia proculdubio habenda sunt.

In adulescentulis autem, qui primae Divini Magistri secretae invitationi annuunt, haec nondum solent esse perfecte evoluta nec de futuro omnem excludere incertitudinem. Attamen haud desint oportet quaedam saltem genuina indicia quae spem afferant eos vitam professione consiliorum evangelicorum Deo consecratam digne ac fideliter ducere posse.

22. [*De universali vocatione divina ad perfectionem*]. Cum benignissimus Dominus, absque personarum acceptione fideles ad perfectionem sequendam et exercendam invitaverit,[29] in religionem aliudve institutum status perfectionis, clericale sive laicale, admitti potest quilibet catholicus qui signa certa et sufficientia vocationis praesefert, nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad onera vitae amplectendae ferenda sit idoneus.[30]

23. [*Nemo a vocatione sua prosequenda impediendus*]. Quare, nemini licet a statu perfectionis in aliquo instituto amplectendo vere idoneos avertere aut impedire, nisi urgeat adimpletio alicuius praecepti divini in casu praevalentis vel agatur de clerico in Sacris constituto cuius discessus in grave animarum detrimentum cedat quod aliter vitari minime possit.[31]

24. [*Nemo invitus ad statum perfectionis amplectendum cogendus*]. Quamvis haud sine gravi periculo sit vocationem certo sibi agnitam negligere, nemo tamen ad statum perfectionis suscipiendum quovis modo umquam cogatur; sciantque omnes quod ad validam admissionem in novitiatum et professionem, plena ab omni coactione libertas lege ecclesiastica requiritur.[32]

25. [*Nemo non vocatus statum perfectionis suscipiat in eove remaneat*]. Grave quoque esset si non vocati aut non rite dispositi, statum perfectionis temere amplecterentur in eoque, dum adhuc facultas sit discedendi, permanere statuerint. Propterea, bene intelligant candidati ipsis non expedire hunc nobilissimum statum amplecti nec malum esse ab illo recedere quando de prudentis viri consulto error circa propriam vocationem detegitur vel eorum ineptitudo comperitur.[33]

26. [*Vocati obligatio perseverandi in statu rite suscepto*]. Etsi vocationi divinae sibi certo compertae non obsequi gravi spirituali detrimento animum exponat, sane, periculosior est infidelitas qua status perfectionis, quem quis vocatione divina certo probata amplexus est, leviter ideoque culpabiliter, deseritur. Etenim, personae Deo consecratio in quovis statu perfectionis de se perpetua est; ideoque, quando professio fit ad tempus, ad professionem perpetuam tempore suo emittendam tendit, vel saltem, si ita in instituto habetur, ad eam semper iterandam. Benignissimus Deus, hunc statum ingressos ita congruis copiosisque suae gratiae auxiliis prosequitur ut defectio a vera divina vocatione iuste damnetur.[34]

27. [*Deminutio vocationum religiosarum arcenda*]. Valde dolendum est vocationes religiosas, sicut et sacerdotales, pluribus in locis in dies rariores fieri. Inter huiusmodi deminutionis causas proculdubio recenseri debent tum morum relaxatio in individuis, in familiis et in societate, tum hodiernae vitae affluentia commoda et oblectamenta quae iuvenum animum saepe debilitant et ad saeculum haud levi pondere attrahunt in eoque retinent.[35]

Quapropter, seria conamina ab omnibus ad quos spectat adhibeantur, ut vocationibus religiosis novum detur incrementum exigentiis temporum nostrorum plane respondens.

NOTAE

* Caput X, sub hac Sectione Tertia in Indice generali Capitulorum positum, ad Partem Secundam totius Schematis transfertur ut in proprio loco indicabitur.

[22] Cf. *Sap.* VIII, 1.

[23] Cf. *I Cor.* XII, 11.

[24] Cf. D. Th., *Summa Th.,* I-II, q. 112 a. 4; q. 183, a. 2.

[25] Cf. *Eph.,* IV, 7.

[26] Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, II: AAS, vol. XLVIII (1956), p. 357.

[27] Const. Apost. cit., *ibid.*

[28] Cf. Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: AAS, vol. XXVIII (1936), p. 40.

[29] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 117; *Matth.* V, 48; XIX, 12; *Col.* IV, 12; *Iac.* I, 4.

[30] Cf. can. 538.

[31] Cf. can. 542 § 2.

[32] Cf. can. 542, 1°; 572 § 1, 4°.

[33] Cf. Instruct. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961, n. 20.

[34] Cf. Instruct. citata, n. 28.

[35] Cf. Epist. S. Pii X *Cum primum* ad Magist. Gen. O. P., d. 4 aug. 1913: AAS, vol. V (1913), pp. 388-389.

2) RELATIO EM.MI P. D. VALERII CARD. VALERI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE RELIGIOSIS

Ultimum caput primae partis, scilicet IX, *de vocatione religiosa in se considerata* tractat. Haec magnam habet affinitatem cum vocatione sacerdotali; sed etiam proprias suas habet notas; et licet cum sacerdotio rite componi possit, ab eo tamen etiam pro sua natura praescindere valet ut iam supra dictum est (Cl. 17, 18). Ad Statum perfectionis amplectendum requiritur in adspirante idoneitas tum positiva (Cl. 19) tum negativa seu immunitas ab impedimentis (Cl. 20) necnon certa signa quibus vocatio divinitus indita agnoscitur (Cl. 21). Quibus habitis, quilibet catholicus in statum perfectionis admitti potest (Cl. 22).

In propria autem vocatione prosequenda, in tuto ponenda est *libertas* candidati ita ut nemo a vocatione sua prosequenda sit impediendus (Cl. 23), nemo invitus ad statum perfectionis amplectendum cogendus (Cl. 24), nemo in eo statu ante definitivam cooptationem Instituto, vi retinendus (Cl. 25).

Attamen, non obstante tali libertate, vere divinitus vocati obligationem habent perseverandi in statu perfectionis iam suscepto; nam, « personae Deo consecratio in quovis statu perfectionis de se *perpetua* est », etsi vota tantum temporaria emittantur, quibus expletis professus *iuridice* liber remanet (Cl. 26).

Aliud caput quod in Indice generali decimum indicatur cum titulo: *de vocationibus religiosis promovendis,* transfertur ad Sectionem *Tertiam* Partis Secundae Schematis, quia potius est indole *disciplinari,* dum Prima Pars Schematis est *doctrinalis.*

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Pag. 4,[1] lin. 7 et 8, ordinem dotum et qualitatum sic mutarem: « physicas, psychicas, intellectuales et morales ».

Pag. 4, lin. 22, « ... (et) sanctificationi consulat » adicerem: « et apostolatum, secundum naturam et finem Instituti Religiosi cui adspirat, exerceat ».

Pag. 4, lin. 30: Nescio quid valeat hoc loco vocabulum « publicum ».

Pag. 6,[2] lin. 6 et seq.: « ... dum adhuc facultas sit discedendi ». *Non*

---

[1] Cf. p. 684.

[2] Cf. p. 685.

vocati aut non rite dispositi necesse est habeant *semper* facultatem discedendi.

Pag. 6, lin. 18: « ... *leviter ideoque culpabiliter* ». Deserere statum perfectionis, quem quis vocatione divina certo probata amplexus est, numquam a culpa vacat, saltem ratione scandali, nisi transitus fiat ad Institutum Religiosum strictioris observantiae.

Card. LÉGER: Placet: duo tamen notarem.

Nonne opportunum esset primo loqui de communi vocatione ad perfectionem, cuius initium est baptismum, et postea de particulari vocatione religiosa, ita ut bene illustrentur differentiae et relationes inter unam et alteram existentes?

In paragrapho 27 rapide recensentur causae deminutionis vocationum religiosarum. Credo quod, ad fructuosius examen situationis, enumerandae sint aliae causae quorum aliquae penes ipsa instituta religiosa inveniuntur. Et hoc est cuiusdam momenti; quia Ecclesiae nocet non attendere ad omnes causas penuriae vocationum et perquirere responsabilitates deminutionis vocationum tam religiosarum quam sacerdotalium in solis familiis, societate et ipsis individuis vocatis.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. LIÉNART: Placet, ratione tamen habita de his quae dixerunt Em.mi Cardd. Ruffini et Léger.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet.

Card. SPELLMAN: Placet, quoad omnia.

Card. FRINGS: Non placet. Tota haec Constitutio videtur esse Enchiridion vitae religiosae optime instructum. Sed Concilium Oecumenicum secundum meam humilem opinionem singula tantum puncta vitae religiosae tractare potest, quae hodierno tempore sunt singularis momenti. In hoc sensu non placet ad proponendum in Concilio.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[1]

[1] Cf. pp. 687-688.

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet, numero 26, lin. 18, textus reformetur hoc sensu: caveatur periculo ut inde deducatur aliqua *facilitas* abeundi a statu religioso, seu a consecratione sui Deo facta.

Card. MCINTYRE: Placet.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: in educatione spirituali sodalium semper prae oculis habeatur *intima* relatio cum *Universali Ecclesia,* tamquam Mystico Corpore Christi, ne in Religionibus faveatur spiritui exclusivismi, qui non raro format « *Ecclesiam in ecclesia* », s. d. « ghetto » religiosum.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae a me scripta sunt.[2]

Card. GRACIAS: Placet iuxta modum.

I. Quaestio sub numero 27 schematis agitata (pag. 6)[3] est omnino fundamentalis. Em.mus Cardinalis Relator sic loquitur: « Inter huiusmodi diminutionis causas proculdubio recenseri debemus: *a*) tum morum relaxatio in individuis, in familiis et in societate; *b*) tum hodiernae vitae affluentia, commoda et oblectamenta ».

II. Mihi videtur istas causas, a Relatore expositas, etiamsi sint verae, non tamen sufficere ut diminutionem vocationum ad vitam religiosam explanent. E. g. in America hae causae praevalent, tamen vocationes tum virorum tum mulierum ad vitam religiosam abundant. In India, quamvis et ipsa subsit talibus influentiis, numerus vocationum ad vitam religiosam de die in diem crescit.

III. Liceat mihi aliam causam huius diminutionis adnumerare, nempe deficientia ex parte ordinum religiosorum, praesertim mulierum, sese adaptandi circumstantiis modernis in illorum modo vivendi, vestiendi, cogitandi etc.

Quam ob rem, haec quaestio debet esse intensiori modo tractata.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: ad multiplicandas vocationes religiosas valde interest ut Sacerdotes, licet rite exaltent magnitudinem sacramenti matrimonii, in debitam tamen lucem ponant maiorem excellentiam vitae religiosae.

---

[2] Cf. p. 688.
[3] Cf. p. 686.

In numero 23, redactio melior fiat, ne videatur perfectionem et sanctitatem in saeculo attingi non posse.

Card. GODFREY: Placet, habita ratione eorum praesertim quae dixerunt Em.mi Card. Ruffini et Card. Léger.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: i. e. secundum quod dixerunt Em.mus Card. Léger, Em.mus Card. Wyszynski, Em.mus Card. Gracias.

Card. KÖNIG: Placet, quoad idoneitatem (in pag. 4)[4] adhaereo dictis Card. Ruffini.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Card. Ruffini et Card. Léger; pauca solummodo advertere liceat:

1) Ad pag. 4, lin. 21 sq.: « ... animaeque saluti et sanctificationi consulat ». Videtur, quod hic *motivum salutis individualis,* quae certe non est negligenda, nimis characteristicum habetur pro discernenda vera vocatione religiosa. Theologice salus individualis subsumitur gloriae Dei et plenitudini Christi mystici. Studia autem empirica demonstrant, quod saltem his nostris temporibus vocationes valde distinctae excellunt per *motivum sociale*: « servire melius saluti animarum, vel: « esse membrum magis vivum et activum Corporis Christi mystici ». Utrumque tamen motivum exprimi potest bene verbis ipsius S. Pauli Apostoli: « cogitare quae Domini sunt » (cf. I Cor. 7, 32). Unde propono hanc mutationem faciendam in loco indicato: ... ut scilicet soli Deo placeat et « cogitet quae Domini sunt » (cf. I Cor. 7, 32).

2) Ad pag. 6 sq.,[5] n. 27: Diminutio vocationum religiosarum arcenda. Considerationes videntur aliquomodo nimis generales, praesertim in conclusione (inde a pag. 7,[6] lin. 4). Propius ad argumentum forsitan accedere posset consideratio de spiritualitate familiae, nam familiae vere christianae sunt quodammodo seminarium vocationum, et de vita secundum « regulam talentorum » (cf. Mt. 25, 14-23), quia homines viventes secundum hanc regulam, i. e. in omnibus quaerentes « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? » iam magis sunt paratae ad respondendum vocationi divinae.

Unde propono addendum in fine huius paragraphi: Imprimis coniuges sancti et familiae sanctae formari debent, quia familia est quodammodo seminarium vocationum. Omnes autem christiani instanter mo-

---

[4] Cf. p. 684.
[5] Cf. p. 686.
[6] Cf. p. 686.

nendi et instruendi sunt, ut vivant secundum « legem talentorum » (cf. Mt. 25, 14-23): nam qui in omnibus rebus quaerit « Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? », habet cor paratum ad respondendum etiam vocationi religiosae, si Domino placuerit eum vocare.

Card. MARELLA: Placet.

Card. ALFRINK: Placet, etsi pauca nova inveniuntur. Nn. 26 et 27 magni videntur momenti in hoc tempore hodierno. Sed si in num. 27 sermo est de « seriis conaminibus » ad vocationes augendas, hoc paulum iuvabit, si conamina non describantur.

Card. CONCHA: Placet.

Card. ROBERTI: Placet, scilicet iuxta animadversiones factas; tantum ad complendam relationem, n. 24 notula 32, ubi quidam canones citantur, recolendus videtur canon 2352, qui comminatur excommunicationem l. s. contra eos qui cogunt virum vel mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: placeret si unum et idem schema quod de utraque vocatione, religiosa scilicet et saeculari, ageret, in veritate, in mutua aestimatione. Nam religiosi fovere possunt vocationes pro clero saeculari, et sacerdotes saeculares possunt et debent vocationes fovere pro institutis religiosis virorum ac mulierum, et in specie pro mirabilibus illis fratribus et sororibus docentibus, quod quidam despiciunt sub falso praetextu actionis catholicae fovendae aut familiarum christianarum condendarum.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: i. e. dicenda ea quae *hodie* urgent et a *Concilio* decidenda sunt. Ratio habeatur eorum quae exposuit Em.mus Card. Gracias.

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: mea humili opinione tam numerus vigesimus primus « De divina vocatione ex signis certis dignoscenda » quam numerus vigesimus sextus « De obligatione perseverandi » cautiorem expositionem requirere mihi videntur.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: cum observationibus factis ab Em.mo Card. Ruffini quoad numeros 19 (pag. 4),[7] 25 (pag. 6)[8] et 26 (pag. 6). Quoad diminutionem vocationum religiosarum arcendam, mihi videntur habere plenam rationem ea exposita a Cardinalibus Jullien et Gracias.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: id est iuxta sententias prolatas a Cardinalibus Em.mis Roberti et ceteris.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: habita ratione observationum a Cardinali Léger factarum.

Exc. COORAY: Placet. Adhaereo ad Em.mi Card. Jullien dicta. Hoc tantum volo addere: defectus vocationum saepe saepius est ex incuria parochorum: nam est factum experientiae quod quaedam paroeciae dant multas vocationes, sed venit novus parochus et cessant vocationes.

Exc. LEFEBVRE: Placet.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: iuxta ea scilicet quae relate ad sectionem secundam (capita VII et VIII) iam dicta sunt ab Em.mo Card. Bea et a Rev.mo Ministro Generali O.F.M., iuxta etiam votum Card. Jullien.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: ratione habita de his quae dixerunt Eminentissimi Cardinales Ruffini, Léger, Döpfner et Jullien.

Exc. BAZIN: Placet. Omnino assentio quoque observationibus Eminentissimorum Cardd. Ruffini, Wyszyński et Gracias.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: ab Em.mis Cardinalibus Ruffini, Wyszyński, Léger, Gracias et Döpfner expositum.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: ad mentem Cardinalium Léger et Jullien.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: denuo consideranda sunt motiva necnon causae diminutionis vocationum, praesertim autem accommodatio.

Exc. JELMINI: Placet, schema valde bonum est sed humillime assero non esse ad Concilium pertinens.

---

[7] Cf. p. 684.
[8] Cf. pp. 685-686.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta quod dixit Em.mus Card. Gracias.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis quoque observationibus Em.morum Cardd. Léger et Ruffini.

Rev. SÉPINSKI: Placet. In folio adiecto continentur aliquae animadversiones minoris momenti.

Ad pag. 4,[9] linn. 27-28, correctius dicatur: « tum ipse a Deo vocatum esse merito se aestimare potest et debet ».

Ad pag. 5,[10] lin. 14: adhibeatur forma coniunctivi « praeseferat », sicut in reliquis membris locutionis.

Ad pag. 6,[11] lin. 24: non fiat interpunctio, sed scribatur: « Benignissimus Deus hunc statum ingressos etc. ».

IX

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Pars secunda

DISCIPLINA DE RENOVATIONE VITAE ET OPERAE IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Sectio prima

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

(Quinta Congregatio: 24 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE RELIGIOSIS

CAPUT XI

DE IPSA VITA RELIGIOSA RENOVANDA IN GENERE

1. [*De excellentia institutorum status perfectionis adquirendae*]. Neminem latere potest quanta excellentia praestent Instituta status perfectionis quorum sodales Divinum omnis sanctitatis Exemplar, Iesum Christum, arctiore imitatione prosequentes, electissimam Mystici Corporis Christi por-

[9] Cf. p. 685.
[10] Cf. p. 685.
[11] Cf. p. 686.

tionem constituunt,[1] atque non solum propriae animae sanctificationi et saluti consulunt, sed universae quoque Ecclesiae civilique societati, quibus tantam per saecula attulerunt et adhuc afferunt utilitatem.[2]

2. [*De speciali praestantia institutorum vitae contemplativae monasticae*]. Speciali autem praerogativa omnino praestant Instituta vitae contemplativae, in Ecclesia, cui « perpetuum decus exstant et coelestium scatebra gratiarum ».[3]

Etenim, licet omnes asseclae status perfectionis adquirendae, ad divinam internam contemplationem invitentur,[4] instituta tamen vitae contemplativae, quae scilicet ad contemplationi vacandum secundum peculiarem et traditionalem formam monasticam integre ordinantur,[5] cum in Corpore Mystico Christi suas partes semper habeant atque ipsa rei natura ad uberrimos fructus Ecclesiae afferendos aptissima sint, tamquam nostris non minus quam antiquis temporibus plane consentanea habenda sunt ideoque omnino fovenda.[6]

3. [*De necessitate vitae religiosae renovandae in Institutis*]. Ut autem instituta status perfectionis sanctitate iugiter floreant atque crescentibus in dies Ecclesiae animarumque necessitatibus efficaciter occurrere valeant, maxime oportet ut in eis vita religiosa, spiritu unicuique proprio fideliter servato, prudenti consilio fortique animo renovetur.[7]

4. [*Conditio fundamentalis renovationis peragendae*]. Vitae autem religiosae renovatio obtineri nequit, nisi concurrentibus omnibus instituti sodalibus, imprimis Superioribus, quibus speciale incumbit officium illam verbo et exemplo constanter promovendi.[8]

Quae, ut recte et tuto procedat, omnes prae oculis habeant statum perfectionis, quem Deo vocante amplexi sunt, ordinis esse supernaturalis; ideoque, naturalibus auxiliis haud spretis, primatum supernaturalibus principiis, motivis et mediis, non solum in doctrina sed etiam in praxi tribuant, vitamque interiorem assidua oratione et virtutum exercitatione magis magisque augere contendant.

5. [*Duplex processus renovationis peragendae*]. Renovatio in institutis status perfectionis duplici sane processu efficitur:

Restauratione pristinorum, ubi opus sit, ea scilicet resumendo quae vel ad genuinam rationem religiosae vitae necessaria sunt vel Instituto iam a primordiis fuerunt propria aut subsequentibus temporibus legitime inducta, quorum amissio detrimento evasisse compertum est; necnon, *accommodatione,* qua Institutum intra ambitum finis sui et iuxta spiritum proprium, ad progredientis temporis ac locorum exigentias, in sua vivendi et operandi ratione congruenter aptatur.

6. [*Restauratio: criterium fundamentale*]. Praeprimis, sodales status perfectionis solliciti sint vitam et operam ad normam Regulae et Constitutionum quam fidelissime componere, et, si casus fuerit, sub ductu Superiorum in pristinum restaurare ea quae ad integritatem vitae religiosae pertinent et ad finem specialem instituti requiruntur.[9]

7. [*Accommodatio: criterium fundamentale*]. In ipsa vita religiosa ac-

commodanda, ii ad quos tam grave officium pertinet caute at viriliter procedant, semper intuentes propositum ac genuinum spiritum Fundatorum, prout ab Ecclesia approbatum, necnon venerabiles traditiones in proprio instituto receptas, quibus omnis sana accommodatio conveniat oportet.[10]

Generatim, nihil innovetur circa naturam, finem et spiritum, quae instituti patrimonium constituunt sancte praeservandum et posteris fideliter transmittendum.[11] Quandoque tamen, expedire potest ut, probante Sancta Sede, alicuius instituti specialis finis qui in hodiernis rerum adiunctis nullam amplius vel parvam habeat utilitatem in novum indoli et spiritui instituti consentaneum transmutetur vel alio compleatur.[12]

8. [*Accommodatio: criteria particularia utenda*]. Ea vero quae, cum de essentia vitae religiosae non sint, peculiari ratione pro temporum et locorum adiunctis praescripta vel inducta fuerunt, diligenti prudentique disquisitioni a Superioribus et Capitulis subiiciantur et si expediat, accommodentur.[13] Eodem modo agendum est circa alia forte de novo inducenda.

Quidquid autem sic contingat innovari nullatenus indebitam inferat relaxationem a primaeva observantia, quin potius ad ipsam roborandam, quatenus temporibus nostris adhuc congruat, dirigatur.

9. [*Accommodatio: technicae modernae assumendae*]. De his vero quae praebet humanus progressus instituta ne dubitent ea sibi assumere, prudenter tamen, quae ad Sodalium profectum vere conferre possunt, scilicet, ad eorum formationem seu institutionem religiosam, culturalem et apostolicam vel ad opera apostolatus exercenda aut etiam ad sanitatem praeservandam aliamque veram utilitatem. In quorum tamen delectu et usu nihil admittatur quod evangelicam perfectionem aut propriam cuiusque instituti indolem minus deceat. Quare, si ista praecipue suppeditent vitae commoda quae ad spiritum mortificationis et paupertatis minuendum vel ad animas dissipandas potius tendant aut periculis vitam Deo consecratam infuscandi non vacent, generoso animo respuantur, ne de pulvere mundano religiosa corda sordescant.[14]

CAPUT XII

DE IPSA VITA RELIGIOSA RENOVANDA IN PARTICULARI

10. [*Renovatio quoad vitam interiorem sodalium*]. Exoptata haec vitae religiosae renovatio, ab ipsa Sodalium vita interiore, pro cuiusque conditione, proculdubio exordiri debet.

Qui vitam plene contemplativam profitentur, meminerint se, Divinae Maiestatis obsequio integre et publice mancipari. Ideoque, sollicite curent ut dum impensius divino cultui vacent, mortificatione sensuum spiritualique ascesi ad intimam cum Deo unionem mentis et voluntatis in solitudine contendant,[15] atque pro eadem Ecclesia ac humano genere piacula prompto animo offerant et gratias enixe postulent.[16]

Qui autem apostolatus operibus incumbunt, ne obliviscantur quod eorum impensa actuositas ex abundantia vitae interioris profluere debet, orationisque spiritu fulciri ut et plenam in salute animarum quaerenda obtineat foecunditatem. Igitur tam subditi apostolatus operibus incumbentes quam Superiores ea pro instituto acceptantes et suis sodalibus imponentes, maxime studeant ea cum exercitiis pietatis, quibus vita interior alitur, ad normam Constitutionum congruenter componere.[17]

11. [*Renovatio: quoad vitam liturgicam*]. Cum Sacra Liturgia non solum externum exercitium rituum aut caeremoniarum sit, sed imprimis, necessarius et sacratissimus cultus Dei, in Ipsius summam laudem et gloriam atque christiani populi salutem impensus, ut elementum quodammodo principale in vita Ecclesiae habenda est. Quapropter, religiosi et religiosae Sacram Liturgiam pro cuiusque instituti indole colant atque ex hoc ditissimo fonte vitam suam spiritualem assidue nutriant.

12. [*Renovatio: quoad virtutes morales cum caritate excolendas*]. Perfectio christiana quae principaliter secundum caritatem attenditur, a complexu ceterarum virtutum disiungi nequit.[18] Hae enim, non solum sunt instrumenta necessaria quibus anima in variis actibus occurrentibus ad Deum proximumque perfecte diligendum utitur; sed et ipsam animam spiritualiter coram Deo mirifice exornant illamque ita perficiunt ut vera sanctitas dari nequeat quae sit ab aliqua virtute deficiens. Quapropter, perniciose errant qui sub praetextu caritatem maxime aestimandi et supra omnia excolendi, alias virtutes vel aliquam earum despiciunt aut negligunt; hi enim, quantocumque perfectionis desiderio se reputent animatos, imperfecti certo semper remanebunt. Ideoque, qui ad perfectionem assequendam sincero animo se accingit, omnes virtutes, nulla excepta, exercendas et acquirendas amplectatur oportet, cum vero spiritu abnegationis, mortificationis et obedientiae, in vera caritate quae est vinculum perfectionis.[19]

13. [*Renovatio: quoad mortificationem et abnegationem*]. Inter essentialia vitae religiosae connumerari debet christiana mortificatio quam nonnulli hodie silentio praetermittunt quasi rem parvi momenti, quaeque e contra magni aestimanda est assidueque exercenda.[20] Oportebit tamen discrete recognoscere receptum indicem poenitentiarum, et illis forte obsoletis aut nonnisi symbolice et perfunctorie peractis aut nocivis alias expeditiores substituere, reapse comprobatas tamquam vitae spirituali promovendae aptas, sanitati mentis et corporis contemperatas coaevorum captui perspicuas.

Foveatur pariter saecularium desideriorum abnegatio in cotidiana consuetudine vitae quae a mundo spiritualiter segregata, Deo integre consecratur et ad coelestia unice tendit.[21]

14. [*Renovatio: quoad obedientiam: notio genuina et necessitas*]. Religiosa obedientia in ea consistit subiectione, qua sodalis, facto ad Deum holocausto suae voluntatis, supernaturali fide et caritate motus, humile in omnibus quae ad normam Regulae et Constitutionum legitime praecipiuntur, Superiori praestat obsequium.

Hic traditionalis et authenticus conceptus obedientiae religiosae in ipso Evangelio fundatus, contra hodiernas erratas opiniones circa hanc virtutem fideliter est retinendus. Quare, nullatenus admitti vel tolerari potest illa obedientiae ratio hisce temporibus a quibusdam excogitata, secundum quam, simplici submissione erga Superiorem praecipientem praetermissa, subdito liceret cum eo de agendis quasi disceptare donec uterque in idem placitum consentiat.[22] Patet subditum ita se gerendo non amplius a Superioribus regi, sed propriis tantum indulgere rationibus et voluntati: quod prorsus alienum est a genuina obedientiae notione, maximeque a ratione evangelici consilii, cuius professione propria voluntas Superiori libere subicitur ad Illius exemplum imitandum qui, postquam Deo Patri dixerat: « ecce venio ut faciam voluntatem tuam »,[23] « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ».[24]

Quoniam vero nemo ad perfectionis christianae fastigium expeditius velociusque perfecto obediente currit, ita unusquisque ad obediendum sit paratus ut in Superiore ipsum Dominum praecipientem considerans, eius iussa et optata prompte et humili animo diligenter exsequi studeat.[25]

15. [*Renovatio: quoad obedientiam: officium superioris praecipientis*]. Superior autem subditos suos plurimi faciens, cum humilitate et vera dilectione,[26] firmiter et paterne [27] eos ducere curet, ita ut ipsi ad obediendum suaviter alliciantur, non quidem humanis rationibus moti, sed tamquam se Deo eiusque voluntati tradere cupientes.

16. [*Renovatio: quoad castitatem religiosam*]. Perfecta ac perpetua castitas, quam sodales cuiusvis instituti perfectionis voluntarie profitentur, ipsos Christi imitatores et ad perfectum amorem intimioremque cum Eo spiritualem conversationem assequendam expeditiores facit, immo, ad ceteros in regnum caelorum conducendos.

Sed quia haec sublimis et angelica virtus arduum valde animae imponit onus atque nimis internis externisque obnoxia est periculis, nemo de propriis viribus temere praesumat quin e contra ab omnibus ad eam tuendam quaerantur imprimis supernaturalia auxilia, scilicet: humilis et constans ad Deum precatio, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum devotus usus incensaque erga Dei Matrem Immaculatam pietas. His adiungantur oportet apta ascetica adiumenta quorum praecipua sunt: sedula assiduaque vigilantia cordis et sensuum, asperitas vitae et carnis mortificatio.[28] Nec praetermittenda sunt praecepta illius pudicitiae quae « castitatis prudentia » [29] merito dicta est, quaeque eos maxime decet qui se totos Christo consecratos esse gloriantur.[30]

17. [*Renovatio: quoad paupertatem individualem*]. Paupertas evangelica, qua religiosus, ex supernaturali motivo Christi paupertatem imitandi, temporalium bonorum dominium penitus abdicat vel saltem eorum liberae dispositioni, usui et usuifructui renuntiat, eum in ipsis quae ad vitam necessaria sunt, a Superioribus omnino dependentem reddit. Ad veram autem paupertatem religiosam assequendam haud sufficit haec a Superioribus de-

pendentia; sed eidem sociandus est rerum temporalium usus reapse pauper, indoli propriae cuiusque instituti consentaneus.

Ideoque, religiosus ad modum pauperum se gerere debet, rebus quibus reapse indiget moderate utendo et a superfluis commoditatibus etsi dono vel minore pretio oblatis pariterque ab expensis haud necessariis sedule abstinendo. Sola hac ratione, a cupiditatibus mundanis plene liberatus et terrenis alienus factus, ad Deum sincere ac totali affectu fertur.[31]

18. [*Renovatio: quoad paupertatem collectivam*]. Religiosa autem paupertas non in sola sodalium vita individuali servanda est; verumtamen, etiam in tota collectivitate relucere debet.[32] Certe, bona temporalia instituti, fideliter ac prudenter ad normam iuris administranda sunt, tamquam Ecclesiae et pauperum patrimonium sacrum; sed id fiat oportet vero spiritu paupertatis congruentique moderamine,[33] ne ob nimiam bonorum communium affluentiam, talis spiritus in ipsis sodalibus periclitetur et testimonium paupertatis evangelicae, mundo dandum, minus perspicuum evadat vel penitus evanescat.

Quare, amoveantur oportet in institutis luxus et immoderata bonorum accumulatio; atque in modo vivendi ratio habeatur conditionum loci et incolarum. Domus religiosae exigentiis vitae et laboris communitatis sane respondeant; in iis autem aedificandis et exornandis, curandum est ut, dum ad silentium tutandum et animae recollectionem conciliandam vere aptentur, indolem religiosae paupertatis externe quoque praeseferant atque omnis excessus qui populi admirationem iuste provocare possit caute vitetur.

19. [*Renovatio: quoad paupertatem in modernis inventis servandam*]. Item, in hodiernis inventis quae vere et serio utilia sunt, religiosi sive Superiores sive subditi, semper memores sint paupertatis evangelicae quam professi sunt, et rationem agendi saecularium, etsi honestam minus tamen statui pauperum congruentem, sedule devitent.[34]

20. [*Renovatio: congrua a mundo segregatio*]. Insuper, ad illibatam vitam religiosam integre servandam, quicumque evangelicam perfectionem prosequitur, necesse est ut sese ab hoc mundo retrahat et secernat: re quidem secundum ea quae propria requirit a Deo indita vocatio: affectu autem, penitus. Ab hoc mundo, de quo Dominus et Magister noster discipulos praemonebat suos dicens: « de mundo non estis »; [35] dilectissimus autem Apostolus: « mundus totus in maligno positus est »; [36] Doctor quoque Gentium: « mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ».[37]

Ideoque, saecularia oblectamenta, inutile cum saecularibus commercium et in eorum domibus indebitas commorationes necnon egressus et itinera haud necessaria vel non semper utilia sedule devitent.

21. [*Renovatio: etiam in parvis communitatibus*]. Etiam in parvis communitatibus, renovatio vitae religiosae, et si opus fuerit, restauratio, est promovenda: etenim, ad regularem observantiam omnes tenentur. Propterea, in singulis institutis, normae habeantur quae clare et modo efficaci definiant regimen parvarum communitatum necnon, attentis circumstantiis particulari-

bus, praesertim apostolatus exigentiis, disciplinam ab omnibus observandam.

Illis quoque sodalibus qui iusta de causa, praesertim ob missionalem apostolatum, probantibus Superioribus, extra instituti proprii domos canonice erectas dispersim degunt, aptis normis provideri debet ad eorum vitam spiritualem, disciplinam et operam rite tuendam et fovendam.

22. [*Renovatio: in locis missionum aliisque aequiparatis*]. Cum status perfectionis adquirendae ad integritatem Corporis Christi Mystici pertineat, in quibuscumque terrae regionibus, inde a prima Ecclesiae implantatione, prout adiuncta ferunt, diligenter promovendus ac fovendus est, non solum ad opera apostolatus exercenda, sed etiam ad vitam contemplativam excolendam.[38]

Ut autem vita religiosa in istis locis rite constituatur et ordinetur, necesse est indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et conditionum rationem habere. Ideoque, illi ad quos res spectat mature perpendant an tale propositum ad effectum adduci possit fundationibus institutorum iam existentium congruenter accommodatis, vel potius deveniendum sit ad nova instituta erigenda quae peculiaribus locorum adiunctis plane respondeant.

23. [*Adhortatio pastoralis ad vitam religiosam renovandam*]. Sacra ergo Synodus vehementer hortatur, ut omnes sodales institutorum status perfectionis maximam foveant aestimationem propriae vocationis necnon Regularum et Constitutionum, quae, post Ecclesiae approbationem, Dei voluntatem erga eos authentice exprimunt et securam perfectionis evangelicae viam ipsis ostendunt.

Vota, igitur, aliasque obligationes proprii status fideliter exsolventes et fraterna caritate mutuoque exemplo sese coadiuvantes, renovato fervore ad sanctitatem strenue contendant, omnibus virtutibus praecellentes fructuosisque operibus abundantes; ita ut in Ecclesia Dei, christianae perfectionis exemplar magis magisque splendescere faciant et ad mundum spiritualiter renovandum ac regnum Dei latius propagandum et roborandum, pro sua cuiusque conditione, efficaciter cooperentur.

NOTAE

[1] Cf. LEO XIII, Ep. *Au milieu,* ad Card. Archiep. Paris., d. 23 iunii 1900: Acta Leonis XIII, vol. XX, p. 340; PIUS XII, Alloc. ad Congr. Statuum Perf., Romae, d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 31; Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 37.

[2] Cf. LEO XIII, Ep. ad Card. Gibbons, d. 22 ian. 1899, §§ 10-12: Fontes CIC, vol. III, p. 340; Ep. ad Card. Richard, d. 23 dec. 1900: Acta Leonis XIII, vol. XX, p. 340; Ep. ad Superiores Gen., d. 29 iunii 1901: Fontes CIC, vol. III, p. 646; PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, XVI (1924), p. 133; PIUS XII, Ep. ad Card. Micara, d. 12 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25.

[3] PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 33.

[4] Cf. Const. Apost. *Sponsa Christi,* Statuta Adnexa, art. II § 2: AAS, vol. XLIII (1951), p. 15.

[5] Cf. PIUS XII, Alloc. Radioph. ad Moniales, I, d. 19 iulii 1958: AAS, vol. L (1958), pp. 565-567.

[6] Cf. Alloc. cit. II, ibid., p. 570; PIUS XII, Alloc. Conventui studiorum de Monachatu, d. 11 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 285.

[7] Cf. PIUS XII, Ep. ad Card. Micara, d. 12 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25; Alloc. ad Congr. Statum Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 31.

[8] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Relig. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 37.

[9] Cf. PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, vol. XVI (1924), p. 135.

[10] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Sup. Gen., d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), pp. 154-155.

[11] Cf. PIUS XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34.

[12] Cf. PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, vol. XVI (1924), p. 135; PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf. d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 33.

[13] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 36.

[14] Cf. Litt. S. C. de Religiosis, mense aug. 1957 ad Sup. Gen., de usu Radiophonii et Televisionis, § 4, 7.

[15] Cf. PIUS XII, Alloc. Radioph. ad Moniales, II, d. 25 iulii 1958: AAS, vol. L (1958), p. 570.

[16] Cf. PIUS XII, Alloc. cit. III, d. 2 aug., ibid., pp. 584-585.

[17] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 32.

[18] S. THOMAS, *Summa Th. II^{a}-II^{ae},* q. 184, a. 1 ad 2.

[19] Cf. *Col.* III, 14.

[20] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34; Alloc. ad PP. Iesuitas, d. 10 sept. 1957: AAS, vol. XLIX (1957), p. 808.

[21] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Sup. Gen., d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), p. 156.

[22] Cf. PIUS XII, Alloc. cit. ad PP. Iesuitas: ibid., pp. 807-808.

[23] Cf. Ps. XXXIX, 8.

[24] *Phil.* II, 8. Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 9 dec. 1957: AAS, vol. 4 (1958), p. 38.

[25] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 30; Alloc. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 38 ss.

[26] Instr. S. C. de Relig. d. 18 aug. 1915: Enchirid. de Stat. Perf., n. 286, p. 343.

[27] PIUS XII, Alloc. ad Religiosas, d. 15 sept. 1952: AAS, vol. XLIV (1952), p. 825.

[28] Cf. PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: AAS, vol. XLVI (1954), p. 186.

[29] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: l. c., p. 185.

[30] Cf. Litt. Encycl. cit., ibid., pp. 185-186.

[31] PIUS XII, Alloc. ad Carmelit. Discalc., d. 23 sept. 1951: AAS, vol. XLIII (1951), p. 737.

[32] Cf. PIUS XII, Alloc. ad FF. Minores, d. 24 maii 1951: *L'Osservatore Romano.*

[33] Cf. S. THOMAS, *Summ. Theol. IIa-IIae*, q. 188, a. 7.

[34] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Soc. Iesu, d. 10 sept. 1957: AAS, vol. XLIX (1957), p. 808.

[35] *Ioann.* XV, 19.

[36] *I Ioann.* V, 19.

[37] *Gal.* VI, 14. Cf. PIUS XII, Alloc. ad Mod. Gen. Romae, d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), p. 156.

[38] Cf. PIUS XII, Epist. ad Relig. Lusitaniae, d. 3 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 315; Alloc. Conventui studiorum de Monachatu, d. 11 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 285.

2) RELATIO EM.MI P. D. VALERII CARD. VALERI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE RELIGIOSIS

Est lex empirica quae vix ullam patitur exceptionem, quod instituta humana ecclesiasticis inclusis, ad certa temporis intervalla, *renovari* debent ut in sua vita pleno vigore, secure et utiliter pergant. De huiusmodi renovatione proximum Concilium Oecumenicum, ut in eo apparando iam manifestum est, universaliter absque dubio sollicitum erit. Ecclesia enim Christi usque ad consummationem saeculorum indefectibiliter permansura, sibi debet iuvenilem retinere vigorem atque actuosam operam suam necnon media mutabilium temporum rationibus sapienter aptare. Eadem de causa, instituta status perfectionis, quin eorum excellentiae et meritis aliquid detrahatur, renovanda quoque sunt, ut « sanctitate iugiter floreant atque crescentibus in dies Ecclesiae animarumque necessitatibus efficaciter occurrere valeant » (cf. Cl. 3).

De cetero, huius renovationis necessitas a Summo Pontifice f. r. Pio XII repetitis vicibus inculcata fuit (cf. *Acta Congressus* de Statibus Perfectionis anno 1950: Vol. I, pp. 3-49); et ipsius primi Congressus de Statibus Perfectionis anni 1950 thema generalis erat illa « salutaris plena renovatio statuum perfectionis quae hodiernis Ecclesiae, societatis, animarum necessitatibus responderet satisque faceret » (cf. Op. cit., pag. VIII). Igitur, nil mirum quod Sanctissimus Dominus Noster Papa Ioannes XXIII, gloriose regnans, attentis Exc.morum Praesulum et Dicasteriorum Romanorum votis ad Commissionem Antepraeparatoriam missis, Commissioni nostrae de Religiosis hanc quaestionem demandaverit tractandam primam: *De vita religiosa renovanda* (cf. Quaestiones, pag. 13, I).

Animadversio de *Vita Religiosa.*

Imprimis advertendum est *Vitam Religiosam,* quae hic dicitur *renovanda,* esse intelligendam non stricto sensu solum de illa votis publicis obnoxia; sed latiore sensu de vita quae tribus formis Status perfectionis communis est, Religionibus nempe, Societatibus vitae communis sine votis publicis et Institutis saecularibus. Progressiva enim status perfectionis evolutio nos cogit ad terminos ipsos congruenter accommodandos. Ideoque, *renovatio Vitae Religiosae* de se ad tres formas status perfectionis spectat, nisi ex rei natura vel contextu sermonis aliter eruatur, et salvo quod instituta saecularia cum recentiora sint, minus indigent renovari quam forte in quibusdam adhuc perfici.

Animadversio ad *Renovationem perficiendam.*

Renovatio de qua hic sermo est generaliter describi potest tamquam *processus quo personae vel res, in meliorem conditionem certa ratione adducuntur.* Vox « renovatio » sic intellecta est *generica* sub se duas habens species, quatenus hic processus in melius dupliciter fit: sive *ad pristina redeundo,* per *restaurationem* eorum quae in instituto decursu annorum haud sine detrimento derelicta vel amissa fuerunt; sive *ad nova adiuncta se aptando,* per *accommodationem* hodiernis vitae et laboris exigentiis commensurandam (cf. Cl. 5).

Vitae religiosae *restauratio* per reditum ad initia et fontes instituti, generaliter consulenda est et consulitur (Cl. 6). Attamen, in quibusdam casibus minus expedire potest, si prioris aetatis elementa, pro temporum mutatione, obsoleta reapse facta sunt et forte etiam nociva. Ideoque, in Clausula 5 scite advertitur restaurationem esse urgendam ubi de iis agitur resumendis « quorum amissio detrimento evasisse compertum est ».

Accommodatio vero non est minus necessaria; sed valde prudenter est perficienda, ne ullo progressus praetextu, instituta potius damnum perniciose patiantur. Religiosa enim instituta, ex una parte, temporibus nostris aliena minime fieri debent, sed quantum fas est iisdem plane adhaerentia; ex altera parte, maxime refert ut qualia sunt secundum legem evangelicam et propriam cuiusque indolem, talia permaneant atque spiritum Fundatorum ab Ecclesia probatum semper integrum ac vivum servent (cf. Cl. 7, 8, 9).

Ex his dictis apparet tum *restaurationem* tum *accommodationem* propriis ab invicem distinctis uti criteriis; quod tamen non excludit eas in processu renovationis pari gressu saepe saepius progredi.

Animadversiones ad *Renovationem in particulari* (Caput XII).

Exoptatae renovationis primarium *obiectum,* sive de institutis vitae contemplativae agatur, sive de aliis apostolatus externis operibus deditis, merito ponitur *vita sodalium interior* (cf. Cl. 10). Instituta enim religiosa hodiernis conditionibus frustra aptarentur si id fiat detrimento interioris sodalium vitae, qua minuente vel crescente et ipsa instituta languescunt vel florescunt.

Hac sodalium interiore vita in tuto posita, secure progreditur ad quasdam particulares renovationes quae magis expedire videntur, scilicet: quoad *vitam liturgicam* intensius fovendam (cl. 11), *virtutes morales* fideliter excolendas (Cl. 12), *mortificationem et abnegationem* constanter sectandas (Cl. 13), quoad religiosam *obedientiam* (Cl. 14, 15), *castitatem* (Cl. 16), et *paupertatem* (Cl. 17, 18, 19) necnon quoad congruam religiosorum a *mundo segregationem* (Cl. 20).

Haec multiformis renovatio vitae religiosae non tantum in domibus maioribus promovenda est; sed etiam in *parvis communitatibus* (Cl. 21) atque in *locis Missionum aliisque aequiparatis* (Cl. 22), ubi regularis observantia peculiaribus et seriis obstaculis occurrit.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. LIÉNART: Valde mihi placet duplex intentio huius Decreti scilicet renovatio et accommodatio vitae religiosae, sed quoad media proposita animadversiones quasdam emittere vellem.

1) Dubito num sit opportunum tractare (numero secundo, pagina octava [1]) de speciali praestantia Institutorum vitae contemplativae monasticae. Quaestio enim controvertitur et Sanctus Thomas ipse aliter sentit quando scribit in II^{a}-II^{ae}: « Sic ergo summum gradum in religionibus tenent, quae ordinantur ad docendum et praedicandum. Quae et propinquissimae sunt perfectioni Episcoporum... Secundum gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem ».

2) Quoad renovationem spiritus in Institutis commendatur (numero tertio, pagina octava) recursus ad spiritum unicuique Instituto proprium. Vereor ne, praesertim in multis parvis Congregationibus hoc intelligatur in sensu adhaesionis magis strictae ad usus suos peculiares, potiusquam in sensu verae renovationis spiritualis secundum spiritum magnorum Magistrorum vitae religiosae et doctrinae vivificantis Sanctae Ecclesiae.

---

[1] Cf. p. 694.

3) Quoad renovationem virtutum moralium (numero duodecimo, pagina duodecima [2]) merito reprobatur error qui perfectionem limitaret virtuti caritatis et despiceret alias virtutes. Sed oportuerit primum profiteri, secundum doctrinam Evangelii et Sancti Pauli, quod caritas prima est virtutum et quod sine illa alias virtutes nihil sunt, quae tamen ad perfectionem christianam cum illa attinent.

4) Quoad accommodationem hic proponuntur criteria fundamentalia, et in decreto sequenti iudicabuntur mutationes quae fieri possent ad vitam Institutorum necessitatibus huius temporis magis adaptandam, sine detrimento ipsius vitae religiosae. Sed cui incumbit opus huius accommodationis? Superioribus et Praesulibus respondetur in textu. Et quis illos adiuvare possit ad hoc opus periculosum feliciter complendum? Sola nominatur Sacra de Religiosis Congregatio. Nihil dicitur de Episcopis qui tamen munus habent vigilantiae super Congregationes illis commissas et qui, si omnium debitores sunt, de animabus a Deo electis et Deo consecratis praesertim solliciti esse debent. Ad Superiores adiuvandos in opere renovationis et accommodationis Institutorum suorum, proximi sunt et multum facere possunt.

Quapropter enixe peto ut in praesenti Decreto munus Episcopale erga Congregationes non omittatur et Episcopis commendetur ut formationi doctrinali, liturgicae et biblicae in Noviciatibus et Institutis sedulo vigilent, ut de apostolicis operibus in dioecesi vigentibus Congregationes instruent et ut conatus illarum, ad accommodationem praescriptam patrandam, inspirent et dirigant, ad mentem Sanctae Synodi et Sacrae de Religiosis Congregationis.

Card. Frings: Ad n. 10: Si congregationes sororum vitae activae haec in n. 10 prolata exsequi volunt, necessarium erit, ut aliquas domus, ut v. g. hospitalia, relinquant, ne sorores nimio labore opprimantur. Episcopi quidem et vita catholica per hanc agendi rationem in magnam penuriam redigentur, quia aliae sorores regulariter non inveniuntur, et si hae domus per sorores saeculares regi debent, multo plus pecuniae necessarium erit. In hoc dilemmate standum erit pro vita religiosa sororum servanda.

Card. Ruffini: Pag. 9,[3] lin. 2: « officium illam verbo et exemplo constanter proponendi » dicerem: « officium illam verbo et *imprimis* exemplo... ».

[2] Cf. p. 696.
[3] Cf. p. 694.

Pagg. 12 et 13:[4] Virtutes omnes iure meritoque praecipiuntur, sed maxime inculcanda est caritas inter sodales eiusdem familiae religiosae exercenda, quia saepe saepius Religiosi utriusque sexus dum caritatem habent erga externos, ab ea deficiunt in domibus suis erga confratres vel sorores.

Pag. 13,[5] lin. 27 et seq.: « ... in omnibus quae ad normam Regulae et constitutionum legitime praecipiuntur... ». Haec verba, in oboedientia Superiori exhibenda, ansam praebere possunt, haud raro, dubitationibus et disceptationibus, num scilicet Superior in hoc vel illo casu legitime praeceperit ad normam Regulae et Constitutionum. Id enim supponi debet, nisi contrarium sit evidens.

Pag. 16,[6] lin. 23 et seq.: « ... atque in modo vivendi ratio habeatur conditionum loci et personarum ». Verba ista coniuncta laborant ambiguitate, nam vera sunt si conditiones, de quibus est sermo, sint tenues et pauperes, non autem si commodis multis et divitiis splendeant.

Card. LÉGER: Peropportunum est schema praesentare de renovanda vita religiosa, quia Religiosi unam ex electissimis portionibus Ecclesiae constituunt. Et incrementum vitae christianae in Institutionibus status perfectionis est incrementum totius Ecclesiae.

Tamen meum placet non dabo, etiam iuxta modum, nisi magna cum haesitatione. Credo quod in textu proposito, praesertim agitur de *revocatione* aliquarum notionum et de *admonitione* contra periculosas novitates, potiusquam *de vera renovatione*. Notabo quod raro refertur ad Evangelium ut criterium renovationis, quod criteria proposita pro renovatione saepissime sunt *negativa* et quod timor et timiditas in multis paragraphis manifestantur quando Ecclesia potius necessitatem habet sanctae audaciae. Sequentes particulares observationes faciam:

In paragrapho prima, quae loquitur de excellentia institutorum status perfectionis adquirendae, aliqua enumeratio datur de eorum finibus, quamvis non sit scopus ipsius paragraphi. Forsan ibi non est locus talis enumerationis, sed si habetur, credo quod debet esse completa. Et tunc dicendum est quod sodales illorum institutorum prosequuntur gloriam Dei; insuper dicendum est quod non solummodo utilitatem afferunt Ecclesiae et societati civili sed etiam in *servitium* sunt Ecclesiae et hominum. Est semper eadem idea, iam a me prolixe enuntiata, de *servitio* in Ecclesia.

---

[4] Cf. pp. 696-697.

[5] Cf. p. 696.

[6] Cf. p. 698.

Secunda paragraphus, tractat de speciali praestantia Institutorum vitae contemplativae monasticae. Utrum non haberetur locus in schemate determinare orientationes diversas quas habere debent vocationes contemplativae et vocationes mixtae? Credo quod haec *determinatio* multum adiuvaret ad restaurationem et accommodationem, quae est propria materia schematis, specificandam.

In paragrapho 5, propono quod ubi loquitur de genuina ratione vitae religiosae, mentio fiat de spiritu evangelico ut prima norma restaurationis.

In paragraphis 7 et 8, dantur aliqua criteria accommodationis, nempe « propositum ac genuinum spiritum Fundatorum » et « venerabiles traditiones » et « primaeva observantia non relaxanda sed roboranda ». Addi opportune possunt verae exigentiae quas nova tempora postulant ut religiones, praesertim quae vitam sic dictam activam ducunt, habeant maiorem et meliorem influxum *apostolicum* et *caritativum*.

Quoad paragraphum 12: Instanter dicendum est quod *vera caritas est res essentialis;* quod omnes virtutes, sicut et vota, ad amorem Dei et proximi versantur et non ad propriam personam religiosi.

In paragrapho 14, aliquid dicatur de functione sociali oboedientiae, i. e. quod superior est vere caput societatis religiosae et habet responsabilitatem boni communis, ita ut, si agitur de bono communi exteriori, episcopus habeat responsabilitatem interveniendi et exemptio non amplius vigeat.

In paragrapho 15 addi deberet, quoad exercitium auctoritatis, quod superiores attendere debent ad talenta et personalitatem subditorum. Talenta sunt thesaurus a Deo datus ad suam gloriam et ad utilitatem hominum; et gravissimum esset ea contemnere.

In paragrapho 17, aliquid dicatur de functione *sociali* paupertatis, ad aequilibrium in rebus oeconomicis obtinendum.

Quoad paragraphum 18: In Religionibus quae multa bona mobilia et immobilia possident notetur periculum quod administratio religionis meliorem vim Superiorum et eorum Capitulorum absorbeat et a sollicitudine vitam religiosam et apostolatum animandi disturbet.

Etiam invitentur omnes communitates religiosae ad examen seriosum faciendum de paupertate collectiva. Multis in regionibus situatio. in hac materia est proprie scandalosa.

Quoad paragraphum 20: Diversae sunt conditiones religionum: sunt enim qui nullam relationem habent cum mundo exteriore; sunt e contrario qui apostolatum vel opera caritativa, vel institutionem puerorum et iuvenum exercent. Si v. g. attendimus ad casum religionum qui educationem iuventutis prosequuntur, necesse est quod bene noscant

atmospheram in qua vivunt iuvenes, ideas etiam non rectas et mentalitatem eorum mundi, eventus et transformationes mundi socialis et politici. Quia hic est mundus in quo vivunt et vivent et super quem debebunt habere influxum christianum. Valde periculosum est, speciatim nostris temporibus, quod educatores religiosi iuvenes non intelligant et ab eis non intelligantur et dent aliquam educationem superficialem. Et iuvenes ius habent ad formationem quae solutionem afferat eorum actualibus problematibus.

Credo ergo quod notandum est in schemate et segregationem religiosorum a mundo et eorum integrationem in mundo, ita ut « utantur hoc mundo tamquam non utentes » (I Cor. VII, 31). Haec est figura magis completa renovationis exspectatae. Bene scimus difficultatem et periculum rei, sed ut membra Ecclesiae Christi habemus certitudinem quod Christus nobiscum est et quod media dat opus perficiendi quod nobis commisit.

Card. DÖPFNER: Schema omnino placet. Si eodem spiritu quo imbutum est, in effectum deducetur, certe magnam secum feret benedictionem pro religiosis et pro tota Ecclesia. Particularia quaedam adnotare velim:

1) Ad nn. 7 et 8, pag. 9 sq.:[7] Inter criteria fundamentalia pro accommodatione, et quidem forsitan primo loco exarari posset conceptus, qui habetur in Sacra Scriptura vere fundamentalis: *Kairós,* i. e. hora salutis a Deo praeparata; vel « signa temporum », in quantum nobis vocem Dei manifestant (cf. e. gr. Mt. 16, 4: « signa autem temporum non potestis scire »; cf. etiam Lc. 12, 56).

Insuper in hoc contextu possent etiam afferri, quae a Pio XII dicta sunt ad delegatos Institutorum religiosorum in fine Jubilaei Maximi 1950 (AAS, Vol. XLIII [1951], pag. 33 sqq.) de « studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accommodandi et pulchro foedere simul nova et vetera iungendi ».

Posset etiam innui, quod ipsa fidelitas erga fundatores exigit continuam vigilantiam cognoscendi « signa temporum », quia fundatores tali spiritu ducti instituta sua in vitam vocaverunt.

2) Ad n. 6 vel n. 8, pag. 9 sq.: Possetne addi monitio, ne nimiae constitutiones et praescriptiones condantur, quia multitudine regularum et constitutionum saepe spiritus magis suffocatur quam fulcitur.

3) Ad n. 14, pag. 14[8] versus finem vel in fine: Postquam dictum

---

[7] Cf. pp. 694-695.
[8] Cf. p. 697.

est, quanti momenti sit humilis oboedientia, placeret verbum de discretione spirituum: oboedientia in statu perfectionis, adhuc minus quam alias, nil habeat merae executionis mechanicae vel infantilismi in forma oboediendi.

4) Ad n. 16, pag. 15,[9] lin. 15: (« sacramentorum usus »): Expressio *usus,* quae sacramenta ut mera media vel ut « rem » considerat, forsitan mutari poterit in « receptio sacramentorum » vel aliter. Sic considerantur sacramenta magis ut « dona » Dei vel ut actio salvifica Christi.

5) Ad nn. 17 et 18, pag. 15 [10] sq.: Quae de paupertate non solum singulorum sed etiam institutorum dicuntur, specialem merentur advertentiam et laudem.

6) Ad n. 18, pag. 16,[11] lin. 12: Forsitan verbum « collectivitate » alio substitui poterit, e. gr. « communitate » vel clarius « in toto instituto et in omnibus communitatibus eius ».

7) Ad n. 23, pag. 19,[12] lin. 5: Quoad expressionem « regnum Dei roborandum » forsitan advertere licet, quod in ultimis annis plures exegetae catholici in scriptis suis monuerunt, talem expressionem minus correspondere modo loquendi Sacrae Scripturae, ubi « regnum Dei » praeprimis significat dominationem amoris Dei humiliter ab hominibus accipiendam.

Ergo loco « regnum Dei latius propagandum et roborandum » forsan dicatur: « vitam Ecclesiae roborandam et dilatandam ».

Exc. Hurley: Ad par. 12, pag. 12:[13] Schema decreti in genere optimum est; sed cum Eminentissimis Cardinalibus Liénart et Döpfner fateri debeo modum de caritate loquendi non mihi placere. Necessarium quidem est in valorem virtutum moralium insistere et aequilibrium inter has virtutes et caritatem statuere. Hoc autem aequilibrium mihi non videtur servari in hac paragrapho 12, ubi, ni fallor, ad hoc solum de caritate fit mentio ut haeresis falsae caritatis impugnetur. Vellem ibi videre tractationem magis positivam, quae locum caritatis in ipsa vita religiosa in lucem ponat, et momentum eius pro augmento caritatis in toto Corpore Christi Mystico extollat.

Rev. Browne: Generaliter inspectum hoc Schema excellens est. Noto tantum ea quae sequuntur:

---

[9] Cf. p. 697.
[10] Cf. pp. 697-698.
[11] Cf. p. 698.
[12] Cf. p. 699.
[13] Cf. p. 696.

a) In Cap. XI, n. 2, pag. 8,[14] linn. 1-5, quaestio de praestantia variarum formarum vitae religiosae videtur resolvi, saltem implicite, in sensu qui non esset consentaneus cum doctrina S. Thomae. Dicitur enim « *speciali autem praerogativa omnino praestant* Instituta vitae contemplativae in Ecclesia ». Reliqua quoque pars huius numeri componitur in harmonia cum priore. Haec quaestio magni momenti est in theologia morali speculativa. Ut notum est, Angelicus Doctor eam solvit in 2^a-2^{ae}, qu. 188, a. 6 ubi dicet inter alia (in c. a.) « Sic ergo dicendum est quod opus vitae activae est duplex. Unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur sicut doctrina (sacra scilicet) et praedicatio... Et hoc praefertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare quam lucere solum ita maius est contemplata aliis tradere quam solum contemplari. Aliud autem est opus vitae activae quod totaliter consistit in occupatione exteriori, sicut eleemosynas dare, hospites recipere et alia huiusmodi. Quae sunt minora operibus contemplationis nisi forte in casu necessitatis ut ex supra dictis patet (q. 182, a. 1). Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quae ordinantur ad docendum (sacra scil.) et praedicandum. Quae et propinquissimae sunt perfectioni episcoporum... Secundum autem gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum quae occupantur circa exteriores actiones ».

Unde suggererem ut verba supra indicata mutentur sic « Speciali autem honore et aestimatione habentur Instituta vitae contemplativae in Ecclesia » vel alia phrasi analoga. Item ut reliqua pars huius paragraphi aptetur modo consentaneo huic praecedenti considerationi.

b) In Cap. XII, n. 14, pag. 14,[15] lin. 17: suggererem ut dicatur « Quoniam... fastigium expeditius velociusque *religioso* perfecte obediente currit ».

c) Ibid. n. 15, lin. 27: dicerem « ... non *meris* humanis rationibus moti ».

d) Ibid. n. 16, pag. 15,[16] lin. 19: loco verborum « *Nec praetermittenda sunt* etc. » dicerem « *Magni quoque habenda sunt* praecepta illius pudicitiae etc. ».

Rev. SÉPINSKI: Placet schema et quoad ideas et quoad doctrinam; quoad formam vero desideratur in aliquibus locis maior elegantia latina et curetur magis interpunctio, quae, sicut iacet, interdum sensum obscurum reddit.

---

[14] Cf. p. 694.
[15] Cf. p. 697.
[16] Cf. p. 697.

Ad pag. 8,[17] linn. 6-16: locutio 11 lineis constans nimis longa est, ideoque intellectui minus pervia.

Ad pag. 10,[18] lin. 16: pro « utenda » dicatur « adhibenda ».

Ad pag. 10, lin. 21: interpunctio sic fiat: « et, si expediat, accommodentur ».

Ad pag. 10, lin. 24: dicatur melius: « Quidquid autem sic contingit innovari ».

Ad pag. 13,[19] lin. 9: interpunctio: « christiana mortificatio, quam ».

Ad pag. 13, lin. 20: interpunctio: « in cotidiana consuetudine vitae, quae, a mundo spiritualiter segregata, Deo integre » etc.

Ad pag. 13, lin. 21: loco « coelestia » melius dicatur « caelestia », sicut fit pag. 15, lin. 7.

Ad pag. 14, lin. 11: ad evitandam obscuritatem dicatur: « cuius professione religiosus propriam voluntatem Superiori libere subicit ad Illius exemplum imitandum qui... » etc.

Ad pag. 14,[20] lin. 18: iterum ad maiorem claritatem dicatur: « unusquisque ad obediendum ita sit paratus, ut, in Superiore ipsum Dominum... considerans, eius iussa » etc.

Ad pag. 15,[21] linn. 8-13: proponerem sequentem scribendi rationem: « Sed quia haec sublimis et angelica virtus arduum valde animae imponit onus atque permultis internis externisque obnoxia est periculis, nemo de propriis viribus temere praesumat, quin e contra unusquisque ad eam tuendam quaerat imprimis supernaturalia auxilia, quae sunt: humilis et constans... » etc.

Ad pag. 17,[22] linn. 8-18: proponerem quod ista paragraphus recognoscatur et noviter clariusque redigatur evitando in fine locutionis stylum ellipticum.

Ad pag. 17, lin. 19: proponerem maioris claritatis causa hanc locutionem: « Ideoque, sedule devitent saecularia oblectamenta » etc.

N. B.: Mihi liceat facere animadversionem indolis generalis: schema adhuc maiorem efficacitatem perfectioremque claritatem obtineret, si ab experto latinista recognosceretur, et melius interpunctio curaretur.

---

[17] Cf. p. 694.
[18] Cf. p. 695.
[19] Cf. p. 696.
[20] Cf. p. 697.
[21] Cf. p. 697.
[22] Cf. p. 698.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum praesertim Em.morum Liénart et Frings, necnon Rev.mi Magistri Generalis Praedicatorum.

Card. PIZZARDO: Placet iuxta modum: habita ratione observationum Em.morum DD. Cardinalium et Rev.mi Patris Generalis Ord. Praedicatorum.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet iuxta ea quae exposita fuerunt ab Em.mo Card. Liénart et a Magistro Generali O. P.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: habita scilicet ratione animadversionum in disceptatione sapienter a venerabilibus Patribus prolatarum.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: id est ratione habita de his quae exposui [1] et de animadversionibus Em.morum Cardd. et Patrum, praesertim de his quae dicta sunt ab Em.mo Card. Léger.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. attentis observationibus Em.mi Card. Liénart et Em.mi Card. Léger.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum, ratione habita ad ea quae dixerunt Cardd. Liénart, Léger et Magister Ordinis Praedicatorum.

Card. AGAGIANIAN: Valde placet schema, votum tamen promo ut in definitiva redactione schematis ratio habeatur animadversionum tam opportune ac sapienter a venerabilibus Patribus prolatarum.

Card. SPELLMAN: Hortamenta et criteria ad vitam religiosam tam in genere quam in particulari renovandam atque hodiernis rerum adiunctis accommodandam revera apta sunt ut religiosi in Ecclesia Dei christianae perfectionis exemplar magis magisque praeclarum mundo prae se ferant.

Placet igitur iuxta modum, scilicet consideratis observationibus Cardinalium Liénart, Ruffini, Léger, Döpfner et Patris Generalis O. P. Browne.

Card. FRINGS: Placet.[2]

---

[1] Cf. pp. 703-704.
[2] Cf. p. 704.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[3] Consentio cum Em.mis Liénart, Frings, Rev.mo Magistro Gen. O. P. de iis quae animadverterunt; magni insuper facienda esse puto quae ab Em.mo Card. Léger dicta sunt.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: sc. ratione habita adnotationum quae factae sunt.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: in concordia ego sum cum Cardinali Frings et Cardinali Léger, specialiter cum commentariis Card. Léger de actionibus et activitatibus religiosorum in materiis pecuniae et debitorum. Haec commendant attentionem specialem.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: maxime videtur mihi necessaria, ad bonum commune Ecclesiae, *coarctare exemptionem* Religionum et Congregationum, ne oriatur *ghetto* in Ecclesia dioecesana: pro nunc temporis saepissime exsistit « *Ecclesia religiosorum* » in Ecclesia Universali, inter quas magnum chaos existit.

Munus Episcoporum erga Religiones et Congregationes maxime est dilatandum, praesertim quando dicitur de concordantia collaborationis in servitio pastorali. Visitatio omnium Domorum Religiosorum potius Episcopo dioecesano est committenda quam Congregationi de Religiosis, vel membris eiusdem societatis, quod semper in vanum cadit.

Praeparatio Sodalium religiosorum ad opera pastoralia non est sufficiens, cum non cognoscant theologiam pastoralem et leges liturgicas.

Quoad paupertatem fovendam, experientia probatur, in nostris regionibus subiectis guberniis atheistis, clerus saecularis melius se defendit contra tentationes inimicorum Ecclesiae, cum sit pauper, quam Congregationes Religiosorum, quae, falsa spe ducti, saepius componunt res cum Gubernio, ne pereat substantia materialis Congregationum.

Consentio omnibus quae Em.mi Cardinales Frings, Léger et Döpfner exposuerunt.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: attentis observationibus praesertim Em.morum Cardd. Liénart, Frings, Léger et Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum:[4] sed magnum momentum habent adnotationes Em.morum Patrum Liénart, Frings, Döpfner, Wyszyński et Rev.mi Magistri Praedicatorum.

---

[3] Cf. pp. 704-705.
[4] Cf. pp. 705-707.

Card. GRACIAS: Placet. In pag. 10,[5] sub numero 8, ubi criteria circa « accommodationem » data sunt, omnino perspicue notari debet nihil posse fieri usquedum illae congregationes antiquiores in istam rem initium faciunt. Sed valde dolendum est istas congregationes antiquiores nimis tardas esse ad hanc initiationem faciendam; semper litteram Regulae pro spiritu confundentes, seipsas numquam interrogantes quomodo fundator vel fundatrix congregationis egisset si ille vel illa congregationem hodie instituisset.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: nempe attendendo, ut certe faciet Commissio De Religiosis, ad observationes Eminentissimorum Cardinalium ac Reverendissimorum Patrum.

Mihi liceat sequens votum exprimere: Infelicibus experientiis edocti, satagant totis viribus Superiores Maiores ut sui religiosi nullimode se dedicent ad operationes aut incepta ordinis oeconomici, ne scandala sequantur heu! tam fatalia pro populo christiano.

Card. CICOGNANI: Placet, cum hisce animadversionibus: Quaedam vigilantia Episcopi loci valde utilis et necessaria videtur, praesertim nostris temporibus: super novis *aedificiis extruendis* (et Sorores de hoc Episcopum consulant); et super *collectis pecuniae publice faciendis,* ad abusus praecavendos.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet habita ratione de iis quae exposuerunt Em.mi Card. Liénart, Léger, Frings et Magister Generalis Ordinis Praedicatorum.

Unum dicerem:

In pag. 10,[6] n. 9, agitur de usu inventorum modernorum technicorum. Res est magni momenti. Radiophonicae diffusiones sine dubio optima continent sed mixta malis.

Si introducuntur Radiophonium et Televisio in domibus religiosis, magna vigilantia a parte Superiorum requiritur.

Religiosi in opera educationis occupati multa possunt audire et videre ad eorum et alumnorum profectum; sed sunt res diffusae per Televisionem et Radiophonium quae certe offendunt et scandalum afferunt.

Superior debet omnia regulare et instrumentum claudere. Quod si non facit, non solum corda iuvenum et ipsius Superioris sordescent, sed eius praesentia occasio erit scandali iuvenibus eius curae a parentibus commissis.

---

[5] Cf. p. 695.
[6] Cf. p. 695.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita animadversionum praesertim ab Em.mo Cardinali Liénart expositarum.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: attentis observationibus Eminentissimorum Cardd. Liénart, Frings, Léger.

Card. KÖNIG: Placet, attendatur ad emendationes sapienter in disceptatione factas (imprimis etiam a Card. Wyszyński).

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita animadversionum Card. Liénart, Card. Léger, Patris Generalis Ordinis Praedicatorum et eorum quae dixi.[7]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus sapienter prolatis ab Em.mis Patribus, ab Exc.mo Hurley ac a Rev.mo Magistro Gen. O. P.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: secundum ea quae Em.mi Patres exposuerunt, specialiter Em.mi Liénart, Frings, Léger et Döpfner.

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: forte loco « renovationis » vitae religiosae et aliarum similium vocum, aliae mitiores expressiones adhiberi debent, ne acatholicis ansa praebeatur insimulandi instituta perfectionis acquirendae quasi ea a pristino fervore omnino deciderint. Ratio habenda eorum quae dicta sunt ab Em.mo Cardinali Liénart circa vitam contemplativam.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita animadversionum quae ab Em.mis ac Rev.mis Patribus illatae sunt.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: id est dilata et expectentur cuncta de religiosis proponenda, praesertim de relationibus inter Episcopos et religiosos, ita ut tum videatur utrum et quatenus praesens schema cum sapienter hodie animadversis subiiciatur Concilio, an locum det instructioni Sanctae Sedis.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: prae oculis habitis ac concordatis observationibus a Patribus factis, quibus aliqua modeste addo in votulo adiuncto.

---

[7] Cf. pp. 707-708.

* * *

Haec praecipue, generatim prius, ad singulos postea numeros, notanda veniunt.

I - *a*) *Generatim haec Sectio, optimum* circa renovationem accommodatam *tractatum* constituunt, sed tractatum denique, *non legislationem* multoque minus *conciliarem*.

b) Sane, plura *non sunt legislativa* sed *doctrinalia,* quae in legislatione supponenda sunt, ita ut quin nullo modo doctrinam offendant, solide et clare ipsa fundentur, etsi nec necessario nec utiliter exprimant.

c) Inter illa vero, quae *ad legislationem* pertinere possent, certe non ad conciliarem, hic et nunc pertinent quia adhuc matura non sunt et quia insuper nimis *minuta* videntur quae difficulter ubique et perpetuo applicari valeant.

d) Ex his *aliqua* sed *magis sobrie* ad Codicem transire possent.

e) Sunt denique plura, quae nec Concilio nec Codici pertinent, sed ad Normas, rem illi, vel iurisprudentiae seu bonae gubernationis criteriis amandari deberent.

f) Haec quae, ut modeste censemus, plus minus de *integro Schemate* merito dici possunt ac debent, speciatim de hac Sectione Prima partis Secundae, dicenda necessario sunt.

Optima sane cogitatio esset integrum Schema ad hanc praecipue Sectionem perstringere, et ad pauca quae potiora reducere.

II - *Ad singulos numeros*:

N. 1. Post verba *civilique Societati,* lin. 9, utiliter addi possent: « omnibus apostolatus et charitatis exercendae formis adhibitis ».

N. 2. In titulo seu praescriptione lin. 2, loco « vitae contemplativae *monasticae* » diceretur melius « vitae contemplativae *canonicae* » et pariter in linn. 10, 11.

Est terminologia const. *Sponsae Christi,* quae rei veritati respondet. Sane, vera et authentica atque recognita vita contemplativa, *canonice* habetur quidem et prae primis in *Monachis et Monialibus.* At non tantum, illis reservatur, sed patet Regularibus viris et *mulieribus,* quae Monachae, Moniales origine non erant nec dicebantur (i. e. mulieres quae vitam *monasticam* pari ratione ac viri Monachi profitebantur) sed erant mulieres *regulares* (Secundi scilicet Ordinis), quae per longum tempus a « Consecratione Virginum » — quarum tamen directe erant heredes — excludebantur.

Adde, quod vita contemplativa *canonica,* et vivendi ratio eidem conformata, quoad omnia fere invenitur et merito atque utiliter agnoscenda

esset, in aliquibus Congregationibus hominum ac mulierum quae illam solide ac rigide profitentur.

Immo, vitae contemplativae *canonicae participatio* salva vera authentica saecularitate, quae si recte intelligatur, ad normam documentorum, scilicet quae ipsam definiverunt, *plures gradus* complecti potest, etiam in Institutis saecularibus, et solide valeret admitti et de facto admissa fuit.

N. 3. lin. 23 post *servato* addi deberet « *ad Sanctorum Conditorum normam atque exemplum* ».

N. 5. lin. 20 post verba « confectum est », optime allegaretur Const. *Sponsae Christi,* quae hunc casum expresse, agendo etiam de Monialibus (ex. gr. Visitationis), tangit et normam probat.

N. 11. lin. 20, post verba « assidue nutriant », quae vitam spiritualem tangunt, optime adderetur: « subsidia quoque, et argumenta ex Sacra Liturgia ad ministeria illustranda atque fovenda fideliter depromant ».

Nn. 17, 18. Renovatio, quoad paupertatem individualem et collectivam alia plura tangere utiliter potuisset, ex. gr.

a) principium seu criterium, in iurisprudentia S. Congregationis receptum, quod ius commune est *minimum generatim,* quod in diversis paupertatis classibus imponi debet;

b) non est absque serio examine maior rigor in paupertate *individuali* et *collectiva,* simplici vel sollemni, *qui libere acceptetur,* denegandus;

c) cum paupertas simplex Congregationum et etiam Ordinum in aliquibus locis sub influxu adiunctorum, tumultuarie nata fuerit, et practicis difficultatibus scateat, hodie quando iam sub respectu civili difficultates revera evanuerunt, merito *integra ipsius doctrina* examini et recognitioni subiicienda esset. Salvis iuribus particularibus regidioribus, admitti posset, ut clarior, facilior, efficacior *paupertas sollemnis communis.* Admissa tamen facultate illa iterum in casu egressus vindicandi, ad modum dotis, quae revera clarum habeant characterem personalem.

Card. Heard: Placet iuxta modum: i. e. attentis emendationibus propositis ab Eminentissimis et a Patribus.

Card. Bea: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum Em.morum Patrum, praesertim Cardd. Liénart, Frings et Léger.

Beat. Gori: Placet iuxta modum: nempe attentis animadversionibus propositis ab Em.mis Cardd. Liénart, Léger, Frings.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: ad mentem Em.morum et Rev.morum Patrum.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: secundum placita praesertim Em.morum Cardinalium Liénart, Léger et Wyszyński, de spiritu caritatis et paupertatis magis fovendo.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum, ab Em.mo Relatore propositum: humiliter tamen censeo numerum decimum nonum « De renovatione quoad paupertatem in modernis inventis servandam » tuto omitti posse, perspecta optima rei expositione sub numero nono, ne quis existimet in Ecclesia hodierna inventa, quae etiam ad apostolatum et culturam inservire possunt ac debent, tamquam « luxum » considerari.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: id est cum observationibus factis ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, Ruffini, Léger, Döpfner, a Rev.mo Magistro O. P. et a Rev.mo Ministro Ordinis Fratrum Minorum. Sed mihi placeret quod in Capite XII (pag. 11) [8] ubi agitur « De ipsa vita religiosa renovanda in particulari, aliqua mentio et commendatio esset de Institutis theologicis pro religiosis mulieribus, quae nunc existunt in nonnullis nationibus cum vero profectu.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: habita scilicet ratione ad ea quae dicta sunt a Patribus: Em.mo Léger, Magistro Generali Praedicatorum et Generali Fratrum Minorum.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: habita ratione de his quae exposuerunt Em.mi Cardinales Liénart et Léger cum Rev.mo Patre Generali Ordinis Praedicatorum.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea omnia quae tam sapienter ab omnibus venerabilibus Patribus dicta sunt. Insuper addo sequentia:

1) De obligatione fundamentali, nempe semper tendendi ad perfectionem christianam, oportet ut aliquid magis expresse dicatur.

2) Ad n. 15, p. 15: [9] sublineanda est obligatio Superiorum praecipiendi intra limites constitutionum; etiam observatio spiritus iuris canonici de limitatione temporis circa officia Superiorum.

3) Pag. 12,[10] lin. 14: post verba « cultus Dei » inserenda verba sequentia: « a Corpore Christi Mystico exercitatus ».

---

[8] Cf. p. 695.
[9] Cf. p. 697.
[10] Cf. p. 696.

Exc. Lefebvre: Placet iuxta modum: iuxta observationes factas ab Eminentissimis Cardinalibus Liénart, Frings, Léger et a Superioribus Generalibus Ordinum Praedicatorum et Fratrum Minorum.

Exc. Hurley: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus praesertim Cardinalis Liénart et Magistri Generalis Ord. Praedicatorum et secundum proprium scriptum adnexum.[11]

Exc. Perrin: Placet iuxta modum: ratione habita animadversionum quae ab omnibus Patribus factae sunt, praesertim ab Em.mis Liénart, Léger, et a Rev.mo Magistro Generali Praedicatorum.

Exc. Bazin: Placet iuxta modum: secundum observationes singulorum Patrum, specialiter Card. Liénart, Léger, Frings, Patrum Browne et Sépinski.

Il y a beaucoup de critiques contre les Ordres Religieux, surtout du fait qu'ils ne s'adaptent pas aux conditions et besoins présents.

Exc. Bernier: Placet iuxta modum: ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, Wyszyński, Léger et Cicognani expositum, necnon et a Rev.mo Magistro Generali Praedicatorum.

Exc. Yago: Placet iuxta modum: attentis observationibus Em.morum Cardd. Liénart et Frings.

Exc. Rakotomalala: Placet iuxta modum: attentis animadversionibus factis praesertim a Cardinalibus Liénart, Léger et Wyszyński.

Exc. Bengsch: Placet iuxta modum: scil. quem explanaverunt Cardinales Léger, Wyszyński et Döpfner.

Exc. Jelmini: Placet iuxta modum: schema valde placet. Consentio cum his quae dicta sunt ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, Léger ac Cento. Mihi liceat tamen haec humillime adnotare: Ex defectu, et quidem peradmodum gravi, disciplinae ac praecipue christianae formationis in familiis, puto esse tempus probationis et novitiatus religiosarum et speciatim monialium augendum ne, uti saepe accidit, non perpauca difficilia contra veram pacem in domibus religiosis eveniant.

Exc. Suhr: Placet iuxta modum: secundum ea quae exposuerunt Em.mi et Rev.mi Patres. Videtur restituendus usus loquendi de « statu perfectionis » singulari potius quam plurali numero.

---

[11] Cf. p. 708.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis observationibus Venerabilium Patrum, maxime Em.mi Cardinalis Liénart et attente examinatis variis considerationibus ab Em.mo Cardinali Léger et a Rev.mo P. Ministro Generali Minorum adductis. Quasdas observationes adiungo.[12]

Rev. SÉPINSKI: Placet. Ratio habeatur animadversionum prudenter factarum, praesertim Em.morum Cardinalium Godfrey et Döpfner et eorum quae in folio adiecto continentur.[13]

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: i. e. praesertim secundum ea quae animadverterunt Em.mus Card. Liénart et Rev.mus Magister Generalis O. P.

X

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Pars secunda

DISCIPLINA DE RENOVATIONE VITAE ET OPERAE IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Sectio prima

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

(Quinta Congregatio: 24 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE RELIGIOSIS

CAPUT XIII

DE CONSTITUTIONIBUS, « DIRECTORIIS », « CONSUETUDINARIIS » ALIISQUE CODICIBUS CONGRUENTER TEMPORIBUS NOSTRIS APTANDIS

24. [*Necessitas aptandi codices vitae religosae*]. Cum sodales statuum perfectionis Evangelica consilia profiteantur et apostolatum exerceant secundum proprias cuiusque instituti leges, ut vitae religiosae piaeque actuositatis renovatio, a Sacra Synodo exoptata, pleniorem obtineat effectum, oportet omnino institutorum Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », ut aiunt, aliosque id genus codices quibus hae leges continentur, explicantur et applicantur, « hominum et temporum ingenio et necessitatibus »[39] congruenter aptari.

---

[12] Cf. pp. 708-709.

[13] Cf. pp. 709-710.

Huius quidem aptationis necessitas eo magis urget quod non solum ab externa evolutione temporum et rerum imponatur; sed intimius profluit etiam ex obligatione spiritum Fundatoris et instituti iugiter conservandi vivum et vivificantem, ideoque hodiernis vitae asceticae et apostolatus conditionibus plane adhaerentem; cui certo graviter obstaret mera materialis fidelitas litterae antiquae, si revolventibus annis forte obsoleta facta esset.[40]

25. [*Criterium ad aptationem recte faciendam*]. In Constitutionibus aliisque codicibus aptandis, nihil circa instituti naturam, finem et spiritum est innovandum vel demendum, salvo casu in quo finis specialis instituti, ut supra statutum est, transmutandus vel complendus sit.

Aequa ratione etiam curandum est ne Constitutiones, praesertim illae quae nulli Regulae adnectuntur, tamquam rigidus et nimis aridus codex appareant. Quapropter, brevia spiritualis et religiosae vitae documenta, maxime quae spiritum proprium instituti apte proponunt, firmant et applicant, utilia reputanda sunt et digna quae commendentur.

26. [*Quaedam capita vitae religiosae aptanda*]. Inter alia quae, in Constitutionibus, « Directoriis », « Consuetudinariis » aliisque codicibus instituti aptatione indigere possent, specialiter recensentur:

1) quae inefficacia evaserunt vel amplius observari nequeunt, eo quod mira vel insolita nimis apparent aut quemdam sterilem archaismum praeseferunt;

2) quae classes sodalium spectant;

3) quae ad regimen instituti pertinent quoad Superiores, consilia et capitula ut gubernatio recte ordinetur;

4) quae referuntur ad poenitentias ita obsoletas ut regularis observantia careat debita sanctione;

5) quae rationabili curae sanitatis forte adversantur, cauto tamen ne detrimentum patiantur praxis et spiritus mortificationis, quae in omni instituto perfectionis pro cuiusque indole semper vigere debent;

6) quae speciatim circa horaria et exercitia in communi peragenda hodierni apostolatus exigentiis et receptis moribus sint accommodanda;

7) quae modernae technicae inventa spectant, attentis iis quae supra hac de re statuta sunt.

27. [*Aptatio obligatoria: munus Superiorum*]. In singulis institutis status perfectionis, speciale erit officium Superiorum procurare ut Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria » aliique codices, attento examini et serio studio, maxime quidem suorum consiliorum et capituli generalis, convenienti et efficaci modo subiiciantur. Re accurate considerata et mature perpensa, si quid in iisdem appareat esse mutandum vel de novo inducendum, prudenti consilio fortique animo omnes ad quos pertinet id perficiant, salva legitima approbatione expostulanda, si de mutando textu agatur ab Ecclesia approbato.

Cum ergo praedictum examen et studium obligatoria sint, quicumque in

iis perficiendis partem habent, de ratione et opportunitate textus examinatos modificandi pro sua prudentia et conscientia libere iudicare debent.

28. [*Aptatio obligatoria: circa textus venerabiles*]. Aptationi Constitutionum aliorumque codicum instituti obstare nequit quod textus emendandus ab ipso Fundatore sit exaratus, vel venerabili traditione commendatus. Ii enim codices, suapte natura indolem legislativam imprimis habent, ideoque eorum valor ab efficacia pendet quam ipsi pro temporum adiunctis ad vitam et operam instituti moderandam reapse retinent.

Sicut Legiferi Patres leges tulerunt, pro sua prudentia, temporibus suis accommodatas; ita nunc, ut eorum sacra hereditas semper vivens et foecunda permaneant, secundum novas exigentias et conditiones a suis filiis prudenter retractari oportet.

Caput XIV

DE INSTITUTIS STATUUM PERFECTIONIS UNIENDIS, SUPPRIMENDIS VEL DE NOVO CONDENDIS

29. [*Necessitas arctioris unionis inter instituta*]. Hodierna rerum adiuncta, quae ad regnum Dei promovendum ac dilatandum, arctiorem in variis apostolatus campis animorum et virium exigunt unionem, instituta status perfectionis impellunt ad intimiorem caritatem strictioremque inter se unitatem, cum in proprium tum in fidelium emolumentum enixe quaerendam.

Itaque Sacra Synodus, exempla institutorum quae foederibus fraternis iam sociari coeperunt plene comprobans, caetera hortatur, ut pro eorum gradu affinitatis et rei opportunitate, arctiores inter se uniones sub ductu Sanctae Sedis promoveant, fine et spiritu cuique propriis fideliter servatis.

30. [*De unione institutorum commendanda*]. Imprimis Sacra Synodus valde commendat ut familiae religiosae quae similes fere habent Constitutiones et usus eodemque spiritu animantur, praesertim si adhuc parvo exstent numero, ad quamdam unitatem reducantur, quatenus iudicio Sanctae Sedis expedire videatur.

31. [*Unio institutorum eiusdem generis operum*]. Instituta vero indole etiam diversa sed iisdem aut similibus operibus externis dedita opportune consociari possunt, saltem intra regionis vel nationis limites, quo mutuum adiutorium idque valde proficuum, sibi praestare valeant, praesertim in sodalibus ad opera explenda rite instituendis ipsisque operibus maiori cum facilitate et fructu exercendis.

32. [*Foederatio et confoederatio monasteriorum sui iuris*]. Monasteriis sui iuris, enixe commendatur ut in foederationes et confoederationes coalescere summopere studeant, non solum ad spiritum primaevum Ordinis conservandum, verum etiam ad fraternum sibi mutuo praestandum adiutorium, « tam in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento rebusque oeconomicis, quam in omnibus aliis ».[41]

Hae confoederationes et foederationes regantur oportet statutis a Sede Apostolica approbatis, quae essentiali et necessariae autonomiae singulorum monasteriorum haud derogent; caveatur praeterea ne « quomodolibet clausurae vigor enervetur vel recollectioni vitaeque monasticae severiori disciplinae damnum inferatur ».[42]

33. [*De Superiorum Maiorum « conferentiis »*]. Omnia vero instituta, etiamsi nullam peculiarem inter se affinitatem praeseferant, per sic dictas conferentias seu consilia Superiorum Maiorum utiliter sociantur. Etenim, ex amplissima iam habita experientia perspectum est quantum hae conferentiae proficere possint ad pleniorem assecutionem finis singulorum institutorum, ad efficaciorem conspirationem fovendam cum aliis in bonum Ecclesiae operantibus, ad aequiorem distributionem operariorum evangelicorum in determinato territorio necnon ad communia religiosorum negotia tractanda.

34. [*Normae pro « conferentiis »: constitutio et subiectio*]. « Conferentiae » Superiorum Maiorum quae per regiones vel nationes vel etiam inter nationes constituuntur, sunt personae morales ecclesiasticae atque statutis regantur approbatis a Sancta Sede, a qua directe dependent.

Sacros Praesules qua par est reverentia prosequantur atque, consultationibus cum Ipsis initis, studeant in commune bonum Ecclesiae et animarum concorditer adlaborare.

35. [*Normae pro « conferentiis »: potestas in negotiis gerendis*]. « Conferentiae » Superiorum Maiorum negotia et quaestiones secundum propria statuta pertractant.

Nullam tamen potestatem habent institutis imponendi deductiones et decisiones ad quas devenerint. Harum enim executio prudentiae singulorum Superiorum, propriis quidem Constitutionibus servatis, perficienda relinquitur, exceptis illis provisionibus quae ad vitam ipsius « conferentiae » directe referuntur.

36. [*De institutis languescentibus*]. Instituta languescentia, quae, iudicio Sanctae Sedis, nullam amplius praebeant fundatam spem incrementi, alii instituto vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat uniantur, ne detrimentum pati pergant animae Deo sacratae. Quod si plane constet huiusmodi unionem, quacumque de causa, impossibilem esse vel non expedire, talia instituta prohibeantur ne in posterum novitios recipiant.

Idem servetur pro monasteriis sui iuris, quorum deterior conditio nec per foederationem nec per aliam viam sublevari possit.

In omnibus istis casibus, illi ad quos spectat, magna cum prudentia et caritate se gerant, et perfecta aequitate semper servata, solliciti sint de sorte sodalium qui renuunt alii instituto sociari vel in aliud transire.

37. [*De novis institutis numero temperandis*]. Indubium est Spiritum Sanctum nova et multiformia instituta status perfectionis quae Ecclesiae subsidio sint et ornamento semper et opportune excitare. Nihilominus, in novis institutis promovendis et erigendis, moderate et prudenter semper procedendum est. Ideoque, instituti condendi necessitas vel saltem magna utilitas

necnon incrementi possibilitas, ab omnibus ad quos spectat serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore destituta.[43]

38. [*De institutis iuris dioecesani ad gradum iuris pontificii evehendis*]. Cum instituta status perfectionis in sua iuridica ordinatione substantiali a Sancta Sede praeformentur communique iure pontificio fundamentaliter regantur, connaturale omnino est ut instituta iuris dioecesani, sufficientem maturitatem et propagationem semel adepta, ad gradum instituti iuris pontificii, servatis servandis evehantur.

Quapropter tempestive providendum est ut religiones, societates vitae communis sine votis necnon instituta saecularia iuris dioecesani, cum primum conditiones ad pontificiam approbationem consequendam praescriptas obtinuerint, eam sollicita cura implorent.

Caput XV

DE HABITU RELIGIOSO

39. [*De honore habitui religioso debito*]. Habitus religiosus sive virorum, sive mulierum, cum ad personae consecrationem, separationem a mundo et vitae sanctitatem significandam ordinetur, ut quid sacrum fideliter et digne est deferendus atque ab omnibus in honore habendus.[44]

40. [*Qualitates habitus religiosi*]. Sit igitur simplex ac modestus, pauper simul et decens, sanitatis postulatis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministeris necessitatibus accommodatus.

41. [*Emendatio obligatoria habitus religiosi in aliquo deficientis*]. Hae autem normae non ad sola Instituta condenda spectant, sed etiam ad Instituta iam existentia; quorum habitus, si opus sit, ita, approbante Sancta Sede, immutandus est ut cum iisdem normis plene congruat.

42. [*Obligatio deferendi habitum eiusque substitutio*]. Firma manente generali obligatione religiosorum proprium habitum suae religionis, tum intra tum extra domum deferendi,[45] si Superioribus opportunum visum fuerit, religiosi clerici extra domum vestimentum induere possunt ad instar vestimenti Cleri saecularis regionis; religiosi vero laici, habitum pro locorum adiunctis convenientem.

NOTAE

[39] Pius XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34.

[40] Cf. Pius XII, Epist. *Laetanti admodum,* d. 17 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25.

[41] Instr. S. Congr. de Relig. *Inter praeclara* ad Const. Apost. *Sponsa Christi* in praxim deducendam, d. 23 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 41. Cf. etiam Const. Apost. *Sponsa Christi,* art. VII, § 7, 2°, ibid., p. 19.

[42] Const. Apost. *Sponsa Christi,* ibid., p. 13.

[43] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 119.
[44] Cf. S. Th., *IIª-IIªᵉ*, q. 185, a. 8; q. 187, a. 6.
[45] Cf. can. 596.

2) RELATIO EM.MI P. D. VALERII CARD. VALERI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE RELIGIOSIS

Animadversio ad Caput XIII: *De Constitutionibus aptandis.*

Haud sufficiet vitam religiosam in animis renovari; oportet etiam codices, qui huius vitae leges continent, explicant et applicant, temporibus nostris melius aptari: inde Caput XII: *De Constitutionibus,* « *Directoriis* », « *Consuetudinariis* », *aliisque codicibus congruenter temporibus nostris aptandis.*

Ad Constitutiones aptandas, speciale criterium opportune datur ne istae tamquam rigidus et nimis aridus codex appareant mere iuridicus. Ideoque, in iis, cum praescriptis stricte iuridicis, admitti possunt « brevia spiritualia et religiosae vitae documenta, maxime quae spiritum proprium instituti proponunt, firmant et applicant » (Cl. 25).

Quaenam capita praecipue indigent aptatione, breviter enumerantur in Clausula 26; et indicitur hanc aptationem magna cum fortitudine animi esse perficiendam (Cl. 27), etiam si agatur de textu ab ipso Fundatore exarato vel venerabili traditione commendato (Cl. 28).

Animadversio ad Caput XIV: *De institutis perfectionis uniendis, supprimendis vel de novo condendis.*

Haud parvi momenti est Caput sequens XIV: « *De institutis status perfectionis uniendis, supprimendis vel de novo condendis* ».

Maioris unionis inter religiosa instituta *utilitas,* quae ad aliquam *moralem necessitatem* quandoque assurgere potest, ab omnibus faciliter agnoscitur. *Formae* autem unionis, pro magna diversitate casuum, variatur inde a *fusione iuridica* qua plura instituta in unum coalescunt usque ad *foederationem* vel *meram associationem externam* quae instituta omnino intacta relinquunt, tantum inducentes inter ea salutarem *cooperationem* (cf. Cl. 29, 30).

Propter rei novitatem, specialem merentur mentionem sic dictae « *Conferentiae Superiorum Maiorum* », quae cito post Congressum de Statibus perfectionis anni 1950 ortae (cf. CPR, 1961, pag. 215), nunc in diversis nationibus numerantur saltem quadraginta et tres (43), praeter plures alias associationes ad fines magis particulares prosequendos constitutas (cf. *Annuario Pont.* 1962: pp. 916-926) (Cl. 33, 34, 35).

Commissio nostra peculiariter sollicita fuit de institutis vel monasteriis quae in praecariis conditionibus versantur atque sine fundata spe incrementi misere languescunt ac paulatim intereunt (Cl. 36). Quin in re tam gravi aliquid nimis rigide decernere voluerit, aestimavit melius singulos casus pro cuiusque merito perpendendos esse et iuxta criteria hic posita resolvendos, semper « magna cum prudentia et caritate atque in omnibus perfecta servata aequitate » (Cl. 36).

Non minus ardua est quaestio de incremento novorum institutorum *temperando*. Complures, enim, de eorum nimia multiplicatione queruntur, dum necessitates Ecclesiae subveniendas ubique crescunt et maiorem operariorum numerum postulant. Sane, gaudere debemus de tot animarum ad sanctitatem vitae et plenam apostolatui dedicationem nobili et generosa aspiratione, quae in bonum et decus Ecclesiae proculdubio a Spiritu Sancto excitatur. Nihilominus, in novis institutis promovendis, magna prudentia est utenda et antequam condantur oportet ut eorumdem necessitas vel saltem vera utilitas necnon incrementi possibilitas ab omnibus ad quos spectat sedulo ponderentur, ne deinde Ecclesia oneretur institutis inutilibus aut sufficienti vigore destitutis (Cl. 37).

Tandem Commissio urgere censuit ut varia instituta iuris dioecesani, sufficientem maturitatem et propagationem semel adepta ad gradum iuris pontificii evehantur et sic ad perfectam formam quae sibi competit perveniant (Cl. 38).

Animadversio ad Caput XV: *De habitu religioso.*

Ultimum caput huius Sectionis, *De habitu religioso,* nullam videtur specialem praeseferre difficultatem. Opportunum autem fuit in mentem omnium revocare dignitatem habitus religiosi qui « ad personae consecrationem, separationem a mundo et vitae sanctitatem significandam ordinatur » (Cl. 39): propterea, est fideliter et digne deferendus et ab omnibus honorandus.

Obligatio autem habitum proprium religionis deferendi, pro diversis locorum adiunctis, temperanda est; non quidem arbitrio subditorum, sed prout Superioribus competentibus expedire visum fuerit (Cl. 42).

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. SIRI: Num. 31. Practice videtur difficilis actuationis unio Institutorum eiusdem generis operum. Nescio quomodo talis unio fiat: vel dicatur vel, melius, textus omittatur. Praeterea opera facile respiciunt fideles, qui sunt subiecti episcoporum et tamen de his nulla fit mentio.

Num. 38. Sollicitantur Instituta ut festinent petere pontificiam adprobationem. Haec festinatio videtur inconveniens. Etenim: cum Instituta sunt parva, subiectorum selectionem pro superioratu sufficientem nondum fecerunt, melius est ut habeant Superiorem *proximum,* qui est Episcopus. Cum approbatione pontificia nimis festinanter data, parva Instituta amittunt Superiorem qui prope est, qui directe videt, intervenit, sustinet et corrigit et acquirunt Superiorem qui saepe longe abest et eadem difficilius facit.

Totum hoc caput non videtur in Concilio pertractandum, quia quaedam uniones, certe utiles, tamen inconvenientia secumferunt praesertim in Institutis foeminarum: ut faciles egressus, itinera frequentia et quamdam ad comita habitudinem.

Card. Léger: Mihi multum placet spiritus secundum quem redactum est capitulum de constitutionibus adaptandis. Hoc tamen notarem:

Quoad paragraphum 27, ubi agitur de officio adaptandi Constitutiones et Directoria, propono quod omnes religiosi alicuius Instituti, et etiam iuvenes, audiantur et, talibus in conditionibus, ut libere sese expriment. Hoc non esset abdicatio potestatis; e contrario munus habent superiores cognoscendi mentem suorum subditorum. Aliter periculum est quod quaedam adaptationes a multis annis tardent.

Credo etiam quod ad pleniorem adaptationem faciendam, instituta religiosa invitanda sunt ad consulendos, extra proprium Institutum, alios, etiam quosdam laicos, qui bonum Instituti volunt. Saepe enim, fit ut Instituta non bene cognoscant dioecesim, structuras apostolicas et mundum in quo esse debent sicut « sal terrae ». Et habitualiter fructuosum est audire considerationes diversas a suis propriis.

Quoad Conferentias Superiorum Maiorum (n. 33 et sq.), recordandum est quod Episcopi iure divino sunt constituti ut iurisdictionem habeant in Ecclesia et quod ipsi soli, sub Romano Pontifice, habent fideles regendos ad salutem. Recordari debent religiosi quod non tenentur ad solam reverentiam erga Sacros Praesules, sed quod, quoad apostolatum exercendum, subiiciuntur iurisdictioni Episcoporum et instituti sunt ad eos iuvandos. Periculum, adesse potest in parrallelismo structurarum, speciatim in regionibus ubi novae Ecclesiae locales fundantur. Ibi enim Conferentiae Superiorum Maiorum possent potestate frui quae superaret illam Episcoporum.

In paragrapho 42, datur Superioribus Religionum potestas decidendi si, *extra domum,* religiosi possunt vestimentum induere ad instar vestimenti Cleri saecularis regionis. Credo quod hoc est ius quod pertinet ad Ordinarium loci. Haec est enim materia in qua consulitur ordo publicus

in dioecesi. Quando enim episcopus iudicat quod, propter ordinem publicum, clerici saeculares debent, extra domum, vestem particularem induere, difficile accipi potest quod, sine miratione populi, religiosi possent aliter vestire.

Loquendo de renovatione, propono quod aliquid dicatur de nominibus quae dantur membris Institutorum Religiosorum. Opinor quod servanda sunt nomina in familiis recepta et cognomina quae, occasione sanctissimi baptismi, ut filii et filiae Dei acceperunt et quae numquam amiserunt. Non raro fit quod dantur nomina, e pluribus verbis composita, de quibus pauci possunt recordari. Sunt Instituta ubi tot membra sunt quod vix sufficit calendarium sanctorum et dantur nomina insolita. Sunt alia in quibus, per provinciam, dantur nomina incipientia ab eadem littera alphabeti. Hoc mihi videtur proprie ridiculum et inutiliter damnosum est Ecclesiae.

Card. GRACIAS: Quamvis concordem cum Relatore quoad schema suum, nonnullas observationes circa quod dicitur sub numeris 33 et 34 (pp. 9 et 10) [1] facere volo.

I. Ex inceptione istarum Conferentiarum, constat multum bonum in re culturali et spirituali (tum quoad viros, tum quoad mulieres) ortum fuisse. Antiquitus, unaquaeque congregatio omnino separata ab aliis remanebat, et in aliquo mundo sibi proprio vivebat; nunc per istas Conferentias illae possunt « mutare ideas », aliasque quaestiones discutere, ut, v. g., relate ad educationem, actionem socialem, vitam religiosam propriam, etc.

II. Quando istae congregationes omnino separatae remanebant, duo valde pigri effectus producebantur: *a*) in aliquibus congregationibus ortum est quod anglice vocatur « superiority complex »; et istae putabant se nihil ab aliis discere posse; *b*) in aliis congregationibus, ortum est quod anglice dicitur « inferiority complex ». Ambos istos « complexes » non esse bonos, omnes admittunt.

III. Multo recenter, secundum desiderium S. C. de Religiosis, duae Conferentiae pro Religiosis in India constitutae sunt: una pro viris, altera pro mulieribus. Usque nunc nihil in actu redegerunt.

IV. Sed in Archidioecesi Bombayensi, aliquot abhinc annis, constitutum est aliquod Institutum pro mulieribus religiosis — « Opus Mariae Associatio » —, cuius Statuta a S. C. de Religiosis approbata sunt, et optime etiam nunc agit. Regulariter, durante anno, religiosae 28 Congregationum in Archidioecesi Bombayensi laborantium, conveniunt et res tum cul-

[1] Cf. p. 722.

turales, tum sociales inter se discutiunt. Victum in communi habent, et tempore libero una aliam obviam facit et intimo colloquio incumbunt. Antea, etiam quando erat aliqua coadunatio ab Archiepiscopo facta, unaquaeque congregatio remanebat separata ab aliis. Erant enim sicut ille anglicus in Oxford, qui stans iuxta flumen Isis vidensque aliquem hominem in flumine submergentem, nihil faciebat. Quando iste interrogatus est cur illum submergentem non adiuvaret, iste respondit: « Quia illi homini non sum introductus ». Tale quid simile in modo agendi inter religiosos unius Congregationis et religiosos alius Congregationis.

Haec consideratio, itaque, circa vitam religiosam debet ab omnibus commendari.

[Conferentiae Religiosorum eruntne] in auxilium Episcoporum? Possunt esse aut vinculum unionis (link) aut os contentionis (wedge).

Card. CONFALONIERI: Pag. 10,[2] lin. 6, post adverbium « concorditer » addatur saltem « et submisse ». Nam concordia est potius inter aequales, submissio vero disciplinam subordinationis tutatur. Conceptus dyarchiae omnino reiciendus est: non enim confert fundamentali constitutioni Ecclesiae (cf. differentiam inter titulum [ubi subiectio] et textum [ubi tantum concorditer]).

Card. RICHAUD: 1) Generatim optarem, si res non pertinet ad aliud schema, quod Constitutiones alicuius Instituti supponerent tempus novitiatus melius adaptatum ad temperamenta hodierna: scilicet ut professio religiosa perpetua non possit evenire nisi post decem annos, et etiam ut, ante istam professionem definitivam et post temporariam, amotio religiosorum ac religiosarum sit facilior pro quibusdam morbis tantummodo detectis post novitiatum, nempe tuberculosa, neurasthenia, debilitas mentalis, etc. ... quae sunt evolutiva et non possunt inveniri ac recognosci in brevi tempore novitiatus.

2) Gratias multas reverenter ago ad Eminentissimum Relatorem pro verbis benigne prolatis de Conferentiis Superiorum maiorum sane feliciter in Gallia habitis. Attamen puto quod forsan periculosum est quod istae Conferentiae dicantur « personae morales » et habeant delegatos qui veniant agere in Congregationibus supra auctoritatem Episcoporum. Pro directione hierarchica sufficiunt Sacra Congregatio de Religiosis et Episcopi.

3) Quoad n. 38 in pag. 11,[3] bonum et utile est, mihi videtur, permanere aliquot Instituta Dioecesana, tam pro dioecesibus quam pro reli-

---

[2] Cf. p. 722.
[3] Cf. p. 723.

giosis ipsis. Sunt enim parva Instituta quae praebent auxilium maxime adaptatum et plene obsequens in manu episcopi pro sua pastorali cura. Aliunde evenit quod quaedam temperamenta modesta et quaedam animae humiles sed satis capaces, non possent sustinere regimen et adiunctionem in magnis numerosis Institutis. Nam de Institutis est eadem ratio quam pro negotiis de quibus, in Encyclica *Mater et Magistra,* Summus Pontifex exoptat ut quoque minora negotia operariorum vel familiarum serventur. In hoc casu, centralisatio quaedam exaggerata etiam vitanda est.

Rev. Sépinski: Ad pag. 7[4] in fine numeri 27, ubi agitur de aptatione obligatoria, proponerem hanc adiunctionem: « evitando accommodationes saecularia sapientes ».

Ad pag. 7, lin. 26: loco « retractari », quod est vox ambigua, proponerem « recognosci » vel « emendari ».

Porro post n. 28, ubi agitur de aptatione obligatoria circa textus venerabiles, proponerem aliquam adiunctionem, quia mens Commissionis praeparatoriae certo certius non est reverentiam erga *sanctos* Fundatores imminuere. Sed quia principium generice enuntiatur, universalem vim haberet. Ideoque post talem Concilii declarationem textus Regulae Institutorum, praesertim antiquorum, non amplius intangibilis esset.

Quae difficultas superari potest addendo in fine numeri 28 sequentem locutionem: « Hic dictis nullatenus intendit haec Sacra Synodus reverentiam, per saecula sancitam, erga verba antiquarum Regularum imminuere ».

Ad pag. 9,[5] lin. 22, corrigatur: « conferentiae ».

Ad pag. 12,[6] lin. 10, corrigatur: « ministerii ».

Ad pag. 12, linn. 21-22: restringerem facultatem permittendi religiosis extra domum vestimentum ad instar vestimenti Cleri saecularis regionis induere, his verbis: « si Supremo Moderatori, et in casibus particularibus aliis quoque Superioribus, opportunum visum fuerit ».

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. Tisserant: Placet iuxta modum: adhaereo propositioni Eminentissimi Léger: audiantur iuvenes de aptatione procuranda.

Card. Pizzardo: Placet, cum animadversionibus ab Em.mis Cardinalibus et a Ministro Generali O.F.M. propositis.

---

[4] Cf. p. 720.
[5] Cf. p. 722.
[6] Cf. p. 723.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum votum Em.mi Card. Siri.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: bene perpensis scilicet animadversionibus prudentissime illatis ab Eminentissimis Patribus Cardinalibus et a Rev.mo Patre Sépinski.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita de his quae exposuit Em.mus Card. Relator et de his quae dixerunt Em.mi Patres. Sed ut notavit Em.mus Card. Richaud non placet articulus 38 de evectione Institutorum ad gradum iuris pontificii. Haec evectio systematizata non debet esse, ne centralizatio, varietati Ecclesiae in omnibus partibus mundi diffusae, detrimentum afferat.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. secundum animadversiones Em.mi Card. Siri.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: scilicet concordentur quae praeclare dixerunt Em.mi Patres.

Card. AGAGIANIAN: Schema valde placet. In pag. 10,[1] lin. 6, addatur « et submisse ». In pag. 11:[2] Deleatur ultima pericope a lin. 17 usque in finem.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: praesertim ea quae dicta sunt a Cardinalibus Léger et Gracias. Non placet § 38.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: addendum videtur aliquid de difficultatibus, quae oriuntur ex praeceptis clausurae pro iis monialibus, qui simul exercent opera caritatis vel doctrinae et quae revera vivere non possunt nisi ab exceptionibus a regula. Quapropter forsitan ipsae regulae de clausura, etiam quae traduntur in Constitutione Apostolica *Sponsa Christi,* commutandae sunt.

Cum Summi Pontifices inde ab anno 1950 multum institerint pro accommodatione vitae religiosae, sed inquantum videri potest, pauca adhuc consecuti sint, videntur necessariae quaedam sanctiones, ut formae religiositatis archaisticae reformentur, societates nimis parvae et sine vocationibus uniantur cum aliis magis florentibus et ita numerus quasi infinitus societatum religiosarum minuatur, habitus religiosi indigentiis hygenis et vitae modernae accommodentur.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum: pag. 6,[3] linn. 1-3: « ... ne Constitutiones, praesertim illae quae nulli Regulae adnectuntur ... », dice-

---

[1] Cf. p. 722.
[2] Cf. p. 723.
[3] Cf. p. 720.

rem potius: « ... ne Constitutiones *quibus* nulla Regula adnectitur ... ».

Pag. 6,[4] lin. 23 ad 5: « Quae rationabili curae sanitatis forte adversantur ... », adicerem: « et *consulant* », quia satis frequenter, maxime in Monasteriis antiquis desunt quae rationabili cura sanitatis exigerentur.

Pag. 11,[5] lin. 16 et seqq.: Nulla apparet necessitas sollicitandi pontificiam approbationem, eo vel magis quod interdum utiliorem praestare possunt operam saltem nonnullae Congregationes Religiosae si maneant iuris dioecesani.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta ea quae dixi [6] et ratione habita animadversionum a Patribus factarum.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: 1) Quando Institutum habet domum principalem in una dioecesi, et Provincia in altera dioecesi, et haec etiam in altera natione, tunc mihi videtur quod ab his circumstantiis requiritur aliqua « autonomia » pro Provincia — id est — suffragia et electio superiorum in Provincia a sodalibus Provinciae et non a Superiore in altera natione.

Et amplius: periculum existit quando dispositio proprietatis est secundum auctoritatem Superioris in altera natione et etiam cum Superior sit subiectus intimidationis officialis nationis.

2) Mihi indicatur esse necessitas explanationis et indicatur auctoritas a Congregatione re societati quae nuncupatur « Formatio inter Sorores ». Haec institutio videtur officialis, sed non est officialis per documentum. Episcopi et Ordinarii non habent iurisdictionem et neque informationem huiusmodi ut officialis.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: pauca addam: 1) Conferentiae Superiorum Maiorum Religionum et Congregationum, tam virorum quam mulierum, in Polonia nunc vigentes, maximi valoris sunt, specialiter ad defensionem vitae religiosae, ad collaborationem inter clerum dioecesanum et religiosum in labore pastorali, ad diminutionem distantiae varias inter Congregationes.

2) Nomina Religiosis imposita in Religione non agnoscuntur a Gubernio in regionibus nostris.

3) Habitus membrorum religiosorum, praesertim mulierum, ad moderatiorem formam reducere quam primum oportet. Hoc suadent humiles conditiones vitae quotidianae, exigentiae apostolatus inter laicos, et alia.

---

[4] Cf. p. 720.
[5] Cf. p. 723.
[6] Cf. pp. 725-726.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: hoc est: in Cap. XIV videtur quod debeant deleri verba pag. 9,[7] linn. 24 et sequentibus: « ad efficaciorem etc. » usque ad « territorio » ita ut legatur: « ad pleniorem assecutionem finis singulorum institutorum necnon ad communia religiosorum negotia tractanda ».

In pag. 10 [8] linn. 6 et sequentibus dicatur potius: « Sacros Praesules qua par est reverentia prosequantur atque ipsos strenue adiuvent in commune bonum Ecclesiae et animarum procurando ».

In pag. 12,[9] n. 42, adhaereo dictis ab Em.mo Card. Léger circa interventum Ordinarii loci in adhibendo habitu cleri saecularis.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum:[10] bene perpensis his quae dicta sunt ab Em.mis Siri, Gracias et Richaud.

Card. GRACIAS: Placet.[11]

Card. CENTO: Placet iuxta modum: attentis quae expressa sunt ab Eminentissimis Cardinalibus et a Patre Sépinski. Censeo modum ponendum in creandis novis Institutis, speciatim Religiosarum. Gratitudinem meretur S. C. de Religiosis promovendo Conferentias Superiorum nec non foederationes vel confoederationes sororum ac monialium.

Card. CICOGNANI: Placet cum hisce animadversionibus: Quoad collationes seu conferentias generales inter Moderatores Institutorum et Ordinum religiosorum totius regionis, quae a nonnullis annis in usum venerunt in quibusdam locis, commendandae videntur si tamen non crebro celebrentur, et semper audito Ordinario loci et cum eius consensu, cauto ut unusquisque spiritum sui Ordinis reverenter et firmiter tueatur. Res tractandae antea parentur. In voto Rev.mi Magistri Gen. O. P. quod spectat ad instituta vitae monasticae contemplativae.

Bonum videretur ut qui in missionibus longinque a loco nativo adlaborant, identidem, e. gr. decimo quoque anno, redeant ad domum generalitiam aut provincialem aut aliam sui Ordinis in patria.

In voto Rev.mi Ministri Generalis Franciscalium relate ad num. 28 (pag. 7 [12]).

Circa habitum religiosum (num. 42): res practica vult esse et favens

---

[7] Cf. p. 722.
[8] Cf. p. 722.
[9] Cf. p. 723.
[10] Cf. pp. 726-727.
[11] Cf. pp. 727-728.
[12] Cf. p. 721.

uniformitati praesertim pro clericis extra domum; consulantur tamen Episcopi locorum.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: id est attentis observationibus Em.morum Cardinalium Relatoris, Léger et Reverendissimorum Patrum.

In schemate multa optime dicuntur sed liceat mihi aliquam observationem facere.

In capite decimo quinto, numero quadragesimo primo: Certe diebus hodiernis immutatio habitus etiam Institutorum existentium debet fieri, spectatis conditionibus actualibus speciatim in publicis viis ubi permagnus numerus vehiculorum velociter currentium pericula causat.

Cogito de Sororibus transeuntibus per vias, quarum oculi et aures impediti sunt ab illa parte habitus quae a latere caput tegit.

In praesenti notatur quod tales immutationes in aliquibus Institutis iam factae sunt, ita ut habitus sororis sit aliquatenus similis illi quo utuntur illae quae aegris ministrant in clinicis et nosocomiis. Et bonum est. Distinctio diversorum Institutorum servari potest in variis modis etiam si habitus simplicior fiat. Haec simplicitas valde desideratur nostris temporibus.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum.[13]

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: i. e. secundum ea quae dixi in disceptatione et scripsi in foliis adnexis.[14]

Card. KÖNIG: Placet.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: cum animadversionibus de nn. 33 et 34 (conferentiis superiorum maiorum). Ipse hoc proponere velim:

Pag. 10,[15] lin. 2: expungatur phrasis: « ... a qua directe dependent »; quia sapit characterem iuridicum, quem non habent.

Pag. 10, lin. 4: mentio fiat conferentiarum episcoporum ibi existentium.

Card. MARELLA: Placet, praesertim mihi placuerunt verba Em.mi Relatoris circa experientiam in Gallia feliciter habitam in condendis Conferentiis Superiorum Maiorum, quae revera, testis sum, magnum fructum brevi tempore obtulerunt, quia optime ordinatae sunt regulis opportunis a S. C. de Religiosis adprobatis.

---

[13] Cf. p. 728.
[14] Cf. pp. 728-729.
[15] Cf. p. 722.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: in num. 34 positio iuridica harum Conferentiarum videtur non sufficienter clare descripta. Quomodo possunt esse « a S. Sede dependentes » i. e. sine ulla interferentia Ordinariorum, si agitur de Congregationibus non exemptis vel de Congregationibus dioecesanis et si agunt de apostolatu exercendo inter fideles Ordinario concreditos?

Num. 38, videtur valde aptus ad dandum Congregationibus dioecesanis id quod Em.mus Gracias vocavit « inferiority complex ».

Card. CONCHA: Placet, attentis observationibus factis a Patribus.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: scilicet ratione habita animadversionum quae propositae sunt.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: id est, iuxta ea quae animadverterunt Em.mi Gracias, Léger, Richaud, quaeque Em.mus Relator dixit de conferentiis inter Superiores Maiores cum Ordinariorum locorum prudenti interventu.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum, hoc sensu: doctrina absque dubio optima generatim est et accurate elaborata, sed censerem schema plura continere quae nec Concilii imo neque Codicis propria viderentur, sed Instructionibus Normisve reservanda. Breve addo votum.

* * *

1. Prorsus illa hic repetenda essent, quae in Voto ad capita XI-XII sub I (generatim) diximus. Sane, fere omnia quae in his capitibus diligenter et solide recensentur, a legislatione *conciliari* aberrant, neque *Codiciali* legislationi respondent. Stricte, *ad iurisprudentiam* vel etiam ad boni rectique atque prudentis regiminis *Instructiones, Normas, Regulasque,* pertinere dicenda sunt.

2. In particulari n. 24, a lin. 12 et sequentibus, optima sane norma neque inepte subnotata. Hucusque imponebatur novis fundationibus et Congregationibus mulierum ac Monialibus. Modestiori ratione poterat hoc commendari atque quodammodo extendi, at non in Concilio sed deinde, ut Concilii conclusio et fructus.

3. n. 25. Evidenter haec ad Instructionem pertinerent post Concilium a S. C. edendam. Hucusque, talia *Normis* amandabantur, et quidem recte.

4. nn. 26, 27. Ad applicationem ad summum *spiritus Concilii* pertinere haec possent.

5. n. 28. Haec non fuerunt applicata quadruplici *Regulae* S. Augustini, S. Basilii, S. Benedicti, S. Francisci sed neque aliis minoribus Regulis: habentur sane ut documenta, ascetica praecipue, quae tangi nequeunt.

Etiam quoad alios Fundatores, ex. gr. quoad S. Franciscum Salesium, quadam moderatione applicata fuerunt, ita ut textu conservato, illa adderentur quae ipsum complebant vel etiam corrigebant.

Pariter, haec non fuerunt applicata illis *Constitutionibus,* quattuor vel quinque Ordinum quae non egent S. Sedis approbatione, cum legitima gaudeant potestate apud se Constitutiones conficiendi.

Principium rectum certe est atque aequum, sed applicationem tangit quae, ut sapienter et prudenter fiat distinctiones et modos requirit. Ita etiam de iis loquendum esset, ut nullo modo opus Fundatorum leviter parvipendi videatur quod sensum religiosum absque ullo profectu excutit, salvo meliore iudicio.

In cap. XIV, nn. 29-38, aliqua quidem sunt quae optime in Concilio colliguntur atque firmantur, ut ex. gr. nn. 32, 33, 34, 35.

Alia ex adverso, significari quodammodo possent, quin ullo modo urgerentur (nn. 29-31). Haec ad regimen pertinent et satis libera S. Sedis prudentiae relinquenda prorsus sunt. Ceterum, experientia legislativa docuit semper, et iugiter, haec inutilia *fuisse, esse* et *futura esse.* Spiritui Sancto violentia non infertur.

n. 37. Cauto est ac prudenter redactus, proinde non nocet.

n. 36. Melius supprimeretur, quia ad gubernationem pertinet. Sufficit innuisse.

n. 38. Dignus est ut qui conservetur, etsi melius in Codice retractaretur, et doctrina recognosceretur circa naturam et condicionem (condominium satis curiosum et infelix) Instituti sic dicti pluridioecesani.

Circa cap. XV aliqua expoliri possent, quoad condiciones generales habitus religiosi, insistendo iurisprudentiae ab anno 1950 sapienter emanatae.

Ad nimis singularia descendere, parum utile et periculosum evadere posset.

n. 42. Quoad aliqua, si quid opinari licet, nimium protrahitur.

Haec innuere sufficiat cum hac in re omnia crisi subiecta appareant.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. attentis observationibus ab Em.mis et a Patribus propositis.

Card. BEA: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dicta sunt ab Em.mis PP. et a P. Min. Gen. O.F.M. et salvis iis quae heri dixi de particularibus rebus non in Concilio tractandis.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: nempe attentis observationibus fastis ab Em.mis Cardd. Siri, Gracias et a Ministro Generali O.F.M.

Beat. CHEIKHO: Placet: optatur, si fieri potest, ut in ipsis Constitutionibus, aliquid dicatur de ritu conservando a singulis religiosis orien-

talibus. Haec conservatio ritus valde utilis erit pro apostolatu inter fideles exercendo. Adhaereo animadversionibus a Rev.mo Magistro Fratrum Minorum factis.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: recta vitae religiosae institutio postulare videtur ut aptatio Constitutionum vel « Directoriorum » imprimis sequatur — iuxta can. 499 § 1 — sensum Ecclesiae atque Sanctae Sedis hortamenta et, subordinate, spiritum Fundatoris de quo in num. 24.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: nempe cum observationibus Em.morum Cardinalium Ruffini, Léger, Gracias et Confalonieri.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: id est, attendatur ad ea quae dixerunt Em.mi Cardinales Siri, Léger et Minister Generalis Fratrum Minorum.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: ratione habita de his quae exposuerunt praesertim Em.mus Cardinalis Léger et Em.mus Cardinalis Godfrey.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: attentis omnibus quae a Patribus dicta sunt.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: secundum quod dixerunt Eminentissimi Cardinales Confalonieri et Richaud.

Ad conferentias quod attinet, mihi videtur inopportunum eis conferre statum iuridicum, ut dixit Em.mus Card. Liénart.

In quantum hae conferentiae fiunt sub influxu episcoporum relate ad apostolatum et sub influxu Superiorum Maiorum in ordine ad vitam religiosam, multum auxilium afferunt. Sed cavendum est ne status iuridicus auferat spontaneam concordiam inter religiosos et episcopos.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: iuxta ea praesertim quae dicta sunt de necessitate clarioris definitionis relationum Conferentiarum Superiorum Maiorum cum Episcopis relate ad apostolatum.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: id est iuxta animadversiones a Patribus factas praesertim ab Eminentissimis Cardinalibus Siri, Léger, Richaud, Alfrink et Bea, et a Reverendissimo Magistro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: iuxta observationes Em.morum Cardd. Siri, Léger, Gracias, Richaud et Patris Sépinski.

Une chose cause de l'admiration et même du scandale, à savoir qu'il y a des Religieuses qui, selon leurs constitutions, ne doivent pas voyager seules. Si une Religieuse, malade, doit retourner en Europe, elle sera accompagné par 2 Sœurs, afin que sa compagne soit accompagnée elle-même par le voyage de retour. Ces voyages se font en avion. Que devient le vœux et la pratique de la pauvreté?

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: habita scil. ratione eorum quae ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Richaud et Döpfner exposita sunt, atque ab Em.mo Card. Léger de Congregatione super negotia Episcoporum et Regularium restituenda.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: cum observationibus Em.morum Cardd. Siri et Richaud de institutis dioecesanis non evehendis ad gradum iuris pontificii.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: cum observationibus ab Eminentissimis Patribus factis.

Exc. BENGSCH: Placet.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta quae valde opportune dixit Eminentissimus Cardinalis Relator et iuxta emendationes Eminentissimorum Cardinalium Siri, Léger, Richaud et Rev.mi Patris Generalis Ordinis Fratrum Minorum.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: iuxta observationes ab Em.mo Cardinali Siri factas.

Numerus 38 non placet.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: examinatis variis observationibus a Venerabilibus Patribus factis et attenta observatione Rev.mi Patris Ministri Generalis Minorum quoad n. 28.

Rev. SÉPINSKI: Placet: cf. folium adiectum.[16] Adhaereo voto a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum facto circa ritum conservandum a religiosis.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum: secundum ea quae advertit Rev.mus Minister Generalis O.F.M.

---

[16] Cf. p. 729.

XI

DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS FOVENDIS

(Quinta Congregatio: 24 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE STUDIIS ET SEMINARIIS

1. [*Urgens vocationum necessitas*].[1] Sancta Mater Ecclesia gravissimum agnoscit sibi commissum munus, Christi Regnum in universo terrarum orbe propagandi ac solidandi. Quae Mystici Corporis aedificatio cum ex ipsius Christi voluntate, a sacerdotum ministerio praecipue pendeat,[2] eorum autem numerus magis in dies tanto muneri impar evadat, omni studio sacerdotales vocationes fovere vehementer exoptat Ecclesia, illud Domini Nostri Iesu Christi discipulis dictum memorans: « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 37-38).

2. [*Invitatio ad ipsos vocatos directa*]. Quare haec Sancta Synodus, sicut gravissime monet ne quis sine vocatione ad sacerdotium accedere audeat secundum illud « nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo » (*Hebr.* 5, 4), ita materna sollicitudine quotquot supernum illud donum acceperunt, ardenter hortatur ut vocem Dei libere ac magno animo sequantur, sibi persuasum habentes, se hoc modo, gloriae Dei dilatandae eminenter inservire et ad totius Ecclesiae bonum magnopere conferre.[3]

3. [*Totius Ecclesiae impensa cooperatio*]. Universi autem Ecclesiae Pastores ac fideles, sicut omne datum optimum desursum esse (cf. *Iac.* 1, 17) religiose agnoscunt, ita ab ipsorum quoque adiutrice opera pendere plane meminerint ut Pater luminum plurimas gregi suo suscitet sacerdotales vocationes easque perseverantiae cumulet corona.[4]

Primum igitur *Episcopis* [5] summopere cordi sit, sacerdotalis vocationis excellentiam fidelibus ante oculos ponere, omnes ut in vocationibus excitandis, tuendis, provehendis sociam navent operam commonere ac quos ipsi ad sortem Domini vocari iudicaverint, Patrum more, nullis parcentes sacrificiis, adiuvare.

Omnes pariter *Sacerdotes,* cuicumque ministerio addicti, praesertim vero parochi, zelum apostolicum in vocationibus fovendis comprobare praediligant, imprimis dantes operam ut bonae spei pueros peculiaribus curis ad pietatem et castitatem informent atque, quos indoles ac voluntas ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros praesagiant, a saeculi contagiis arceant.[6] Potissimum autem vita humili, paupere, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum suaviter attrahentes, praecipui sint vocationum fautores.[7]

Familiae christianae vero intime sentiant quantum in ipsas quoque recidat utrum vocationes in Ecclesia suscitentur an impediantur; immo vocationem sacerdotalem eximiam ipsi familiae concessam gratiam aestimantes, atque hilari animo nobiliorem partem Deo ex Ipsius donis ac datis offerre satagentes, eam assiduis orationibus et virili filiorum educatione fovere studeant, eorum autem libertate religiose servata.[8]

Magistri et omnes ad quos spectant quocumque modo institutio et educatio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant ut vocationem divinam percipere necnon sequi possint. Imprimis autem iis qui scholis catholicis praesunt, plane persuasum sit, fructum educationis in propria schola impertitae non ultima ratione ex vocationibus sacerdotalibus quas ipsi maturescere adiuverint, iudicandum esse.[9]

4. [*Praecipua huius cooperationis subsidia*]. Gravissimum igitur quod omnia Ecclesiae membra in fovendis vocationibus urget officium, his potissimum rationibus et subsidiis explendum esse Sancta Synodus commendat: [10]

Oratio instans [11] fiat ad vocationes sacerdotales a Deo obtinendas; quare in paroeciis, religiosis domibus aliisque christianorum coetibus precationes ab Episcopo statis diebus instituantur, praesertim in Quatuor Temporibus et in Novendiali supplicatione ante Festum Pentecostes ut omnes fideles, potissimum vero ipsi pueri necnon infirmi, in hoc precandi studio unanimes sint. Item commendetur « Dies pro Vocationibus » in omnibus paroeciis habenda, in qua tam orationes speciales quam sermones et coetus particulares habeantur.

In *praedicationibus,* in *catechesi,* in *periodicis* commentariis religiosis aperte declarentur necessitas, natura et criteria authenticae vocationis. Celebretur actio Divinae Providentiae quae homines ad Christi sacerdotium participandum eligit, eisque congruas tribuit dotes, simulque Ecclesiae committit ut de vocationis signis iudicet, candidatos qui tantum munus recta intentione ac libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.[12] Aperiatur vocationis sacerdotalis singularis praestantia, ita ut adolescentes Christo vocanti ardentius respondeant atque errores vitentur eorum qui laicorum apostolatum sacerdotum ministerio aequare contendunt vel matrimonii christiani dignitatem supra caelibatum sacerdotalem efferre audent.[13]

Actio Catholica, tertii Ordines saeculares, *confraternitates, piae uniones* pueros et iuvenes ad eucharisticam devotionem et apostolatum incitent, atque, Spiritus Sancti actioni suam praebentes sociam ac veluti adiutricem operam, adolescentes ita forment ut in iis Vocationis germen crescere possit. Potissimum curandum est ut pueri et iuvenes, qui sponte libenterque sacerdotibus in sacrificio Missae inserviunt, ad hoc munus obeundum accurate seligantur et rite excolantur. Item valde commendanda sunt exercitia spiritualia, quibus tum pueri tum adolescentes cum de statu vitae eligendo deliberant, Iesu Christi cognitione et amore imbuuntur atque ad generosum sui ipsius donum efficaciter moventur.[14]

Ut ex veneranda Ecclesiae traditione pueri positiva vocationis divinae

signa praebentes iam ab adolescenti aetate ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, *Seminaria minora,* universis dioecesis paroeciis ac coetibus cooperantibus, omni ope iuvanda sunt.[15] Iis autem qui tardiore aetate Boni Pastoris vocem audiunt eamque sequi cupiunt, Episcopi peculiari cura provideant.[16]

5. [*Monitum finale*]. Quae vero subsidia aliaque huiusmodi eo pleniorem assequentur efficaciam, quo perfectior inter parochos, parentes, magistros, Associationes, Episcopo patre et duce, instituetur *operae consortio.*[17]

Quem in finem in singulis dioecesibus ac regionibus instituatur vel augeatur Opus Vocationum Sacerdotalium cuius promotores in particulares sacerdotum penuriae causas accurate inquirere non praetermittant quo aptius inopiae mederi et efficaciora ad vocationes fovendas media necnon necessaria subsidia parare queant; quae opera dioecesana ut opportunum accipiat auxilium et incitamentum, Pontificio operi Vocationum Sacerdotalium adgregentur.[18]

Denique Sancta Synodus ardenter exoptat ut haec actuosa in fovendis vocationibus omnium membrorum conspiratio, propriae dioecesis, patriae, communitatis religiosae fines dilatato corde transgrediens, ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, illis regionibus generose subveniens, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.[19]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 2-10 octobris 1961; 34 Membra tulerunt suffragium « Placet », 3 Membra « Placet iuxta modum ».

NOTAE

[1] Inter praecipuas aerumnas quibus Ecclesia hodie fere ubique affligitur eminet lacrimabilis vocationum exigua copia.

Pius XII, *Menti Nostrae*: « Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalibus terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est » (AAS, 42 [1950], p. 682).

Ioannes XXIII: « Il problema delle vocazioni ecclesiastiche e religiose è quotidiana sollecitudine del Papa...; è sospiro della Sua preghiera, aspirazione ardente della Sua anima » (ex Allocutione ad I Congressum Internationalem de Vocationibus ad Status Perfectionis, 16 dec. 1961: *L'Osservatore Romano,* 17 dic. 1961).

— De America Latina in specie: « Haec utriusque cleri exiguitas, quae pro magnitudine apostolicorum munerum nunc Ecclesiae commissorum auctior et gravior animadvertitur, quam exactis temporibus contingebat, impedimento aut saltem morae est quominus dilectissimae Nobis Americae Latinae nationes, quemadmodum haud paucis aliis in rebus felicia assequuntur incrementa, ita in religione sanctissima excolenda aeque proficiant » (ex Epist. Pii XII *Ad Ecclesiam Christi,* 29 iunii 1955: AAS, 47 [1955], p. 541;

et Ioannes XXIII, Allocutio die 15 novembris 1958 habita coram Consilio Episcopali Americae Latinae (AAS, 50 [1958], p. 1001).

Causae huius vocationum sacerdotalium regressus multae sunt ut immoderata huius aetatis ad terrenas delectationes propensio (materialismus et hedonismus), varia ex parte familiarum obstacula, conditionum socialium mutationes (ut « rure discessio »), scholae acatholicae, praeiudicia contra Seminariorum utilitatem, interdum etiam quorundam sacerdotum malum exemplum.

Maxima autem vocationum deficientium causa manet, huius problematis neglecta cura ex parte totius societatis christianae et aliquando etiam ipsorum quibus res summopere cordi esse deberet. Qui rerum status tam gravis apparet ut Sancta Oecumenica Synodus decreto speciali solemniter vocationes sacerdotales fovendas promoveat ita ut omnes sacerdotes et fideles in toto orbe catholico clarius cognoscant proprium officium in solvendo problemate a quo cetera omnia in Ecclesia Dei pendere compertum est, atque instantissimis monitis ab ipsa S. Sede his ultimis annis editis alacriore respondeant generositate.

Cf. imprimis: Pius XII, Motu proprio *Cum Nobis* (4 nov. 1941) « de Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam constituendo »: AAS, 33 (1941), p. 479; cum adnexis Statutis et Normis, ab eadem S. Congregatione promulgatis die 8 septembris 1943.

Motu proprio *Cum supremae* (11 februarii 1955) « de Pontificio Opere primario religiosarum vocationum »: AAS, 47 (1955) p. 266; cum adnexis Statutis et Normis, a S. Congregatione de Religiosis promulgatis (ibid., pp. 298-301). Intensa opera S. Sedis apparet etiam ex Congressibus Regionalibus vel Internationalibus iam celebratis vel indictis.

[2] Mystici Corporis aedificatio ex ipsius Christi voluntate a sacerdotum ministerio quam maxime pendere, ex verbis patet quibus Dominus Apostolos eorumque successores et cooperatores constituit Evangelii praecones, novi populi electi duces et mysteriorum Dei dispensatores; idem confirmatur ex Patrum ac Sanctorum effatis atque ex iteratis Summorum Pontificum documentis.

Cf. in primis:

S. Pius X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: S. Pii X Acta IV, pp. 242-244;

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS, 28 (1936), pp. 37-52;

Pius XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: AAS, 42 (1950), pp. 657-702;

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: AAS, 51 (1959), pp. 545-579;

Allocutiones in tribus Synodi Romanae Sessionibus, habitae diebus 25, 26, 27 ian. 1960: AAS, 52 (1960), pp. 201-211; 221-230; 240-251;

Allocutio ad Sacrorum Alumnos, habita die 28 ian. 1960: AAS, 52 (1960), pp. 262-270.

[3] Schema decreti non intrat in disputationes quae de obligatione sequendi vocationem sacerdotalem certo cognitam et de eius gravitate agitantur; sed sicut Ius Ecclesiae severe vetat ne quis ad amplectendum sacerdotium ullo modo cogatur (cf. CIC, can. 971 et 2352), sancte cavet ne quis a Deo non vocatus ad sacerdotium accedat; imprimis autem incensa sollicitudine monet ut ipsi vocati « libere ac magno animo » Dei vocem sequantur.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: AAS, 51 (1959), p. 577:

« Facere autem non possumus quin peculiari modo paternum animum ad iuvenes convertamus Nostrum, quos incensiore caritate complectimur et in quorum opera spem futuri aevi collocat Ecclesia. Messis quidem multa, sed operarii pauci. Quot in regionibus Evangelicae veritatis praecones laboribus confecti eos summo desiderio exspectant, qui in suas partes sufficiantur... Fore utique omnino confidimus, ut aetatis nostrae iuvenes, haud minus quam anteactis temporibus, Divini Magistri invitationi, ad necessariam hanc causam provehendam quod attinet, generose respondeant ».

[4] Summi momenti est ut omnia Ecclesiae Membra evigilentur ad adimplendam propriam in excitandis, tuendis, provehendis vocationibus operam. Reapse enim vocatio sacerdotalis, etsi tota sit Dei donum, sicut universa humani generis salus hominum ministerio est ex divina dispositione adimplenda. Etenim « Servator noster, prout ipse per se non adspectabili modo Ecclesiam regit, a mystici vult sui Corporis membris adiuvari in exsequendo Redemptionis opere... ubi de eiusmodi thesauro (sc. Redemptionis) distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri. Tremendum sane mysterium, ac satis nunquam meditatum » (PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943).

[5] Ardens Synodi hortatio imprimis ad Episcopos dirigitur qui sicut sunt sacerdotum Patres, sic et eorum ministerio maxime indigent ad pascendum Domini gregem. « ... Hac de re Nos sacrorum praesertim Antistites paterno admonemus animo ut gravissimam huiusmodi causam agant ac provehant... » (PIUS XII, Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950).

[6] Monitio ad Sacerdotes quae iam in Codice Iuris Canonici (cf. can. 1353) continetur, a Pio XII instantius repetitur in Exhort. Apost. *Menti Nostrae*: « ... nihil antiquius, nihil optatius habeant, quam sibi aliquem deligere omnique ope iuvare successorem, quem illis perspexerint dotibus ornatum ad tantum opus necessariis »: AAS, 42 (1950), p. 683, et in Allocutione Parochis et Praedicatoribus Romanis temporis Quadragesimae, die 6 februarii 1951: « Il clero parrocchiale è spesso sovraccarico di lavoro, esaurito dal ministero ordinario, dalle esigenze dell'amministrazione, dalle organizzazioni cattoliche. Sarebbe però miglior cosa ridurre alquanto alcune attività più appariscenti, ma meno necessarie, per darsi più intensamente alla formazione della gioventù » (*Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 443); et cf. *Seminarium,* Nova Series, 1961, p. 188.

Schema decreti igitur inculcat ut sacerdotes consulant non solum vocationibus quaerendis sed etiam animis melius ad vocationem disponendis, adolescentes in pietate et castitate firmantes.

[7] Experientia millenaria constat in iuvenum animis vocationi divinae viam saepissime parari exemplis vitae vere sacerdotalis.

IOANNES XXIII, Ex Allocutione die 22 novembris 1959 habita quamplurimis sacrorum Alumnis ex quibusdam Italicis Seminariis: AAS, 51 (1959), p. 907:

« A questo proposito amiamo confidarvi, cari figliuoli, il ricordo che conserviamo vivo e sacro nel cuore... l'immagine, quella del primo sacerdote che incontrammo nella vita, ... a canto al quale si aprì e si svolse come fiore delicato la Nostra adolescenza: a tal punto di penetrazione spirituale da farCi ritenere che quella sua fosse la forma migliore e più elevata di vivere sulla terra... ».

In schemate urgetur fraterna inter sacerdotes caritas quippe quae quam maxime moveat ad vocationem sequendam; quae cum desit, ceteri nisus frustrantur.

[8] Cum temporibus anteactis Ecclesia saepius graviter debuerit monere parentes, ne pueros vel adolescentes ad sacerdotium ineundum cogerent aut ullo modo vanis blanditiis ad tantum munus allicerent, hodie in plurimis regionibus potius timendum est ne parentes filiorum vocationem minime foveant, immo eos omni opera a via Domini deterrere conentur.

Ex plurimis Pii XII hac de re allocutionibus cf. imprimis: *La « Parte di Dio » nella Famiglia cristiana. Istruzione agli sposi novelli,* 25 martii 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* IV, p. 12 ss.

[9] « È un fatto incontestabile che la frequenza delle vocazioni sacerdotali è, non l'unica, ma una delle più sicure norme per misurare il valore di una scuola cattolica e di ogni altra istituzione educativa, la sua fecondità, non solo nel ministero ecclesiastico, ma altresì in tutto il campo di azione anche dei laici » (PIUS XII, Allocutio: *Ai Superiori, alunni ed ex-alunni del « Marcantonio Colonna »*, habita die 22 maii 1951: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIII, p. 116).

[10] In schemate enumerantur minime omnia, sed ea saltem vocationum fovendarum subsidia quae praecipua videntur.

[11] Cum vocatio sacerdotalis sit essentialiter supernaturalis, media supernaturalia (oratio et sacrificium) ante omnia adhibenda sunt.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS, 28 (1936), p. 45;

PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae*: AAS, 42 (1950), p. 683.

[12] Praedicatio et Lectiones catechismi in scholis elementaribus et mediis optimam dant occasionem loquendi de vocatione sacerdotali. Perdurante variarum sententiarum de re differentia, Schema decreti devitat omnem apparentiam alicuius definitionis in notione vocationis enuntianda, omnia tamen eius elementa essentialia profert.

[13] Ut in familiis christianis et in ipsis iuvenibus removeantur obstacula vocationi sacerdotali opposita, permagni momenti est quod saepe positive ipsa summa sacerdotii catholici praestantia coram fidelibus aperiatur.

« Iamvero, Episcopos ceterumque clerum... paterno adhortari animo cupimus ut..., cum populo verba faciunt, quam saepissime de dignitate, de pulchritudine, de necessitate ac de promeritis loquantur sacerdotalis muneris » (IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* die 28 novembris 1959: AAS, 51 [1959], p. 839).

Idem Summus Pontifex in Allocutione, die 21 apr. 1961 habita, ad Moderatores Operum Dioecesanorum Italiae pro Vocationibus Sacerdotalibus: « Spetta particolarmente al sacerdote... far balenare agli occhi dei suoi fedeli, specialmente degli adolescenti e dei giovani, la sublime bellezza dello stato sacerdotale, superiore ad ogni altra pur nobile ed ardua missione ».

De errore eorum qui extollunt dignitatem matrimonii christiani super virginitatem Deo consecratam et super coelibatum ecclesiasticum cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* die 25 martii 1954: AAS, 46 (1954), p. 174 ss.

[14] Schema decreti invitat omnes fidelium associationes ut vocationibus fovendis operam navent, tria praesertim in adolescentium animis colere satagentes: devotionem eucharisticam in servitio ad altare libenti animo suscepto, desiderium apostolatus, exercitia spiritualia; tunc enim solet Dominus loqui, cum ii quos elegit in recessu meditationi et orationi vacant.

[15] Contra quasdam impugnationes Ecclesia hodie quoque utilitatem Seminariorum etiam minorum defendit. Adiuvanda ergo sunt, ut meliore in dies modo proprio munere fungi possint.

[16] « *Peculiari cura provideant* »: vigilantibus verbis decretum utitur, hunc in finem:

a) ut commendetur Episcopis cura particularis, qua *foveantur* huiusmodi vocationes quae saepe optimos Ecclesiae sacerdotes praebebunt;

De huiusmodi tardius vocatis, imprimis si iam in variis apostolatus formis atque inceptis adiutricem praestiterint suam navitatem, Pius XII fel. rec. edixit: « Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen iam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitae animum firmaverint suum, cumque iam in operibus elaboraverint, quae cum sacerdotali munere arcte coniunguntur, maioribus non raro enitent solidioribusque virtutibus » (Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* die 23 sept. 1950: AAS, 42 [1950], p. 684).

b) ut suggeratur in his casibus requiri vel maiorem *vigilantiam* in aestimandis signis *authenticae* vocationis (cf. *Constit. I^{ae} Synodi Romanae,* art. 468, § 2);

c) ut aptiore modo, secundum diversorum locorum adiuncta, ab episcopis solvatur quaestio, utrum et quousque huiusmodi candidati in particularibus Institutis ad Sacerdotium praeparari debeant.

Qua in re diversae sunt sententiae quae ad partem saltem in particularibus diversarum regionum conditionibus fundari videntur. Cum plures Episcopi huiusmodi tardius vocatos, quod curriculum studiorum classicum forse supplendum attinet, in particularibus Institutis praeparandos esse censeant, in curriculo philosophico et theologico illos una cum ceteris Sacerdotii candidatis in Seminario maiore conformari volunt, ne duplex quasi categoria sacerdotum in dioecesi oriatur. Alii autem Praesules non dubitant pro illis vocationibus tardioribus particularia quoque Seminaria Philosophica et Theologica condere. In schemate decreti talis expressio adhibetur qua Episcopis (vel Episcoporum coetibus) relinquitur facultas providendi hac in re modo quem pro ipsorum adiunctis aptiorem iudicaverint.

Dr. ALFONS BÖHI, *Die Psychologische und Paedagogische Problematik der Spätberufenen,* in: *Le problème sacerdotale en Europe,* Wien 1959, pp. 257-64;

P. LACKNER O.S.F.S., *Die Heranbildung der Spätberufe im Deutschen Sprachraum,* ibid. p. 265. - Ibidem videas etiam elenchum huiusmodi pro vocationibus tardioribus Institutorum existentium in Gallia, Germania, Belgio, Hollandia, Brittannia, Austria.

[17] Hodierna scientia pastoralis iure meritoque insistit in coordinatione omnium coetuum et virium « Episcopo patre et duce ».

[18] Sicut iam notatum est (cf. notam 1), ipsa S. Sedes providit erectioni Pontificii Operis Vocationum, a quo summopere iuvari possunt opera dioecesana. Opus enim centrale efficaciora vocationum fovendarum subsidia « undique colligere eademque rite collecta ac selecta, omnibus opportune proponere » potest (cf. S. Congreg. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, de Primo Congressu Internationali pro Vocationibus Ecclesiasticis. Prot. N. 1259/61/4). Commendatur ut exarentur census seu « statistiche » de praecipuis causis quae vocationibus favent aut obsunt.

Plurima practica consilia inveniuntur e. gr. apud G. R. POAGE C. P., *Secrets of Successful Recruiting,* Westminster (Maryland) 1961 (cum copiosa bibliographia).

[19] Cf. IOANNES XXIII, Allocutio die 21 aprilis 1961 habita coram participan-

tibus in Primo Congressu Italico pro Vocationibus Sacerdotalibus: « Sì, è naturale e giusto che Noi ci occupiamo e preoccupiamo della formazione e del numero adeguato dei futuri sacerdoti per le diocesi d'Italia e d'Europa. Ma gli occhi ansiosi vanno a cercare tutte le nazioni del mondo e particolarmente quelle dell'America Latina, dove la vastità dei territori, l'incremento rapido della popolazione... hanno contribuito, con altre cause, a rendere difficile la soluzione del grave problema delle vocazioni... ».

Ecclesia hodie vivens in mundo qui unitatem quaerit, proprium munus universale fortius et generosius exercere debet. Finibus dioeceseon et nationum caritatis lege superatis, animo vere catholico providendum est iis potissimum regionibus quae vocationum sacerdotalium penuria maxime affliguntur. Reapse iam plures Episcopi (vel episcoporum coetus) provident formandis pro aliis terris sacrorum alumnis, sive particularibus in hunc finem erectis Institutis, sive illarum regionum alumnis in propria Seminaria admissis, sive subsidiis generose collatis quibus in maioris necessitatis terris Seminaria erigi et sustentari valeant.

In hoc schemate huius adiutorii necessitas breviter perstringitur; plura proposita sunt in schemate « De distributione Cleri » a Pont. Commissione de disciplina cleri et populi christiani proposito.

Cf. etiam *Seminarium,* Nova Series 1961, p. 195.

2) RELATIO EM.MI P. D. IOSEPH CARD. PIZZARDO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE STUDIIS ET SEMINARIIS

Huius schematis discussionem coram Vobis, Em.mi et Excellentissimi Domini, inaugurans, tria succincte exponam:

I. schematis opportunitatem
II. laboris praeparatorii syntheticam descriptionem
III. ipsius schematis brevissimam illustrationem.

Ad I: *Schematis opportunitas.*

Omnibus Vobis abunde compertum est Ecclesiae progressum vel regressum quam maxime a sacerdotibus dependere. Itemque ex eis quae in libris et periodicis passim publici iuris fiunt, inter omnes constat, in plurimis regionibus ex defectu vocationum sacerdotalium animarum salutem gravissimum in periculum vocari. Non est proinde necessarium ut quaedam exempla afferam.

Huius conditionis lacrimabilis multiplices causae ad has praecipue categorias reduci possunt:

1) Materialismus et rationalismus mundi hodierni, fidei vi etiam inter multos catholicos imminuta;

2) defectus congruae educationis et curae familiaris;

3) negligentia ex parte quoque ipsorum quibus huius problematis solutio maxime curae esse deberet.

Exinde non est mirum quod recentissimi Summi Pontifices ad vocationes fovendas totum Orbem Catholicum instanter monuerunt et quod plures Episcopi in votis Concilio parando missis particularem ipsius Sanctae Synodi interventum in re tam gravi postulaverunt. Quibus votis annuens Commissio Centralis Commissioni de Studiis et Seminariis quaestionem « de Vocationibus Ecclesiasticis » examinandam concredidit.

Ad II: *Laboris praeparatorii synthetica descriptio.*

Iam mense octobris anni millesimi nongentesimi sexagesimi omnibus Commissionis sodalibus missum est *Quaestionarium* quo eorum sententiae de tribus quaestionibus exquirebantur:

1) Natura vocationum ecclesiasticarum;

2) obligatio sequendi vocationem;

3) subsidia et rationes, quibus in hodiernis adiunctis vocationes ecclesiasticae foveri possunt.

Responsionum obtentarum studium particulare commissum est Relatori et Correlatori, adiutis ab aliquibus Membris et Consultoribus in re peritis. Schema decreti quinquies vel sexies retractatum discussum est in II sessione plenaria, mense februarii et martii 1961, coram Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Papa XXIII, ac iterum in III sessione plenaria mense maii, et definitive approbatum est in Conventu IV plenario mensis octobris, nemine contradicente.

Ex tribus punctis in initio examinatis, re bene considerata, duo priora non ex professo tractata sunt. Schema Decreti igitur noluit duas quaestiones controversas quae saltem in aliquibus regionibus agitantur decernere:

1. De habitudine elementi divini et elementi ecclesialis in notione vocationis sacerdotalis determinanda. Sententiae de hac re in decreto parando manifestatae minime erant concordes. Omnibus perpensis Commissio ab ea determinatione abstinuit qua species alicuius quasi definitionis ingeri potuisset. Per consequens vocationis elementa essentialia quidem proferuntur, sed modo descriptivo et paraenetico, ubi praedicatio de sacerdotii excellentia commendatur. De cetero patebat, rem potius ad Commissionem Theologicam deferendam fuisse, si re vera definitio doctrinalis danda erat.

2. Etiam secunda quaestio de obligatione sequendi vocationem divinam certe cognitam, attente considerata est a Commissione, sed fere unanimis sententia fuit, Patribus non proponendum esse ut hanc quae-

stionem hucusque libere disputatam dirimant; Concilium potius *et* libertatem a qualibet coactione vel indebita interpositione externa inculcet *et* ipsos vocatos ardenter hortetur, ut generose divinam vocationem sequantur, quae tam excelsum constituit donum pro Ecclesia et pro omnibus hominibus.

Ad III: *Ipsius schematis brevissima illustratio.*

Cum schema instructum sit notis probativis et explicativis, tempori parcens, solummodo ea perstringo quae particulari accentu digna videntur:

Ad hoc potissimum totum schema tendit, ut totius Ecclesiae Corpus, a cellula familiari ad communitatem paroecialem et dioecesanam, a singulis fidelibus ad associationes et scholas, a remoto pago ad totum orbem persentiat proprium in vocationibus excitandis, fovendis, custodiendis officium idque alacriore in dies operositate adimpleat.

Praecipue sacerdotum et ipsorum Episcoporum cooperatio expetitur, quippe qua omnia fere alia nituntur, sine qua cetera frustrantur. Inculcatur uberior positiva de sacerdotio praedicatio: potius quam lacrimabilem hominum et conditionum statum lugere, ipsum donum divinum sic luminose est celebrandum, ut ipsi vocati ad vocem Dei sequendam animentur et omnia Ecclesiae Membra ad tam sublime opus omni nisu iuvandum incitentur.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. RUFFINI: Pag. 5,[1] ad 2. Non intellego cur nihil dicatur de natura et *criteriis* authenticae vocationis sacerdotalis, quae, secundum exhortationem pag. 7,[2] linn. 14-16 expressam, declaranda essent in *praedicationibus,* in *cathechesi,* in *periodicis commentariis.* Quaestio de natura vocationis iam — nisi fallor — dirempta est pluribus abhinc annis a S. Sede. Vocatio Sacerdotalis *radicaliter* (sit venia verbo!) est a Deo, qui dat qualitates naturales et supernaturales necessarias, sed ultimo et definite ab Episcopo. Si hoc alterum elementum non requireretur, quicumque qualitates habet sufficientes ius sibi vindicare posset ascendendi ad Sacerdotium, et Episcopus deberet ei manus imponere etiam si inopportunum id aestimaret.

Deinde quaero: cur signa vocationis, saltem praecipua et essentialia, non recensentur?

---

[1] Cf. p. 738.
[2] Cf. p. 739.

Pag. 7,[3] linn. 35-38: *de parvo clero* (*piccolo clero*) pauciora dicuntur quam — ut opinor — oporteret, et nihil prorsus de *pueris cantoribus,* cum prima et altera consociationes — experientia teste — consideranda sint vera *praeseminaria,* ex quibus pleraeque vocationum sacerdotalium, copiosae quidem, hodie effluunt.

Exc. O'CONNOR: *Animadversiones ad quaestiones de Studiis et Seminariis.* Schemata decretorum nobis proposita, documentum praebent laboris studiose, methodice et competenter expleti a Commissione de Studiis et Seminariis.

Quamvis quattuor diversa argumenta proponantur, communia tamen elementa exhibentur, inter quae eminet, mea humili opinione, quaestio circa tempus utile et necessarium ad studia ecclesiastica persolvenda, praesertim in Universitatibus.

Haec quaestio non mediocris est momenti, sive in Sacrorum alumnis formandis, sive in rebus quae spectant ad vocationes ecclesiasticas fovendas, eo quod saepe iuvenes nostri temporis ad sacerdotium adspirantes eorumque parentes, expavescunt nimiam et diutinam studiorum ecclesiasticorum moram.

Eadem quaestio insuper directe tangit rationem studiorum in universitatibus ecclesiasticis atque in Seminariis, cum ipsa ratio quodammodo a spatio temporis pendeat.

Ideoque liceat mihi reverenter hac de re mentem pandere:

Omnino consentio cum Commissione de Studiis et Seminariis:

1) numerum disciplinarum nimis succrevisse et consequenter difficilius quadrare cum tempore studiorum a Constitutione « Deus Scientiarum Dominus » statuto;

2) formationem vero magistrorum in Universitate vel etiam in Seminario accuratiorem et diuturniorem applicationem requirere quam quae hodie ad gradus academicos consequendos exigitur.

Sed alia quoque adiuncta considerare liceat:

Si tempus a Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* statutum pro studiis ecclesiasticis explendis, diutius protraheretur, praesertim ad licentiam in Sacra Theologia, in Iure Canonico et in Philosophia consequendam, in praesenti penuria cleri, fere ubique gentium deploranda, Episcopi haud facile possent congruum numerum levitarum seligere qui ad gradus academicos consequendos destinentur, etsi in dies necessitas urgeat sacerdotum qui polleant academicis gradibus.

Praeterea iuxta schema propositum, sacerdotes, post plenum stu-

---

[3] Cf. p. 739.

diorum curriculum in universitate peractorum (per duos saltem annos philosophiae scholasticae et quattuor saltem S. Theologiae), gradum academicum consequerentur longe inferiorem (sicut est *baccalaureatus*) quam viri qui studia in scientiis profanis explent. Ideo hac studiorum ratione difficilius erit obtinere aequipollentiam iuridicam graduum ecclesiasticorum apud singulas Civitates vel etiam apud Studiorum Instituta (« accrediting agencies »).

Ad tam gravem quaestionem solvendam, via practica et acceptabilis patere videtur, si haec duo prae oculis habeantur:

I. Gradus academici pro viris ecclesiasticis non unice flectuntur ad magistros pro Universitatibus parandos sed etiam, maiori copia, ad varia munera ecclesiastica et pastoralia obeunda. Crescit enim in dies multitudo laicorum qui lauream consecuti sunt in profanis disciplinis: ii omnes ab animarum pastoribus culturam universitariam ecclesiasticam petunt.

II. Solidior ac profundior formatio non solum obtinetur per diuturniorem studiorum seriem, sed potius:

1) excolendo methodos quae sint aptiores et magis consentaneae ad formam mentis hodiernae iuventutis excolendam;

2) per accuratiorem candidatorum selectionem;

3) per perfectionem disciplinarum compaginationem.

His praemissis:

A) Tempus intercedens inter licentiam et lauream protrahatur ita ut thesis doctoralis praeparatio severam disciplinam studiorum imponat.

B) Ii, qui magisterio in universitatibus destinantur, accuratiorem formationem suscipiant post expletum curriculum quod hodie ad licentiam vel etiam ad lauream requiritur. Post lauream igitur altiores gradus academicos capessant sicut in multis civilibus Universitatibus mos est.

C) Insuper optandum est ut, mentem Doctoris Angelici fideliter sequendo, ratio studiorum magis foveat unitatem sacrae theologiae, aptando fundamentales disciplinas sicuti sunt theologia dogmatica et moralis, ad hodiernarum sacrarum scientiarum statum, potius quam his disciplinis iuxtaponat aliquas novas materias, nomen theologiae usurpantes, sicut theologiam patristicam, spiritualem, kerigmaticam, etc., quae saepe coram alumnis sententias inter se non conformes proponunt et consequenter eorum rectam formationem protrahunt.

Rev. SÉPINSKI: Placet valde schema. Mihi liceat primum aliquas observationes particulares deinde animadversionem indolis generalis proferre.

Ad pag. 6,[4] lin. 6: clarius dicatur quid voces « Patrum more » exprimant.

Ad pag. 6: bonum esset, si mentio specialis fieret *confessariorum*, qui in cooperatione pro vocationibus inveniendis et dirigendis magni sunt momenti; mentio fieri posset in linea 9 post « parochos » vel in linea 29 post « magistros ».

Ad pag. 6, linn. 22-24: si vox « eximiam » in mente conscriptorum schematis se ad vocem « gratiam » refert, proponerem hanc clariorem redactionem: « immo vocationem sacerdotalem gratiam eximiam ipsi familiae concessam aestimantes ».

N. B.: Melius curetur in aliquibus locis interpunctio.

Nunc mihi liceat pauca verba indolis generalis adiungere « de vocationibus ecclesiasticis fovendis »:

In pluribus regionibus accidit factum, quod vocationes ad statum sacerdotalem *quasi exclusive* habentur e classibus socialibus *inferioribus*.

Repercussiones huius facti, in illis regionibus, in universam sacerdotalem conditionem in dies sentiuntur, et per consequens sublimis dignitas sacerdotalis in circulis mediae classis interdum consideratur veluti vocatio classibus inferioribus propria, ad quam nempe aliae classes utpote socialiter superiores non vocantur.

Ita explicatur cur saepius parentes et magistri filiorum et discipulorum vocationes non foveant; immo filios et discipulos a vocatione deterrere non haesitent. Loquor de parentibus et magistris catholicis.

Verum, prout historia docet, stabilitas ac progressus societatis humanae pendet non tam a classibus superioribus nec a classibus inferioribus quam a classibus mediis, e quibus colliguntur maxima ex parte vocationes ad omnis generis munera seu officia explenda sive civilia sive ecclesiastica.

Ideo — omnia, quae in decreto schematis et in notis decreto adnexis sunt exposita, optima et verissima sunt; sed, ut mihi videtur, nervum problematis melius tangi deberet. Oportet nempe omnes fideles omnium socialium classium, praesertim in regionibus vere catholicis, edoceri de sublimi natura vocationis sacerdotalis, quae nulli sociali classi est propria, sed omni classi aperta.

Quot bona evenissent individuis, familiis, classibus, societati, ipsi universae Ecclesiae, si doctrina et aestimatio circa dignitatem sacerdotalem, prae omnibus aliis vocationibus sublimiorem, mentibus fidelium cuiusvis socialis classis alte defixae essent.

---

[4] Cf. p. 738.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet, immo magis placeret si quae habentur de « vocatione » sapienter componerentur, congrua congruis referendo, cum his quae habentur in schemate de « vocatione religiosa ».

Card. LIÉNART: Placet.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet, sed attendatur ad ea quae dixerunt Em.mus Ruffini, Exc.mus O'Connor et P. Generalis Fratrum Minorum.

Card. SPELLMAN: Placet.

Card. FRINGS: Placet.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[1]

Card. VALERI: Placet.

Card. SIRI: Placet.

Card. MCINTYRE: Placet.

Card. WYSZYNSKI: Placet. Vocationes sacerdotales maxime foventur in paroeciis bene formatis, in circulis iuvenum Missae Sacrificio inservientium.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: praecipue ab Em.mo Card. Ruffini relatum et a Rev.mo Patre Magistro Fratrum Minorum dictum.

Haec sequentia mihi videntur notanda:

Desideratur quod in textu schematis exprimatur maiore cum vigore et eloquentia, praestantia et necessitas sacerdotii catholici. Humanitas audire debet, in verbis suis praeoccupationibus et desideriis accommodatis, quod sacerdotium institutum est a Christo ad homines liberandos et ad iustitiam et caritatem instaurandam.

Ubi pars sacerdotis ad vocationes fovendas definitur (pagina sexta [2]), invitetur sacerdos ad puerorum pietatem et castitatem efformandam et

[1] Cf. pp. 747-748.
[2] Cf. pp. 738-739.

ad pueros arcendos a saeculi contagiis. Hoc valde opportunum est. Tamen dici etiam debet quod sensus servitii, generositas, zelus pro gloria Dei et salute hominum in eis fovenda sunt.

Pagina 7,[3] linea 10 commendetur Dies pro Vocationibus non solummodo in paroeciis, sed etiam in scholis et aliis institutionibus Ecclesiae.

Card. GRACIAS: Placet.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: attentis quae a Patribus dicta sunt. Propono ut in pag. 6, post lin. 19, haec verba addantur: « Omnibus denique cuiusque ordinis ministris Christi valde commendatur ut vel in suo testamento, vel, melius adhuc, vita durante, " bursas " ita dictas, pro suo posse, fundent, ad alendos pauperes iuvenes qui in Seminaria ingredi cupiunt, eloquenter sic manifestando se rite agnovisse excelsam gratiam suae vocationis ».

Card. GODFREY: Placet. Liceat observationem facere. Explicatio naturae vocationis data est a Sancto Pio Decimo quando egit de libro Canonici Lahitton. Tria requiruntur:

1) Intentio recta.
2) Physicae et morales qualitates.
3) Vocatio ab Ecclesia.

Liber Canonici Lahitton est approbatus contra opinionem quae tenuit esse necessarium « instinctum » Spiritus Sancti (gallice: « attrait »).

Card. CONFALONIERI: Placet.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: i. e. plane assentio ad observationem Em.mi Card. Ruffini de necessitate quod Concilium det definitionem vocationis.

Card. KÖNIG: Placet. 1) Ne videatur praevalere « nota pessimistica » in schemate, verbum addatur quod nihilominus sunt etiam regiones in Ecclesia universali ubi non paucae sunt vocationes (v. g. Hibernia, Polonia, certae regiones Neerlandiae, Americae Sept., multae etiam sunt vocationes in India et Iaponia).

2) Collaboratio supranationalis, sub alta directione S. Sedis, commendetur inter nationes penuria vocationum laborantes et alias ubi vocationes non desunt ut fiat distributio vocationum. Tale negotium iam initium habuit inter episcopos neerlandicos et aliquas dioeceses Germaniae et Austriae.

---

[3] Cf. p. 739.

3) Ad pag. 8,[4] linn. 7-10, addatur: vocationes tardivae hodiernis temporibus semper maiore attentione dignae sunt et non pauci sunt optimi sacerdotes qui hac via tardiore aetate perveniunt ad munus sacerdotale.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: Forsan loco huius constitutionis de vocatione ecclesiastica et constitutionis de vocatione religiosa una constitutio conficiatur de vocatione in genere, in qua, principiis theologiae moralis ac spiritualis bene evolutis, sermo fiat harmonica compositione de vocatione christiana ex baptismo oriunda, de vocatione religiosa et ecclesiastica. Sic omitti possent repetitiones et profundior esset tota consideratio. Certe elementa huius constitutionis praeiacentis possunt in forma pressius redacta ad prooemii instar totam quaestionem introducere.

N. 6, lin. 15: post « contagiis arceant » adiungatur: « et ad vitam christianam in mundo forment »; quia aspectus positivus haud minoris, sed potius maioris momenti est.

N. 6, lin. 17: post « sacerdotali caritate » adiungatur: « et studiosa collaboratione », quia magni aestimatur a iuvenibus et inter sacerdotes desideratur id quod anglici dicunt « team-work ».

Card. MARELLA: Placet, addita practica propositione ab Em.mo Card. Cento optime prolata.

Card. ALFRINK: Placet, cum adnotationibus factis a sodalibus huius Commissionis Centralis.

Card. CONCHA: Placet.

Card. ROBERTI: Placet: verum, ut succurratur cleri defectui, summopere interest custodire et apte educare pueros et iuvenes qui signa praebeant ecclesiasticae vocationis; ideo quaestio intime connectitur cum quaestione de scholis catholicis.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum, sicut heri dixi: placeret si de vocationibus pro religiosorum ordinibus et pro clero saeculari unum proponeretur schema, ita ut quaevis umbra dissensionis inter utrumque clerum penitus dissipetur; et revera, sive qua confessarii sive qua moderatores spiritus religiosi multo possunt pro vocationibus fovendis sacerdotalibus; et similiter sacerdotes saeculares multo possunt ac debent agere pro vocationibus religiosorum et religiosarum fovendis.

---

[4] Cf. p. 740.

Ad pag. 6,[5] lin. 16: loco « vita paupere » dicatur « modesta » iuxta ipsum Concilium Tridentinum (ss. XXV); nam paupertas avertit parentes a filiis Ecclesiae tradendis et Episcopi invigilare tenentur ne sacerdotes egeant.

Card. LARRAONA: Placet. Optimum schema: additis illis quae Cardinales Cento, Döpfner, König, Jullien dixerunt compleri potest.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet, additis iis quae dixit Rev.mus Min. Generalis et iis quae nunc addidit Em.mus Card. Döpfner.

Beat. GORI: Placet.

Beat. CHEIKHO: Placet.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum,[6] ab Em.mo Relatore propositum; etsi Decretum solummodo quaestionem consideret de vocationibus ecclesiasticis fovendis apud iuvenes ante ingressum in Seminarium, attamen procul dubio magni momenti quaestio de vocationibus fovendis, curandis et sequendis in Seminario tractabitur alio in loco verbi gratia in schemate constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis ».

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet cum observationibus factis ab Em.mis Cardinalibus.

Mihi etiam videtur addendum esse in pag. 6,[7] lin. 20, quod patresfamilias christiani certi esse debent quod ad ulteriorem eorum filiorum praeparationem in Sacerdotium, deficiens status rei oeconomicae familiaris minime est impedimentum, praesertim quia Divina Providentia semper adiuvat efficaciter confidentes in eam et, alia ex parte, Ipsamet Ecclesia huiusmodi defectum sanandi curat.

In pag. 7,[8] lin. 29 considerari etiam deberent formae practicae collaborationis Actionis Catholicae in Vocationibus Ecclesiasticis fovendis, allatae hoc in Documento, nempe: « Instrucciones sobre la colaboración de la Acción Católica a la Obra de las Vocaciones Eclesiásticas » a Sacra Congregatione De Seminariis et Studiorum Universitatibus die 1 octobris anno 1960 prolato.

---

[5] Cf. p. 738.
[6] Cf. pp. 748-749.
[7] Cf. p. 739.
[8] Cf. p. 739.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones a Card. Ruffini, a Card. Cento, a Ministro Generali Fratrum Minorum, et ab aliis Patribus allatas.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum: insistendum est quod familia vere catholica est magni momenti. Ubi invenitur praesertim bona mater, habebitur etiam bonus candidatus pro seminario. Accepto in toto quod dictum est a Cardinali Roberti.

Exc. COORAY: Placet. Hoc tamen volo addere: videtur aliquid decreto addendum esse de modo roborandi vocationes iam patefactas. Nam nonnumquam optimae vocationes ex negligentia vel debilitantur vel perduntur.

Exc. LEFEBVRE: Placet. Unum verbum dicam: in ipso schemate dicitur vocationes sacerdotales in primo loco quaerere et adiuvare est episcoporum. Igitur multiplicando episcopos, multiplicabuntur vocationes. In multis nationibus numerus episcoporum manet idem ac in saeculo XVIII, dum numerus incolarum crevit enormiter. Unde episcopi fiunt administratores magis quam pastores.

Exc. HURLEY: Placet, sed cum aliis considerationibus componatur in uno schemate de vocatione christiana, in quo fiat sermo de variis in Ecclesia vocationibus particularibus: laica, religiosa et sacerdotali.

Exc. PERRIN: Placet.

Exc. BAZIN: Placet. Assentio quoque iis observationibus ab Em.mis Cardd. Ruffini et König factis.

Exc. BERNIER: Placet.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. BENGSCH: Placet.

Exc. JELMINI: Placet.

Exc. SUHR: Placet.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: propendo ad mentem Em.mi Card. Ruffini, ut hic expositam, ita quoque attentis his qua ab Em.mo Card. Cento et a Rev.mo P. Ministro Generali O.F.M. exposita sunt.

Rev. SÉPINSKI: Placet, cf. folium adiectum.[9]

---

[9] Cf. pp. 749-750.

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum, ab Em.mo Cardinali Döpfner descriptum: fiat unicum decretum de omnibus vocationibus quibus Ecclesia indiget, tam sacerdotalibus quam religiosorum utriusque sexus.

XII

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

(Sexta Congregatio: 26 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE STUDIIS ET SEMINARIIS

CAPUT IV

DE STUDIORUM RATIONE IN SEMINARIIS

I - *Normae generales* [1]

1. Cum scientia, praesertim sacra, Sacerdotes excellere debeant, prout per Malachiam Prophetam Spiritus Sanctus praemonet « Labia Sacerdotis custodient scientiam » (*Mal.* 2, 7), sacrorum alumnorum in studiis institutio omni ope curanda est secundum venerabiles Ecclesiae traditiones atque iteratas Romanorum Pontificum adhortationes; eaque temporum necessitatibus est accommodanda ut futuri Sacerdotes ad divinum sibi commissum munus sancte ac fructuose exercendum rite praeparentur.

2. Quae in studiis institutio, saltem quoad curriculum philosophicum et theologicum, in scholis fieri debet ab Auctoritate Ecclesiastica erectis vel approbatis; ideoque aptae ad id constituantur sedes, bibliothecis ceterisque subsidiis bene instructae quae pro studiorum natura et gradu requiruntur.

3. Magistri adsint, numero sufficientes, optimo vitae exemplo praestantes, paedagogicis dotibus ornati atque debita scientia praediti, congruentibus titulis academicis etiam comprobata; gravissimum docendi munus religiose adimpleant atque aequa fruentes remuneratione alienis officiis sint liberi. In disciplinis praesertim sacris tradendis meminerint se non proprio, sed Ecclesiae nomine docere, cuius normas tum quoad doctrinam tum quoad methodum fidelissime sequi debent.

4. Adsit quoque congruus alumnorum numerus; quo deficiente, alumni in sedes communes cum aliis sacrorum alumnis coniungantur ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficacius consuli possit.[2]

5. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges ab hac Sancta Synodo tradi possint, in singulis nationibus Ratio Studiorum habeatur, ab Episcoporum coetu redacta et a Sancta Sede appro-

bata, qua hae leges generales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur. Pariter in Religionibus, Societatibus Institutisque Saecularibus Ratio Studiorum pro propriis sodalibus habeatur a Superioribus Maioribus redacta et a Sancta Sede approbata.[3]

II - *De studiorum mediorum curriculo* [4]

6. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, studiorum mediorum curriculum rite absolvant, cuius finis est non solum hominem efformare, completa atque harmonica omnium facultatum educatione, ita ut iudicii maturitatem, sanum gustum atque dicendi scribendique artem acquirant, sed ipsum christianum ac sacrorum alumnum instituere; quare tota educatio Divinae Revelationis lumine penitus perfundatur oportet, cuius etiam studium in religionis schola assidue promoveatur.

7. Simul vero cum educatione, instructio impartienda est eorum quae hominem cultum scire decet; quare, cum magis in dies oporteat ut sacrorum alumni iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores, studiorum mediorum curriculum ita ordinetur ut alumni congruam sermonis patrii, litterarum scientiarumque cognitionem sibi comparent, communiter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiritur.[5]

8. Peculiari autem diligentia addiscant quae futuris Sacerdotibus necessaria sunt, imprimis linguae latinae cognitionem qua traditionis et Magisterii documenta, ceterosque libros quorum cotidianus usus erit in philosophico et theologico curriculo et in tota vita sacerdotali, facile intelligere atque usurpare possint.[6]

III - *De curriculo philosophico* [7]

9. Studiis mediis rite absolutis biennium philosophicum peragendum est, cuius finis est iuvenum formationem complere, ad veritates de rerum natura hominisque vita rationis lumine perscrutandas instituere atque ad superiora studia theologica immediate praeparare. Quae praeparatio religionis studio ac potissimum ea Sacrae Scripturae lectione, qua alumni vivam Christi Sacerdotis imaginem sibi infigere incipiunt, complenda est.

10. Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, secundum S. Thomae Aquinatis principia et methodum ita tradatur ut eius completam cohaerentemque synthesim acquirant, omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum subtilioribus, quae ad altiora Facultatis Philosophicae studia remittenda sunt.

11. Introducantur alumni ad cognoscenda et crisi subicienda systemata philosophica praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, ita ut quae ibi bona probantur, teneant, recentioris aetatis autem errores, qui homines ab Ecclesia avertunt et a philosophica ratione repetuntur, apte refellere valeant.

12. Solide etiam instituantur in disciplinis cum philosophia connexis quae Sacerdoti conveniunt, quales sunt scientiae paedagogicae, psychologicae; imprimis vero scientiae sociales quarum studium in curriculo philosophico inchoandum et deinceps prosequendum est ita ut de iis quaestionibus, quae modernam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant, eam rite proponere valeant, simul vero ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent, abstinere sciant.[8]

IV - *De curriculo theologico* [9]

13. Post biennium philosophicum quadriennium theologicum integre peragendum est, cuius finis est intima Divina Revelationis cognitione alumnos ita praeparare ut et scientia et vita fidei alte imbuantur et ad munus sacerdotale sancte obeundum rite disponantur.

14. Quare theologia sacra secundum S. Thomae principia solide tradatur in omnibus suis partibus, apta pro diversa materia methodo adhibita, omissis obsoletis ac subtilioribus quaestionibus, ita ut alumni doctrinam catholicam, ex divinae revelationis fontibus accurate haustam, profunde penetrent, propriae spiritualis vitae reddant alimentum [10] eamque in catechesibus et sacris concionibus, in confessionibus et in animarum directione, in scriptis, in scholis et in aliis ministeriis, apud nostrae aetatis homines, tum rudiores, tum cultiores, apte exponere, demonstrare atque tueri valeant.

15. Sacrae Scripturae studio secundum normas ab hac Sancta Synodo traditas peculiari diligentia instituantur. Proinde momentum Sacri Textus theologicum, spirituale, liturgicum ac pastorale futuris Sacerdotibus praeprimis aperiatur. Alumnis insuper opportunitas detur sacras linguas hebraicam et graeco-biblicam addiscendi quibus textus primigenios biblicos intelligere et explicare possint.[11]

16. Praeterquam in theologia fundamentali, dogmatica et morali, in iure canonico, in historia ecclesiastica et in patrologia, sedulo instituantur alumni in theologia spirituali qua in propria sanctificatione et in animarum directione efficaciter iuventur; atque in sacra liturgia sub aspectu theologico, spirituali, iuridico et pastorali investigata, nec non in cantu ecclesiastico: ut Opus Dei digne peragere, de sacris cultus mysteriis ipsi profunde vivere et actuosam populi participationem promovere valeant.[12]

17. Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ita ut fidei firmitate et integritate sancte servata, secundum Ecclesiae monita fratres separatos iuvare possint ad assequendam unitatem a Domino Nostro expostulatam.[13] Introducantur etiam ad cognoscendos modernos errores ad religionem spectantes atque alias religiones in singulis regionibus divulgatas, ut facilius veritatis lumen errantibus demonstrare sciant.[14]

18. Diligentissime praeterea instruantur in theologia pastorali atque affinibus disciplinis, ut apostolatus artem, temporibus et locis accommodatam, addiscant, nec tantum theoretice, sed etiam practice. Quare, prudenti Episco-

porum iudicio, iam durante studiorum curriculo, moderate quidem ne vitae spirituali vel disciplinae vel studiis noceat, simul vero methodice, sub magistrorum peritorum ductu, in praxim pastoralem initientur. Cuius institutionis pastoralis singulare momentum persentiens, Sancta Synodus particularibus normis ei providit.[15]

19. Ne theologicae disciplinae separatae appareant, sed harmonice in finem conspirent, in tradenda imprimis theologia dogmatica et morali, severa proprii obiecti investigatione speculativa religiose servata, themata theologiae biblicae, necnon momentum spirituale, liturgicum, pastorale proprii argumenti maxima cura in lucem ponantur ita ut ex patefacta intima connexione quae viget inter dogmaticam, moralem, Scripturam, ius, traditionem patristicam, vitam liturgicam, spiritualem ac pastoralem Ecclesiae, ipsi alumnorum institutioni optatissimum imprimatur unitatis sigillum.[16]

20. [*Monitum finale*]. Alumni durante studiorum ecclesiasticorum curriculo in iis quoque solide instituendi sunt quae rebus pervestigandis excolendisque progrediens parit aetas, devitanda est autem nimietas disciplinarum et praelectionum ne iuvenum mentes quasi obruantur neque eis satis temporis deficiat ad audita proprio nisu peragranda et assimilanda. Magistri potius sapienter adaptata docendi methodo, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus ac praecipue proprio ipsorum exemplo alumnos ad laboris intellectualis artem atque amorem ita conforment ut sacerdotio quoque initiati sacrarum disciplinarum studium fovere pergant.

NOTAE

(Normae generales)

[1] Praesens Decretum est pars Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis », quae sequentia comprehendit Capita:

I. De Seminariorum ordinatione generali
II. De institutione spirituali
III. De disciplina in Seminariis
IV. *De studiorum ratione in Seminariis*
V. De institutione pastorali.

Scopus huius Decreti est primarias statuere normas, quae regere debent candidatorum ad Sacerdotium in studiis institutionem ita ut haec institutio secundum traditionalia Ecclesiae principia confirmetur, simul vero ad temporum necessitates, quantum opus est, accommodetur.

[2] Quae in nn. 1-4 de fine studiorum, de scholis, magistris et alumnis proponuntur, declaratione non indigent; quaedam fortasse superflua apparere possunt, at utiliter servanda videntur ut Decretum magis completum et organicum sit.

Particularis momenti sunt quae in n. 4 praescribuntur de congruo alumnorum numero, cum abunde constet quanta damna alumnorum institutio saepissime patiatur in studiorum sedibus sufficienti numero egentibus.

[3] In n. 5 aliquid novi statuitur de Ratione Studiorum redigenda in singulis

nationibus; pro Religiosis hoc iam statutum erat in Constitutione Apostolica « Sedes Sapientiae » (30 maii 1956) et adnexis Statutis Generalibus (art. 19).

Quod necessarium videtur, nam tanta est varietas nationum ut totalis uniformitas in Ratione Studiorum neque possibilis neque optabilis appareat. Quare Concilium ea tantum statuere debet pro universa Ecclesia quae omnibus revera prosunt, id est leges generales et stabiles, generalia principia et criteria duratura dare quae ab omnibus servari debent, at necessario accommodanda erunt diversis adiunctis locorum et temporum.

Haec vero accommodatio non singulorum arbitrio relinquenda est, at secundum normas communes facienda, pro clero saeculari ab Episcoporum coetibus in singulis nationibus et a Moderatoribus Maioribus pro clero regulari. Etenim pro clero saeculari uniformitas in natione omnino optanda videtur, nisi adiuncta vere diversa in regionibus eiusdem nationis adsint, quarum curam habebit Episcoporum coetus in Studiorum Ratione redigenda. Simili modo quaedam uniformitas requiritur in Studiorum Ratione sodalium eiusdem Instituti religiosi, quae tamen, ut patet, accommodanda erit etiam adiunctis diversarum regionum, et in multis assimilanda Rationi Studiorum cleri saecularis propter intrinsecam catholici sacerdotii unitatem (*Sedes Sapientiae,* Statuta Gen. 10, 2).

Singulae Rationes Studiorum a Sancta Sede recognoscendae et approbandae erunt ut in ipsa varietate necessaria unitas servetur; ac, labente tempore, novis exsurgentibus necessitatibus adaptandae erunt.

(De studiorum mediorum curriculo)

[4] Quoad studia media finis obtinendus indicatur, qui est humanistica formatio atque tum generalis culturae adeptio, quam habere solent laici culti propriae nationis, tum illius praeparationis acquisitio, quae ad studia ecclesiastica est necessaria.

Problema vero adest de modo componendi traditionalem institutionem ecclesiasticam cum modernae culturae necessitatibus, quod in omnibus nationibus, etsi diverso gradu, sentitur. Nam *in regionibus occidentalibus* formatio classica graecolatina, quae olim communis erat clericis et laicis, in scholis civilibus paulatim locum cessit formationi scientificae et technicae, ita ut in scholis mediis multarum nationum studium linguae graecae iam abolitum sit, studium vero linguae latinae vel derelictum vel valde diminutum sit, ac magis in dies excolantur linguae modernae, scientiae aliaeque disciplinae, quae hodiernis vitae necessitatibus melius respondere aestimantur. At in Seminariis *et* formatio classica servari *et* cultura moderna satis communicari debent, ne futuri Sacerdotes in quodam statu inferioritatis coram laicis inveniantur. *In regionibus orientalibus* formatio classica non est graeco-latina, cum proprios classicos propriamque culturam habeant, qua etiam futuri Sacerdotes carere nequeunt ut efficacius ministerium sacerdotale exercere valeant; nec religio christiana ita connexa est cum determinata cultura ut quis nequeat vere christianus vel Sacerdos fieri, nisi occidentalis quoad culturam factus sit; at simul candidati ad sacerdotium ea discere debent quae ad sacerdotium requiruntur, et imprimis latinae linguae cognitionem habere, ea saltem mensura, quae omnibus Sacerdotibus necessaria est.

In hoc Constitutionis capite considerantur et seminaria minora et eae regiones ubi plures candidati Seminaria ingrediuntur postquam studiorum mediorum curriculum, integre vel saltem maiorem partem, iam absolverunt.

[5] Pius XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae* (23 sept. 1950): « ... cupimus

cumprimis ne litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sint sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores » (AAS, 42 [1950], p. 687).

Affirmatur necessitas culturae generalis non inferioris laicis cultis, ut saepius et iure Auctoritas Ecclesiastica recentiore tempore commendavit. Adduntur verba « *communiter eo titulo sancitam qui* ... », cum hoc multum iuvet tum ad severitatem studiorum fovendam, tum ad libertatem vocationis tuendam, tum ad studia universitaria facilius aggredienda.

Dicitur tamen « *communiter* », non absolute, quia Ecclesia non potest absolute subordinare progressum in studiis *ecclesiasticis* alicui titulo *civili;* ac praeterea exceptiones necessariae erunt tum individuales (optimi candidati ad sacerdotium qui tamen ob peculiarem causam, v. g. vocationis tardioris, titulum officialem consequi non possunt), tum nationales (quia v. g. leges hostiles Ecclesiae alicubi nimis difficilem vel impossibilem reddere possunt tituli civilis acquisitionem, ut recentioribus temporibus in aliquibus nationibus accidit).

[6] Obligatio imponitur institutionem mediam complendi iis omnibus quae sacrorum alumnis necessaria sunt, at a laicis alumnis omittuntur. Haec vero studia fieri possunt vel *simul* cum aliis disciplinis in studiorum mediorum curriculo, vel *post* illa studia, ut in aliquibus nationibus fit (v. g. India, Iaponia, etc.), prout in Ratione Studiorum nationali determinabitur.

Agitur imprimis de linguae latinae studio, et mensura indicatur quae *omnibus* Sacerdotibus necessaria est. Mensura quae in praesenti Decreto proponitur videtur Episcoporum consensum obtinere posse. Plus peti debebit a Sacerdotibus aliquarum regionum vel ab iis qui ad superiora studia ecclesiastica destinantur. Dato autem huius argumenti momento, de lingua latina in studiis ecclesiasticis rite excolenda explicitius in proprio schemate a Commissione de Studiis et Seminariis praeparato agitur.

(De curriculo philosophico)

[7] In curriculo philosophico solida institutio scholastica inculcatur, at simul quaedam commendantur: — ut veteres quaestiones iam obsoletae vel subtiliores omittantur, — ut magis foveatur modernae philosophiae studium, quantum requiritur ad mentis indolem melius cognoscendam eorum apud quos sacerdotale ministerium exercere debebunt, — ut aridum philosophiae studium iis apte compleatur quae ad clerici intellectualem institutionem iuvant, praesertim religionis studio et S. Scripturae lectione. A non paucis enim hodie animadvertitur, biennio philosophico, sicut generaliter hodie absolvitur, alumnorum animos non sufficienter ad sacerdotii metam dirigi et praeparari, eo quidem tempore, quo Seminarium maius ingressi, promptiore animo ad id anhelant. Conferentur ea quae in capite II° « De Institutione spirituali » commendantur de particulari formationis spiritualis periodo.

In n. 10 solidum studium philosophiae scholasticae praescribitur, at illarum quaestionum omissio postulatur quae obsoletae vel subtiliores sunt ideoque non aptae ad finem cursus philosophici seminaristici assequendum.

[8] Studium urgetur aliarum scientiarum quibus Sacerdos indiget, praesertim scientiarum socialium, nec tantum Ethicae seu illius partis philosophiae scholasticae quae principia socialia continet, et omnino necessaria, at insufficiens est; nam Sacerdos, ad munus pastorale nostro tempore exercendum, cognitione quoque posi-

tiva factorum socialium indiget ut fideles sibi commissos secure dirigere valeat, de moralitate actionum socialium tuto iudicare sciat, simul vero abstineat ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent. Obici potest doctrinam socialem Ecclesiae potius ad theologiam quam ad philosophiam pertinere, at eius studium in curriculo philosophico inchoandum videtur, quia doctrina socialis Ecclesiae, prout in documentis ecclesiasticis proponitur, plurima elementa philosophica continet. At in Rationibus Studiorum pro singulis nationibus melius determinetur quando et quomodo haec studia a sacrorum alumnis fieri debeant.

Ipsa S. Congregatio de Seminariis et Universitatibus Studiorum, exempli gratia, pro omnibus Italiae Seminariis recentissime praecepit ut cursus sociologiae obligatorius haberetur in ultimo formationis philosophicae anno, indicatis quoque quaestionibus principalioribus ibidem tractandis (cf. Litteras circulares eiusdem S. Dicasterii *Le condizioni di vita,* d. d. 25 maii 1961 ad Exc.mos Ordinarios Italiae). Praeprimis autem memorandae sunt Litterae Encyclicae *Mater et Magistra* (d. 15 maii 1961) Ioannis Pp. XXIII.

(De curriculo theologico)

[9] Etiam in curriculo theologico inculcatur institutio solida, completa et organica, at simul quaedam commendantur: — ut veteres quaestiones obsoletae et subtiliores hic quoque omittantur, — ut magis foveatur contactus theologiae cum vita unde theologiae studium alumnorum vitam spiritualem nutriat et ad ministerium pastorale vere praeparet, — ut harmonica conspiratio omnium theologicarum disciplinarum sedulo curetur ad divinam revelationem organice cognoscendam eamque fidelibus apte communicandam.

[10] Saepius aliquod discidium inter scientiam theologicam et vitam spiritualem a multis deploratur, qui institutionem theologicam alumnorum pietatem parum nutrire, ipsa vero pietatis exercitia in Seminariis haud raro profunditate theologica carere notant. Verum est praelectionem necessario differre a praedicatione et aulam scholasticam non esse ecclesiam. Sed ipsa theologia est ea scientia quae magis quam omnes aliae omnino exigit ut et magistri et auditores propriam ipsorum vitam in veritatum consideratarum luce iudicent atque efforment.

[11] In studio Sacrae Scripturae insistitur, cuius necessitas magis in dies sentitur, tum propter eius instrinsecum valorem tum propter utilitatem apostolicam. Quin etiam, inspecto huius argumenti particulari momento, pro recta ac profunda alumnorum in Sacris Litteris institutione, speciale decretum a Commissione de Studiis et Seminariis exaratum est, in quantum ad ipsius competentiam spectaverit, i. e. de ratione docendi Sacram Scripturam.

Commendatur linguarum hebraicae et graeco-biblicae studium, non omnibus imponitur, cum pluribus inutile pondus esset, immo fere impossibile in illis regionibus ubi alumni tot linguas classicas et modernas iam discere debent.

[12] Praecipuae curriculi theologici disciplinae brevitatis causa tantum enumerantur; quibus speciali emphasi adduntur Theologia spiritualis et Sacra Liturgia, necnon cantus ecclesiasticus, propter earum pastorale momentum, ob desiderium a pluribus Episcopis manifestatum et praecipue ob recentia S. Sedis documenta.

Cf. imprimis Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* d. 20 nov. 1947: AAS, 39 (1947), p. 591 s.

Allocutio ad Sacrorum Antistites habita die 2 nov. 1954: AAS, 46 (1954), p. 666 ss.

Litt. Encycl. *Musicae Sacrae,* d. 25 dec. 1955: AAS, 48 (1956), pp. 17, 23 s.

S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Epistola circ. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* d. 2 febr. 1945.

S. Congregatio Rituum, Instructio de Musica Sacra et Sacra Liturgia, d. 3 sept. 1958: AAS, 50 (1958), p. 659 s.

Sacra Liturgia tradenda est integra, non solum sub aspectu caeremoniali-iuridico vel historico, uti hucusque haud raro factum est, sed sub aspectu vere theologico, ascetico-mystico, scripturistico et pastorali. Exinde futuri sacerdotes ita formandi sunt ut de sacris cultus mysteriis profunde viventes, secundum magnorum Patrum exemplar populum sibi commissum in intimam cultus imprimis sacrificalis participationem introducere valeant. De ipsa vita liturgica alumnorum nutrienda in Decreto *De institutione spirituali in Seminariis recognoscenda* sermo est (i. e. in capite II° Constitutionis « De Sacrorum Alumnis formandis »).

Insuper votum propositum est ut Sacra Liturgia in Facultatibus theologicis et in Seminariis disciplina theologica *principalis* declararetur. Opportunum autem non videbatur hac de re in Decreto conciliari loqui, cum huiusmodi determinationes ad competentem Sacram Congregationem spectent et ad particulares Rationes Studiorum sub eius ductu ab Episcoporum coetibus exarandas. Ex eadem ratione Decretum non respicit desiderium a pluribus scientiae liturgicae cultoribus manifestatum, scilicet ut lectionum de Sacra Liturgia tractantium augeatur numerus. Praeterea huic et aliis huiusmodi propositionibus non tam introductione novorum cursuum vel numero lectionum aucto satisfaciendum esse videtur, sed perfectiore totius institutionis theologicae conspiratione quae in n. 19 praesentis Decreti exoptatur.

[13] Commendatur ut in alumnorum theologica institutione ratio habeatur momenti quod hac nostra aetate convenit relationibus cum « Fratribus separatis ». Quae quantopere curae sint Summo Pontifici feliciter regnanti apparet iam ex institutione peculiaris Coetus seu Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam (cf. Motu proprio *Superno Dei nutu,* d. 5 iunii 1960: AAS, 52 [1960], p. 436).

In Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis opportunum, immo quasi necessarium erit inserendi in ratione studiorum particulares lectiones quibus auditores in historiam et theologiam christianorum separatorum introducuntur. In Seminariis autem, ne numerus disciplinarum plus aequo augeatur, certo curandum est, ut in singulis tractatibus theologicis iusta ratio habeatur « dimensionis oecumenicae ».

« *Secundum Ecclesiae monita* »: Quae institutio particularia Ecclesiae hac de re monita apprime respicere debet, imprimis quod « motionem oecumenicam » attinet, nam:

a) « Conatus ... ad reconciliandos cum Ecclesia Catholica dissidentes christianos hucusque suscepti, quamvis optimis inspirentur intentionibus, non semper rectis innituntur principiis... et peculiaribus non carent periculis » (Instructio Supr. Congregationis S. Officii *Ecclesia Catholica,* d. 20 dec. 1949: AAS, 42 [1950], p. 142). Nec desunt qui « imprudenti aestuantes irenismo... veluti obices ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur... » (Pius XII, Litterae Encycl. *Humani generis,* d. 12 aug. 1950: AAS, 42 [1950], p. 565);

b) agitur de clericis et iunioribus religiosis, qui facilius a novitiatibus alliciuntur et proinde ab expertis magistris manuducantur oportet;

c) adhuc multi christiani separati longe sunt a vero spiritu oecumenico.

(Cf. Animadversiones *Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam,* die 1 iunii 1961 missas ad Commissionem de Studiis et Seminariis).

[14] In altera parte n. 17 studium aliarum religionum commendatur, quod in pluribus regionibus nimis negligitur, at ad munus sacerdotale necessarium est.

[15] Peculiaris commendatio fit pro theologia pastorali et disciplinis adnexis, secundum votum commune Episcoporum et recentiora repetita monita Sanctae Sedis. Data huius argumenti singulari gravitate, de formatione pastorali agitur quoque in particulari capite huius Constitutionis. Ut autem visioni syntheticae totius Rationis Studiorum consulatur, interea quaedam pauca etiam in hoc capite dicenda videntur.

Enuntiata igitur necessitate particularis in disciplinis pastoralibus institutionis simul cum theoretico studio etiam inculcatur exercitium practicum durante studiorum curriculo inchoandum. Cum vero fructus huiusmodi exercitationum iam durante studiorum theologicorum curriculo institutarum a multis adiunctis pendeat quae non ubique eadem inveniri possunt, tota res prudenti Episcoporum iudicio committitur. Quorum igitur erit eas ita moderate et methodice curare ut nec alumnorum vitae spirituali nec studiis nec disciplinae noceant, immo eos ad pietatem et studium stimulent, zelum apostolicum foveant atque ad futurum apostolatus aptius disponant. (Conferantur etiam monita expressa in Litteris circularibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, datis die 27 sept. 1960, trecentum ab obitu S. Vincentii de Paoli exactis annis, pars II, n. 6).

Haec institutio pastoralis, curriculo theologico absoluto, specialibus tirociniis complenda erit, sicut disponitur in Decreto de institutione pastorali.

[16] Quaestio de *unitate* quae inter diversas disciplinas theologicas vigere debet et quae a magistris semper prae oculis habenda est in disciplinis sacris sive investigandis sive tradendis, hodie gravissima est quia de facto unitas illa non parum deficit cum magno institutionis alumnorum detrimento.

Unde paucos annos abhinc communes erant et magna ex parte adhuc hodie sunt querimoniae quae recensentur in Schemate Decreti *De Studiis Academicis,* Cap. II « De Studiorum Ecclesiasticorum Universitatibus », nota 17. Non desunt hodie laudabiles conatus qui istis defectibus mederi quaerunt, sed quaestio minime soluta considerari potest. Non pauci censent optatam in scientia et institutione theologica unitatem obtineri posse si omnes disciplinae sacrae quasi immediate et, ut ita dicatur, « pragmatistica » quadam ratione ad ministerium pastorale dirigantur. In huiusmodi conatibus autem

1) quidam neglegunt aspectum speculativum theologiae dogmaticae et moralis et, quaestiones quas nimia levitate « inutiles » declarant devitantes, falsam spem nutriunt se hoc modo aspectum biblicum, patristicum, liturgicum, ascetico-mysticum et pastoralem efficacius illustrare posse;

2) aliis vero periculum instat neglegendi in exegesi et in liturgia aspectum philologicum, criticum et historicum;

3) alii autem traditis Theologiae dogmaticae thesibus quasi quaedam scholia ad pietatem et ad animarum ministerium spectantia addere satagunt;

4) alii denique contendunt ut in ipsa studiorum ratione plurimi cursus speciales et imprimis novae disciplinae de re practica pastorali addantur.

His conatibus autem non sufficiens ratio habetur eorum quae ab ipso obiecto scientifico singularum disciplinarum intrinsece exiguntur; illa enim optata unitas inveniri debet in eo puncto in quo disciplinae supradictae ex intrinsecis exigentiis proprii cuiusque obiecti scientifice considerati conveniunt.

In textu Decreti innuitur hoc punctum esse historiam salutis in vita Ecclesiae semper in actu ut praecipue magnis thematibus biblicis apparet. Nam omnes disciplinae theologicae ex intrinseca exigentia proprii obiecti formalis debent explicare historiam salutis quae est semper in actu (quod idem est ac dicere, explicare Deum — et alias res in ordine ad Deum — prout se manifestat in historia salutis). Singulae autem disciplinae hoc faciunt proprio cuiusque modo. Nam theologia dogmatica et moralis hoc praestant ex integro et sub omnibus aspectibus, sed synthetice; exegesis prout historia salutis continetur in Scriptura; patrologia prout historia illa apparet in testimonio Patrum; scientia liturgica prout continetur in cultu Ecclesiae; theologia spiritualis, prout efficitur et manifestatur in vita ascetico-mystica fidelium ad perfectionem christianam tendentium; theologia pastoralis prout a pastore animarum gregi suo communicari debet. Sufficit ergo ut singulae disciplinae, ex intrinsecis exigentiis proprii cuiusque obiecti, historiam salutis (manifestatam maxime in magnis thematibus theologiae biblicae) suo quoque modo, in debitam lucem ponant, ut eo ipso, sine indebita disciplinarum vel methodorum confusione, earum unitas theoretice et practice eluceat.

2) RELATIO EM.MI P. D. IOSEPH CARD. PIZZARDO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE STUDIIS ET SEMINARIIS

Discussionem huius schematis introducens, breviter Vobis, Em.mi et Exc.mi Domini, referam

I. De indole huius schematis
II. De labore praeparatorio a Commissione peracto
III. De quaestionibus quae in schemate videntur maioris momenti.

Ad I: *De huius schematis indole.*

Commissioni de Studiis et Seminariis a Pontificia Commissione Centrali concreditum est munus recognoscendi Rationem Studiorum Seminariorum cuiusvis gradus et ordinis. De Universitatibus et Facultatibus separatim agere omnino necessarium videbatur. De studiis autem in Seminariis peragendis opportune tractandum erat una cum aliis aspectibus ipsius formationis sacerdotalis. Inde explicatur, cur hoc argumentum insertum sit in schemate Constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis » ut caput quartum.

Velitis igitur prae oculis habere hanc arctissimam connexionem cum aliis partibus eiusdem Constitutionis. Verbi gratia, de Seminariorum superioribus et magistris plura habebuntur in illius Constitutionis primo capite, quod inscribitur « De ordinatione generali Seminariorum »; de nexu inter theologicam instructionem et conformationem spiritualem agetur explicite in capite « De Institutione spirituali »; in parte vero

quae de disciplina tractabit, etiam premitur quantopere seria studia promoveantur recta servata disciplina; in capite quinto denique totius conformationis theologicae indoles vel halitus pastoralis expostulatur.

Ad II: *De labore praeparatorio a Commissione peracto.*

Mense novembris anni millesimi nongentesimi sexagesimi omnibus Membris et Consultoribus missa est positio « de Studiis »; singulis aliquod argumentum partiale committebatur, peculiari attentione examinandum, prout uniuscuiusque Sodalis peritia et experientia suadebant. Quaestiones autem Membris submissae ex Episcoporum et Congregationum Romanarum votis depromptae erant. Responsionibus variis attente ponderatis, Relator principalis, Rev.mus P. Paulus Dezza S. I. proposuit primum schema quod discussum est in variis sessionibus coetus particularis. Deinde ipse textus funditus consideratus et multipliciter emendatus est a tota Commissione, in secundo et tertio Conventu generali. In quarto denique Conventu mense octobris 1961 celebrato, schema unanimiter a Commissione approbatum est.

Ad III: *De quaestionibus maioris momenti.*

Perspecta veritate quod sacerdos sit « homo Dei » pro hominibus sui temporis constitutus, eius in studiis institutio respondere debet et traditis Ecclesiae principiis et temporum ac locorum necessitatibus.

In praeparando autem schemate, Commissio hoc criterium sequendum esse censuit:

A Concilio non ipsa Ratio Studiorum elaboranda est; nam tanta est varietas nationum et conditionum ut totalis uniformitas in Ratione Studiorum neque possibilis neque optabilis videatur. A Concilio proponantur potius eae tantum normae generales quibus essentialia in universa Ecclesia servanda in tuto collocentur. Simul autem Episcoporum coetibus committatur ut has leges generales diversis adiunctis opportune adaptent in Ratione Studiorum pro Seminariis singularum nationum vel regionum.

Ratio huius dispositionis patet: in studiis enim uniformitas in natione omnino optanda videtur et de facto in multis Episcoporum votis expostulatur; accuratior autem determinatio statutorum, institutionis spiritualis et formationis pastoralis a singulis Episcopis facienda est.

In normis generalibus quaedam iam nota adduntur, quae autem utilia videntur ut Concilii decretum circa Seminariorum studia, etsi breve et syntheticum, completum tamen et organicum sit.

* * *

Quaedam animadversiones de singulis schematis partibus:

a) In curriculo studiorum mediorum duae quaestiones a Commissione attento examine perpendebantur:

duratio huius curriculi atque
eius *structura*.

De *duratione* autem non videbatur agendum: ea variat in diversis nationibus; si vero curriculum primarium et secundarium simul sumitur, duratio parum differt, ita ut mensura media communis sit circiter duodecim annorum.

Difficilior omnino erat quaestio de *structura* curriculi studiorum mediorum. Schema Vobis propositum, est totum in eo ut duplex necessitas concilietur, nempe:

— Sacrorum alumni illam culturam generalem consequi debent, quam habere solent laici culti propriae nationis;

— simul vero ea praeparatione ditandi sunt quae ad studia proprie ecclesiastica peragenda omnino necessaria est.

Hoc aequilibrium enixe commendatum est ab Exhortatione Apostolica *Menti Nostrae* Pii XII, a multis Episcopis in votis Concilio missis expostulatur, a Commissionibus de Missionibus et de Apostolatu Laicorum suadetur, ab exigentiis hodierni apostolatus omnino imponitur.

b) De curriculo studiorum *proprie ecclesiasticorum*.

— *Primo*: In generali disponitur ut omnis institutio in hoc curriculo sit publica, a Superioribus Ecclesiae Auctoritatibus sancienda, curanda, vigilanda; congruam expostulans alumnorum, magistrorum, auxiliorum copiam.

— *Secundo*: De *curriculo philosophico* inculcatur momentum eius formationis philosophicae qua solide doceantur essentialia; secundum vota Episcoporum introductio in *huius* aetatis quaestiones et errores magis curetur; in quaestionibus socialibus institutio diligentius initietur; una cum hac formatione rationali intensa Sacrae Scripturae lectio promoveatur, ut alumni etiam in biennio philosophico animentur habitu spirituali a verbo Dei emanante.

— *Tertio*: In curriculo theologico eae disciplinae distinctae enuntiantur, quae hodie particularem curam exigunt et quorum uberior cultus ab Episcopis exoptatur. Inculcatur insuper quantum ipsa in S. Theologia institutio ad alumnorum spiritualem vitam nutriendam conferre debeat atque quanti momenti sit harmonica omnium disciplinarum conspiratio.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. FRINGS: Placet iuxta modum. Modus est, ne nimis urgeantur doctrina, principia, methodus Angelici Doctoris, quae quater et quidem exclusive in his schematibus commendantur. Certe S. Thomas est primus et praeclarissimus ac maxime aequilibratus omnium doctorum. Sed non est unicus.

Methodus eius non omnibus indigentiis temporis nostri sufficit. Tercentis quasi annis post S. Thomam Melchior Cano O. P. celeberrimum scripsit librum « De locis theologicis », qui certe quoad methodologiam scientiarum theologicarum magnum indicat progressum. Et usque adhuc omnes professores dogmaticae plus minusve secundum hanc methodologiam procedunt. In scientiis positivis theologicis, ut v. g. in scientia biblica, in historia ecclesiastica, in scientiis socialibus novae sunt inventae methodi.

Insuper declarandum videtur, quae sunt principia S. Thomae, quia haec locutio in sensu stricto vel etiam latiore comprehendi potest.

Quoad doctrinam S. Thomae dicendum videtur nondum existere editionem criticam operum Doctoris Angelici, sicut nunc praeparantur editiones criticae Duns Scoti et S. Alberti Magni. Quare dubitari potest de aliquibus doctrinis, quae adscribuntur Doctori Angelico, an sint eius propriae an sint eius discipulorum. Quoad doctrinam de Immaculata Conceptione B. M. V. S. Thomas certe erravit. Non videtur, cur tehologi aliorum ordinum sacram theologiam non secundum magnos doctores suorum ordinum, quamvis duce S. Thoma, explicare possint, v. g. Franciscani secundum doctrinam S. Bonaventurae et etiam Duns Scoti critice editi, ac Iesuitae secundum doctrinam S. Roberti Bellarmini et Francisci Suarez, vel professores cleri saecularis rei dogmaticae faventes secundum doctrinam Matthiae Iosephi Scheeben olim professoris in seminario Coloniensi.

Inveniatur formula, quae tales possibilitates non excludat.

Card. RUFFINI: Pag. 3,[1] lin. 22: « ... alienis officiis sint liberi ». Optimum quidem si fieri potest! Ne nos pauperes Episcopi aliis anxietatibus, praeter eas quibus iam opprimimur, gravemur, addatur: « quatenus fieri potest ». Etenim, sacerdotibus deficientibus in cura animarum, saepe impossibile est professores Seminarii a quocumque alio munere liberare.

---

[1] Cf. p. 756.

Pag. 4,[2] lin. 9 seq.: « ... Pariter in Religionibus, Societatibus, Institutisque saecularibus ... ». Puto dicendum esse: « Pariter in Ordinibus et Congregationibus Religiosis, Institutisque saecularibus ... ».

Cum hic Religiosorum mentio fiat, liceat mihi fateri numquam me intellexisse, sicut nec nunc perspicio cur institutio doctrinalis Religiosorum, respectu Sacerdotii, et quidem saepissime in cura animarum exercendi, regenda sit peculiari Ratione Studiorum a Superioribus maioribus redacta.

Sicut sacerdotium unum est, ita una deberet esse Ratio Studiorum a S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus definienda, servata — clarum est — institutione *integrativa* pro Religiosis de iis quae ipsorum sunt propria.

Pag. 5,[3] lin. 18 et seq.: « ... secundum S. Thomae Aquinatis principia et methodum ». Melius dicitur in can. 1366 § 2 Codicis I. C.: « ... ad Angelici doctoris rationem, *doctrinam* et principia ». Id autem sancte servetur; nam S. Thomas princeps in Philosophia (et in Theologia) habendus est etiam quia ut talis a fere 80 Summis Pontificibus commendatus est. Quod quidem non impedit quominus ratio habeatur etiam aliorum doctorum, sed divi Thomae doctrina saepe cum fide et constante Ecclesiae praedicatione coniungitur.

Eadem pag. 5,[4] linn. 21 et 22: « Omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum subtilioribus... ». Transeant, ex una parte, quaestiones subtiliores quae recte omitti possunt, sed quaestiones *obsoletae* quaenam sunt? Si S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus sibi reservat munus has quaestiones recensendi nihil habeo dicendum; sed si id cuicumque Professori definiendum deferatur, tunc valde dubitarem an sit bonum, quia nescitur quo, cum huiusmodi libertate, perveniatur.

Pag. 6,[5] lin. 1 et seq.: Cum agatur de studio scientiarum socialium inchoando, clarius aptiusque dicatur: « esse doctrinae socialis, profecto maximi momenti, tradenda elementa philosophica, nempe quae ad philosophiam pertinent ».

Pag. 6, linn. 16 et 17: « omissis obsoletis ... ». Id delendum esse quia ob id quod supra dixi respectu philosophiae.

Pag. 6, lin. 26 et seq.: « ... secundum normas a Sancta Synodo traditas ». Suntne traditae vel tradendae?

---

[2] Cf. p. 757.
[3] Cf. p. 757.
[4] Cf. p. 757.
[5] Cf. p. 758.

Pag. 7,[6] ad n. 17: Distinguantur Orientales Orthodoxi, qui dicuntur, a Protestantibus. Pro Orientalibus dicerem a singulis professoribus, dogmaticae, S. Liturgiae, Historiae Ecclesiasticae..., enucleanda esse quae in disciplina, quam docent, Orientales respiciunt.

Pag. 7, lin. 29: « ... in praxim pastoralem initientur ». Quam praxim quodammodo definirem dicendo: quod (praesertim) debeant cathechismum pueris tradere.

Card. GODFREY: Quoad normas generales et studiorum mediorum curriculum videtur mihi schema satis dicere.

Magni momenti est quod dicitur de necessitate ut iuvenes laici scientia non superent alumnos ad sacerdotium adspirantes et quod oportet ut alumni communiter habeant titulum qui requiritur ad ingrediendam Universitatem. Tamen titulus, ni fallor, diversus erit iuxta varietatem nationum.

Cognitio linguae Latinae saepe deficiens est in eis qui vocationem habent tardivam. Nimis facile, uti puto, admittuntur alumni tardivi ad Seminaria ad cursus breviores faciendos. Infelix esset si alumnus ad sacerdotium perveniret cum inadaequata cognitione linguae Latinae ita ut lectio Breviarii et Missalis fieret quasi mechanica.

Equidem rogo ut tota quaestio de vocationibus tardivis accurate examini subiiciatur et plenus cursus philosophiae et theologiae deberet compleri etiam in seminariis vel Collegiis specialibus.

Hac in re experientia per multos annos me docuit multum.

Licet sperare quod insistendum erit ut omnis alumnus faciat totum quadriennium theologicum. In numero duodecimo pagina sexta,[7] ubi de scientiis socialibus et de quaestionibus quae modernam societatem exagitent, optimum est quod schema dicit, sed alumni moneantur quod in praedicatione ne attrahantur nimis ab his rebus ad detrimentum doctrinae dogmaticae.

Quotidiana lectio diariorum, uti patet, facile inclinabit mentem sacerdotis ad res quae exagitant modernam societatem.

Ad paginam sextam numero decimo quinto: Vetus testamentum ne negligatur sed unitas duorum Testamentorum clare explicetur evitando opiniones nimis liberales iuxta recens monitum opportunum S. Officii.

Lingua Graeca, proh dolor, non est in magno honore nec lingua Latina in scholis mediis est honorata sicut in annis praeteritis.

---

[6] Cf. p. 758.
[7] Cf. p. 758.

Card. CONFALONIERI: 1) Optima dicuntur in schemate, concinne, clare, temperate exarato.

2) Quaedam de alumnorum praeparatione in re liturgica: experientia docet non paucos seminaristas seu clericos male altari inservire, et ita, ut ipsi, etsi liturgiae student, videantur nihil potius intelligere de eius momento practico sive quoad cultus splendorem sive quoad aedificationem fidelium. Etsi enim boni et pii, tamen (parcite mihi qui solo ductus amore loquor) anserum potius more procedunt et agunt, quasi si, caeci et torpidi, rerum intelligentiam et praevidentiam non habeant. Ergo quaedam verba in schemate addantur ut in Seminariis, simul cum institutione scientifica, exercitationes practicae liturgico-coeremoniales sedulo a peritis huius rei amantissimis viris fiant.

3) Circa competentiam Studiorum, Sancta Sedes videat an sit instituendum Dicasterium proprium, distinctum, a se stans, quod rei scientificae et culturae praesideat pro omnibus: id est, pro Seminariis Dioecesanis, pro scolasticatibus Religiosorum, sive in Occidentali sive in Orientali Ecclesia sive etiam in locis « Propagandae Fidei » subiectis, et insimul pro Universitatibus Catholicis et Ecclesiasticis Facultatibus, et Conlegiis.

Card. RICHAUD: Ad illud schema enixe praeparatum, velim reverenter primum duas observationes generales afferre:

1) Optima animadversio quae habetur, pag. 4,[8] in n. 5, valet etiam quoad numerum annorum curriculi philosophici vel theologici. Nam evidenter non sunt aequales conditiones scientiae, maturitatis, culturaeque pro iuvenibus apud omnes nationes. Educatio, etiam ecclesiastica, non potest esse nimis stricta in concreta applicatione pro omnibus temporibus ac regionibus.

2) Paululum miror quod in tali schemate nihil de necessitate libri manualis dicitur. Etenim, secundum aliquod verbum Patris Lagrange, nunc defuncti sed exegetae famosi Praedicatorum: « Nulla scientia fit nisi incipiendo a quodam libro manuali ».

Aliunde, aliquas notas particulares propono:

In pag. 5,[9] n. 9: addendum, mihi videtur in fine paragraphi, lin. 16: ... et etiam studio ecclesiasticae historiae, qua mentes alumnorum iam, durante cursu philosophico, ad sensum Ecclesiae efformantur, « complenda est ».

---

[8] Cf. p. 756.
[9] Cf. p. 757.

In pag. 6,[10] quoad lin. 1, sic renuntio: scientia socialis non potest dici tantummodo « inter disciplinas connexas » philosophiae, ut insinuat lin. 33 in pag. 5, sed pertinet ad Ethicam, quae est pars essentialis philosophiae. Ut saepe docuit Pius XII, haec doctrina socialis christiana, non in parva parte, assumit praecepta legis naturalis quae pro omnibus, etiam non christianis, vigent. Ergo studium ethicae socialis non remittatur unice ad theologiam moralem, postea tractandam.

In pag. 6, quoad n. 14, humili meo sensu, puto quod doctrina S. Thomae praebet, etiam pro mentibus modernis, synthesim fundamentalem et rectam, sed debet nunc proponi cum augmentis aliorum theologorum qui postea venerunt in linea eorumdem principiorum et in connexione cum adiumentis scientiarum modernarum.

In pag. 7,[11] linn. 5 et 6, addendum est ad verba « in theologia spirituali » hoc complementum: « sub aspectu practico et etiam historico ». Nam satis multi alumni et sacerdotes nunc ignorant veteres auctores spirituales qui semper sunt actuales et aliquando denotant psychologiam validam magisque profundam, quia metaphysicam, unde perennem. Et generatim puto quod omnes disciplinae theologicae debent exponi non solum scientifice, sed cum relatione aliqua spirituali et praesertim pastorali, sicut enuntiat optime n. 19. Quoad methodum docendi, addo quod necesse est, sicut opinor, ad efformationem mentium apud alumnos, servare scholasticam methodum. Speciatim in hodiernis diebus, convenit ut sacerdotes cogitent, cum logica ac praecisa methodo, circa theorias saepe confusas et aequivocas, si aliunde oportet sane quod sacerdotes, in explanatione ad fideles, semper clare et modo totaliter adaptato se ferant.

Card. DÖPFNER: Schema praeiacens placet ob aequilibratam synthesim et ponderationem rerum tractandarum. Quoad tria argumenta animadversiones complementarias addere mihi liceat.

1) Ad nn. 10 et 14: Schema nostrum fortiter vindicat momentum, quod habent et principia et methodus Sancti Thomae Aquinatis, sive in philosophia scholastica sive in sacra theologia tractanda. Haec quidem recte fiunt; nam uti recentiora studia de Doctore Angelico edita demonstraverunt, ipse etiam in quaestionibus ultimis humanis homini moderno quoque valde est propinquus. Redactores schematis tamen minime intendisse his paragraphis auctoritatem minuere aliorum doctorum et systematum ab Ecclesia saeculis decurrentibus receptorum, accurate legenti perspi-

[10] Cf. p. 758.
[11] Cf. p. 758.

cuum est. Immo, agnoscitur etiam et retinendum declaratur, quid v. gr. vel in systematibus philosophiae modernae (quae — ut compertum est — non semper et in omnibus cum recta fide componi potest) boni inveniatur. Ne tamen ullo modo suspicio oriri possit, ac si Doctori Angelico ampla laude retributa parum perpenderetur momentum aliorum auctoritatum catholicarum, additiones commendo faciendas quasdam:

a) In fine n. 10 dicatur exempli gratia: « Compleatur tamen haec institutio in philosophia scholastica secundum principia et methodum Sancti Thomae facienda iis elementis principalioribus, quae ab aliis philosophis christianis allata sunt ».

b) In initio n. 14 locutio est non solum de principiis S. Thomae, sed etiam de methodo theologica qua tali. Textus forsitan aliquomodo mutari poterit, ita ut simul *et* methodus theologica ut sic clarius delimitetur *et* innotescat quomodo intret in eam auctoritas humana sive Sancti Thomae sive aliorum magnorum doctorum Ecclesiae. Tanquam specimen emendationis faciendae propono numerum 14 ita incohandum: « Quare theologia sacra solide tradatur in omnibus suis partibus, apta pro diversa materia methodo adhibita, generatim tamen procedente a Fontium Revelationis exacta cognitione, explicatione et datorum eorundam prima synthesi; perficienda per systematicam inquisitionem secundum Sancti Thomae principia instituendam, minime tamen neglectis doctrinis aliorum doctorum et scholarum in Ecclesia receptorum; omissis tamen ... ».

2) Quoad n. 15, pag. 6,[12] lin. 30 sq.: Ut claram et praecisam cognitionem Fontium Revelationis quis habere possit, indispensabiliter requiritur certa quaedam cognitio linguae hebraicae et graeco-biblicae; nam alias quomodo poterit aliquis accurate explicare sensum verbalem integrum Veteris et Novi Testamenti necnon Patrum Graecorum et primaevorum documentorum vitae Ecclesiae? Unde in n. citato loco « Alumnis ... opportunitas detur ... addiscendi » dicatur potius « Alumni insuper introducantur — in quantum fieri potest — in sacras linguas hebraicam et graeco-biblicam, quibus ... » vel simile quid.

3) Quoad n. 9, pag. 5,[13] linn. 13-16: In curriculo philosophiae verum adest periculum, ne alumni hoc studii sat aridi tempore ipsi aridi fiant. Huic periculo diminuendo remedium aptum certe innuitur, sed parvis emendationibus clarius evolvatur.

Proin hanc fere mutationem proponere liceat: « Quae praeparatio religionis studio ac potissimum continua et perite inspirata S. Scriptu-

---

[12] Cf. p. 758.
[13] Cf. p. 757.

rae lectione, qua alumni vivam Christi redemptionis et totius operis sacrificii notionem sibi infigant, complenda est ».

Card. LARRAONA: Schema optimum mihi sane videtur, fere omnibus numeris absolutum. Tantum aliqua nimium momentosa in se et quoad observationes numerosa noto.

Quoad n. 5, unificatio formationis ecclesiasticae certe est optanda et procuranda; quoad unificationem competentiarum alia quaestio est, magis difficilis. Adhaereo illis quae dixit Em.mus Confalonieri. Revera haec S. Sedi proponi possunt, sed uni ipsi ordinatio competentiarum pertinet et Codici relinquenda est.

Quoad n. 8, haec, nisi fallor, nunc corrigenda sunt, melius complenda illis quae dixit Const. *Veterum Sapientia* n. 7, ita ut iam non tantum agatur de intelligentia linguae latinae, sed etiam de explicationibus in ipsa lingua quoad materias praecipuas theologicas et philosophicas dandis et etiam quoad facilitatem ipsa lingua utendi et oraliter et scripto.

Quoad n. 10, multa audivi; de hoc agetur separatim in schematibus, sed tamen, forsan, iam nunc posset indicari illud quod ita bene et accurate dixerunt Em.mi Patres Frings et Döpfner; id est quod nullo modo aliquid abductum sit principatui indiscusso et indiscutibili S. Thomae, revera forsan hic etiam agatur de admittendis illis magistris qui aliquo modo complere possint illa quae Angelicus docuit. In Const. *Sedes Sapientiae,* n. 14, art. 44 § 2, art. 45 § 4, dicitur, postquam enuntiatus fuit principatus S. Thomae: « non omissis tamen aliis magistris ab Ecclesia adprobatis ». Forsan hic et n. 14 haec formula vel alia similis possit opportune addit, etiam si alio in loco res melius explicetur.[14]

Exc. HURLEY: Schema huius capitis, generaliter loquendo, multa laudanda continet; ex eo enim apparet veros conatus factos esse aptiores inveniendi modos quibus studia in seminariis nostri temporis exigentiis sint accommodanda. Attamen defectibus non caret — defectibus qui fortasse minus apparuissent si, ex una parte, multa praeclare dicta quae in notis inveniuntur in ipso schemate posita essent; et, ex altera parte, simul cum isto, schemata etiam aliorum capitulorum praesto fuissent. Uti nunc stat, meo modesto sensu, duobus gravibus defectibus laborat: primo quidem, non assignat finem generalem studiorum in seminariis; secundo vero (quod a primo dependet) minime detegit fundamentalem vigentis systematis defectum ut ei remedium applicet. Liceat mihi de utroque argumento quaedam afferre:

---

[14] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

I. *Finis generalis non assignatur.*

In schemate, finis unicuique sectioni curriculi — studiis mediis, philosophiae et theologiae — utique assignatur; finis tamen generalis, totum curriculum complectens, non determinatur, et descriptio finis ipsius theologiae curriculi fit tantum terminis valde generalibus, istis scilicet: « finis est intima Divinae Revelationis cognitione alumnos ita praeparare ut et scientia et vita fidei alte imbuantur et ad munus sacerdotale sancte obeundum rite disponantur ». Necessarium tamen est accuratissime indicare ea muneris sacerdotalis elementa ad quae alumni praeparandi sunt; et quidem non tantum cum de ipso theologiae curriculo agitur, sed iam ab initio totius tractationis de studiorum ratione in seminariis: sic enim clarissime finis perspicitur antequam de mediis sermo fiat. Quod si mihi contingeret talia elementa enumerare, ad ista tria ea reducerem: 1) fidem praedicare (Catechesis); 2) sacramenta administrare (Liturgia); 3) fideles regere. Quae sane sacerdotale munus veluti constituunt. Unde dolendum mihi videtur capitula IV et V Decreti, nempe « De Studiorum Ratione in Seminariis » et « De Institutione Pastorali » non per modum unius tractari. Cur pastoralis aspectus ab aspectu studiorum separatur? et tamen finis omnium seminariorum studiorum est sacerdotes pastorales formare. Quod minime significat formationem ad merum « pragmatismum » reduci; e contra, fit profunde intellectualis, emotionalis, spiritualis et socialis, ad pastoralem finem ordinata, quemadmodum Christus Apostolis formationem pastoralem tradidit.

Proinde hoc affirmare non dubito: finis principalis omnis formationis sacerdotalis (illa solum excepta quae in monasteriis contemplativis datur) pastoralis omnino esse debet. Quoad illos qui muneribus particularibus obeundis destinantur — puta in seminariis, Curiis et his similibus — specialem formationem accipere non debent nisi hac pastorali formatione iam accepta.

II. *Fundamentalis defectus non detegitur.*

Ut ergo dictum est, finis cursus seminaristici in schemate non indicatur. Ex hoc sequitur quod fundamentalem vigentis systematis defectum detegere non potest. Iamvero, attentis expositis, huiusmodi defectus in hoc consistit quod in praesenti systemate non invenitur vigorosa orientatio pastoralis *quae totum curriculum pervadat.*

Etenim formatio quae traditur nimis abstracta est, et caret sufficienti relatione ad vitam pastoralem quam sacerdotes agere debent.

Consulto dixi « quae totum cursum pervadat »; non enim defectui remedium affertur per meram *additionem* unius aliusve cursus (academici aut practici) theologiae pastoralis, sed necesse est ut totum curriculum pastoralem orientationem accipiat.

Si autem rationem consideramus cur studiorum curriculum pastorali orientatione caret, in eo eam esse videmus quod generatim methodo scholastica totaliter impregnatur. Huic enim methodo validus impulsus datur iam per biennium studiorum philosophiae scholasticae; quo elapso, theologia eadem philosophica forma docetur. Iamvero methodus scholastica ex se sola apta non est ad formationem pastoralem, nam ad hominis rationem tantum, eamque sat bene excultam, dirigitur; dum orientatio pastoralis ad totum hominem alloquitur — ad totum, dico, non solum ad eius rationem sed et ad imaginationem, voluntatem, passiones et appetitus; ad totum, etiam, omnibus concretis vitae circumstantiis, familialis atque socialis, penitus insertum.

Absit tamen omnino, ut methodi scholasticae valorem quasi despicere videar; e contra, superari non potest in claris cogitationibus efformandis, in accurata ratiocinatione docenda, et ideo nunquam delinquenda est. Attamen, pari gressu cum ea, et alia requiritur methodus, aeque praestans, imo praestantior, quae importat orientationem omnino pastoralem. Huius methodi pastoralis methodus scholastica ancilla esse debet, quemadmodum theologiae philosophia. Finis autem huius methodi (quae, aptiori designatione deficiente, « kerygmatica » vocari solet) est formatio virorum qui fidem non solum contemplari et analysi intellectuali subiicere queant sed et communicare. Fides autem triplici modo communicatur: catechesi scilicet, liturgia, et vitae christianae influxu; unde methodus kerygmatica ad ista tria attendere debet:

1) Theologiae studendum est intuitu catecheseos ad personam humanam totalem dirigendae, ad personam scilicet sensu, imaginatione, emotione, ratione et voluntate praeditam; ad personam in concretis vitae adiunctis insertam. Ideoque maxime attendendum est ad praesentantionem fidei scripturalem, magis catechesi adaptatam quam elaboratio scholastica — quae tamen minime negligenda est. Praeterea valde insistendum est in methodis practicis et modernis veritatem communicandi, tum verbo, tum scripto.

2) Liturgia, eiusque munus efformandi communitatem christianam fidei, cultus et caritatis, semper amplissime ac profundissime tractanda est in institutione futuri sacerdotis pastorali.

3) Personalis formatio seminaristae profundius in ipsam eius theologicam et liturgicam formationem inserenda est; ita ut, studiis tandem peractis, pastorale ministerium nullatenus obstaculum, sed potius adiumentum ad sanctificationem constituat.

Denique, quod ad philosophiam spectat, et ipsa adiuvare debet, non impedire, formationem pastoralem theologicam; unde ne magistra fiat theologiae, sed ancilla remaneat; ac sacrorum alumno semper adiumento

sit ut plenissime illum cognoscat mundum cui postea evangelium salutis, e theologia desumptum, alte proclamare debebit.

Card. FERRETTO: Nescio utrum pag. 7,[15] linn. 1 et 2, loco verborum « in historia ecclesiastica » dici latius queat « in disciplinis historicis ecclesiasticis » ut facilius aditus pateat, praesertim iuvenibus qui Romae sacris instituuntur, ad studium monumentorum antiquorum, quae utillima sunt ad melius cognoscendam et demonstrandam authenticam traditionem veterum christianorum, etiam in rebus liturgicis, sicut Sanctus Philippus Nerius suis temporibus, contra innovatores firmiter valere bene intellexit et rerum historicarum peritissimus vir, Cardinalis Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis optime nos omnes docuit.

Rev. GUT: Schema huius Capitis mihi *placet,* immo valde placet (non tantum quia Secretarius Commissionis proponentis est meus Rector cum quo in pace vivere desidero), sed quia schema, mea saltem humili sententia, est organicum, firmum in necessariis, sed etiam diversarum conditionum aequam rationem habens, eo quod Episcoporum Coetibus multa committuntur determinanda.

Ea quae venerabili Ecclesiae traditione sancita sunt in schemate confirmantur; simul autem debito accentu proferuntur ea quae hodie particularem curam exigunt in alumnorum conformatione doctrinali.

Notanda est utilitas Notarum quibus schema instructum est. Immo aliquando quaedam ex notis possent transferri in ipsum textum decreti. Sed admitto tunc difficulter servari posse aequilibrium schematis, quia de facili tot singulorum desideriis concinnus modus loquendi destrueretur.

Pro mea parte qui olim Sacram Scripturam in Facultate Theologica professus sum, quadam curiositate scire vellem cuius indolis debeat esse illa lectio Sacrae Scripturae quae durante biennio philosophico alumnis tam fortiter commendatur.[16]

Rev. BROWNE: Humiliter suggererem ut in pag. 5,[17] linn. 8 et 9 (i. e. paragr. III, n. 9), dicatur: « Studiis mediis rite absolutis biennium (*saltem*) philosophicum peragendum est ... ». Ad partem positis rationibus quae, attentis ipsis solis studiis philosophicis, possent suadere triennium loco biennii, habentur quaedam aliae considerationes quae huic favent. Sicut enim studia philosophica alumnum praeparant ad in-

[15] Cf. p. 758.
[16] Textus lectus est ab Exc.mo Secretario Generali.
[17] Cf. p. 757.

tellectum partium magis abstractarum sacrae theologiae, ita etiam dantur alia studia praeparatoria quae ipsum aptum reddunt ad illa studia biblica quae in cursu theologico locum habent. Haec studia praeparatoria sunt lingua hebraica et graeco-biblica, elementa historiae sacrae biblicae, elementa disciplinae quae vocatur Introductio specialis in ipsos libros sacros, historia versionum Sacrae Scripturae et similia. Ita quoque ipsum programma cursus theologici quadam mensura alleviaretur et provideretur ut educatio philosophica alumnorum « Divinae Revelationis lumine penitus perfundatur » ut dicitur supra in paragr. II, n. 6 (pag. 4,[18] linn. 21-23). Addi quoque posset ratio desumpta ex consideratione quadam generali paedagogica, scilicet, quod non omnes alumni facile unice se applicant studiis pure abstractis, sicut fere necessario est casus quando cursus philosophicus continetur intra limites solius biennii.

Rev. Sépinski: *In genere*: placet schema prout proponitur et placent etiam notae, optime exaratae, quibus schema elucidatur.

In specie: Non placent quae dicuntur pag. 5,[19] n. 10, linn. 17-19: « Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, secundum S. Thomae Aquinatis principia et methodum ita tradatur etc. ». Neque placent quae dicuntur pag. 6,[20] n. 14, linn. 14-15: « Quare theologia sacra secundum S. Thomae principia solide tradatur in omnibus partibus ».

Ratio exceptionis est quod nimis absolute nimisque exclusive apparent normae de quibus supra, nam videntur parvi pendere, immo prorsus ignorare, merita aliorum Doctorum et Magistrorum, qui sanctitate et doctrina catholicam Ecclesiam illustrarunt, veluti S. Bedam Venerabilem, S. Bernardum Abbatem, S. Bonaventuram, S. Albertum Magnum, Ioannem Duns Scotum, Doctorem Immaculatae Conceptionis et primatus absoluti Verbi Incarnati, Franciscum Suaresium, S. Laurentium a Brundusio, S. Alfonsum M. de Ligorio et plures alios. Praeterea eaedem normae contradicere videntur iis quae asseruntur in ipso schemate, pag. 9,[21] n. 3, linn. 11-15: « Concilium ea tantum statuere debet pro universa Ecclesia quae omnibus revera prosunt, id est leges generales et stabiles, generalia principia et criteria duratura dare, quae ab omnibus servari debent ».

Meo quidem submisso iudicio nec prudens nec aequum esset Concilium a studentibus et a scientiae cultoribus exigere ut mentis acumen

---

[18] Cf. p. 757.
[19] Cf. p. 757.
[20] Cf. p. 758.
[21] Cf. p. 760.

atque pervestigationes suas perstringerent erga unum tantum Doctorem, etsi sanctitate et doctrina praefulgentem ac maxima reverentia et veneratione dignum.

En vero motiva quibus innititur haec mea opinio:

1) Contactus quos frequentissimos habui, dum Provincias per universas orbis partes visitarem, cum viris doctis, cum ecclesiasticis tum laicis, me docuerunt professores libenter uti doctoribus et magistris ab Ecclesia probatis in variis quaestionibus exponendis et elucidandis, semper quidem magni facientes Doctorem Angelicum S. Thomam, catholicarum Scholarum caelestem patronum.

2) Non abs re erit nonnulla quaesita, hanc materiam quod attinet, nobis ponere, scilicet:

a) Quomodo accipient huiusmodi normas Orientales catholici? Ipsi enim quamquam mentem occidentalem non habent circa philosophiam et theologiam, fidei depositum sartum inviolatumque servarunt.

b) Quaenam erit mentis dispositio Orientalium qui orthodoxiae adhaerent? Novimus enim quod in Conciliis unionis una ex causis cur nisus unionem restaurandi, aut vani fuerunt aut effectum firmum non habuerunt, in eo quaerenda est quod ipsi non valuerunt sese menti philosophicae ac theologicae occidentalium accommodare.

c) Si oculos convertimus ad Protestantes et ad populos Africae et Asiae, penes quos insudant Missionarii, non erit forte harum normarum introductio obstaculum pro reditu ad unitatem vel pro conversione ad fidem?

3) Insuper considerandum etiam est quod plures Ordines et Congregationes religiosae, etsi S. Thomam venerantur tamquam summum Doctorem et scholarum catholicarum patronum, habent proprias saeculares traditiones, Ecclesiae magisterio conformes, quas aegre relinquerent. Quod attinet ad Ordinem Fratrum Minorum, Constitutiones generales a Summo Pontifice Pio XII anno 1953 approbatae in forma specifica, haec habent: « In doctrinis philosophicis et theologicis lectores scholae franciscanae ex animo inhaerere studeant; ceteros scholasticos, Angelicum praesertim Doctorem S. Thomam, catholicarum scholarum caelestem patronum, magni faciant » (Art. 238, par. 6).

His dictis, ut unicuique suum tribuatur, textum schematis propositi pag. 5,[22] n. 10, linn. 17-19 ita emendarem:

A) *I propositio.* « Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, secundum principia solida Auctorum scholasticorum, duce S. Thoma,

[22] Cf. p. 757.

ita tradatur, ut alumni eius completam et cohaerentem synthesim acquirant, etc. ».

Vel, si magis placet:

B) *II propositio,* quae plane cohaeret cum iis quae habentur in Statutis Generalibus Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae* adnexis, art. 44, par. 2, n. 2: « Philosophia scholastica, quoad omnes partes, tradatur et explanetur secundum S. Thomae Aquinatis doctrinam et principia, non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis ».

Quod attinet ad sacram theologiam, textum de quo in schemate ita emendandum esse censerem:

I propositio: « Quare theologia sacra secundum principia solida auctorum scholasticorum, duce S. Thoma, tradatur; habita etiam ratione theologiae positivae, uti aiunt. Adhibeatur pro diversa materia methodus apta, omissis obsoletis etc. ».

II propositio: « Quare theologia sacra secundum S. Thomae principia solide tradatur in omnibus suis partibus, non omissis tamen illis Magistris ab Ecclesia probatis (cf. St. Gen. « Sedes Sapientiae », art. 44, par. 2, n. 2), habita etiam ratione theologiae positivae, uti aiunt. Adhibeatur apta pro diversa materia methodus, omissis obsoletis etc.

Eaedem observationes valent, congrua congruis referendo, de cap. II schematis « De studiorum ecclesiasticorum universitatibus » pag. 5,[23] n. 6, linn. 16-19.

Ad p. 5, lin. 7 loco « atque usurpare » praeferrem « eisque perfrui ».

Ad p. 6,[24] linn. 19-20 proponerem claritatis causa: « profunde penetrent, *eam* propriae spiritualis... alimentum, eamque... ».

Ad p. 7,[25] lin. 10 corrigatur: « plenius ».

Ad p. 8,[26] linn. 10-11 proponerem claritatis causa hanc interpunctionem: « parit aetas; devitanda est autem... praelectionum, ne iuvenum mentes... etc. ».

Ad p. 15,[27] lin. 8 corrigatur « congregationis ».

Ad p. 15, lin. 17 proponerem interpunctionem: « hodie gravissima est, quia ».

Ad p. 15, lin. 27 proponerem interpunctionem: « obtineri posse, si omnes etc. ».

---

[23] Cf. p. 757.
[24] Cf. p. 758.
[25] Cf. p. 758.
[26] Cf. p. 759.
[27] Cf. p. 764.

Rev. TINELLO: Ratio studiorum in Seminariis accuratissime est praeparata, sed cum agatur de scientia quae tandem aliquando requiritur ad Sacerdotium consequendum, opportunum videretur quod Concilium Oecumenicum unum tantum decretum de hac re ederet, sive pro sacerdotibus qui saeculares dicuntur, vel melius « dioecesani », sive pro Religiosis, quatenus sacerdotio ornatis.

Unum in Ecclesia est Sacerdotium, quod a Christo Domino participatur; unica ergo sit sacerdotum doctrinalis et spiritualis praeparatio.

Altera unitatis ratio: toto orbe quaedam nunc temporis diffusa est cogitandi ratio, quam vulgari sermone « cultura standardizzata » vocare possumus, quae, dolendum quidem, radicitus opponitur catholicae sentiendi rationi. Ipsi etiam novarum nationum moderatores, quae recens in Africa et Asia sunt ortae, plerumque Studiorum Universitates Occidentis vel Orientis celebraverunt, in quibus philosophicis principiis imbuti sunt, quae rectum rationis naturaeque ordinem evertunt. Hinc necessitas apparet in unum corpus redigendi ea doctrinae capita, quae communis structura mentis sacerdotum fiant, praesertim quod attinet ad philosophiam Thomisticam, quae aptius classico-christianam dici potest, quae ubique terrarum valide praeambula fidei constituit.

Quapropter expresse dicatur hoc schema respicere etiam formationem doctrinalem philosophicam et theologicam sive Religiosorum in ordine ad sacerdotium, sive Clericorum Ecclesiae Orientalis et eorum qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide sunt obnoxii. Ratio tamen habeatur genii ac necessitatum cuiusvis Nationis. Ad hunc finem assequendum, optabile est ut de hac re Commissiones, quarum interest, in hoc decreto de studiorum ratione consentiant.

Nunc autem: ad n. 4, pag. 3,[28] lin. 27: Circa causam, quae suadet ut alumni mittantur in « sedes communes », scil. « congruus alumnorum numerus, *quo deficiente* » necessariae fiunt sedes communes, dicendum:

Causa, sane valida, respiciens exiguum numerum alumnorum, nec unica est, nec potior! In numero enim qui praecedit, seu in III, optime de magistris sermo est, de eorum numero, vitae exemplo, paedagogicis dotibus, titulis academicis, aequa remuneratione, et de eorum ab alienis officiis vacatione.

Nescio an in parvis, vel quandoque in magnis dioecesibus, quae maxima laborant cleri penuria, Sacerdotes exstent (ad minus quindecim, pro regimine et magisterio philosophico et theologico necessarii!) iisdem dotibus ornati, praesertim ad titulos academicos quod attinet. Hae quoque causae enumerentur oportet.

[28] Cf. p. 756.

Dicatur ergo hic congruentius: « quibus condicionibus deficientibus, de quibus fit mentio in n. III, alumni in sedes communes (nonne melius latine dicitur « *in sedibus communibus?* ») cum aliis sacrorum alumnis coniungantur etc. ... ».

At satis non intelligitur quae sint istae « sedes communes »; qui sint « alii sacrorum alumni », cum quibus priores alumni sint coniungendi; quomodo hae sedes, quae « communes » appellantur, regi debeant; quo denique iure et auctoritate Episcopi sint participes regimini istorum Seminariorum « communium ».

In hoc n. 4, signanter videtur omissam fuisse denominationem Seminariorum, quae interdioecesana dicuntur vel regionalia, de quibus in Codice expressa fit mentio (cf. can. 1354, § 3). Forte obici potest: et in alio schemate de Seminariis istis sermo fiet. Bene quidem!, sed etiam in hac sede de iis agere oportebat, cum de formatione intellectuali agatur, quae est coessentialis cum formatione spirituali et morali Clericorum.

Ne verbum quidem praeterea de Seminariis quae a nationibus cognominantur, quaeque vel Romae exstant vel in aliis terris, quae profecto praeclarassimas partes ubique pro Ecclesiae bono agunt.

Hac ideo super re duo mihi exponenda videntur:

I. Non desunt locorum Ordinarii — perpauci profecto! — qui Seminariis interdioecesanis et regionalibus adversentur, utpote qui se putent removeri a munere et officio ecclesiasticam educationem suis clericis tradendi in suo cuiusque Seminario. Ita quidem ut iidem Episcopi vellent potius ut iuvenes, qui ad sacerdotium vocantur, in sua dioecesi manerent, etsi « solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficacius consuli non possit », ut optime in schemate dicitur.

Adest e contra omnium fere Episcoporum consensus, qui clericos in provincialia vel regionalia Seminaria perlibenter instituendos mittunt. Experientia praeterea quinquaginta annorum, qua videmus perplurimos iuvenes ex Seminariis regionalibus sacerdotes factos esse scientia, animi pietate, rerum pastoralium peritia praestantes, praeclare ostendit quam necessaria sint in Ecclesia Seminaria provincialia et regionalia, in casibus scilicet et circumstantiis ab Apostolica Sede probatis.

II. Seminaria interdioecesana et regionalia nihil praeterea novi prae se ferunt. Nam Conc. Trid. (Sess. XXIII, c. 18), etsi non disertis verbis, de eorundem quadam necessitate loquitur, his nempe verbis: « Si vero in aliqua provincia ecclesiastica tanta paupertate laborent ut collegia in aliquibus erigi non possint, Synodus provincialis vel metropolitana cum duobus antiquioribus suffraganeis, in Ecclesia metropolitana vel in alia provincia ecclesiastica commodiori, unum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in

quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur ».

Meminisse quoque iuvabit Constitutionis Apostolicae « Susceptum inde » (25 martii 1914), cuius vi huiusmodi Seminariorum natura explicatur. Quam sequitur ipse Codex Iuris Canonici, qui in can. 1345, § 3 expresse loquitur de Seminariis interdioecesanis vel regionalibus « auctoritate apostolica » constitutis.

Mentio quoque est facienda documentorum, quae Romani Pontifices frequentissima, hac super re, protulerunt, et quae in volumine reperiuntur, cui titulus: *L'ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII,* cura edito Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus (a. 1958).

Quae cum ita sint, submisse petimus:

I. Ut in hoc articulo IV non praetermittantur sollemnissima quae diximus documenta;

II. Ut, iis spectatis, quae hac super re Conc. Trid. statuit, dilucide mentio fiat in Concilio Oecumenico Vaticano II, de Seminariis interdioecesanis, regionalibus et nationalibus « auctoritate apostolica » conditis; ut declaretur quam eadem Seminaria, pro aliquibus Nationibus vel Regionibus, cum necessitatibus congruant huius nostrae aetatis; ut denique de iisdem ita tradantur certae normae, iure communi innixae, ut quam maxime consiliis et propositis respondeant quibus exsequendis condita sunt.

Rev. CAMAGNI: Ad cap. IV, n. 3, lin. 24: verba « *se non proprio, sed Ecclesiae nomine docere* » minus propria mihi videntur.

Magister enim, ac praesertim sacrae Theologiae doctor, cui Ecclesiae sanctum fidei depositum religiose tradendum atque docendum commisit, est *instrumentum vivens* suique ingenii dotibus est praeditus. Nunc autem, depulso quovis superbiae motu in nobilissimo exercendo munere (quasdam docendi rationes significo, in quibus tantum « *tò egò* » excellit nihilque utilitatis menti et cordi discipulorum obvenit), nullum est dubium quin magister, ut instrumentum vivens, hisce ingenii dotibus uti debet modo efficaci atque, ut ita dicam, *activo* et *dynamico* in veritatibus catholicae fidei explicandis.

1) Patet, ut ex historia colligitur, fidei propositiones plerumque *fixam formulationem* esse consecutas propter necessitates vel adiuncta propria alicuius aetatis; sed minime eas plenitudinem et sensum dogmatum exhaurire. Est quidem tum Ecclesiae docentis tum theologi catholici eas ulteriore studio atque multa cogitatione investigare « *in eodem*

sensu et in eadem sententia », quo aptius nostrae aetatis problematis respondeant et planius intellegantur.

2) Patet insuper ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II oculos et mentes et spes dirigi non solum « fratrum separatorum » sed etiam doctorum laicorum, qui litteris, artibus, scientiarum, earumque inventis operam navant. Qua re, ut ab his etiam viris ad Ecclesiam et ad fidem via aperiatur, necesse est ut catholicae veritates modo accommodato ipsorum necessitatibus atque cum ipsorum *mentis habitu* congruenti tradantur. Hoc esse officium puto nostrorum theologorum atque philosophorum. Minime loquor (est sedulo advertendum — Modernistarum error docet!) de novis doctrinis inducendis quae a tradita Ecclesiae doctrina abhorreant; neque loquor de catholica doctrina accommodanda placitis huius aetatis. Illud tantum dico: eos magistros esse adiuvandos qui, firmiter haerentes in catholica doctrina, hanc illustrare conentur omnibus atque uberrime ita ut *etiam* rationes appareant quae nostris temporibus respondeant. Attenta enim huius temporis « psychologia », potior videtur explicatio, quae, praeter defensionem catholicae doctrinae, praeter negationes et condemnationes errorum, intendat ad *positivam,* ut dicitur, et ampliorem affirmationem ita ut ii quoque qui *ratione* tantum *naturali* utuntur, intellegant plenam et universalem et veram humanorum problematum solutionem offerri ab Ecclesia Christi, quae Revelationis lumine fruitur.

Hoc modo, dum errores damnantur, mentes honestorum facilius trahuntur ad fidem, cum in sancto Ecclesiae magisterio quandam perspiciant invitationem, sinceram sane atque ex corde manantem, ad considerandas catholicas veritates. *Ecclesia* enim non solum est magistra, sed etiam *mater,* quae non adversatur intellectui humano, sed eum educat, excitat, erigit. Haec autem uberior explicatio, semper et plane consentanea tum fontibus Revelationis tum Summorum Pontificum magisterio, ut mihi videtur, est praecipuum officium eorum, qui nobilissimo magistrorum munere, sive in Seminariis sive in Studiorum Universitatibus, funguntur.

His de causis, verba supra relata sic esse immutanda humillime censeo: « *se Ecclesiae doctrinam docere, neque tantum proprio, sed praesertim Ecclesiae nomine agere* ».

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: adhaereo animadversionibus Em.morum Frings et Döpfner necnon Rev.mi Ministri Generalis Fratrum Minorum; probo quae dixit Exc.mus Archiepiscopus Durbanianus.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae exposita sunt ab Em.mis Cardd. Ruffini et Confalonieri.

Card. FERRETTO: Placet: unum addo in folio adnexo.[1]

Card. LIÉNART: Hoc schema omnino mihi placet. Aliquid tamen proponere vellem, non ad mutandum sed ad perficiendum quod dicitur de harmonia creanda in mentibus alumnorum, inter diversas studiorum disciplinas separatim traditas (numero undevigesimo, pag. 7 [2] et nota explicativa decima sexta). Historia salutis et mirabilia Dei quae in ea continentur, merito proponuntur ut centrum huius harmoniae. Sed quia historia salutis est diuturna et mirabilia Dei sunt multa, centrum illud diffusum aliquo modo remanet. Eminet tamen in historia salutis et inter mirabilia Dei, mysterium Paschale, mortis et resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi Salvatoris. Hoc mysterium verum est centrum, quo omnia alia se referant et a quo omnia derivant. Culmen est Dogmatis, fundamentum Moralis supernaturalis christianae, centrum anni et cycli Liturgiae, fons apostolatus Pastoralis et perfectionis sacerdotalis. Ideo mihi videtur quod si, ad mysterium illud praecipuum, Magistri in diversis disciplinis expositiones suas ordinarent, synthesim omnium aliarum veritatum et harmoniam vitalem et opulentem, in mentibus alumnorum suorum feliciter crearent.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. ubi agitur, in pag. 4,[3] art. 2, de studiorum mediorum curriculo, mihi videtur, quod valde peropportunum est, ut specialis mentio fiat de necessitate colendi accurate linguam proprii ritus liturgicam.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: ratione habita ad ea quae exposuerunt Em.mi Patres, praesertim Ruffini et Richaud.

Ad n. 17. Praeparentur alumni ad refellendas difficultates quae in regionibus Americae protestantes spargunt non sine exitu inter simplices fideles.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum. Placet schema, placent adnotationes additae. Ratio tamen habeatur animadversionum a Venerabilibus Patribus sapienter prolatarum. Assentio, speciatim, iis quae opportunae dilucidationis causa dicta sunt a Rev.mo Patre Magistro Generali Ordinis Praedicatorum circa ea quae doctrinam et principia S. Thomae spectant.

---

[1] Cf. p. 777.
[2] Cf. p. 759.
[3] Cf. p. 756.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: scilicet consideratis dictis Cardinalis Ruffini, Cardinalis Godfrey, Cardinalis Richaud et Archiepiscopi Hurley.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum.[4]

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum.[5]

Card. VALERI: Placet iuxta modum: ad pag. 6,[6] n. 14, legatur: « Quae theologia sacra secundum S. Thomae principia tradatur in omnibus suis partibus, non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis ».

Eadem observatio ad cap. II schematis: *De studiorum eccl. universitatibus,* pag. 4,[7] n. 3, linn. 11-18.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: scilicet: *Observationes generales.* Schema permulta bona et egregia refert. Tamen videtur esse brevius redigendum, plura relinquendo mediis ordinariis, quibus competens Dicasterium Romanae Curiae habitualiter utitur iuxta mutabilium circumstantiarum exigentias. Hae sunt rationes:

1) Schema oblitum est necessaria esse facienda ut bene fiant. Dolendum plane est, propter nimias notiones eruditas acquirendas, vere fundamentalia — quibus mentalis theologica aptatur constructio — esse apud plures plane desueta. Saepe saepius pluris facta est critica disceptatio, quam vera et orthodoxa mentis et animi educatio. Coeteroquin plurimis intentus minor est ad singula sensus.

Permulta sunt utilia equidem ad cognoscendum, tamen de his moderate agatur aliter ac in Constitutione Conciliari, ita ut possint convenienter et prudenter aptari secundum diversarum temporum et circumstantiarum instantiam.

2) Plura quae dicuntur sunt mutationi obnoxia. Concilium agere debet etiam in rebus mere disciplinaribus ita ut, quae statuuntur, possit etiam per saecula perdurare.

Observationes particulares:

Titulo II, n. 7, pag. 4,[8] linn. 32-34. Dispositio quae hic statuitur est simpliciter demenda. En rationes:

1) Hoc non potest ubique fieri et non sunt sapientes dispositiones, quae in ipso limine legis iam agnoscuntur pluries non applicabiles. De hoc fieri potest exhortatio, non lex.

---

[4] Cf. p. 768.
[5] Cf. pp. 768-770.
[6] Cf. p. 758.
[7] Cf. p. 756.
[8] Cf. p. 757.

2) Quod statuitur potest totam institutionem ecclesiasticam servam reddere institutionis laicalis et quandoque atheae. Quod est maxime inconveniens. Casus erunt plurimi in quibus melius erit libertatem eligere. Sed, si habetur hic lex, in ipso limine legis iam scimus perplura facienda esse vel per infinita indulta, vel — quod valde accidit — in despectu ipsius legis.

Titulo III, n. 10, pag. 5,[9] linn. 17-19 (cf. n. 14). Textus apparet talis ut possit quaedam inconvenientia secumferre. Posset male intelligi, seu quasi tota possibilis speculatio finierit cum Scholasticis et Sancto Thoma. Certe hucusque nullus est supra Sanctum Thomam et nunquam de rebus philosophicis actum est logice, constanter et sana mentali methodo ac in aevo Scholasticorum. Tamen impediendae sunt malae interpretationes alicuius boni textus.

Proponitur ut textus ita corrigatur: « ... Philosophia iuxta communem humani generis sensum et ad mentem Documentorum Ecclesiastici Magisterii, quae iam prolata sunt, sive circa principia sive circa methodum ita tradatur etc. ».

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: schema Constitutionis mihi optimum videtur, sed commentarium meum est:

Pagina octava.[10] Normae generales. Disciplina philosophiae et Theologiae in praeparatione sacerdotium fundata est in veritate, in revelatione, in vera ratione, in traditione, et in his fundamentis perseverandum est. Vigilantia contra invasiones semper observanda est. Obiectum horum studiorum non est invenire media novae terminologiae et formas expressionis quae sint singulares, et manifestationes artium quae sunt — à la grotesque —. Influxus in methodis modernis est periculosus, quia in multis instantiis principia Theologiae dogmaticae et stabilitas doctrinae exposita sunt ad « misrepraesentationem » [erroneam praesentationem]. Nostrum ideale est Christus in praeteritis, in praesentibus et in futuris, et secundum mentem Christi, non in extravagantibus.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: pauca solum addere audeo:

1) Omnia, quae dicta sunt *de fundamento* studiorum *philosophico* in Seminariis, ab Em.mo Card. Frings — magni momenti sunt — ut securius vitetur *determinismus* quidam doctrinalis: Verbum Dei *currit* et clarificetur — per saecula — ad Patrem *futuri* saeculi. *Dux* omnium studiorum est Magister vitae, Iesus Christus D. N., et Ipsum tenere primum locum *oportet* in Seminariis studiorum.

---

[9] Cf. p. 757.
[10] Cf. p. 759.

2) Tempus studiorum nimis prolongatum est, nempe completis studiis mediis, ad 6 annos, cum dies mali sint.

3) Studia exegetica et dogmatica liberentur ab exaggerato pondere s. d. *historicismi* et immoderati *exegetismi,* quae studia historica et exegetica multum prosunt in studiis specialibus, sed parum prosunt in Seminariis Clericorum. *Doctrina de Corpore Christi Mystico* debet esse *fundamentum* studiorum non solummodo in theologia dogmatica, sed etiam morali, in studiis pastoralibus, sociologicis et liturgicis, quam viam nobis aperuit p. m. Pius PP. XII, sectando S. Ioannem Chrysostomum et S. Augustinum.

4) Studia *theologiae pastoralis,* cathecheticae, sociologiae christianae, s. d. sociologiae religionis, psychologiae pastoralis, *separatim tractanda sunt,* cum magnam evolutionem iam decursu temporum acceperint et maxime hodie commendanda sint.

Card. Quiroga y Palacios: Placet iuxta modum: attendantur observationes Em.morum Cardd. Döpfner et Larraona de praeeminentia Sancti Thomae in studiis philosophicis et theologicis, sed habita ratione — et hoc dicatur in schemate — aliorum doctorum et magistrorum ab Ecclesia approbatorum.

In n. 7, pag. 4,[11] etsi rationes quae indicantur in nota explicativa 5 sint verae optimae ad defendenda verba lin. 32, hoc est « communiter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendum requiratur », melius tamen videtur ut deleantur, ut Episcopi pleniorem libertatem habeant ad agendum in hac materia secundum circumstantias suae dioeceseos. Attendantur dicta a Card. Confalonieri et ab aliis Em.mis Patribus de convenientia unius tantum regulationis studiorum pro omnibus, tam saecularibus quam religiosis.

Card. Léger: Placet iuxta modum: ratio tamen habeatur animadversionum factarum ab Em.mis Frings, Ruffini, Godfrey, Richaud, Döpfner, Exc.mo Hurley et Rev.mo Camagni.

Schema de studiorum ratione in Seminariis mihi videtur optimum, speciatim:

In paragrapho 4, ubi proponit quod numerus alumnorum sit congruus;

In paragrapho 6, ubi definit quid sit educatio christiana in studiis mediis;

---

[11] Cf. p. 757.

In paragrapho 18, ubi proponit quod Seminaristae habeant veram initiationem pastoralem.

Tamen haec sequentia mihi videntur notanda.

Quoad titulum capitis II « De studiorum mediorum curriculo », opinor quod verba « studia media » non in eodem sensu intelligantur in omnibus regionibus. Inveniatur aliud vocabulum, vel dentur synonimi.

Quoad paragraphum 10. Elucidetur expressio « secundum S. Thomae Aquinatis principia et methodum ». Dicere « secundum principia et *ad mentem* S. Thomae Aquinatis » nonne esset formulatio magis accommodata hodiernis tentaminibus in re psychologica et in philosophia naturae?

In paragrapho 19, lin. 35, verbo « religiose », conveniret substituere verbum « accurate ».

In notula 4, pag. 10,[12] dicitur quod in Seminariis cultura moderna communicari debet « ne futuri sacerdotes in quodam statu inferioritatis coram laicis inveniantur ». Credo quod positive adsit alia ratio, nempe: « *ob valorem ipsum* illius culturae modernae ».

N. B.: Situatio gravissima existit actualiter in multis seminariis et est una aptitudo plus minusve declarata, quae invenitur inter professores theologiae et professores Sacrae Scripturae.

Satis frequenter unus professor negat quod alius nuper affirmavit. Unde professores theologiae et S. Scripturae debent laborare in concordia scientifica.

Card. GRACIAS: Placet.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: attentis quae a Patribus iam dicta sunt, quae reor componi posse in superiori harmonia. Meo humili sensu, sententiam completando Em.mi Card. Ferretto, opportunum esset explicite statuere quod valde utile immo prorsus necessarium est iuvenes ad sacerdotium aspirantes, et quidem utriusque cleri, durante quadriennio theologico, aliquem cursum sequi de *Arte Sacra,* ita ut thesauros Ecclesiae rite custodire et defendere, necnon domus Dei decorem diligere et curare sciant ac valeant.

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: scilicet attentis observationibus Em.mi Relatoris et Em.morum Cardinalium Frings, Confalonieri, Richaud, Döpfner, Ferretto, Excellentissimi Hurley et Rev.morum Tinello et Camagni. Quidquid dicatur et iuste de variis Doctoribus et Magistris: Ecclesia est semper « Mater et Magistra », quae nullum dubium

---

[12] Cf. p. 760.

nobis relinquit de securitate viae indicatae ab Angelico: certe non excluduntur alii doctores et alii sancti magistri. Alia in folio adnexo.[13]

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: id est iuxta animadversiones quas ipse feci et adnexo folio scripto trado.[14]

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum: i. e. secundum ea quae dixi et secundum ea quae scripsi in nota adnexa[15] et secundum observationes Em.mi Card. Wyszyński de duratione aliquando nimis perducta in seminariis dioecesanis et Rev.mi Magistri Generalis Praedicatorum de valore doctrinae S. Thomae.

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dicta sunt a Card. Frings et a Rev.mo Min. Gen. O.F.M. de n. 10 et n. 14, et eorum, quae dicta sunt a Rev.mo Mag. Gen. O. P. de n. 9 (« *saltem* biennium »). Conferantur etiam ea quae adnexa sunt.[16]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: habita scilicet ratione animadversionum ab Em.mis ac Rev.mis Patribus in hoc amplo Consessu factarum. Omnes, ex una parte plura, inter alia, mihi videntur sapienter ac utiliter dixisse, sed forsan non erit tam facile omnia simul in unum componere. Attamen hoc erit arduum negotium Subcommissionis de Emendamentis.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: secundum ea quae dicta sunt ab Em.mis Frings et Döpfner, et a Rev.mo Patre Generali Fratrum Minorum et supposito quod Episcopis et professoribus prudentibus donetur libertas ut ea quae in hoc schemate egregie dicuntur, in praxim ducant sapienter, in quo casu diversa desideria Patrum iam implentur.

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: optima sane et lucida in hoc schemate dicuntur. Attamen mihi videtur schema ad nimis particularia descendere. Postremo experientia docet philosophiam minime posse in duobus tantum annis convenienter absolvi. Attendantur quae dicta sunt a Patribus.

Card. OTTAVIANI: Placet. Cum animadversione Card. Richaud de libro manuali textus.

---

[13] Cf. p. 770.
[14] Cf. p. 771.
[15] Cf. pp. 771-772.
[16] Cf. pp. 772-774.

Card. Di Jorio: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab Em.mo Card. Ruffini propositis: praeterea praecipue attendatur ratio practica seu pastoralis studiorum.

Card. Roberti: Placet iuxta modum: scilicet attentis iis quae dixerunt praesertim Em.mi Frings, Ruffini, Godfrey, Richaud, Döpfner, Confalonieri et Exc.mus Hurley, iisque, quoad fieri potest, apte compositis.

Card. Jullien: Placet iuxta modum: id est: uno verbo placet valde imprimis quia alumnis imponitur *philosophia scholastica* qua nempe recte efformatur homo totus, ideoque pastor animarum; praecipue: 1) Super fundamento solido, inexpugnabili *metaphisicae,* quae omnino necessaria est non modo pro morali, pro iure sed pro quavis scientia; 2) Super fundamento *psychologiae* sane complendae cum legitimis progressibus psychologiae modernae. Quae philosophia scholastica aptissima est nostris temporibus in quibus penes nonnullos dominantur subiectivismus et sentimentalismus, sit venia verbis; 3) Placent quae animadverterunt Em.mi Ruffini, Richaud praesertim de necessitate librorum s. d. manualium; 4) Praeterea duo attamen addenda censerem:

Primo: in pag. 5,[17] num. 8, ad explanandam rationem propter quam oportet ut alumni linguam latinam addiscant, non affertur nisi argumentum historicum et canonicum, nempe ut alumni cognoscant documenta traditionis et Magisterii, necnon philosophiae et theologiae.

Optarem, vero, ut brevissime praemittatur linguam latinam habere vim quam maxime paedagogicam, uti experientia vetustissima constat atque nuperrime Constitutio *Veterum sapientia* egregie notat (cf. p. 9: Neque vero ... ».

Quare in pagella citata, lin. 3, verba ita complenda censerem: « ... imprimis linguae latinae cognitionem *tum qua praecipue mentis animique facultates perficiantur atque summa ratione sive recte cogitandi sive congrue loquendi ars addiscatur,* tum qua traditionis et cetera ».

Secundo: In hac studiorum ratione nihil expressis verbis dicitur de necessitate addiscendae artis praedicandi verbi divini.

Sane, sub num. 18 in lin. 29,[18] post verba: « simul vero ... in praxim pastoralem initientur », id addi poterit: « *de ratione verbi divini praedicandi, tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundos* » (cf. can. 1365 § 3). Nisi de hac re agatur expresse in V schemate de Institutione pastorali.

---

[17] Cf. p. 757.
[18] Cf. p. 759.

Card. LARRAONA: Placet, iuxta ea quae proposui,[19] prae oculis habitis et concordatis iis quae a Patribus et Consultoribus solide dicta fuerunt.

Card. HEARD: Schema placet. Optime dicitur evitandam nimietatem disciplinarum et praelectionum; sed timeo ne periculum iam adsit ne cursus propositus hoc defectu aliquantulum laboret.

Card. BEA: Placet iuxta modum: maxime ratione habita eorum quae proposuerunt Em.mi Cardd. Frings, Döpfner et Rev.mus P. Min. Gen. O. F. Min. de S. Thoma, et eorum quae ipse in folio addito exposui.

Pluries in schematibus de Studiis, ut in cap. II, nn. 3-4 et cap. IV, n. 10, de philosophia; in cap. II, n. 6 et cap. IV, n. 14, de theologia, de formatione professorum, inculcatur sequenda esse principia et methodum S. Thomae, et hoc summo iure fit. Nemo enim negabit S. Thomam esse vere, ut Pius XI s. m. dixit, « studiorum ducem ». Tamen, ad evitanda dubia et ad mutuam caritatem et fraternam collaborationem inter sodales diversarum « scholarum » fovendam et promovendam, opportunum, ne dicam necessarium videtur ut paucis verbis indicetur, quo *sensu* illae normae intellegendae sint, quae iisdem fere verbis in Cod. Iur. Can. (can. 1366 § 2) habentur. Adsunt enim plures declarationes Summorum Pontificum *post* editionem Codicis datae, quibus accuratius determinatur quo sensu illae normae observandae sint. Ita iam Pius XI p. m. in Litt. Enc. *Studiorum ducem* statuit: « At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videtur » (AAS 15 [1923] pp. 309. 323). Item Pius XII s. m. in audientia PP. Capitularibus O. P. die 26 sept. 1946 concessa statuit: « Hac autem in re (i. e. sequenda doctrina S. Thomae) nunc minoris videntur esse quaestiones in quibus sub magisterii ecclesiastici ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus ducendae sunt » (*Disc. e Radiomessaggi* VIII, 1946-47, pag. 244 s.). Idem Summus Pontifex in audientia die 17 octobris 1943 concessa Universitati Gregorianae, postquam Sanctum Thomam summis laudibus extulit, haec addit: « In his quae modo attigimus (scil. in quibus sequendus est Doctor Angelicus) enumerentur, exempli gratia, quae spectant ad naturam cognitionis nostrae ... ad principia metaphysica in veritate solidata eaque absoluta ...

---

[19] Cf. p. 774.

ad Deum personalem, infinitum, Creatorem omnium rerum, ad hominis naturam ... » sed statim adiungit: « His rebus haud dubio mentis retinendis assensu apponenda non sunt ea quae, ad verum in natura " positum " quod attinet, apud Sancti Thomae magnos commentatores et optimae notae discipulos adhuc in controversia sint. Neque de his loquamur de quibus disputatur an ad doctrinam Angelici Doctoris pertineant vel quomodo interpretanda sint; itemque utpote caduca silentio premimus ea quae reapse consectaria sunt veterum hominum cognitionis et mancae et ieiunae ... ».

His dictis explicite asserit « *talem esse sensum illius legis* » quae in Codice Iuris Canonici habetur de sequenda doctrina S. Thomae (*Disc. e Radiomessaggi* XV, 1943-44, p. 408 s.).

Videtur igitur, ut omne dubium de sensu legis illius tollatur, etiam expositioni doctrinae a Concilio faciendae addenda esse apto loco clausula: « *secundum interpretationem et normas a Summis Pontificibus expositas* ».

Sic, ut Pius XII desiderat, omnes scient « pulchro consociare foedere fidelitatem quam Summo Doctori servant, cum magni aestimanda libertate quae doctrinarum investigationi debetur ». Simul autem — ita possumus addere — unio et fraterna collaboratio omnium, quae hodie adeo necessaria est, in tuto collocabitur.

* * *

Aliquae animadversiones particulares:

Pag. 4,[20] n. 6, lin. 21: loco « instituere » fortasse melius « excolere ».

Pag. 5,[21] n. 8: Fortasse notandum non adeo linguam latinam *classicam* addiscendam esse, sed potius linguam latinam *ecclesiasticam,* lectis etiam auctoribus christianis (S. Leo, S. Hieron., S. Augustinus, Minucius Felix et sim.). Curandum esset etiam ut *grammatica* huius ecclesiasticae latinitatis componeretur qua scholae uti possent.

Pag. 3,[22] n. 3, lin. 21 sq.: in hac re, quae multum neglegitur, *fortius* insistendum videtur.

Pag. 6,[23] n. 15, pag. 12, Nota 11: Mentio facienda est de Istructione *Pont. Comm. Biblicae* « De Scriptura Sacra in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis » d. d. 13 maii 1950, iussu et approbatione Pii XII editae (AAS 42 [1950], pp. 495-505).

---

[20] Cf. p. 757.
[21] Cf. p. 757.
[22] Cf. p. 756.
[23] Cf. p. 758.

Pag. 8,[24] n. 19, lin. 3: Sacra *Scriptura primo* loco ponenda est. Est enim fons et norma omnis studii theologici; item de « traditione *patristica* ».

Beat. GORI: Placet iuxta modum: scilicet, attentis observationibus Eminentissimorum Frings et Döpfner necnon Rev.mi Ministri Generalis O.F.M.; Em.mi Card. Ruffini quoad quaestiones obsoletas; Em.mi Richaud de textu et Em.mi Godfrey de vocationibus tardivis.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: i. e. *a*) adhaereo iis quae Rev.mus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum dixit.

b) Deinde rogo ut hoc schema non insistat in plurimis linguis discendis. Alumni enim non possunt in seminario solidam formationem scientificam habere simul cum studio multarum linguarum. In seminariis orientalibus, alumni debent discere linguam liturgicam et linguam vernaculam, et pro eorum formatione aliam linguam Europeam, sive gallicam, sive anglicam, sive italicam. Deinde schema commendat studium aliarum trium linguarum: latinae nempe, hebraicae et graeco-biblicae. Quare, studium linguarum in seminariis orientalibus relinquatur iudicio episcoporum Regionis.

Exc. FELICI: Placet.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: sub numero tertio non satis mihi videtur evolvi quaestio de methodo instauranda et de compaginatione sacrarum disciplinarum perficienda, de quibus in meis animadversionibus ultima sessione sabbato elapso expositis.[25]

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: id est schema omnino mihi placet in genere praesertim si considerantur optimae notae huiusmodi schematis. Sed mihi videtur quod ea quae dicta fuerunt ab Em.mis Cardd. Ruffini, Confalonieri, Richaud, Ottaviani et ab aliis Patribus et Consultoribus magni momenti sunt in ultima et definitiva redactione schematis pro Concilio et proinde diligentissime considerentur. Sed liceat etiam mihi dicere me magnum quidem timorem habere utrum sit possibile integrum curriculum theologicum, uti in schemate proponitur peragere in quadriennio tantummodo. Hac de causa hodie in nonnullis nationibus curriculum theologicum quinquennio peragitur.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: quod dictum est a Cardinalibus Ruffini, Confalonieri, Larraona et Ottaviani prae oculis

---

[24] Cf. p. 759.
[25] Cf. pp. 748-749.

haberi debet. Ratio communis Studiorum atque liber disciplinae pro omnibus Seminariis videntur mihi a Sancta Sede tradenda.

Exc. Campbell: Placet iuxta modum: id est ratione habita observationum factarum praesertim ab Em.mis Ruffini, Godfrey, Exc.mo Hurley et Magistro Generali Ordinis Praedicatorum. Sto pro Sancto Thoma, non autem in sensu exclusivo.

Exc. Cooray: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae dicta sunt ab Em.mis Cardd. Ruffini (de S. Thoma), Confalonieri, Richaud (de usu manualium), Döpfner et Ottaviani, ab Exc.mo Hurley et a Rev.mo P. Browne.

Exc. Lefebvre: Placet iuxta modum: i. e. iuxta ea quae dixerunt Eminentissimi Cardinales Ruffini, Godfrey, Richaud, Larraona et Pater Generalis Ordinis Praedicatorum; et experientia constat quod in nostris regionibus Africae intelligentiae seminaristarum plane concordant doctrina et methodus S. Thomae. Quod de monialibus libris dicitur ab Em.mo Card. Richaud videtur omnino necessarium ut episcopus possit exercere suam vigilantiam.

Exc. Hurley: Placet iuxta modum: iuxta praesertim observationes Em.morum Cardinalium Döpfner et Liénart, Rev.mi Generalis Magistri Ord. Praedicatorum et secundum proprias observationes scripto adnexo traditas.[26]

Exc. Perrin: Placet iuxta modum: iuxta animadversiones Eminentissimorum Frings, Richaud, Döpfner, Liénart, Wyszyński et Léger. Adhaereo modificationibus a Reverendissimo Sépinski Magistro Generali Ordinis Fratrum Minorum propositis et ad mentem observationum Excellentissimi Hurley de spiritu pastorali alumnis imbuendis, quia sacerdos semper pastor debet esse. Inter scientias sociales optarem ut doceatur Doctrina Sanctae Sedis de Institutionibus supernationalibus et de Societate internationali.

Exc. Bazin: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Em.morum Patrum Frings, Ruffini, Godfrey, Richaud, Wyszyński (de Mystico Corpore Xti), et Exc.mi Archiepiscopi Hurley. Schema est optimum, sed in Missionibus, ut adimpleantur expectationes horum decretorum, Episcopales Conferentiae non paucas difficultates invenient in praeparatione Rationis Studiorum. Quapropter suggererem ut specialis Commissio eligatur a S. C. de Propaganda, quae colligat omnes utiles in-

[26] Cf. pp. 774-777.

formationes circa problemata nostra in hac materia, et postea pro singulis regionibus Missionum, directivas idoneas daret ad praeparandam Studiorum Rationem.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: ab Em.mo Cardinali Ottaviani et a Rev.mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum expositum.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: habita ratione animadversionum Em.morum Cardd. Wyszyński et Döpfner et iuxta ea quae dixit Excellentissimus Hurley de toto curriculo studiorum ad formationem pastoralem dirigendo.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: ad mentem praesertim Excellentissimi Hurley.

Exc. BENGSCH: Placet iuxta modum: prout dixerunt Em.mi Cardd. Frings et Döpfner et Archiep. Hurley.

Exc. JELMINI: Placet iuxta modum: scilicet schema placet, mihi liceat tamen quasdam scriptas adiungere animadversiones, quae oretenus nimium longum esset dicere. Adhaereo his sapienter ab Eminentissimis Patribus Frings, Ruffini, Döpfner, Richaud et praecipue Confalonieri, necnon a Rev.mo Patre Magistro Praedicatorum prolatis.

Ad n. 1: *praesertim sacra.* Vox *praesertim,* meo iudicio, expungenda est. Hic enim nodus huius negotii latet, in quo clara et vere principalis ratio institutionis ecclesiasticae bene enucleanda est. Nego enim de quibuscumque rebus scientiam in clericis requiri eosque decere, sed censeo eam tantum atque praecise earum rerum, quae ad religionem et mores pertinent, quae in summam et syntheticam ordinationem hominis ad Deum directe conferuntur, quaeque sub ratione formali scientiae ecclesiasticae concipi possunt. Nam etiam in hac parte debet unusquisque hominum, ut monet Apostolus (I Cor. 7, 20) in sua vocatione manere, neque ideo perfectionem atque excellentiam appetere, quae eum extra ordinem traicit.

Ut enim acutissime docuit S. Thomas (II^{a}-II^{ae}, quest. 167, art. 1), aliter est iudicandum de cognitione veritatis, quae simpliciter bona est, aliter vero de appetitu et studio cognoscendae veritatis, in quibus rectitudo vel perversitas contingit. Bonae sunt igitur cognitiones, sed non omnibus promiscue. Nam humani intellectus finitudo, rerum scibilium succrescens specificatio, officiorum moralium divisio et singularitas id efficiunt, ut singuli homines non omnimodam scientiam, sed eam tantum appetere et adipisci debeant, quae ad officium cuiusque proprium pertineat. Clerici ergo procul dubio in sua scientia omnino excellere debent, at non utique in extraneis, quibus si operam navabunt, hoc sine depreca-

bili imminutione et contemptu scientiae pro statu ecclesiastico fundamentalis evenire non poterit. Quod ille doctissimus vir verumque lumen catholicae veritatis verbis luculentis disseruit: « Si sono anche troppo vantati i servizi resi dagli ecclesiastici alle scienze esatte, servizi che essi non possono rendere, se non togliendo al loro ministero una parte di quelle cure che tutte gli hanno consacrate » (Alessandro Manzoni, *Osservazioni alla Morale cattolica,* parte seconda, cap. 1).

Unde mos increbrescens extollendi laudibus peritiam clericorum in scientiis et artibus ab officio clericali penitus alienis, theoretice frivolus et practice vitiosus est, cum per eum novum genus clericorum existat, qui maximi sunt in scibili alieno, minimi vero ac pusiones in proprio, adeoque scientiam laicalem affectant, ut non primario et substantialiter, sed per accidens et figuraliter personam clerici, quoad scientiam clericalem, gerere existimentur.

Restituenda igitur est in schemate ingenua ratio scientiae ecclesiasticae et institutionis clericalis, quarum orbis res spiritales et morales tantum volvit. In mentibus autem figendum, primatum clericorum celebrari in luminibus circa moralia, hunc primatum a nobis vulgo expostulari, in eo denique positum esse iustum iudicium, quod de nobis mundus ipse, nedum Deus, iudicabit. Accedamus igitur ad cognitionem omnium rerum, sed ea ratione, ut tantam adhibeamus, quanta indiget infirmitas et imperfectio nostra ut ad Deum ambulemus et quanta potest infirmitati et imperfectioni proximi subvenire, cui caritas postulat ut subveniamus.

Hoc axiomate apparet me hunc totum sermonem de institutione clericorum in universum habuisse. Nam si qui sunt clerici praeceptores in scholis, eos etiam in omnimodis scientiis, propter iam dictam caritatem, perfecte versatos esse oportebit.

Ad n. 3: *alienis officiis sint liberi.* Lex nimis stricta. Tria enim sunt consideranda:

I) non omne officium aliud a magisterio magisterii impeditivum esse ideoque a magisterio removendum esse;

II) ex aliis officiis, dummodo non sint impeditiva prorsus, alimonium quoddam atque materiam educi, quae ad ipsum munus docendi et ad veritatis inquirendae exercitium non parum conferunt, dum periculum vitiosae abstractionis a viro studioso distinent. Nolim enim obliviscamur librum agendae vitae omnium librorum esse principium et fontem;

III) stat contra tam strictam legem mos atque conditio praeclarae Ecclesiae Gallicanae, ubi doctissimi in scientiis ecclesiasticis viri, iidem

plerumque pastorali curae sunt addicti, nullo utrinque in invicem detrimento.

Ad n. 7: *Communiter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiritur.* Omnino non placet propter plura.

Primo: cum Sancta Ecclesia tam multa saecula hostili impugnationi ex civilibus potestatibus exsurgenti fortiter obstiterit, ut peculiarem rationem instruendi et efformandi clericos in tuto collocaret, cumque adrogantiam laicalis principatus in studia seminariorum sese immiscentis nunquam non reiecerit, non probo nos eam formam doctrinae, quae in publicis scholis traditur, quamque tam diu contendimus non satis esse aptam instituendis clericis, nunc demum confiteri ad amussim convenire cum optimo genere disciplinae, tanquam nihil amplius intersit inter optimam scientiam clerici et perfectam sapientiam mundanam: imo non modo confiteri aequalitatem, sed profanam potiorem habere et tanquam modulum et paradigma nostrae institutionis extollere.

Secundo: si satis intellexi, alumni nostrarum scholarum (puta seminariorum minorum) post absolutum curriculum medium studiorum convalidationem ac titulum adparatae scientiae a laicali potestate petent. Unde totus ordo noster in re didactica et doctrinali non modo coordinatus, sed subordinatus potestati laicali evadet, tamquam systema nostrum per se non subsistat. Ergo praeclara illa argumenta libertatis nostrae in docendo infirmata sunt per vetustatem, vimque et auctoritatem muneri nostro magisteriali ut aliunde mendicemus oportet. Concedo discipulos nostros, sua ipsorum sponte, huiusmodi sanctionem expostulare et adquirere posse privatim, nego autem seminaria nostra, prout talia, sub iugum laicalis potestatis sese submittere posse.

Tertio: quod dicitur pag. 10 [27] in explicationibus huius commatis miram et parum opportunam involvit interpretationem totius negotii. Innuit enim hanc convalidationem et ratificationem studiorum nostrorum a civili potestate petitam valde conferre ad eorundem severitatem. Igitur in rebus nostris nullum sufficiens reperiri potest fundamentum et incentivum severitatis, nisi formula ac norma civilis scholae innitamur eiusque quasi stimulis ad alacritatem incitemur. Potest quidem ac debet medium curriculum studiorum ad generalem temperiem doctrinae cuique nationi propriam accommodari, sed non propterea est arcessenda convalidatio a civili potestate tamquam communis conditio ad proceden-

[27] Cf. p. 760.

dum in studiis clericalibus. Nam institutio ecclesiastica sua vi pollet originali et efficaci, et Ecclesia Sancta omnibus opportunitatibus utitur, nulli vero famulatur tamquam serva (cf. can. 1364).

Adde quod eo minus probabilis est talis positio in schemate, quo magis nostris temporibus pro absoluta libertate scholastica (quae tamquam corollarium libertatem opinionis, quam dicunt, consequitur) catholici omnium nationum in aciem descendunt.

Ad n. 8: Puto etiam *linguam graecam* adnumerandam disciplinis necessario addiscendis. Qua si careant clerici, quomodo praecipuam operam in Sacram Scripturam navabunt, iuxta praescripta in nn. 9 et 15, cum ne Novum quidem Testamentum secundum graecam veritatem legere atque intellegere scient?

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: ratio habeatur eorum quae dixerunt Em.mus Card. Frings et Exc.mus Hurley.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: quoad substantiam schema valde placet, sed attentis dictis praecipue Em.mi Card. Ruffini et Em.mi Card. Agagianian et adiuncta observatione hac scripta, praeter ea quae voce dicebam.[28]

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum:[29] ratione habita animadversionum Em.morum Cardinalium Decani, Frings, Döpfner, Larraona et Bea. Adhaereo iis quae dixerunt de manuali Em.mi Cardd. Richaud et Jullien et quae Em.mus Cardinalis Ruffini dixit de « quaestionibus obsoletis ».

Rev. JANSSENS: Placet iuxta modum, propositum ab Em.mo Cardinali Frings et a Rev.mo Ministro Generali O.F.M.

N. 9, pag. 5,[30] lin. 8, dicatur: « *saltem* biennium » prout proponit Rev.mus Magister Generalis O. P.

---

[28] Cf. pp. 777-778.
[29] Cf. pp. 778-780.
[30] Cf. p. 757.

XIII

DE STUDIIS ACADEMICIS AB UNIVERSITATIBUS TUM CATHOLICIS TUM ECCLESIASTICIS PROVEHENDIS

(Sexta Congregatio: 26 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE STUDIIS ET SEMINARIIS

PROOEMIUM

Ecclesia Catholica Magistra Veritatis suum esse munus semper duxit divinarum humanarumque rerum disciplinas totis viribus provehere atque iuvare, quippe quae veritatis solemne argumentum sint, humanam vitam et operositatem foveant, christianae societatis decus exstent. Ideo haec Sancta et Oecumenica Synodus, plane sibi persuasum habens altiorum studiorum sedes esse hodie promovendas quam maxime, quaedam decernenda esse statuit quibus tum Universitates Catholicae tum Studiorum Ecclesiasticorum Athenaea aptius pleniusque nobile suum consequantur propositum.

CAPUT 1

DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

1. Sanctae Ecclesiae quae, a studiorum Universitatum exordio, liberalissima earum fuit fautrix atque patrona, summopere cordi sunt Catholicae Universitates quae, ab Ipsa erectae vel rite approbatae, velut publicam, stabilem atque universalem praesentiam efficiunt mentis christianae in omnibus scientiae partibus atque tum superiore alumnorum institutione spiritu christiano informata tum penitiore doctrinarum pervestigatione, scientiarum ac litterarum diffusionem et progressum in fidei catholicae lumine sub omni coelo promovent.

2. Quare haec Sancta Synodus enixe commendat ut Catholicae Universitates imprimis professoribus polleant scientia ac christiano iudicio eximiis et quam validissime adiuventur necessariis et opportunis subsidiis, unde bibliothecis, investigationis institutis ceterisque scientificis instrumentis apte sint instructae; ipsae vero, proprii officii memores, tum singularum disciplinarum studio sedulo incumbant, tum constanti ac generoso nisu contendant ad uberem scientiarum cooperationem atque ad illam rerum universarum rectam

interpretationem quae Catholicae Universitatis maxime propria est, cum christianae revelationis tantum lumine plene haberi possit.

3. Ideo in omni Catholica Universitate adsit Facultas Theologica, vel saltem Theologicum Institutum, quae ipsius Universitatis veluti anima sint, ad illorum problematum investigationem promovendam quibus profanae scientiae cum sacris continenter coniungantur ita ut fidei cum ratione admirabilis consensio clarius eluceat et ipsae profanae scientiae veritatis revelatae luce perfundantur.

4. Tantae rei pondus persentiens, Sancta Synodus vehementer exoptat ut in omnibus orbis partibus quaedam Catholicae Universitates habeantur, quae grave sibi commissum munus exsequantur atque Ecclesiasticae Auctoritati in hodierno apostolatu doctrinale auxilium praestent. Ad quem finem facilius obtinendum catholicarum virium consociatio omni ope foveatur ab Episcoporum coetibus sub illius Sacri Dicasterii moderamine cui Catholicarum Universitatum cura commissa est et quod virorum vere peritorum consilio adiuvabitur, qui ex variis nationibus diversisque disciplinis eligi debent.

5. Sedulo pariter curandum est ut catholici studentes, eorum etiam parentibus monitis, officium sentiant frequentandi Catholicas Universitates, ubi dantur, ideoque earum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico ac fraterno adiutorio recipiantur qui alienis ex nationibus adveniunt, ex iis potissimum quae maiore auxilio indigent, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque integre formati, in patriam reversi propriis rite fungantur muneribus ad maius tum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

6. Cum vero Catholicae Universitates ob maiores in dies ipsarum necessitates non ubique erigi possint, Sancta Synodus animarum Pastores monet ut congruum procurent auxilium iis qui civiles Universitates frequentant, ac valde suadet ut in magnis saltem universitariis urbibus centra universitaria instituantur, quae Catholicarum Universitatum defectum quodammodo supplentia, non tantum spirituale auxilium praestent ac hospitiis pro studentibus institutis morale praesidium offerant, sed etiam disciplinarum studium promoveant in harmonica scientiae et fidei conspiratione, theologica quoque facultate vel cathedra in ipsa Universitate civili erecta, ubi opportune fieri possit.

7. Summopere quoque Sancta Synodus commendat ut scientiae viri catholici etiam extra Catholicas Universitates veritatis cognitioni servire ad commune bonum specialiter studeant, tum pervestigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti scientifico commercio cum omnibus scientiae viris, tum denique iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores sunt, peculiari cura excolendo ac promovendo, ita ut quam plurimis hominibus veritatis fructus praebere valeant eosque ad lucem quoque Evangelii intuendam perducere conentur.

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 11-16 decembris 1961; 33 Membra (i. e. omnes praesentes) tulerunt suffragium « Placet ».

NOTAE

Ad 1. Nihil in hoc Decreto dicitur de Ecclesiae iure Catholicas Universitates erigendi et de iis quae cum hoc iure connectuntur, quia haec supponuntur ex generaliore Decreto « De Scholis Catholicis », ubi illa iura vindicantur pro omnibus scholis catholicis, inter quas etiam Universitates numerantur.

Ad 2. Quae de momento et fine Catholicarum Universitatum hic dicuntur, latius exponuntur in exordio Constitutionis Apostolicae Pii XI *Deus Scientiarum Dominus* (24 maii 1931) necnon in scriptis et sermonibus Pii XII; conferri possunt, exempli gratia: *Litterae ad XXII Congressum « Pax Romana »* (12 aug. 1952), *Oratio ad Senatum Academicum et Alumnos Universitatis Romanae* (15 iun. 1952), *Oratio ad Professores et Alumnos Catholicorum Institutorum Galliae* (21 sept. 1950).

Ad 3. In antiquis Universitatibus Catholicis semper habebatur Facultas Theologica, quae omnium Facultatum princeps erat; in recentioribus Universitatibus Catholicis hoc non semper accidit. Et revera, etsi optandum est ut in magnis Catholicis Universitatibus habeatur Facultas Theologica, hoc nequit omnibus imponi; imponi vero potest ut aliquod Institutum vel Centrum Theologicum constituatur quod defectum theologicae facultatis quodammodo suppleat. Eius structura non determinatur cum diversis necessitatibus iuxta placita competentis auctoritatis ecclesiasticae accommodari debeat; eius vero munus erit curare ut religionis schola in Universitate secundum diversa locorum adiuncta apte habeatur, ut illorum problematum investigatio peculiariter promoveatur quae scientias naturales, philosophiam et religionem attingunt (v. g. mundi evolutio, vitae initia, humani generis origo, vitae socialis problemata etc.) atque ut tota alumnorum institutio harmonica ratione cum christiana doctrina componatur.

Ad 4. Catholicae Universitates nimis multiplicari nequeunt propter difficultatem tum aptos Professores tum scientifica subsidia inveniendi, atque vitandum est ne quoad valorem scientificum civilibus Universitatibus inferiores sint, quod in dedecus Ecclesiae et alumnorum damnum cederet; ideoque earum qualitas potius quam numerus curari debet, cum melius sit paucas florentes habere quam multas languentes. Quare vires coniungendae sunt ut in omnibus mundi partibus quaedam, etsi paucae, Catholicae Universitates habeantur, quae studiorum et scientiarum splendore vere eniteant atque catholicum influxum exercere efficaciter valeant.

Ad 5. Catholicarum Universitatum praestantia in tuto posita, earum frequentatio fovenda est; cum vero haud raro difficultates oeconomicae adsint, necessitas urgetur auxilia quaerendi quibus earum aditus facile pateat. Peculiaris praeterea mentio fit studentium novarum nationum, praesertim Asiae et Africae, quorum educatio summi momenti est cum ex iis multum pendeat futura illarum nationum sors atque ipsius Ecclesiae in eis incrementum.

Ad 6. Ob impossibilitatem Catholicas Universitates multiplicandi, valde urgenda videtur opportunitas centra catholica constituendi in magnis urbibus apud Universitates Statales, sicut iam fit in pluribus regionibus, etiam Asiae et Africae;

multo minores sunt difficultates tum quoad personas tum quoad subsidia oeconomica, et magni fructus obtineri possunt.

Ad 7. Commendatur nisus penetrandi in Statales Universitates, tum theologicam facultatem vel cathedram erigendo, ubi fieri potest prout in n. 6 dictum est, tum aptos Professores comparando qui vere docti et catholici sint; pariter peculiaris cura commendatur iuvenum qui, ingenio et virtute praestantes, certam spem dant fore ut optimi Professores evadant Universitatum Catholicarum vel Statalium. Coetus episcoporum in aliquibus regionibus huiusmodi incepta iam efficaci cura promovent; sed apta cum Universitatibus Catholicis et Apostolatu Laicorum inita operae consortione vel uberiores fructus obtineri poterunt. De diversis modis promovendi collaborationem Universitatum utiliter conferantur quae proponuntur a S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus in votis Concilio parando exaratis (cf. *Acta et Documenta* ..., III, pp. 369-370).

2) RELATIO EM.MI P. D. IOSEPH CARD. PIZZARDO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE STUDIIS ET SEMINARIIS

Paucis mihi liceat discussionem huius schematis introducere:

Primo: *De momento argumenti.*

Universitas est centrum altioris veritatis investigationis et schola in qua alumni superioribus studiis operam dant. Nunc vero, ut Pius XII aiebat: « Moderatio futurae societatis posita est praecipue in mente et in corde eorum qui hodie in Universitatibus student » (Oratio ad Senatum academicum et ad studentes Universitatis Romae, die 15 iunii 1952). Quare permagni interest ut iuvenes recte et christiane instituantur in catholicis Universitatibus; tum in regionibus ubi civiles Universitates spiritu areligioso imbuuntur, tum in nationibus ubi civiles Universitates, etsi catholicae religioni faventes, haud raro tutam institutionem christianam dare nequeunt.

Universitas est praeterea inquisitionis centrum in quo ideae elaborantur quae paulatim in societatem prodeunt ac vulgantur eamque regunt. Magnum inde momentum apparet centra catholica habendi in quibus ideae, christianae revelationis lumine, elaborentur; quod praestare possunt Universitates Catholicae sive singillatim consideratae sive inter se consociatae.

Secundo: *De statu actuali Universitatum Catholicarum.*

Praeter Universitates Ecclesiasticas (ad normam Constitutionis Apostolicae *Deus Scientiarum Dominus*) hodie numerari possunt circiter octoginta quae dicuntur Universitates Catholicae: circiter decem in Europa, quadraginta in America Septentrionali, viginti in America latina,

decem in Asia, una in Africa. Cetera ducentum circiter Instituta vel sunt Facultates independentes vel Collegia Universitaria independentia vel alicui Universitati aggregata, vel tandem sunt Instituta studiorum superiorum, sed indolis non stricte universitariae.

Diversitas magna est non tantum quoad eorum naturam, sed etiam quoad scientificum valorem. Etenim si Universitates Catholicae dantur hoc nomine vere dignae atque Civilibus Universitatibus nullo modo inferiores, aliae dantur in quibus Universitatis requisita, plus minusve deficiunt.

Tandem notanda est diversitas quoad geographicam distributionem; etenim in quibusdam nationibus nimis multiplicantur, alibi vero nimis rarae sunt, sicut in continente africano, in quo praeter unam Catholicam Universitatem, duo vel tria collegia universitaria recenter inchoata inveniuntur.

Tertio: *Quaenam sunt facienda.*

a) Curandum est ut in omnibus mundi partibus quaedam dentur Universitates Catholicae vere praecellentes; ad hoc assidua virium catholicarum coordinatio exigitur, qua tum Catholicae Universitates exsistentes promoveantur, tum loci aptiores eligantur ac subsidia parentur pro huiusmodi Universitatibus constituendis; cavendo tamen sedulo ne aucto numero earum vis et praestantia enervetur;

b) Gravissimum problema considerandum est iuvenum studentium ex regionibus Asiae, Africae, Americae Meridionalis ad Europae vel Americae Septentrionalis Universitates venientium, attentis omne genus insidiis ab Ecclesiae inimicis his iuvenibus paratis;

c) Providendum erat quaestioni de Facultate Theologica. Facultas Theologica olim prima ac veluti corona ceterarum Facultatum erat; recentioribus vero saeculis eius momentum in Universitatibus valde imminutum est, immo in multis Statalibus Universitatibus exclusa est et in ipsis Catholicis Universitatibus sufficientem influxum non exercet. Quod sane dolendum est, cum omnes facultates problemata habeant directe vel indirecte connexa cum theologia.

Quae cum ita sint, votum manifestatum est ut in omnibus Catholicis Universitatibus facultas theologica constituatur quae ad pristinum locum ac dignitatem restituatur. Attamen difficile videtur, immo forsan impossibile Facultates theologicas ita multiplicare; quare optandum est ut in *praecipuis* Catholicis Universitatibus facultas theologica erigatur, in coeteris vero aliquod « Institutum vel Centrum Theologicum » cuius munus in nota tertia schematis circumscribitur.

d) In magnis urbibus universitariis ubi desunt Catholicae Uni-

versitates, Centra Catholica erigantur, quibus non tantum adsistentia spiritualis praebeatur, sed intellectuale quoque studium promoveatur quaestionum quae relationem inter scientiam et Fidem habent, ita ut Universitatis Catholicae munus aliquatenus suppleant.

Quarto: *Laboris praeparatorii brevis delineatio.*

Studium particulare harum quaestionum commissum est coetui peculiari, cuius praeses fuit Exc.mus D. Aemilius Blanchet, Rector Instituti Catholici Parisiensis. Eum adiuvabant Ill.mus D. Mac Donald, Rector Universitatis Catholicae Washingtonensis, Ill.mus D. Ioseph Albareda-Herrera, Rector Universitatis Catholicae Pamplonensis in Hispania, Rev.mus D. Hubertus Jedin, Historiographus Concilii Tridentini et Professor in Universitate Bonnensi, Rev.mus P. Hilarius a Mediolano, Professor in Universitate Urbis. Relator vero fuit Rev.mus P. Paulus Dezza S. I. et Correlator Ill.mus D. Franciscus Vito, Rector Universitatis Catholicae Mediolanensis.

Postquam a coetu particulari singulae quaestiones examinatae erant, schema consideratum et discussum est in tertio et quarto Conventu generali, et denuo expolitum in quinto Conventu mense decembris anni elapsi unanimi consensu a Commissione approbatum est.

Conclusio.

Saepius hac in aula dictum est, Decreta conciliaria non debere descendere nimis ad particularia. E contra praesens schema potest Urbis videri forsitan nimis generale et nimis suasivum, non sufficienter praeceptivum. Ita vel magis, si hoc schema comparatur cum capite altero quod agit de Universitatibus ecclesiasticis, ubi plura valde concreta cum vigore praecipiuntur.

Sed haec differentia stili a Commissione consulto electa est. Universitates ecclesiasticae enim unice Ecclesiae subsunt earumque tituli nomine Sanctae Sedis tantum conferuntur. In Universitatibus catholicis autem saepissime legislationis civilis singularum nationum ratio est habenda. Per consequens tenor Decreti adaptationem ad conditiones valde diversas permittere debet.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Ottaviani: Pag. 5,[1] n. 6, in fine legitur: « Theologica quoque facultate vel cathedra in ipsa universitate civili erecta, ubi opportune fieri possit ».

Haec verba ego puto esse delenda. Ratio haec est: quando facultates theologicae eriguntur in sinu universitatum civilium, earum professores generatim nominantur a gubernio. Iam vero licet aliquae cautiones concorditer ab utraque potestate, civili videlicet et ecclesiastica, statuantur (cf. art. 3 Concordati cum Bavaria), tamen tale de facto criterium laicorum est ut in selectione professorum eorum tendentia non conveniat cum criteriis Ecclesiae. Experientia docet ne Concordata quidem sufficientia fuisse ad tuenda hac in re iura Ecclesiae. Difficultas autem crescit si agitur de amovendo a munere professore, qui officio par non est, praesertim ob inadaequatam vel non genuinam doctrinam: id practice quasi impossibile evadit ob reactiones quae praevidentur.

Opportunius autem addenda esset, in n. 7, paragraphus qua hortantur ordinarii ut, praesertim in magnis civitatibus, cathedra erigatur apud aliquod ens ecclesiasticum pro studiis theologicis in laicorum magis cultorum institutionem.

Card. Bea: Unum liceat mihi animadvertere: utile esset certe si in diversis regionibus aliqua facultas theologica esset quae non inservit proprie alicui dioecesi particulari sed instituta est pro investigatione et pro propagatione doctrinae catholicae in genere, quia quando agitur de aliqua facultate theologica quae simul inservit etiam theologis qui student in dioecesi pro futuro sacerdotio saepe nimis ratio debet haberi, in illis facultatibus, ipsius rationis pastoralis, moralis, practicae cum studium theologicum scientificum postulet aliquod centrum et propterea, ni fallor, si potest alicubi, iuxta universitatem catholicam, haberi facultas theologica quae est independens ab omni dioecesi et inservit simpliciter studio, investigationi et propagationi, publicationibus rei theologicae, esset magnum momentum pro Ecclesia.[2]

Exc. Silva Santiago: Placet iuxta modum: nempe cum aliquibus adnotationibus seu observationibus quoad Caput I, cuius titulus in genere sic se habet: De Universitatibus Catholicis.

---

[1] Cf. p. 801.

[2] Textus transcriptus est ex taeniola magnetica.

Re quidem vera, mens iuxta quam hoc caput confectum est, clare apparet in pagina sexta [3] schematis, ubi in notis septem Commissio explicat qua de causa textus schematis definitive approbatus praesertim de momento et fine Catholicarum Universitatum brevissime exponitur, dum latius exprimitur v. gr. in exordio Constitutionis Apostolicae Pii Papae XI *Deus Scientiarum Dominus* (24 maii 1931) necnon in aliis praeclarissimis scriptis et sermonibus Pii Papae XII, quae citantur in notis huiusmodi schematis.

Nihil habeo dicendum contra talem schematis processum. Attamen, meo quidem iudicio, propter experientiam acquisitam ut Rector Universitatis Catholicae Chilensis (prima Universitas Catholica in America Latina, abhinc septuaginta quattuor annis), et propter personalem cognitionem plurium Universitatum non solum in America Latina sed etiam in Septemtrionali atque in Europa, et propter praesentiam in nonnullis Congressibus Universitatum tum Catholicarum tum Civilium, emendationes aliquas, seu melius additiones sequentes propono.

Pag. 3,[4] Cap. I, n. 1. Post ultimam numeri partem ubi legitur: « ... tum penitiore doctrinarum pervestigatione, scientiarum ac litterarum diffusionem et progressum in fidei catholicae lumine sub omni coelo promovent », sequens addatur prima suggestio:

1) Propterea, ratione habita de aliorum valorum hierarchia, in omnibus Universitatibus debita tribuatur aestimatio studiis atque investigationibus scientifico-technicis, quae magni momenti hodiernis temporibus sunt habenda, quatenus validum praestare possunt auxilium materiali populorum prosperitati, praesertim in regionibus parum evolutis atque opem ferunt ad maiorem societatis humanae culturam et progressum.

Et haec secunda suggestio:

2) Quatenus ex hodierni temporis experientia constat, populorum vitalis explicatio, quidquid sit de eorum culturali et scientifico-technico acervo, dimensiones ostendit « supranationales et mundiales » (*Mater et Magistra*); quod, procul dubio, vitam hodiernam Universitatum afficit. Quapropter apud magistros atque alumnos Universitatum studium fovere oportet « internationalium » problematum. Atque Universitas ipsamet magno « internationali » spiritu informetur atque explicetur, praesertim, in iis Facultatibus ad quas praedictus spiritus specialiter spectat.

Ad quem laudabilem finem obtinendum, mutua cooperatio foveatur

---

[3] Cf. p. 802 s.
[4] Cf. p. 800.

inter Catholicas Universitates, per Associationes sive regionales sive « mundiales », sicut aliquae ad praesens exstantes (e. gr. Foederatio Universitatum Catholicarum et ODUCAL in America Latina).

Seminarii quoque atque Studiorum Centra instituantur pro « specializatione » et perfectione, « post-graduatis » destinata, ubi et magistri atque alumni determinatae regionis aut continentis congruens curriculum peragere queant.

Pag. 4,[5] n. 3. Optime mihi videtur et omnino necessarium quod stabiliatur hoc in numero, quod Facultas Theologica vel saltem Theologicum Institutum ipsius Universitatis velut anima sit ad illorum problematum investigationem promovendam quibus profanae scientiae cum sacris continenter coniungantur.

Sed in hodiernis Universitatibus Catholicis, meo quidem iudicio, in omnibus vel fere in omnibus non solum exstat problema in harmonica alumnorum formatione intellectuali cum christiana doctrina, ut optime notatur in pagina sexta[6] nota tertia, et in quo Facultas Theologica vel Theologicum Institutum obiectivum habet suum specificum. Est aliud quidem et gravissimum problema.

Non pauci enim alumni Universitatem ingrediuntur absque ulla religiosa institutione, quia de familiis procedunt quibus spiritus religiosus et pietatis omnino deest, aut de collegiis vel lyceis laicis ubi non raro aut non existit schola Religionis, aut, si existit, talis disciplina est omnino deficiens. Ergo Universitas Catholica curare debet ut etiam pro his alumnis institutio fiat quae scientias naturales, philosophiam et Religionem attingat.

Non solum Facultas Theologica et Theologicum Institutum, sed etiam ipsamet Universitas Catholica adamussim adimplere tenentur canonis 1373 dispositionem scilicet: « Iuventus quae medias aut superiores scholas frequentat pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes ».

His dictis propono:

I) N. 3, in pag. 4, remaneat uti est quia revera respondet ad implendum officium cuiuslibet Catholicae Universitatis.

II) Addatur: 1) Numerus tertius « A »: Immo magnopere oportet ut in singulis Catholicis Universitatibus erigatur Institutum seu *Centrum* cui speciatim competat et specifice id omne quod ad *Culturam Catholicam et Moralem Professionalem* respicit, et cuius sit pro futuro defi-

---

[5] Cf. p. 801.
[6] Cf. p. 802.

nire, in ordinem redigere, vigilare, atque religiosam institutionem pro omnibus Facultatibus, Institutis et Scholis Universitariis, sacerdotibus auspicibus non solum in Religione sed etiam in humanis scientiis idoneis et peritis, et universitario spiritu praeditis. Tanquam finem proprium atque specificum praedicta Instituta solida vincula coniungere omni ope conabuntur cum Facultate Theologica atque Theologico Instituto, ad hunc finem ut agendi ratio concorditer moderetur, sicut in numero tertio huius schematis statuitur (Resolutio Organizationis « ODUCAL », Limae, Actuum Collectio, pagina sexagesima tertia, nn. 1 et 4).

Tandem, alios duos numeros proponere opportune duco: tertius « B » et tertius « C ».

2) Numerus tertius « B »: Attentis praesentium temporum difficultatibus propter relationes quae exstant inter Humanismum et Scientiam, et quatenus necessitas urget propugnandi et latius propendendi culturae spiritualis fundamenta, erigere oportet in Catholicis Universitatibus *Modernas Facultates Philosophicas pro laicis*. Quarum specificus finis erit intellectualibus et laureatis debitam institutionem in philosophicis disciplinis operam dare (quae raro in educatione media obtinetur), atque etiam beneficum et salutarem influxum in caeteras Facultates exercere. Item, attentis hodiernae educationis adiunctis, foveantur Instituta seu Scholae Paedagogicae seu Magisterii, ut etiam laici in collegiis, lyceis et gymnasiis idoneum et christianum magisterium exercere valeant.

3) Numerus tertius « C »: Quatenus gravia oeconomico-socialia problemata hodiernam societatem exagitant, praecipue in regionibus insufficienter evolutis quoad socialem progressum et bonum commune, et votis annuendo S. S. Ioannis XXIII feliciter regnantis in suis Litteris Encyclicis *Mater et Magistra* expressis, Universitatum alumnis vera et solida institutio socialis christiana tradatur, atque alacriter stimulentur ut enixe studio de re oeconomico-sociali intense vacare conentur.

Quantum fieri potest, ad praedictum finem rite obtinendum, in singulis Universitatibus *Facultas* seu *Institutum erigatur « Sociologiae Applicatae »*, idest, practicae, quae, per specialia curricula, authenticos et christianos sociologos efformet, atque in omnes Universitatum Facultates, Instituta et Scholas beneficum influxum exerceat (Resolutio Organizationis « ODUCAL », Limae, 1959, Actuum Collectio, pagina sexagesima tertia, 2).

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet.

Card. FERRETTO: Placet. Sed habita potissimum ratione eorum quae Em.mus Cardinalis Ottaviani prudentissime exposuit.

Card. LIÉNART: Placet.

Card. TAPPOUNI: Placet.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dixerunt Em.mi Patres.

Card. SPELLMAN: Placet.

Card. FRINGS: Placet. Quamvis Universitates Catholicae secundum doctrinam catholicam sint optima instrumenta ad veritatem undequaque investigandam et pro iuventute bene informanda, tamen urgenda videtur phrasis initii puncti 6 posita, secundum quam non ubique Universitates Catholicae fundari possunt. Nam secundum hodiernum statum scientiarum immensas exigunt expensas tum pro erigendis et installandis aedificiis tum pro annua sustentatione; et universitas cum professoribus mediocribus vel male doctis et sine necessariis mediis videtur peius esse quam nulla Universitas Catholica. Ita caute procedendum est in fundandis Universitatibus Catholicis. Et optime ponuntur in punctis 6 et 7 consilia pro iis regionibus, ubi Universitates Catholicae nondum existunt vel nondum erigi possunt.

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum: quando agebatur de praeparanda Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* unum, maximi momenti, ob peculiaria adiuncta, decerni non potuit, nimirum: quid veniat nomine « Universitatis Catholicae ».

Nunc opportunum est — ut mihi videtur — describere conditiones essentiales ut centrum quoddam studiorum academicorum Universitas Catholica appellari possit. Scio esse Universitatem, quae etsi plures habeat professores protestantes, catholica vocatur? Num talis abusus tolerari potest? Quid igitur requiritur ad professores, ad disciplinas, ad regimen quod attinet?

Pag. 5,[1] ad 6. Adhaereo omnino iis quae Em.mus Cardinalis Ottaviani dixit de facultatibus studiorum Ecclesiasticorum in Universitatibus

[1] Cf. p. 801.

civilibus *instituendis*. Ad orthodoxiam talium facultatum tuendam, oportet ut eae ab Auctoritate Ecclesiae directe dependeant.

Card. VALERI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum: ratione habita observationum quae a Patribus prolatae sunt.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: in concordia cum Rev.mo ac Em.mo Relatore et secundum alios Em.mos Commentatores et specialiter Em.mum Ottaviani.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: 1) Erigantur Facultates Philosophiae et Theologiae pro laicis cum singulari programmate, adaptato exigentiis laicorum.

2) Admissio laureae in theologia pro laicis, etiam pro mulieribus, multum desideratur.

3) Membra Facultatum Theologicarum in Universitatibus Status, dependentibus a civili potestate, saepissime favent circumstantiis et doctrinis politicis, « ad usum Delphini », et putant potius se esse officiales Status quam membra Ecclesiae docentis. Quod praxi probatur in regionibus nostris. Inde maximae difficultates oriuntur.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet. Attendantur tamen observationes Em.mi Ottaviani et Exc.mi Archiepiscopi de Concepción.

Card. LÉGER: Placet. Optima datur notio Universitatis catholicae et muneris in ea habiti a facultate theologiae. Item optime exponitur influxus ad commune bonum quem habere debent scientiae viri catholici extra catholicas Universitates.

Card. GRACIAS: Placet.

Card. CENTO: Placet, attentis quae Eminentissimi Octaviani, Ruffini et Wyszyński dixerunt. Debite considerentur quae Excellentissimus Silva Santiago exposuit.

Card. GODFREY: Placet, iuxta id quod dixit Em.mus Relator. Attamen unam observationem facere velim relate ad ea quae dixit Em.mus Card. Ottaviani. Explicationem dedi in folio adnexo.

Cap. I, pag. 5,[2] n. 6: Auxilium praebendum iis qui in civiles Universitates frequentant est res quae saepe venit in discussionem in conferentiis Episcoporum apud nos, et non sine fructu quia pro Universitatibus nominantur ab Episcopis cappellani pro variis Universitatibus et Catholici

---

[2] Cf. p. 801.

congregantur in ecclesiis et oratoriis specialibus ubi studentes communiter divino Sacrificio assistunt, sacramenta recipiunt et conciones audiunt.

Domum specialem habent studentes immigrantes, v. g. ab Africa et Asia, cum cappellanis specialibus. Hospitia etiam sunt ubi vita Catholica fovetur et activitates sociales promoventur.

Pro Anglis Universitatem Londinensem frequentantibus est Ecclesia specialis in dioecesi Westmonasteriensi ubi studentes habent omnia pro vita Catholica necessaria.

In aliquibus Universitatibus sacerdotes admittuntur ad cursus ad praelectiones habendas de philosophia et theologia. Hi cursus frequentantur tum a Catholicis quam ab acatholicis.

Nil fit sine Episcopo. Nulla coactio ex parte Universitatis in re doctrinali.

Card. CONFALONIERI: Placet, habita tamen ratione de his quae ab Exc.mo Domino Archiepiscopo Silva dicta sunt; insuper (quoad n. 3, in pag. 4 [3]) provideri debet, ut, pro nostrae aetatis necessitatibus, magistri in Facultate Theologica vel Theologico Instituto, quam maxime periti et apti seligantur.

Card. RICHAUD: Placet.

Card. DÖPFNER: Placet. Quoad pag. 5,[4] linn. 18-20, timores Em.mi Card. Ottaviani certissime momentum suum habent, sed experientia ultimis temporibus in Germania omnino positiva est. Pro aestimatione Ecclesiae in Universitatibus et in campo scientiae et culturae magni habendae sunt tales facultates. Illa mentione in hac constitutione Conciliari certe impressio opportuna nascitur. Ceteroquin clausula « ubi opportune fieri possit » provisum est, ne erectio talium Facultatum permittatur in casibus, in quibus omitti deberet.

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: attenta animadversione Eminentissimi Card. Ottaviani de non commendandis novis erectionibus Facultatum Theologicarum in Universitatibus Status ad vitanda pericula de quibus a laudato Em.mo sermo factus est. Placet omnino animadversio Card. Godfrey, quia in Anglia, ut ille dixit, agitur de cursibus theologicis pro omnibus, quod valorem missionarium habet, non de facultate erecta.

---

[3] Cf. p. 801.
[4] Cf. p. 801.

Card. ALFRINK: Placet. 1) In num. 6, pag. 5,[5] linn. 18-20 sermo est, nisi fallor, de cathedra philosophiae aut theologiae catholicae, erecta per Episcopos (« Pastores »; v. lin. 9), cuius professor est nominatus ab Ecclesia. Sicut apud nos, ubi in Universitatibus Statalibus Episcopi erexerunt cathedras philosophiae et theologiae catholicae, cuius professores plena cum libertate ab Episcopatu nominantur (et utique honorantur).

2) Notae quae in fine huic et aliis schematibus adduntur, mihi videntur valde utiles et magni momenti. Exoptarem ut illae notae in officiali publicatione decreti non amittantur. In hoc casu tamen, in nota 7 ubi agitur de « penetrando » in Statales Universitates, vox « penetrare » forse melius mutatur, quia haec vox multis acatholicis non placebit.

Card. CONCHA: Placet.

Card. OTTAVIANI: Placet cum adnexis animadversionibus.[6]

Card. DI JORIO: Placet, iis attentis tamen quae ab Em.mo Card. Ottaviani dicta sunt.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: adhaereo animadversionibus Em.mi Card. Ottaviani de magna prudentia in casu adhibenda. Locus autem differt a loco. In Italia erant facultates theologicae apud Universitates civiles, postea suppressae sunt et Ecclesia gavisa est. Illud velim addere votum ut ad erigendas et sustentandas catholicas Universitates cunctae Ecclesiae colligantur vires, quia maiorem influxum exercet una Universitas optima quam plures mediocres.

Card. JULLIEN: Placet.

Card. LARRAONA: Placet, ita ut concordentur illa quae ita graviter dixit Em.mus Ottaviani, quae plene vigent pro Universitatibus catholicis sed a Statu dependentibus, et quae optime exposuit pro aliis Exc.mus Archiepiscopus Silva, Rector Universitatis Sancti Iacobi de Chile et alii Em.mi Patres confirmaverunt pro Anglia, Germania, Hollandia.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. iuxta votum Em.mi Ottaviani.

Card. BEA: Placet.[7] Ad cap. I: *De Universitatibus catholicis*:

Pag. 4,[8] n. 3, et Nota 3, pag. 6:[9] Fortius insistendum videtur in *necessitate* Facultatis theologicae in Univ. Cath.

---

[5] Cf. p. 801.
[6] Cf. p. 806.
[7] Cf. p. 806.
[8] Cf. p. 801.
[9] Cf. p. 802.

N. 4: *Consilium virorum peritorum* apud S. Congr. de Seminariis et Univ. videtur maxime necessarium et quam primum instituendum, neque ulla res maioris momenti decidenda quin illud Consilium interrogetur.

Beat. CHEIKHO: Placet.

Exc. FELICI: Placet, una cum animadversione Em.mi Card. Ottaviani.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: necessarium mihi videtur ut magis ampliusque exponantur ea quae sub numero sexto perutiliter commendantur, eo quod reapse longe maior pars iuventae catholicae saeculares Universitates frequentat et in dies eget accuratiore institutione religiosa et materno Ecclesiae praesidio.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet, cum observationibus Em.morum Cardd. Ottaviani et Confalonieri necnon cum iis quae ego ipsemet humiliter exposui.[10]

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: attendatur Eminentissimorum Ottaviani, Bea, et Rectoris Magnifici Universitatis de Santiago de Chile dictis.

Exc. CAMPBELL: Placet iuxta modum, id est: habita ratione de his quae Em.mus Cardinalis Ottaviani exposuit. Quae Em.mus Cardinalis Godfrey dixit de Anglia vera etiam de Scotia sunt.

Exc. COORAY: Placet. Attentis tamen iis quae ab Em.mo Card. Ottaviani dicta sunt.

Exc. LEFEBVRE: Placet.

Exc. HURLEY: Placet, et quidem quantum ad facultates theologicas in universitatibus civilibus ubi libertas academica a gubernio integre servatur, nulla videtur esse difficultas tales facultates condendi per modum cooperationis inter Hierarchiam et Senatum universitatis, iuribus omnibus Ecclesiae in tuto positis.

Exc. PERRIN: Placet.

Exc. BAZIN: Placet.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum, ab Em.mis Cardinalibus Ottaviani, Wyszyński et Roberti expositum.

---

[10] Cf. pp. 806-809.

Exc. YAGO: Placet.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet.

Exc. BENGSCH: Placet.

Exc. JELMINI: Placet. Addam tamen si mihi licet: Quare dum Communismus tam abunde adiuvat iuvenes diversarum nationum, et praecipue Africae regionum, qui Russiae Universitates petunt ad adimplendum curriculum studiorum, Catholici tam pauca generatim faciunt sacrificia ad adiuvandos pauperes iuvenes nostros tum in seminariis tum in universitatibus?

In nostra Helvetica natione quotannis Episcopatus, ex collectis paroeciarum factis prima dominica adventus, donat Universitati Friburgensi in Helvetia plus quam 500.000 francs (idest 750.000.000 libellarum italicarum). Nonne (veniam peto) ipsa Sancta Sedes ex « religionis operibus » (opere di religione) posset aliquid facere et similiter omnes dioeceses ex Sanctae Sedis impulso? Puto etiam in hoc magni momenti negotio dicere posse: « Fas est ab hoste doceri ».

Exc. SUHR: Placet.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: habita iusta ratione expositorum ab Em.mo Card. Ottaviani, ab Em.mo Card. Wyszyński et ab Exc.mo Archiepiscopo de Concepcion.

Rev. SÉPINSKI: Placent schema necnon notae optime confectae.

Ad pag. 3,[11] n. 2, linn. 24-26, proponerem textum: « Quare moderatores Catholicarum Universitatum, hac Sancta Synodo enixe exhortante, curent ut eaedem imprimis professoribus polleant... ».

Ad pag. 4,[12] n. 5, linn. 6-8, proponerem: « officium sentiant frequentandi, ubi exstant, Catholicas Universitates ».

Ad pag. 5,[13], n. 7, linn. 21-23, proponerem: « Viris catholicis vere peritis summopere suademus ut etiam extra Catholicas Universitates veritatem omni sub aspectu perscrutandam in bonum commune sedulo promoveant, tum pervestigatione scientifica... ».

Ad pag. 5, n. 7, lin. 27, corrigatur: « scientiae ».

Rev. JANSSENS: Placet.

---

[11] Cf. p. 800.
[12] Cf. p. 801.
[13] Cf. p. 801.

Card. WYSZYNSKI: *Ad votum Em.mi Card. Ottaviani* (ad informationem). In Varsavia existit Academia Theologiae Catholicae, et alia interconfessionalis, erecta a gubernio Communista, et canonice non approbata per SS. Congregationem Studiorum. Accepi facultatem a SS.mo D.no Pio XII, tolerandi istam Academiam. Omnes Professores missionem canonicam quoque anno renovandam, a me recipiunt.

XIV

DE STUDIIS ACADEMICIS AB UNIVERSITATIBUS TUM CATHOLICIS TUM ECCLESIASTICIS PROVEHENDIS

(Septima Congregatio: 27 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE STUDIIS ET SEMINARIIS

CAPUT II

DE STUDIORUM ECCLESIASTICORUM UNIVERSITATIBUS

1. [*Introductio*]. Cum nostris praecipue temporibus altiora studia ad singulorum hominum et societatis vitam vera fide imbuendam aut ab ipsa alienandam quam maxime valeant, haec Sancta Oecumenica Synodus sequentia disponit ut in Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus disciplinae sacrae vel cum sacris connexae impensius excolantur ac provehantur atque auditores in iis, secundum doctrinam catholicam, altius instituantur atque in fontium cognitionem, in usum investigationis scientificae, in magisterium rite exercendum introducantur; [1] simulque vehementer exoptat, ut ecclesiastici Antistites quos ex clericis scientiarum investigationi aptiores cognoverint, Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus formandos committant, eo temporis spatio quod hodiernis scientificae et apostolicae institutionis necessitatibus exigitur.[2]

I - *De Studiis Philosophicis*

2. Sollertissimam de studiis academicis curam quam praeprimis in divinae doctrinae incrementum Ecclesia impendit, Philosophiae quoque exhibitam vult; quippe cuius gravissimum munus sit veritates humanae rationi pervias per supremas causas patefacere, fundamenta fidei in tuto collocare, altiori scientificae fidei penetrationi eiusque defensioni ut instrumentum inservire, nova systemata diiudicare atque, cum opus sit, refellere; ea demum quae in eis sana agnita sunt philosophiae christianae compaginare.[3]

3. In Universitatibus Ecclesiasticis duplex instituatur biennium studio-

rum ad gradus academicos in Philosophia assequendos: alterum Philosophiae scholasticae, alterum specialisationis.[4]

Biennium Philosophiae scholasticae ad normam praecedentis decreti « De studiorum ratione in Seminariis » (III, 9-12) ab omnibus clericis peragendum, sic in Facultatibus ecclesiasticis perficiatur ut Alumni non modo ad studia theologica sed etiam ad altiora studia philosophica excolenda apte instruantur. Auditores igitur accuratissime in fundamenta syntheseos Doctoris Angelici introducantur quae ad philosophiam spectant; ita ut ad hanc plene cohaerenterque propria ratione recensendam atque ut progressus scientificus postulat ulterius evolvendam apti evadant. Hoc studiorum curriculo rite absoluto gradus Baccalaureatus conferatur.[5]

Alterum biennium, ad Licentiam docendi conferendam, studiis specialisationis impendatur peculiari ratione habita philosophiae et scientiae recentioris aetatis; in quo biennio ordinando Universitates congrua fruantur libertate sub suprema Sanctae Sedis auctoritate.[6]

4. Praeterea, Universitates et Facultates, quae magistrorum subsidiorumque copiam congruam habent, altiora studia ad Lauream in Philosophia conferendam instituant per congruum temporis spatium usque ad dissertationis scriptae defensionem protrahenda. Haec autem magisteria eo respicere debent, ut ope investigationis et reflexionis stricte philosophicae altior synthesis culturae modernae ab erroribus expurgatae sub luce veritatis christianae promoveatur.[7]

II - *De Studiis Theologicis*

5. In Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis duplex sit studiorum S. Theologiae ordo ad gradus academicos assequendos: alter in quo integrum corpus doctrinae theologicae tradatur, alter in quo pars seu sectio eiusdem particularis sic excolatur ut sacrorum Alumni assidue et apte parentur ad magisterium exercendum et disciplinas sacras provehendas.[8]

6. Prius studiorum curriculum, ad Baccalaureatum, per annos quatuor protrahendum sic in Facultatibus ecclesiasticis instituatur ut non solum ea comprehendat quae ad normam decreti « De studiorum ratione in Seminariis » (IV, 13-19) ad munus sacerdotale sancte obeundum praeparant, sed etiam auditores ad altiora studia specialisationis in disciplinis sacris prosequenda idoneos reddat.[9]

Ad hunc finem assequendum S. Theologia ad scientificam exactam methodum, tam positivam quam speculativam, accuratissime tradatur, ita ut integra huius disciplinae synthesis ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis in omnibus suis partibus organice perspecta habeatur.[10]

7. Sacrorum Alumni Baccalaureatu in S. Theologia insigniti ad altiores gradus academicos acquirendos alteri studiorum ordini per tres saltem annos incumbant.[11]

Duobus primis annis ad Licentiam in S. Theologia contendentes ita studio particularis sectionis se dedant, ut non solum doctrinam traditam omnino

perspectam habeant et in hac scientiae parte vere periti reddantur, verum etiam ope exercitationum ad praecipuos eius fontes cognoscendos compositi, scientificam investigandi methodum ipsi propriam plene addiscant, atque ad magisteria in Seminariis Maioribus et quaedam ministeria praecipua rite obeunda solide praeparentur.[12]

Studia ad Lauream per congruum tempus protrahenda in Universitatibus et iis Facultatibus quae magistrorum congruentem copiam habent, instituantur; quae studia ita ordinentur, ut candidati ad propriam disciplinam efficaciter provehendam vere apti fiant et ad docendum in Universitatibus rite excolantur.[13]

8. Rationes studiorum in utroque curriculo observandae a singulis Universitatibus et Facultatibus, Sancta Sede ducente et approbante, conficiantur ad peculiares locorum conditiones accommodatae.

III - *De praecipuis Specialisationis Studiis*

9. Praeter studia philosophica et studia theologica de re dogmatica, morali, spirituali, alia habeantur specialisationis studia quae sive in particularibus Facultatis Philosophicae et Theologicae sectionibus sive in propriis Facultatibus vel Institutis promoveantur.[14]

In ipsis singularem locum obtinent Divinorum librorum studia quae secundum iterata Sanctae Sedis monita et huius Sanctae Synodi decreta Patres particulari cura prosequenda esse iubent.[15]

Praeterea hae praecipue disciplinae excolantur: patrologia, scientiae historiae religiosae, scientiae de re liturgica, de re pastorali; ius canonicum et civile, scientiae de rebus orientalibus christianis, scientiae missiologicae, scientiae confessionum acatholicarum et religionum achristianarum; archaeologia christiana, musica sacra, ars sacra; scientiae sociales, paedagogicae, scientiae ethnologicae et anthropologicae, litterae humaniores christianae, scientiae de mediis communicationis socialis et aliae id genus.[16]

10. Cum ex natura hominum et rerum nulla disciplina aliis neglectis vel posthabitis omni ex parte perfecte excoli possit, in quavis Facultate studiorum ecclesiasticorum unitas omnium scientiarum sacrarum ita efficiatur oportet, ut singulae disciplinae minime aliae ab aliis disiunctae, sed potius in corpus organice compaginatae alumnorum mentibus elucescant.[17]

Pariter in unaquaque Universitate ecclesiastica singulae Facultates et Instituta interne inter se cohaerere debent, mutua opera sibi vicissim omnia assidue praestantes, quae ad organicum divinae et humanae scientiae corpus in dies perfectius exstruendum necessaria et utilia esse videntur.[18]

Denique ut Universitates et Facultates ecclesiasticae omnes aptiore quo possint modo mutua inter se conspirent operae coniunctione Sancta Synodus vehementer commendat. Viribus enim opportune consociatis ad gravissima quaeque perficienda scientiae munera reddentur promptiores et veritati Christi ab Ecclesia hodie summopere inter omnes gentes dilatandae atque tutandae validissimum praebebunt auxilium.[19]

IV - *De Methodo*

11. Cum scientiarum progressus necnon unitas in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis efficacius excolenda congruentem potissimum requirant methodum, eadem Sacrosancta Synodus enixe hortatur ut omnes magistri cum in tradendis tum in pervestigandis et tractandis disciplinis propriae methodi rationem quam accuratissime habeant.[20] Apprime igitur servata, praesertim in disciplinis philosophicis et theologicis methodo scholastica hucusque tam salubriter adhibita, iusta quoque ratio habeatur methodorum quas verus scientiae progressus invexit quibusque disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent.[21]

12. Auditores in laborem scientificum proprium sub ductu professorum gradatim introducantur.[22] In priore curriculo principia methodologica propriae disciplinae addiscant, eaque aptis exercitationibus applicare incipiant.[23]

In curriculo specialisationis autem in quo disciplinae magis monographice proponuntur ad aliorum commentationes recte expendendas et praeprimis ad selecta scientiae argumenta indaganda et in arte proprias investigationes ac conclusiones scriptis proponendi solide instituantur.[24] Qui singulorum labor scientificus in curriculo ad lauream priorem locum obtinere debet.

V - *De Professoribus*

13. Professorum in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis varii habeantur ordines. Ut quis in professorum collegium legitime cooptetur, requiritur non solum ut vera peritia certis documentis comprobata praefulgeat, verum etiam ut unicuique ordini congruam exhibuerit maturitatem scientificam.[25] Numerus autem professorum talis sit oportet ut singularum scientiarum disciplinis atque auditorum numero sive pro lectionibus sive pro exercitationibus fructuose instituendis plane respondeat.[26]

14. Professores veri alumnorum magistri sint, competenti auctoritate scientifica ad scientiae amorem eos attrahant, assidua ac vigilante cura ipsorum prima in labore scientifico incepta prosequantur; ad sacrificia quae verus scientiae cultus expostulat, forti et hilari animo perferenda suo inflamment exemplo eosque alta scientia imbutos viros vere doctos et humiles efficere satagant.[27]

VI - *De novis Universitatibus condendis et de Affiliatione*

15. Ut scientia ecclesiastica universim evehatur placuit Patribus decernere, ut sub ductu Sanctae Sedis novae Universitates et Facultates ecclesiasticae condantur, ubi locorum, temporum ac rerum rationes hoc expostulant, dummodo professores, bibliothecae, aedificia, subsidia praesto sint ea perfectione et mensura, quae in tam gravi negotio nostris potissimum temporibus requiruntur.[28]

16. Seminaria maiora dioecesana et religiosorum particulari institutionis

perfectione praecellentia, Universitatibus et Facultatibus affiliari possunt ita, ut sub earum vigilantia et ductu melioris ingenii iuvenes eam consequantur institutionem scientificam, quae priori Facultatis philosophicae et theologicae curriculo respondeat et in fine curriculi, debitis examinibus superatis, Baccalaureatus gradu ornari queant.[29]

VII - *De Institutis Investigationis Scientificae*

17. Patres Concilii insuper enixe exoptant, ut in Universitatibus et Facultatibus Instituta erigantur quae primarie investigationi scientificae promovendae inserviant.[30] Hisce Institutis praesto sint viri iam vere periti in unum congregati, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes ita ut non solum altior veritatis cognitio obtineri, sed etiam fructus pretiosissimi in utilitatem ipsius operae scientificae atque apostolatus practici percipi possint.[31] Huiusmodi autem Instituta laudabili aliorum coetuum studio iam erecta apte Facultatibus consocientur.[32]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 2-10 octobris 1961; 34 Membra tulerunt suffragium « Placet », 3 Membra « Placet iuxta modum ».

NOTAE

(Ad Introductionem)

[1] Ipsi fines institutionis universitariae ecclesiasticae quasi verbotenus desumpti sunt ex Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (cf. Tit. I, *Normae generales,* art. 2). Haec Constitutio, etsi in prooemio integram de studiorum Universitatibus quaestionem consideravit, nihilominus in corpore praeprimis meliori institutioni universitariae Cleri consulere voluit, ut Sacerdotes optime exculti praesto essent muneri docendi sacras disciplinas in Seminariis et Universitatibus, easque scriptis provehendi, prout nostra aetate apud altiora instituta scientifica fit in ceteris scientiis.

Constitutionem Apostolicam plurimum contulisse ad hunc finem obtinendum, nullum dubium est. At post annos triginta ab eius promulgatione elapsos, experimentis satis cognitum est maiore nisu opus esse ut studia S. Theologiae et Philosophiae christianae in hodiernis Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis non modo aeque floreant ac in aureis periodis suae saecularis historiae; sed etiam ut, ratione habita progressus scientiarum ultimis saeculis obtenti, instrumentum apprime aptum evadant, quo Ecclesia in alta cultura promovenda eum influxum hodie quoque exerceat quem iure sibi vindicat et de facto in aliis culturae epocis habuit.

[2] Iuxta praescripta Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* (cf. Tit. III, § 2, art. 31), studiorum curriculum in *Facultate Philosophica* absolvitur annis quatuor, quorum tres priores requiruntur ad Licentiam obtinendam, quartus ad Lauream. In *Facultate* vero *Theologica,* absolvitur annis quinque, quorum quattuor priores necessarii sunt ad Licentiam, quintus ad Lauream. Ut studia ecclesiastica scilicet melius et plenius suum facerent quodcumque in hodierna ratione scien-

tiae et methodi authenticum humani spiritus progressum constituit, praefata Constitutio protraxit curriculum studiorum in utraque Facultate per unum annum, et simul plura praescripsit quibus accuratiori institutioni scientificae auditorum consuleretur (cf. in Tit. III et IV, art. 33, 34, 46 circa disciplinas *auxiliares* et *speciales, circa exercitationes, examina, dissertationem*). At haec omnia, ut usus comprobavit, expleri nequeunt illo temporis spatio quod hucusque conceditur quin auditorum mentes valde onerentur et alii aspectus eorum institutionis (spiritualis, pastoralis) detrimentum facile subeant. Haec attente perpendens *Commissio de studiis* conclusit omnino necessarium esse ut curriculum studiorum in Facultatibus Philosophica et Theologica protrahatur quantum opus est ut fines a Constitutione Apostolica intenti obtineantur absque defectibus notatis in *Votis et Monitis* tam Episcoporum quam Congregationum Romanarum.

(Ad Studia Philosophica)

[3] Leo XIII, Litt. Encycl. *De philosophia christiana* (4 aug. 1879); S. Pius X, Litt. Encycl. *Communium rerum* (21 aprilis 1909); Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis* (15 aug. 1950).

[4] Cardo novae rationis studiorum quae in Facultatibus Philosophica et Theologica proponitur in hoc consistit quod in utraque plenius distinguatur *curriculum academicum institutionale* a *curriculo specialisationis*. Ad studia ecclesiastica et theologica congrue applicatur criterium fundamentale et generale nunc vigens in ratione studiorum cuiusvis Facultatis recte ordinatae sub aspectu paedagogico. In omni enim moderna Facultate duplici muneri est incumbendum:

1) prius doctrina anteactis temporibus detecta atque acquisita *tradenda* est quam aptissima ratione paedagogica; idque fit in *curriculo academico institutionali;*

2) deinde necesse est ulterius illud corpus doctrinae excolere investigationibus quae scientiam augeant lumine novarum veritatum, quae nondum agnitae sunt, vel nondum in conspectu synthetico perspectae fuerunt: ad huiusmodi opus instituuntur auditores in *curriculis specialisationis*. Commissioni de studiis persuasum est omnino requiri ut deinceps studia ecclesiastica philosophica et theologica ordinentur sub luce huius principii.

[5] In hodierna crisi doctrinarum, bonum Ecclesiae postulat omnino ut haec institutio philosophica fundamentalis in tuto ponatur; quod fieri nequit nisi:

1) Sacrorum Alumni debitam assecuti sint maturitatem in studiis praeuniversitariis (in Italia, v. g. plene peracto non modo Gymnasio sed etiam Lycaeo);

2) adsit copia sufficiens Professorum qui congrua Laurea instructi ita sint in re philosophica periti, ut auditores possint in hoc biennio introducere in ipsa fundamenta syntheseos Doctoris Angelici; e quorum veritate possint iidem etiam nova aggredi problemata prout progressus scientificus postulat.

Si hae conditiones non adimplentur, etiam post Concilium, in fundamentis ipsis scientiae ecclesiasticae illa perdurabit crisis quam cum tam intima sollicitudine denuntiat Ecclesiae Magisterium (cf. Litt. Encycl. *Humani generis*).

Haec ergo videntur postulanda:

1um, ut in Seminariis minoribus studia media absolvantur *omnino complete* usque ad titulum quo patet ingressus in Universitates;

2um, ut *tantum hoc obtento,* fiat integrum biennium Philosophiae scholasticae usque ad Baccalaureatum in hac disciplina;

3um, ut hic Baccalaureatus in Philosophia requiratur ad inchoanda studia in Facultate Theologica.

[6] Huius alterius biennii est Sacrorum Alumnos altius instituere in speciali quodam ambitu disciplinarum philosophicarum, ita ut in eodem propriam et, quantum fieri potest, perfectam competentiam adquirant. Haec specialisatio rationem suam sortitur e peculiari campo in quo candidatus thesim doctoralem perficere intendit et operam suam deinde exercere optat: v. gr. logica et semantica, philosophia naturae et philosophia scientiarum, metaphysica cum diversis eius hodiernis sectionibus, ethica et ius naturale cum sociologia et politica, historia philosophiae etc.

Ad assequendam Licentiam, praeter examen peculiare de praecipua disciplina sectionis quam frequentat, opus est ut candidatus experimentum etiam scriptum praebeat suae scientiae. Haec dissertatio, etsi non eiusdem molis ac momenti ac dissertatio ad Lauream, tamen condiciones scripti vere scientifici explere debet. Ita Licentiae gradus non modo ut propaedeuticus intelligitur relate ad tertium institutionis gradum, seu Lauream, sed valore sibi proprio donatur. Talis gradus sufficiens erit pro munere docendi in Seminariis.

Huiusmodi autem praescriptiones magis particulares non nominantur in Decreto conciliari: videntur enim reservandae peculiari Constitutioni Apostolicae et congruis Ordinationibus quibus Decretum Conciliare applicabitur a competente S. Congregatione.

[7] Studia ad Lauream iuxta Decretum altiora et magis ardua evadunt et proinde talem requirunt magistrorum et subsidiorum copiam quae non ubique facile reperiri possunt. Proinde in Decreto distinctio insinuatur duplicis categoriae Facultatum ecclesiasticarum. Quod non videtur inconveniens: etenim Facultas Licentiam tantum conferens proprio fine atque decore minime carebit, cum ipse gradus Prolytatus in hac nova ratione studiorum maior evadat et omnino sufficiens ad plura munera peculiaria obeunda (cf. etiam notam 13).

Pro Laurea assequenda praecipuum est ut dissertatio conscribatur quae vere ad scientiae profectum conducat; in qua redigenda tempus congruum impendi debet, quod nequit determinatius praescribi sed relinquatur oportet peculiaribus usibus Universitatum.

(De Studiis Theologicis)

[8] Decretum post *quadriennium* theologicum traditionale praescribit *triennium* specialisationis pro sacrorum Alumnis qui ad Lauream contendunt.

Rationes sunt sequentes:

1) Ex experientia satis constat in praesenti ordinatione *quinque annorum* exigentiis actualibus apte et plene non posse satisfieri. Ubi enim cum rigore debito normae Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* applicantur, formatio Alumnorum magno numero disciplinarum tum fundamentalium tum specialisationis oneratorum, nequit satis compleri sub aspectu etiam pastorali, prout hodiernae exigentiae postulant. Si e contra necessitates institutionis pastoralis congrue respiciuntur, scientia ad gradus academicos requisita non satis obtineri potest et tituli conceduntur qui nequaquam in honorem redundant Facultatum ecclesiasticarum.

2) Etiam abstractione facta a necessitate formationis pastoralis institutio theologica fundamentalis non potest simul peragi cum seriis studiis specialisationis, quae pro scientiae profectu et pro futuris Theologiae magistris sunt omnino neces-

saria; quae vero, si perfunctorie tantum fiunt, potius nocent quam prosunt. Eis serio peragendis duratio unius anni nequit ullo modo sufficere (cf. notam 4 et rationem sequentem).

3) Futuris theologiae dogmaticae et moralis professoribus ea prorsus praeparatio particularis concedenda est quae in aliarum disciplinarum sacrarum magistris hodie iure requiritur.

Iam iuxta praescriptum Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* (Tit. II, art. 25) sacrorum Alumni ut possint contendere ad Licentiam et Lauream in Re Biblica, in Iure Canonico, in Rebus Orientalibus Christianis, in Archaeologia sacra, praevie quadriennium theologicum perficere debent et muniti sint oportet titulo Licentiae in S. Theologia, vel saltem diplomate studiorum quo constet illos hoc quadriennium complevisse ad normam can. 1365 CIC. Ratio huius praescriptionis patet. Scopus enim studiorum in illis Facultatibus et Institutis, *et* basim omnino solidam scientiae theologicae praeviae *et* congruum tempus studiorum, quae uni peculiari disciplinae tribuantur requirit. Nam nonnisi hac via recte providetur formationi Magistrorum in huiusmodi disciplinis, et quidem iuxta graves huius temporis necessitates.

Ad instar huius normae Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* etiam aliae disciplinae quae in peculiaribus Facultatibus et Institutis nunc excoluntur (v. gr. Historia Ecclesiastica, Liturgia, Missiologia, Scientiae sociales) requirunt ut sacrorum Alumni praevie quadriennium theologicum expleverint.

Atqui, si pro praeparatione canonistae, missiologi, sociologi, vel in re archaeologica periti, triennium studiorum specialisationis requiritur, aequum est ut idem praeparationis tempus pro munere non minus arduo explendo concedatur magistris Theologiae dogmaticae et moralis. Nam studia strictiori sensu theologica adeo ample evoluta sunt in praecipuis suis sectionibus (v. gr. Theologiae dogmaticae speculativae, Theologiae moralis, Theologiae spiritualis), ut nonnisi a « specialistis » plene possideri valeant.

Existimat proinde *Commissio de Studiis,* communi consensu, Sanctam Synodum rem maximi momenti in bonum studentium et ipsius scientiae theologicae esse facturam, si durationem curriculi academici studiorum theologicorum protraxerit ita ut *studia specialisationis* (in Theologia dogmatica, spirituali et morali) eandem extensionem habeant ac in aliis disciplinis sacris.

[9] Quamvis inter curriculum theologicum perficiendum in Seminariis et curriculum quadriennale universitarium quod hic proponitur, non iam adsit quoad indolem et numerum disciplinarum tanta differentia quanta hucusque habebatur inter curriculum « academicum » et curriculum « seminaristicum », nihilominus censuit *Commissio de Studiis* quadriennium theologicum institutionale in Facultatibus minime esse superfluum, sed proprio gaudere momento.

Etsi enim Theologia hodierna non potest debito modo excoli et provehi nisi aptis *studiis specialisationis,* tamen considerandum quoque est *periculum serium ne Theologia recentior illo excessu vitietur qui vitiat culturam hodiernam Universitatum laicarum;* ibi enim tendentia specialisationis sic viget ut disciplinae scientificae omnes in sectiones, et sectiones in partes semper minores continuo dividantur. Cum vero in cultura universitaria hodierna desit quodvis principium intrinsecae unitatis, evenit ut hoc processu habeantur fragmenta scientiae, non scientia.

Ut tale periculum in S. Theologia efficaciter vitetur, opus est ut non modo studiis specialisationis momentum maius in posterum tribuatur, sed etiam studiis

quae ut obiectum habent ipsam synthesim S. Theologiae, sive tradendam iuxta suum patrimonium saeculare, sive ulterius excolendam iuxta novas investigationes. Talis vero ingens labor efficacius et plenius perfici potest solum in ipsis Facultatibus ecclesiasticis si non tantum triennio studiorum specialisationis reservatur, sed fit iam durante ipso quadriennio (ut explicatur in ampliore huius Decreti Commentario a Commissione praeparato).

[10] Ratio studiorum curriculi theologici quadriennalis debet *in primis* ea omnia comprehendere quae ad munus sacerdotale sancte obeundum praeparant (cf. Decretum *De studiorum ratione in Seminariis,* IV, 13-19); praeterea vero debet auditoribus conferre sub aspectu scientifico illam institutionem quae ipsos ad altiora studia specialisationis prosequenda idoneos reddat; quod praestandum est tum apta methodo docendi tum exercitationibus. Ut huius curriculi scopus in Facultatibus integre obtineatur, duo potissimum requiruntur:

1) Alumni sint debite selecti non solum quoad ingenium, sed etiam *quoad praeparationem,* sive in studiis mediis complete peractis, sive in biennio Philosophiae scholasticae pariter integre facto post studia media plene absoluta.

2) Collegium Professorum non modo sufficiens sed apprime paratum ad tractatus theologicos tradendos in ordine ad illam synthesim scientiae sacrae, quae ut meta proponitur huius curriculi.

Ad obtinendum Baccalaureatum examen peculiare subeundum erit, prout nunc praescribitur in Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* pro Licentia (Tit. IV, art. 44).

[11] Alter studiorum ordo ad formationem scientificam specialem instituitur qua discipuli *in aliquo disciplinarum theologicarum complexu seu sectione* altius instituantur, ita ut in illa peculiarem competentiam sibi adquirant. Determinatio specialisationis pendet ab ambitu in quo auditor suam operam sive in munere docendi sive in aliis officiis ecclesiasticis exercere debebit.

Ratio studiorum huius curriculi ulterius determinanda erit a competente S. Sedis Dicasterio. Sequentia interea adumbrari posse videntur:

a) *Quoad disciplinas.* Singulae Facultates in propriis statutis determinent *complexus* disciplinarum affinitatem habentium cum disciplina praecipua a qua tota sectio suam indolem consequitur. Tres disciplinae praecipuae suggerendae videntur quae constituere possunt centrum diversarum sectionum: *Theologia dogmatica, Theologia moralis, Theologia spiritualis.* De cetero in ordinando biennio studiorum specialisationis Universitates ecclesiasticae debita fruantur libertate sive quoad numerum sive quoad indolem sectionum.

b) *Quoad rationem docendi.* Cursus tradantur non modo expositionis syntheticae, sed potissimum analyseos criticae tum fontium tum operum, ita ut discipuli recte et exacte de doctrinarum valore diiudicare discant, innata eorum aptitudo ad nova opera adstruenda educetur, in normis technicis productionis scientificae bene instruantur.

c) *Quoad exercitationes.* Ipsis magnum momentum tribuatur et fiant sub ductu professorum quibus tempus et subsidia praesto sint ad laborem personalem uniuscuiusque Alumni dirigendum.

d) *Quoad examina.* Curriculum absolvendum erit examine peculiari *de universa disciplina praecipua* sectionis et commentatione scripta circa aliquod thema scientificum.

[12] Quoad relationem inter Seminaria et Universitates ecclesiasticas, duo notanda occurrunt:

Alumni qui studia S. Theologiae perfecerunt in Seminariis affiliatis (cf. Decreti n. 16 et Commentarii notam 29), Baccalaureatu in eis obtento, poterunt immediate aggredi alterum cyclum studiorum ad Licentiam et Lauream in Universitatibus.

Alumni vero qui his studiis operam dederint in Seminariis non affiliatis, ut possint inchoare studia specialisationis ad Licentiam et Lauream, debebunt per unum annum studiis vacare quae Facultas necessaria existimaverit ut compleatur eorum formatio scientifica in eo gradu institutionis, qui requiritur ad Baccalaureatum: hoc vero donabuntur post examen de universa S. Theologia in Facultate.

[13] Pro studiis ad Lauream decretum non praescribit definitum quoddam tempus, quia post annum *scholaritatis* labor redactionis theseos doctoralis fere semper diuturnius protrahi debet. Id praecipue interest in hac nova conceptione Laureae in S. Theologia, ut nempe dissertatio doctoralis vere sit talis quae ad scientiae profectum conducat, et quae publici iuris fieri possit sub responsabilitate scientifica Facultatis.

Valore scientifico et academico Laureae in S. Theologia fortiter aucto, in Decreto suadetur distinctio duplicis categoriae Facultatum ecclesiasticarum quarum aliae praeter quadriennium academicum ad Baccalaureatum instituant biennium studiorum specialisationis ad Licentiam, absque postremo et altiore curriculo ad Lauream; aliae vero « magistrorum congruentem copiam habentes », omnia magisteria theologica in triplici gradu Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus instituant. Nam, ut in suis *Propositis et Monitis* S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus notat, « studia ad Lauream, si serio fiant, postulant magnum numerum Professorum huic muneri deditorum, selectissimam bibliothecam, magna subsidia pecuniaria. Ex alia parte Universitatum vita nequit esse vere scientifica, nisi aptum numerum (non nimis restrictum) Alumnorum vere selectorum possideant » (*Acta et Documenta,* Ser. I, vol. III, p. 396). Patet autem Facultates omnibus hisce subsidiis instructas non esse tam numerosas. Ius proinde et officium erit S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus decernere quibusnam Facultatibus potestas sit conferendi omnes gradus academicos et quibusnam Facultatibus tantum Baccalaureatum et Licentiam.

Existentia talium Facultatum, ut iam notatum est (cf. notam 7), plene iustificatur ex eo quod valor scientificus Licentiae, biennio specialisationis introducto, non parum evehitur; proinde Institutio academica quae ipsam confert redditur sibi sufficiens in determinato ambitu.

(De praecipuis Specialisationis Studiis)

[14] Attenta distinctione supra exposita inter duplicem ordinem et gradum studiorum (cf. Decreti nn. 3 et 5 et Declarationum notas 4 et 8), praeter studia specialisationis philosophica et theologica in sensu strictiore alia expresse nominantur hunc in finem ut praecipuae scientiae sacrae vel cum sacris connexae, recentiores quoque, apud ecclesiasticos viros maius consequantur incrementum.

Decretum consulto abstinet a dirimenda vexata quaestione de distinctione inter *Facultates* et *Instituta,* utrum scilicet classicae tantum Facultates ut tales retinendae ceteraeque disciplinae in forma Institutorum Superiorum sint ordinandae, an formatio novarum Facultatum etiam in Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus fo-

venda sit, eo fere modo quo fit in plurimis Athenaeis civilibus. Proinde in Decreto terminologia geminata usurpatur « Facultates vel Instituta ».

[15] Particularem mentionem Studiorum S. Scripturae membra Commissionis exoptarunt propter necessitatem hodiernam dogmaticam, apologeticam, catechisticam, liturgicam, oecumenicam scientiae biblicae. Hac speciali mentione autem nihil determinatur de ordinatione et de Sedibus horum studiorum.

[16] In Decreto plura specialisationis studia adiciuntur eis quae iam enumerata sunt in Constitutione Apost. *Deus scientiarum Dominus*. Quae adduntur nova, respondent progressui quem ipsae disciplinae ecclesiasticae hac nostra aetate fecerunt, necnon necessitatibus invectis a scientia agnostica et acatholica. Quae nova studia etiam in votis ab Episcopis Orbis catholici Concilio parando missis passim exoptantur.

[17] Ne studiis specialisationis auctis ipsa vita scientifica in Universitatibus damna patiatur (cf. etiam supra notam 9), mutua operae consortio quam maxime urgenda est *et* inter omnes alicuius Facultatis disciplinas, *et* inter omnes Facultates vel Instituta eiusdem Universitatis, *et* inter Universitates ecclesiasticas in toto orbe existentes.

A multis viris doctis ecclesiasticis atque in plurium Episcoporum votis deploratur non solum nimia autonomia, sed vera quoque disiunctio quinimmo quasi oppositio quae non semel existit inter disciplinas eiusdem Facultatis.

Theologia dogmatica e. gr. accusatur quod sit fere unice speculativa aut apologetica, non satis biblica nec sufficienter fovens vitam spiritualem, liturgicam, praedicationem. Theologia autem moralis dicitur esse potius negativa, non satis dogmatica nec biblica, nimis separata a theologia ascetica-mystica et a vita liturgica. Exegesi exprobratur quod sit fere unice philologica, critica, historico-archaeologica, non satis theologiam dogmaticam respiciens neque vitam spiritualem, liturgicam et pastoralem fovens. Theologiae ascetico-mysticae obicitur quod sit praevalenter psychologica, non sufficienter dogmatica, biblica, patristica et liturgica. Disciplinae denique ecclesiologicae et iuris publici, quae aliquando (proh dolor) quasi convertuntur, passim etiam ad invicem sese ignorant (cf. etiam notam 16 ad schema Decreti *De Studiorum ratione in Seminariis*).

[18] Inculcatur operae consortio inter diversas Facultates eiusdem Universitatis, quippe cum disciplinarum disgregatio frequenter foveatur Facultatum disgregatione. Specialisationis necessitate fortiter vindicata, numquam obliviscendum est scientiam sacram initio unam fuisse eiusque scientificam institutionem quoque unam habitam esse, quae cum « sacra pagina » convertebatur. A multis viris doctis, extra Ecclesiam quoque, in Universitatibus reformandis antiqua « Studii Generalis » idea, i. e. universitas studiorum, sensu unionis et mutuae operae consortionis a parte omnium disciplinarum et Facultatum vehementer exoptatur. Eo magis in Universitatibus ecclesiasticis mutua inter omnes scientias ecclesiasticas opera restauretur oportet.

Ita novae scientiae numquam abstrahere debent a viva cum aliis operae coniunctione; exemplo sit sociologia christiana, quae eodem tempore a philosophia, a theologia, a iure, a scientiis politicis et oeconomicis pendet; vel paedagogia christiana quae a philosophia, theologia, psychologia, medicina aliisque disciplinis plurima mutuetur oportet.

[19] Cooperatio denique omnium Universitatum commendatur, quia hac aetate non solum vivum commercium scientificum totius orbis christiani restaurari debet, verum etiam scientiae munera hodie efficaciter absolvi nequeunt absque multarum virium consortione. Modi quibus huiusmodi consociatio in praxim deduci possunt,

duce S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus determinari et excoli poterunt.

(De Methodo)

[20] Multae querimoniae quae etiam ab episcopis in votis Concilio parando datis circa defectus institutionis scientificae proferuntur, quaestionem methodi tangunt. Quodsi e. gr. theologia moralis haud raro dicitur esse nimis hamartologica, nimis casuistica et parum systematica-doctrinalis, nimis iuridica, id magna ex parte ex neglecta methodo theologiae morali propria venit. Permixtio enim didactica et scientifica inter theologiam moralem et ius canonicum, quae in Seminariis passim viget et ex libris manualibus clare innotescit, methodos quoque confundit cum gravi detrimento utriusque scientiae. Si enim iuridica methodus obiecto morali applicatur et methodus moralis legibus interpretandis, utraque scientia in discrimen vocatur sicut ex mente non paucorum fidelium probatur, in quibus moralis apparet « legalisata », lex vero « moralisata », quoad utriusque interpretationem et applicationem. Quae mens saepe ne a sacerdotibus quidem aliena est, ex institutione in scholis theologicis recepta. Aliud notum exemplum defectus methodi offerebatur haud raro ab Ecclesiologia.

[21] Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (art. 29) cum adnexis « Ordinationibus » (art. 18) valde urgebat methodum positivam una cum speculativa. Decretum consulto abstrahit a variis acceptionibus notionis methodi (expositionis et inquisitionis; analyticae et syntheticae; systematicae et monographicae; speculativae et positivae; historicae, iuridicae, philologicae etc.); huiusmodi determinationes, decreto conciliari minus consonae, relinquendae sunt rationibus studiorum. Expressa autem mentio facta est methodi scholasticae, sensu tamen pleno acceptae, quatenus scilicet non solum modum procedendi speculativum dicit, sed etiam integram magnorum scholasticorum habitudinem scientificam, quae partes positivas non excludit. Generali deinde modo commendatur etiam usus earum methodorum quae vero progressui scientifico inservire probantur.

[22] Exercitatio seu introductio alumnorum in proprium laborem scientificum iam a Constitutione Apost. *Deus scientiarum Dominus* postulabatur. Quia autem exercitationes exigunt magistros vere peritos, alumnorum numero sufficientes nec non usum frequentem, proprias aulas et suppellectilem, bibliothecas particulares etc., dictae praescriptiones nec semper nec ubique sufficienter in praxim deductae sunt, summo cum detrimento dissertationum ad Lauream confectarum.

[23] Ut per gradus procedatur, necesse est ut non solum prima et fundamentalia exercitia non negligantur, verum inde fere ab initio gradualis introductio habeatur in laborem quoque scientificum. Hunc in finem variae formae et gradus exercitationum distinguantur oportet, quod hucusque in praxi saepe negligebatur.

[24] Progrediente curriculo momentum praelectionum decrescit et momentum investigationis scientificae personalis augetur. Attendendum est praecipue ad investigationem veri adhuc incogniti vel non satis cogniti proprio labore faciendam circa selecta argumenta apte restricta; cuius investigationis fructus iuxta regulas artis proponendi scripto redigendi sunt, ita ut alumnorum capacitas scientifica et quoad substantiam et quoad formam excolatur. Haec exercitatio in curriculo ad Lauream primum omnino locum occupare debet.

(De Professoribus)

[25] De ordinibus professorum nihil in specie determinatur, quia singulis Universitatibus remittitur, quot et quid statuere velint, dummodo gradus fundamentales observentur, de quibus iam in Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus* (art. 19).

[26] De professorum numero expresse loquitur Decretum, quia tum quoad institutionem cum praecipue quoad exercitationes optatus exitus omnino frustratur, nisi singuli alumni cura et ductu particulari propriorum professorum fruuntur, quod a congruo tantum magistrorum numero, sive relate ad disciplinas sive ad alumnorum copiam computando, praeberi valet.

[27] Ex universa totius scientificae institutionis historia demonstratur integram discipulorum conformationem non solum a magistrorum auctoritate scientifica eminenti dependere, sed vel magis ab exemplo deditionis et virtutum ab eis dando atque praecipue a vivo inter magistros et discipulos commercio. Etiam in Universitatibus Status plurimi hodie exigunt, ut institutionis academicae sedes non tantum rebus altius investigandis et auditorum institutioni inservire debeant, sed etiam alumnis educandis. Magis autem quam in aliis disciplinis hic finis moralis una cum fine scientifico intendi debet in sacrarum scientiarum studiis, propter munus apostolicum quo viri docti ecclesiastici semper et ubique fungi debent, etiam in doctrinarum cultu.

(De novis Universitatibus condendis et de Affiliatione)

[28] In votis Concilio parando exaratis non desunt qui non solum a novis condendis Universitatibus dissuadeant, sed etiam iam existentes ad minorem numerum reducere velint (cf. v. gr. ipsum votum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, *Acta et Documenta,* series I, vol. III, p. 396). Alii valde cupiunt ut Universitatum vel Facultatum numerus augeatur (cf. v. gr. ibid. vol. II/2, p. 746). Praesens Decretum hoc numero 15 et in sequenti (de « Affiliatione ») has adversas sententias ad concordiam revocare quaerit.

Schema Decreti tanta insistentia exigens professores, bibliothecas, aedificia ceteraque subsidia hodiernis necessitatibus perfecte respondentia, reapse cavet ne novae Universitates vel Facultates facile erigantur, imprimis ubi tempora nondum sunt matura aut rerum rationes nondum sufficiunt ad finem consequendum. Altera ex parte subsidiorum omnium mensura quae exigi debet, non ubique terrarum prorsus eadem esse potest. Ideoque Sanctae Sedis erit de necessitate vel opportunitate huiusmodi erectionum iudicare iuxta principia generalia in huius schematis textu enuntiata.

[29] Ut multorum episcoporum desideriis provideatur, schema Decreti disponit ut meliora Instituta scientiae ecclesiasticae Universitatibus et Facultatibus affiliari possint. Huiusmodi Instituta possunt esse Seminaria regionalia vel maiorum dioeceseon atque Religiosorum institutionis clericalis sedes generales, internationales vel interprovinciales.

Quae affiliatio locum habet quoad studia philosophica et theologica eum in finem ut studiorum qualitas extra Facultates quoque elevari, maior candidatorum numerus ad studia specialisationis alterius curriculi congrue praeparari et aliquis gradus academicus (Baccalaureatus) obtineri possit ab iis quorum interest. Qui fines ut revera obtineantur, Universitates et Facultates « affiliantes » quoad studiorum ratio-

nem, magistrorum qualitatem, examina et gradum Baccalaureatus conferendum sedulo exercere debent vigilantiam et ductum, secundum particulares conventiones a Sancta Sede probandas. S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus quoque erit normis sive generalibus sive specialibus in singulis casibus determinare, quibusnam criteriis regatur electio alumnorum qui Baccalaureatum acquirere possunt.

(De Institutis Investigationis scientificae)

[30] Instituta investigationis scientificae quae directe non inserviunt alumnorum institutioni, summi pretii operam praebent v. gr. in edendis critice textibus, ut sunt Textus Sacri, scripta SS. Patrum, documenta traditionis ecclesiasticae, canones et acta Conciliorum, acta Summorum Pontificum. Authenticitas enim et integritas textuum fundamentum constituunt omnis ulterioris elaborationis scientificae.

[31] Investigatio scientifica hac aetate desideratur quoque in campo actionis, in quo non amplius mere empirice procedi potest, sed eventuum causae, personarum indoles, rerum socialium conditiones scientifice indagari debent ita ut conclusiones certae statui et methodi efficaciores actionis elaborari valeant. Huiusmodi Instituta investigationis igitur etiam apostolatus practici operas magis securas et efficaces reddere possunt. Non pauci Praesules hanc utilitatem persentientes, in votis Concilio parando missis huiusmodi Instituta centralia, nationalia vel regionalia, dioecesana quoque exoptant (cf. e. gr. *Acta et Documenta,* vol. II/1, pp. 178, 186; II/2, pp. 220 s., 249, 326 s., 472, 512, 529; II/7, p. 438 etc.).

[32] Nostra aetate in ambitu Status multa investigationis scientificae Instituta eriguntur extra Universitates. Schema Decreti exoptat ut huiusmodi Instituta vel Academiae in ambitu Ecclesiae erecta cum Universitatibus vel Facultatibus sive interne coniungantur sive saltem consocientur. Defectus Institutorum investigationis scientificae hucusque in Ecclesia passim vigens demonstrat, quam difficulter huiusmodi Instituta independentia erigantur et conserventur. E contra sedes Universitatum et Facultatum meliorem praebent opportunitatem congregandi viros stabili modo investigationi deditos.

Insuper ex consociatione virium et rationum plurium Facultatum et Universitatum ecclesiasticarum praeclara Instituta investigationis scientificae condi possent et fructus uberrimi pro scientia et operis apostolicis maturescere valerent.

2) RELATIO EM.MI P. D. IOSEPH CARD. PIZZARDO PRAESIDIS COMMISSIONIS DE STUDIIS ET SEMINARIIS

Antequam Vos, Em.mi et Excellentissimi Domini, de schemate Universitates ecclesiasticas respiciente, vestra vota proferatis, amabilissima vestra patientia confortatus, tria coram Vobis perstringam:

I. Schematis Momentum
II. De labore praeparatorio notae quaedam
III. Brevis illustratio ipsius schematis.

Ad primum: *Schematis Momentum.*

Iam Pius XI felicis recordationis in clarissima Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* omnibus viribus id contendendum esse edixit ut « sacrae disciplinae, sicut olim in publicis studiorum Universitatibus primas ferebant, ita nunc quoque potiores locum teneant ».

Quae ab illa Constitutione praescripta sunt, non parum contulerunt ad studia academica in Facultatibus ecclesiasticis altius evehenda. At post triginta annos ab eius promulgatione elapsos compertum est, maiore nisu opus esse in ordinandis studiis ecclesiasticis.

Tempus pro Licentia et Laurea in Philosophia et Theologia provisum reapse non sufficit: ut alumni in his disciplinis profundam et completam institutionem acquirant; simul ad determinatam sectionem scientifica ratione explorandam componantur, immo ut etiam ad futurum munus pastorale in hodierna societate explendum apte praeparentur.

Considerato insuper incremento scientiarum cum sacris disciplinis quomodolibet coniunctarum non sufficienter formari possunt illi Magistri qui Theologiam Dogmaticam et Moralem in Seminariis et in ipsis Facultatibus profiteantur et iisdem disciplinis ulterius provehendis vero sint pares.

Ad secundum: *Laboris praeparatorii synthetica descriptio.*

Ratio studiorum in Universitatibus ecclesiasticis recognoscenda iam anno 1960 commissa est particulari coetui. In ipso Rev.mus P. Muñoz-Vega, Rector Universitatis Gregorianae et Rev.mus D. Stickler, Rector Athenaei Salesiani, susceperunt munus Relatoris et Correlatoris, strenue adiuti ab illustribus Professoribus ex Universitate Lateranensi et Urbaniana, ex Athenaeo Angelico et Anselmiano nec non ab Exc.mo Episcopo Monasteriensi, praematura morte propriae Dioecesi et huic Commissioni erepto.

Re accurate perpensa et multis conventibus particularibus disceptata Commissio conclusit necessarium esse:

1) ut et in Facultatibus theologica et philosophica curriculum *academicum institutionale* clare distinguatur a curriculo *specialisationis;*

2) ut studiis specialisationis diuturnius tempus concedatur.

Schema decreti, in pluribus conventibus ita examinatum et expolitum est, ut sexta eius editio approbata sit unanimi Commissionis voto in IV Conventu Generali, mense octobris 1961 celebrato.

Ad tertium: *Brevissima illustratio ipsius schematis.*

In redigendo schemate Commissio voluit:

a) evitare determinationes nimis particulares; de facto enim Commissio non exaravit aliquam Rationem Studiorum et abstinuit a multis determinationibus, quae ab ipsis Universitatibus et a competenti Sacro Dicasterio ordinanda erunt. Aliqua huiusmodi in Schematis Commentario innuuntur;

b) dare eas normas vero fundamentales, quae ubique observari possunt et debent, ut disciplinarum sacrarum cultus secundum huius aetatis necessitates promoveatur.

* * *

Necessarium non videtur singula percurrere, cum praecipuae rationes in brevibus notis Schemati adiectis illustrentur. Non autem erit inopportunum quasdam *obiectiones* tangere:

1) Hoc schema applicari non potest Facultatibus theologicis in Universitatibus Status erectis.

Responderi potest: in numero octavo huius decreti provideri congruam adaptationem, sicut idem provisum fuerat in Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus.*

2) Maior difficultas ab ipsa Commissione attentissime considerata ita exprimi potest: Iterum protrahuntur studia ecclesiastica, quae iam sunt tam extensa; parcite episcopis! parcite ipsis iuvenibus alumnis!

Cui difficultati certo non spernendae ita respondendum esse censeo:

a) non protrahuntur ullo modo studia praescripta sacerdotibus curae animarum destinatis;

b) neque protrahuntur studia specialisationis quibus — omnibus episcopis pacifice consentientibus — iam nunc praeparantur futuri canonistae, magistri Sacrae Scripturae, Historiae sacrae, Archaeologiae christianae, Musicae sacrae, Liturgiae et Theologiae Pastoralis etc. Omnes enim isti, curriculo fundamentali absoluto, saltem per duos vel tres annos studiis specialisationis incumbere debent ad Licentiam vel ad Lauream in his disciplinis obtinendam;

c) in Facultate theologica protrahuntur e contra *studia specialisationis* unice pro futuris magistris Theologiae dogmaticae et Theologiae moralis et Theologiae spiritualis; pro iis scilicet cathedris quorum Professores summopere influunt in sacrorum alumnos pro tota vita conformandos.

Ipsi in hodiernis adiunctis tot quaestionibus difficillimis respondere

debent! *Cogitate* tantummodo de problematibus invectis a scientiis modernis naturalibus et philosophicis! Cogitate de necessitate urgente maiorem restaurandi contactum inter Theologiam dogmaticam et Sacram Scripturam! Nec obliviscamur necessitatem maioris contactus cum Theologia Communitatum ab Ecclesia Catholica separatarum.

Quot urgentes quaestiones cultoribus et magistris Theologiae moralis ponuntur hodie a conditionibus demographicis, sociologicis et politicis in plano familiae, relationum oeconomicarum, nationum et consortionis internationalis! Quot Episcopi in propriis votis insistunt ut magistri Theologiae moralis formentur in maiore contactu cum Theologia dogmatica, Sacra Scriptura et Theologia spirituali-liturgica!

* * *

Licentia in Sacra Theologia non est tantum testimonium cursus universitarii feliciter superati; non est simplex diploma capacitatis professionalis; sed ille gradus academicus quo auditores habilitantur ad *docendum* in ipsis scholis superioribus, in Seminariis maioribus cleri dioecesani et correspondentibus Institutis statum perfectionis acquirendae.

In legislatione autem hodierna Licentia, in fine ipsius curriculi fundamentalis acquirenda, habet aliquod aequivocum; permultis enim est morum subsidium vel transitus ad alios omnino fines obtinendos; qui vere de facto ad docendum aspirant, ad hoc munus tam momentosum explendum *ius* quidem, vix autem adaequatam *praeparationem* acquirunt. Ecclesia indiget non viris ecclesiasticis qui titulis ornantur, sed gradus ab ipsa collati indicare debent veram praeparationem ad gravissimum munus docendi et ad ipsam scientiam ecclesiasticam promovendam. Nec inopportuna est facienda comparatio inter gradus in societate civili et in Ecclesia collatos. Valor titulorum civilium a natione ad nationem differt. Proinde tituli Ecclesiae, ex requisitis, altissimum valorem habeant oportet. Exinde sicut moneta fortis cum omni alia minoris pretii apte et facile commutari poterit. Quod principium iam in pluribus Universitatibus agnitum est, ubi ea iam praescripta sunt quae in praesenti Decreto ad omnes Facultates ecclesiasticas extendentur; exemplo sit Facultas Theologica in Universitate Lovaniensi. Et constat plures praecipue etiam ex Statibus Confoederatis Americae ibi gradus acquirere, non obstante longiore tempore requisito.

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Card. Liénart: Schema huius Decreti, cum schemate de studiorum ratione in Seminariis, non satis concordare, imo in rebus maximi momenti adversari mihi videtur.

1) Quoad alumnos. In utrisque agitur de iuvenibus ad sacerdotium parandis. In utrisque idem biennium philosophiae et quadriennium theologiae iis imponitur ante omnem specialisationem.

Sed in praesenti decreto Episcopis commendatur ut seligant, immediate post studia classica, iuvenes ad studia superiora magis aptos et illos Facultatibus Philosophiae et Theologiae reservent. Grave tamen esset, si haec selectio caput amputaret Seminariorum. Notandum est merito in Decreto de Seminariis, quod numerus alumnorum exiguus esse non deberet et quod in casu melius esset Seminaria adunari. Sed qualitas non minus importat quam numerus ad studia fovenda et ideo cavendum est ne iuvenes aptiores omnes segregentur in Universitatibus, et in Seminariis non remaneant nisi minus apti.

2) Quoad formationem sacerdotalem. Quidquid propositum est et optimum recognitum est, ad educationem ecclesiasticam perficiendam in Seminariis, in praesenti decreto praeteritur. De studiis superioribus aggrediendis, ad manifestandam Ecclesiae praestantiam in scientiarum campo, unice tractatur. Nihil dicitur de praeparatione practica ad apostolatum verbi et Sacramentorum quem tamen sacerdotis est, neque de tempore reservato ad harmoniam diversarum disciplinarum complendam. Vereor ergo ne formatio melioris partis Cleri in Universitatibus inferior sit formationi sacerdotali in Seminariis. Quod Deus avertat! Ideo exopto ut etiam in Universitatibus omnia disponentur ad mentem decreti de ratione Studiorum in Seminariis.

3) Bonum est quod specialisatio recte distincta sit a quadriennio.

Dualitas tamen subsistit inter Seminaria et Facultates Canonicas, quae eumdem studiorum cursum sequuntur. Ad hanc solvendam oporteret ut Facultates Canonicae praeparationem ad baccalaureatum Seminariis relinquant et praeparationem ad gradus superiores Licentiae et Doctoratus sibi reservent, sicut fit in Facultatibus non Canonicis. Sed scio quod, in diversis nationibus, Facultates locum tenent Seminariorum unde haec accommodatio impossibilis redditur, propterea tantum exopto quod hoc permittatur ubi possibilitas existit.

Card. Ruffini: In hoc schemate mire elucent studium et amor scientiarum ecclesiasticarum, sed aliqua quae proponuntur a Commissione angustias in me iniciunt.

I. De tempore insumendo in studiis academicis ut quis lauream in Philosophia adipisci possit.

Pag. 4.[1] Post quadriennium a curriculo studiorum mediorum (seu classicorum) expleto obtineri potest licentia, quae sufficeret ad docendum in Seminariis; sed Universitates vel Facultates lauream in philosophia conferre non possent nisi candidatus *altiora studia per congruum temporis spatium* perfecerit. Quod congruum temporis spatium nullo limite circumscribitur! Nimium id mihi videtur.

II. Causa gravior fit quando tractatur de Studiis Theologicis.

Pag. 5.[2] Quadriennio in Facultate Thologica vel in Seminarii schola quae sit cum Facultate coniuncta per « affiliationem » (de cuius opportunitate multum dubito) expleto « Sacrorum alumni Baccalaureatu in S. Theologia insigniti — ut legitur, pag. 5, sub n. 7 — ad altiores gradus academicos acquirendos alteri studiorum ordini per tres *saltem* annos incumbant ». Ideo, ut in Italia maneam, cursu elementario expleto, alumnus quicumque deberet incumbere per 8 annos in studia media classica, deinde per 2 (saltem) annos in studium philosophiae scholasticae, per 4 annos in studium totius Theologiae « ad scientificum exactae methodum » et tandem — ut lauream consequi valeat — per 3 saltem annos in studium quod « specializatio » appellatur. In summa essent necessarii — post curriculum elementarium — saltem 17 anni ut quis doctor fiat in S. Theologia. Aestimo in nulla Universitate huius mundi tot requiri annos ad lauream obtinendam! Et tamen fortasse non sufficerent pro idoneitate ad docendum in Universitate, qui est finis a Commissione praestitutus laureae adipiscendae.

Insuper studia Seminariorum cum, ex se, ad nullum gradum academicum praepararent, nisi schola sit coniuncta cum aliqua Universitate vel Facultate, quodam dedecore afficerentur dum in mundo homines qui officio alicuius momenti funguntur titulo academico ornati sunt, in Ecclesia sui ministri — paucissimis exceptis —, tantum studia minoris valoris perficerent. Id credo maxime considerandum esse.

Pag. 5, lin. 24 et seq. Ibi fit sermo de particularibus sectionibus quae verbo « specializationis » comprehenduntur. Si bene intellego, in studiis theologicis altioris gradus possent haberi sectiones variae, e. gr. dogmatica, biblica, moralis, iuridico-canonica, liturgica, historica ..., et — si ita est — haberetur Facultas Theologica multiplex cum iure conferendi licentiam et — servatis servandis — lauream in diversis disciplinis, et inde confusio crearetur respectu Facultatum et Institutorum quibus hu-

---

[1] Cf. pp. 816-817.

[2] Cf. pp. 817-818.

cusque reservatum est ius conferendi gradus academicos in illis disciplinis.

Pag. 9,[3] ad n. 16: ibi celebratur dignitas Baccalaureatus, sed quaero: quid *re* valeret, ad quid inserviret, nisi ad ingrediendam aliquam Facultatem theologicam? Cur ius hunc gradum conferendi non extenditur ad scholam theologicam omnium seminariorum, rite probatorum?

Pag. 5,[4] linn. 20-23. Si quis Baccalaureatu insignitus non sit, sed quadriennium Theologicum in Seminario expleverit, quid facere debet ut Facultati Theologicae adscribi possit?

Pag. 8,[5] ad V, *De Professoribus,* linn. 9-12. Praeter qualitates, seu dotes, mentis, rectae quidem seu vere catholicae, recensendas esse — ut opinor — qualitates voluntatis et cordis, quae non sunt minus necessariae.

Dicerem quod Professores debeant pietate et virtutibus sacerdotalibus excellere, quia exemplo docere debent alumnos discendas esse scientias sacras non solum studio sed etiam oratione et vitae sanctitate quibus mediis divina illustratio, interdum absolute necessaria obtineri solet.

Sufficit interdum professor unus *liberalis* — sit venia verbo — liberalis in moribus, plus quam in doctrina, ut dextruat optimam educationem a Superioribus, nempe a Rectore et a Patre Spirituali, diligentissime impertitam.

Card. DÖPFNER: Schema propositum optime elaboratum certe studia Ecclesiastica efficaciter adiuvabit et promovebit, ubi primum in praxim deductum erit. Uti patet cuivis legenti, largum fecit usum analysium et consiliorum, quae a viris competentibus hac in re iam saepius suggerebantur in conferentiis et ephemeridibus. Ad studia Ecclesiastica quod attinet, inde ab ultimis decenniis acrius vexabamur quaestionibus praesertim tribus:

1) Quomodo aequilibrium inveniendum inter tot novas scientias (et philosophicas et theologicas) auxiliares relate ad se invicem et relate ad scientias principales traditionales ipsasque ulterius evolutas?

2) Quomodo curriculum studiorum aptius ordinandum, ut *et* ii, qui curae animarum operam daturi essent, *et* ii, qui munere investigandi et docendi functuri essent, exigentiis horum temporum plene correspondere valeant?

3) Quomodo materiae studiorum disponendae, ne alumni, ingenti earum mole oppressi, *et* in ipsa scientifica formatione damna patiantur,

---

[3] Cf. pp. 819-820.
[4] Cf. p. 817.
[5] Cf. p. 819.

cum res superficialiter tantum vel pro solis examinibus addiscant, *et* in formatione religioso-spirituali et sacerdotali detrimenta habeant, cum vita spiritualis, oratio mentalis, participatio in sacra Liturgia subordinatum locum tantum tenerent?

His difficultatibus Schema nostrum in quantum fieri potest occurrit.

1) Imprimis laudanda est aequa ponderatio uniuscuiusque scientiae sive principalis sive auxiliaris. Exempli gratia: agnoscitur momentum philosophiae christianae (pag. 3,[6] lin. 18 sqq.), imprimis in principiis Doctoris Angelici fundatae (pag. 4,[7] lin. 11 sqq.); simul tamen non fit oblivio elementorum bonorum, quae philosophiae christianae compaginari queant ex aliis systematibus (pag. 3, lin. 26 sqq.); inter disciplinas fundamentales theologicas nominatur etiam theologia spiritualis, hucusque aliquoties — ut mihi videtur — parum perpensa (pag. 6,[8] lin. 13 sqq.); enumeratur series disciplinarum, quae hodie in Facultatibus studiorum Ecclesiasticarum sine detrimento negligi non possunt (pag. 6, lin. 17 sqq.); agnoscitur locus singularis, quem obtinent Divinorum librorum studia (pag. 6, lin. 13 sqq); memoratur progressus methodorum, quin valor methodi scholasticae ullo modo minuatur (pag. 7,[9] lin. 22); specialisationis necessitate fortiter vindicata exaltatur interna unitas disciplinarum (notae 17 et 18); evolutio methodi in certis quibusdam casibus aliquomodo unilateralis et deficientis revocatur ad sana sua principia (cf. notam 20, ubi exemplum affertur sequelarum infelicium, ad quas hic vel illic duxit confusio quaedam inter theologiam moralem et ius canonicum).

2) Maximam meretur laudem divisio inter curriculum institutionale et curriculum specialisationis. Sic in tuto ponitur *et* profunda ac sufficiens instructio *omnium* alumnorum in sacris disciplinis *et* efformatio virorum vere peritorum in aliqua disciplina *speciali,* qui non solum optimi docentes respectivae disciplinae sed etiam competentes consultores Episcoporum in quaestionibus illam attingentibus exstabunt. Certe talis progressus emi debuit notabili quodam pretio, et hoc consistit in prolungatione curriculi studiorum. Tamen hoc pretium solvendum mihi esse videtur, et quidem propter rationes sequentes:

a) In curriculo ordinario, quod ad suscipiendos sacros ordines et curam pastoralem exercendam sufficit, nihil immutatur, vel ipsum solummodo a laboribus pro hoc munere non requisitis deoneratur.

b) Studia specialisationis non protrahuntur ultra spatium requi-

---

[6] Cf. p. 816.
[7] Cf. p. 817.
[8] Cf. p. 818.
[9] Cf. p. 819.

situm iam ad lauream obtinendam v. gr. in re Biblica. Omnino tamen est aequum, ut disciplinae theologiae dogmaticae et moralis, eodem modo fundamentales quam scientia Biblica, eadem ratione tractentur.

c) Difficultates quae ex parte Facultatum Theologicarum in Universitatibus Statalibus erectarum fortasse orientur, facilius componi poterunt. Nam saepius tempora ad gradus academicos requirendos praescripta in Universitatibus Statalibus spatia hic praevisa iam adaequant. In Facultate Theologica Monacensi v. gr. ad gradum Doctoratus requiruntur post curriculum institutionale absolutum duo anni studii specialis et elaboratio dissertationis maioris momenti scientifici, quae ipsa generatim requirit annum ulteriorem; pro adipiscenda venia legendi elaboratio alterius dissertationis (uti aiunt) habilitationis exigitur, ad quam denuo spatium 1 vel 2 annorum necesse est. Ergo docere in Universitate vel Facultate nequit, qui non habeat persoluta studia theologica saltem 8 annorum. Unde differentia non est tam magna, vel potius verbalis, cum ibi ex una parte quidem non requiratur Licentia, ex altera tamen addatur sic dicta habilitatio post Doctoratum. Qua de causa accommodatio ab ipso nostro schemate praevisa (cf. pag. 6,[10] lin. 5 sq.) possibilis erit, quin res radicitus invertantur.

Monendum tamen est, ne postea in praxi curriculum institutionale et curriculum specialisationis nimis ab invicem separentur. Semper insistendum erit in duplici eorum quodam nexu:

a) Ipsi professores in curriculo institutionali docentes, quod magis ad haereditatem scientificam saeculorum tradendam spectat, ne in suo studio scientifico languescant, semper simul cum docendo etiam investigationibus quaestionum novarum operam dent. Optandum erit, ut iidem, qui docent in uno, doceant in altero curriculo quoque.

b) Iam in ipso curriculo institutionali studentes in statum quaestionis problematum actualium introduci debent, quamvis ulteriores investigationes reservandae sint curriculo specialisationis. Ita praecavebitur, ne curriculum institutionale aliquomodo sterile evadat. Forsitan hic duplex nexus inter ambo curricula in ipso corpore Decreti apto loco edici poterit.

His omnibus perpensis schema quoad substantiam admittendum esse mihi videtur simpliciter.

Quoad particularia pauca mihi liceat adhuc addere:

1) Ad n. 1: Exoptandum esse videtur, quod etiam laici idonei in Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus scientiarum investigationi operam dare possint, cum existimatio et influxus Ecclesiae in vita civili et

[10] Cf. p. 818.

culturali nationum magna ex parte pendeat a copia hominum bene formatorum non solum in scientiis profanis spiritu fidei imbutis, sed simul etiam in ipsis scientiis sacris. Quae valent imprimis pro iis, qui quodcumque munus docendi exercent. Unde in fine paragraphi addi poterit: « Curent insuper ecclesiastici Antistites, ut etiam laici idonei invitentur, admittantur et adiuventur ad studia Ecclesiastica peragenda, qui altiores professiones, imprimis magisteria quaelibet, formatione religiosa superiore imbuti exerceant ».

2) Ad n. 3, pag. 4,[11] lin. 11 sq., et praesertim n. 6, pag. 5,[12] lin. 16 sqq.: Magna emphasis ponitur in momento, quod habent principia et doctrina S. Thomae Aquinatis sive pro philosophia sive pro theologia; et quidem recte hoc fit. Certe tamen hoc intelligendum est assertive, non tamen exclusive. Dicendum autem videtur hic quoque, quod dixi iam in disceptatione de schemate « De studiorum ratione in Seminariis »: Ad evitandam omnem speciem, licet apparentem, ac si verbis schematis detrahatur de auctoritate aliorum doctorum Ecclesiae et doctrinis aliarum scholarum, quas Ecclesia semper in honore habuit, propono, si placet, additamentum in pag. 5,[13] lin. 19: « ... perspecta habeatur, minime tamen neglectis doctrinis aliorum doctorum ecclesiasticorum et scholarum rectam fidem profitentium ».

3) Ad n. 9, pag. 6:[14] In enumeratione scientiarum speciali modo excolendarum utiliter adnumerabitur psychologia moralis, quae omnino requiritur pro exigentiis huius temporis, praesertim ad refellendam falsam psychotherapiam, quae apud multos « paganos modernos » quasi locum curae animarum occupavit.

Card. BEA: In iis quae hic dicuntur de studiis ecclesiasticis, sive in Seminariis sive in Universitatibus, oportet, ni fallor, aliquam clausulam addere de Orientalibus et de Missionibus. Normae enim quae hic dantur, interim ad eos non plene applicari possunt.

Quantum ad *Orientales* — non loquor nunc de Unitis, sed de Orthodoxis —, si ad Ecclesiam redibunt, ad haec exsequenda non sunt praeparati et per multa tempora non erunt praeparati. Ipsi enim interim vix habent formationem theologicam, exceptis paucis Institutis aliquatenus melius constitutis, ut Seminarium Patriarchatus Constantinopolitani in Chalcis et Facultate theologica exsistente in Universitate Athe-

[11] Cf. p. 817.
[12] Cf. p. 817.
[13] Cf. p. 817.
[14] Cf. p. 818.

niensi, in qua tamen theologia docetur a laicis. Clerus plerumque vix habet formationem theologicam. Praeterea Orientalium est alia *mentalitas theologica* quam Occidentalium. Cum ante exortam doctrinam scholasticam ab Ecclesia latina separati sint, nec S. Thomam nec alios magnos doctores scholasticos noverunt. *Si* habent aliquam theologiam speculativam, est potius sub influxu platonico quam aristotelico. Ipsi non sunt « intellectuales », sed potius « affectivi ». Si ergo normae hic positae simpliciter praescribuntur, nulla eorum habita ratione, sero timendum est ne hoc sit impedimentum pro eorum reditu ad Ecclesiam et ab adversariis unionis valde urgeatur contra talem reditum.

Quantum ad *Missiones,* certe in aliquibus regionibus hodie multae ex nostris normis exsecutioni mandari nondum poterunt. Insuper etiam in aliquibus Missionibus mentalitas valde differt ab Occidentali (ut v. g. in Iaponia, Sina, India). Quaerendum igitur erit quomodo, quae hic statuta sunt, ad eos applicari possit et quomodo paulatim ad modum nostrum ratiocinandi formari possit.

Videtur igitur addenda esse clausula hac fere ratione: « Quomodo ea quae hic statuuntur vel commendantur, ad Orientales et ad certas regiones missionum applicari possit, decidendum erit re tractata cum S. Congregatione de Ecclesia Orientali et cum S. Congregatione de Propaganda Fide et consultatis Episcopis illarum regionum ».

Rev. GUT: [15] Schema placet, non obstantibus difficultatibus quibusdam.

Tempus curriculi academici extenditur unice pro *licentia in S. Theologia* acquirenda; pro illo igitur gradu, cum quo coniunctum est ius docendi Theologiam Dogmaticam et Moralem in Seminariis Maioribus.

Cur autem ipsis futuris magistris Theologiae Dogmaticae et Theologiae Moralis non deberet concedi, immo imponi illa specialis praeparatio, quae nemine contradicente conceditur et imponitur futuris Canonistis, exegetis, professoribus Historiae ecclesiasticae, Theologiae Orientalis, Pastoralis, etc.

Approbo etiam consequentem distinctionem accuratiorem inter *curriculum institutionale* (commune pro omnibus) et curriculum specialisationis:

a) momentum positivum accuratae specialisationis *et* pro ipsis disciplinis sacris provehendis *et* pro magisterio in eis exercendo hodie ab omnibus admittitur;

---

[15] Animadversiones Rev. P. Gut lectae sunt ab Exc.mo Secretario Generali.

b) ipsi Episcopi in votis pro Concilio missis saepius urgent huiusmodi formationem, ut in gravissimo munere ipsis concredito frui possint consilio virorum ecclesiasticorum vere competentium;

c) ipsum schema evitat pericula coniuncta cum praematura specialisatione: exigitur enim

— et congrua, completa institutio fundamentalis

— et accurata specialisatio magistris et cultoribus disciplinarum sacrarum omnino necessaria.

Rev. Browne: 1) In paragrapho I, n. 4, pag. 4,[16] linn. 30-34, adesse videtur quaedam claudicatio in conceptu rationis altiorum studiorum in philosophia. Philosophia enim nec est synthesis culturae nec, proprie loquendo, ad talem synthesim ordinatur. Philosophia in variis suis partibus quasi-subiectivis habet propria obiecta formalia quibus singulae in suis rationibus constituuntur. Neque si omnes suae partes simul sumantur constituunt synthesim humanae culturae. Nec videri potest quomodo loqui possimus de synthesi ceterarum partium culturae humanae. Habent enim nimiam inter se varietatem. Vera tamen philosophia potest et debet influere in omnia elementa humanae culturae, ea ad veritatem et bonitatem propriam dirigendo. Forte mens Commissionis fuit hoc vel aliquid ipsi analogum exprimere. Haec ultima pars numeri 4 esset revidenda.

2) Schema in paragrapho II, n. 7, pag. 5,[17] linn. 24-33, nimis propendere videtur ad conceptum quod perfectus theologus per specializationem formetur. Sine dubio requiruntur theologi specialistae v. g. exegetae, patrologi, historici doctrinarum etc., sed illud quod est maximi momenti est quod perfecte formentur theologi ita dicti communes, seu propriissime theologi vocati, scilicet, illi qui eruditi in Sacra Scriptura, in documentis Traditionis, et quammaxime in documentis Magisterii Ecclesiae, sana metaphysica freti Sacram Doctrinam Theologicam synthesi sapientiali et scientifica possident. Studia altiora ad formationem istorum theologorum deberent dirigi ad profundiorem cognitionem singulorum istorum elementorum necnon ad profundiorem cognitionem cohaerentiae partium ipsius syntheseos. Studium particulare alicuius partis Sacrae Doctrinae sine dubio utile est, etiam pro ipso theologo communi sed per se non sufficeret ad eius perfectam efformationem.

---

[16] Cf. p. 817.
[17] Cf. pp. 817-818.

Rev. SÉPINSKI: Ad pag. 3,[18] linn. 5-6, proponerem: « ut in Studiorum Ecclesiasticorum *Universitatibus* et Facultatibus disciplinae sacrae, etc. ».

Ad pag. 4,[19] n. 3, linn. 11-16, secundum prolata pro schemate « De studiorum ratione in Seminariis » proponerem hanc locutionem: « Quae igitur ad philosophiam spectant, auditores accuratissime in fundamenta syntheseos Doctoris Angelici, *non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis,* introducantur, ita ut ad hanc plene cohaerenterque propria ratione recensendam atque, sicut progressus scientificus postulat, ulterius evolvendam apti evadant. Hoc studium ... ».

Ad pag. 5,[20] n. 6, linn. 16-19, proponerem hanc locutionem: « ... ita ut integra huius disciplinae synthesis ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis, *non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis,* in omnibus suis partibus organice perspecta habeatur ».

Ad pag. 10,[21] not. 1, lin. 13, loco « epocis » proponerem « aetatibus ».

Ad pag. 11,[22] not. 5, linn. 27-31, proponerem hunc textum: « ut auditores possint in hoc biennio introducere in ipsa fundamenta syntheseos Doctoris Angelici, *non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis;* e quorum veritate possint iidem etiam nova aggredi problemata, prout progressus scientificus postulat ».

Ad pag. 18,[23], linn. 5-6, corrigatur: « ascetico-mystica ».

Ad pag. 19,[24] lin. 3, corrigatur: « systematico-doctrinalis ».

Ad pag. 21,[25] lin. 4, corrigatur: « *has* adversas sententias ».

Rev. JANSSENS:[26] Ex una parte, multum placet exigi conditiones severiores ad consequendam Lauream in Theologia. Constitutio *Deus scientiarum Dominus* rationem habere debuit extremae facilitatis qua tunc temporis concedebatur Laurea; tempora matura sunt ut maiora, pro dignitate Laureae, exigi possint.

Non bene tamen apparet quare, post biennium scholaritatis pro Li-

---

[18] Cf. p. 816.
[19] Cf. p. 817.
[20] Cf. p. 817.
[21] Cf. p. 820.
[22] Cf. p. 821.
[23] Cf. p. 826.
[24] Cf. p. 827.
[25] Cf. p. 828.
[26] Animadversiones Rev. P. Janssens lectae sunt ab Exc.mo Secretario Generali.

centia, ulterior exigatur scholaritas ad Lauream, cum agatur de hominibus mente maturis, qui iam 8 annos expenderunt in studiis superioribus. Sufficiat directio professoris periti, sine obligatione scholaritatis.

Ex altera tamen parte, minus placet signari regressum, non progressum, tum in studiis philosophicis quadriennio praemittendis, tum in valore ipsius quadriennii.

Studia philosophica enim offerebantur in Facultatibus per triennium omnibus peragendum. Quod non caret utilitate, hoc praesertim tempore cum, teste constitutione *Humani generis,* radix non paucorum errorum est in deficiente formatione philosophica.

Nec incommodo caret potius deprimi aliquantulum valorem quadriennii academici, quod iam non excedet valorem boni Seminarii; inde facile concedetur affiliatio Seminariorum. Nonne hinc fiet ut Episcopi concludant iam non esse cur iuvenes mittant ad cursus theologiae academicos, nisi post absolutum quadriennium? Minuetur proin numerus sacerdotum qui maiore peritia theologica emineant.

Humillime crediderim potius expedire: 1) servare hodiernum triennium philosophiae ad Licentiam; 2) Pariter hodiernum quadriennium theologiae item ad Licentiam; 3) exigere ad Lauream sive in Philosophia sive in Theologia ulterius studium saltem trium annorum post adeptam Licentiam.

Crediderim quoque ad progressum studiorum expedire ut saltem Universitatibus pleni exercitii etiam ecclesiasticis, concedatur maior autonomia et maior possibilitas « initiativae » quam quae hodie eis competit. Nonne talis autonomia fuit fons, saeculis elapsis, maioris excellentiae scientificae? Quae autonomia minime excludit paternam vigilantiam Sanctae Sedis in centra studiorum ecclesiasticorum superiorum.

Rev. TINELLO: Quaestiones de Seminariis et de Studiorum Universitatibus mihi familiares sunt iam inde a iuventute, cum scilicet munus Officialis obirem apud Dicasterium iisdem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositum.

In primis adhaereo substantialiter iis quae Eminentissimus Cardinalis Ruffini de hoc schemate adnotavit; eo vel magis quod — ut omnes norunt — idem Em.mus fuit, inter viros omne genus scientiarum peritissimos, principalis operis socius Summi Pontificis Pii XI in exaranda Constitutione *Deus scientiarum Dominus.*

Iis etiam adhaereo quae dixit Em.mus Card. Döpfner circa distinctionem inter quadriennalem cursum institutionalem seu seminaristicum et quadriennale cursum academicum, qui requiritur ad licentiam et lauream consequendam; quam distinctionem idem Cardinalis reprobat, sicut et ego.

Decretum, quod inscribitur « De Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus » a viris, sive scientia sive scholae rebus peritissimis exaratum est.

Qui praeclari viri profecto agnoscunt quod sit momentum et pondus Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* ad cleri altiora studia quod pertinet; quae tamen Constitutio ab iisdem viris quasi initium habetur et fundamentum, ut magis magisque amplificetur ratio studiorum superioris ordinis, sive ad tempus quod attinet ad lauream consequendam (septem enim ad minus requiruntur anni in theologia, quinque autem ad minus quoque in philosophia), sive ad augendam specialisationem, quae dicitur.

Meum sane non est iudicium hic proferre de reformationibus, quae propositae sunt. Quaedam tamen mihi liceat de hoc schemate generatim dicere.

Persuasum omnino mihi est maxime quidem oportere ut in Ecclesia magni existimentur superioris ordinis studia quae in ecclesiasticis athenaeis discuntur, dummodo id non eveniat, ut parvi scilicet pendantur studiorum curricula quae « institutionalia » vel « seminaristica » vocantur. Hoc autem accideret si discrimen quoddam poneretur inter curriculum quadriennale theologicum studiorum, quod praerequiritur ante studia academica, et idem curriculum in scholis theologicis Seminariorum. Hoc quidem discrimen propositum fuit! (cf. n. 6, pag. 5,[27] huius Decreti, et notas decimam et duodecimam, paginis 14 et 16 [28]). Oportet ideo ut curricula quoque « seminaristica », non autem « elementaria », characterem vere scientificum habeant, atque integram apud omnes auctoritatem et dignitatem. In illis enim curriculis ii sacerdotes erudiuntur qui, etsi nulla laurea donentur, quotidie tamen munus obeunt, sane gravissimum, catholicae doctrinae tradendae eiusdemque defendendae ab Ecclesiae hostium insidiis atque incursibus.

Quod discrimen eo minus est ponendum quia a clericis, qui theologicas scholas in Seminariis adeunt, eadem omnino requiruntur studiorum curricula ac si ad civilia adirent athenaea; quin immo et maiora requiruntur, cum post curriculum humanisticum, per biennium adhuc in philosophiae disciplinas incumbere debeant. Ita quidem ut concludere liceat, quadriennium theologicum quod « seminaristicum » appellatur eandem dignitatem induere atque quadriennium quod ad Baccalaureatum in Facultatibus theologicis consequendum requiritur.

Aliud habetur discrimen si distinctio fiat inter Facultates maioris

---

[27] Cf. p. 817.
[28] Cf. pp. 824-825.

ordinis, quae lauream conferre possunt, et Facultates minoris ordinis, quibus ius et potestas est licentiam tantum conferre (cf. n. 7, pag. 5 [29]). Nescio utrum reapse dari possint Facultates quae pacifice huiusmodi discrimen acciperent.

Sinatis nunc mihi quaedam adicere de opportunitate ut Concilium Oecumenicum agat circa reformationem rationis studiorum academicorum. Agitur non de generali tractatione, sed de vera, peculiari reformatione! Reformatio enim huiusmodi ad Concilium Oecumenicum non videtur pertinere, atque his de causis:

1) Commissio, quae hoc schema proposuit, aestimat Constitutionem Apostolicam *Deus scientiarum Dominus* esse reformandam, etsi triginta tantum exacti sint anni ab eius promulgatione. Etenim quaevis ratio studiorum — ut apud omnes constat — temporum cursus necessario sequitur, ac proinde temporum vicissitudini rerumque variationibus subiacet. Quod manifeste etiam patet ex cuiuslibet Nationis legibus res scholasticas respicientibus, sive de scholis agatur medii qui dicitur ordinis, sive de Studiorum Universitatibus. Quod quandoque in ipsa Ecclesia factum esse historia docet. Neque mirum!

Nihil ergo prohibet quominus, triginta post annos vel etiam antea, novae reformationes in studiis academicis ecclesiasticis proponantur, novis temporum necessitatibus aptandae. Estne ideo opportunum ratam sollemnissima Concilii Oecumenici auctoritate habere reformationem, quae nunc proponitur? Nonne offici videtur reverentiae decretis Concilii Oecumenici debitae, si post breve tempus — rerum nempe adiunctis instantibus — eadem decreta denuo mutari debeant eaque novis temporum condicionibus aptari?

2) Adicias quod Commissio studiorum in secreto omnino egit. In re ideo tanti ponderis tantique momenti, quod sciam, hoc super schemate non sunt rogatae sententiam Studiorum Universitates et Facultates, quarum causa agebatur. Haud dubium est quin hae studiorum Universitates et Facultates maximum auxilium de hac re dare potuissent egregiamque operam.

Quae cum ita sint, videtur — salvo meliori iudicio — totam rem tradendam esse competenti Sacrae Congregationi, quae Summo Pontifici eam deferat, sicut factum est ad Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* quod attinet, nisi Summus Pontifex, pro sua sapientia, iudicaverit satisfaciendum esse petitioni eorum, qui expostulant condendum Dicasterium « de educatione catholica et studiorum Universitatibus », quo in casu, tota res huic novo Dicasterio deferenda erit.

---

[29] Cf. p. 817.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet iuxta modum: desideratur aliquid de nexu inter cursum institutionalem et alterum pro specialibus studiis, difficilis est electio alumnorum qui ad universitates mittendi sunt ante initium studii theologiae. Admittantur laici ad studium theologiae in universitatibus. Adhaereo declarationi Em.mi Bea, necnon verbis Rev.morum Patrum Browne, Sépinski, Janssens.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: id est studia ecclesiasticarum universitatum nimis protracta videntur ita ut rariores erunt qui laurea doctorali insigniti sint. Adhaereo iis quae dicta fuerunt ab Em.mo Card. Ruffini et a Rev.mo Superiori Generali Societatis Iesu.

Card. FERRETTO: Placet iuxta modum: dummodo attenta habeatur ratio animadversionum quae a praeclarissimis Patribus, potissimum autem a Cardinalibus Liénart et Ruffini, in disceptatione tam sapienter prolatae sunt.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: id est ratione habita de iis quae exposui (in nota adnexa)[1] et de iis quae animadverterunt Em.mi Cardd. Ruffini, Döpfner et praesertim Em.mus Card. Bea de Orientalibus et de regionibus Missionum.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: i. e. secundum animadversiones Em.mi Card. Bea.

Card. COPELLO: Placet iuxta modum: attentis quae dixerunt Eminentissimi Liénart, Ruffini, Döpfner et Bea.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: placet schema, placent adnotationes, ratio tamen habeatur eorum quae opportune ac sapienter dicta sunt a venerabilibus Patribus. Res tamen non deferatur ad Concilium Oecumenicum. Submisse tamen liceat proponere hanc modificationem ad n. 3 in cursu philosophico: baccalaureatus absoluto secundo anno, licentia absoluto tertio anno, Doctoratus post absolutum cursum theologicum.

Ad n. 6: baccalaureatus absoluto tertio anno, licentia absoluto quinto anno, Doctoratus prout in schemate.

Card. SPELLMAN: Placet iuxta modum: scilicet secundum observationes Cardinalis Agagianian et praesertim secundum omnia quae dicebat Cardinalis McIntyre.

---

[1] Cf. p. 833.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: schema abbreviandum est ad puncta principalia; cetera remittantur in ordinem studiorum. Secundum consuetudines nostras in seminariis professor vix esse potest, qui non sit laureatus. Forsitan in n. 7 (pag. 5,[2] lin. 31 s.) delenda sunt verba « magisteria in Seminariis Maioribus et ».

Card. RUFFINI: Placet iuxta modum:[3] magni facienda esse reor quae tam sapienter ab Em.mis Cardinalibus Liénart, Frings, a Rev.mo Magistro Generali O. P. et a Rev.mo Tinello, Cancellariae Ap. Regente, dicta sunt.

Card. VALERI: Placet iuxta modum: scilicet attentis praesertim observationibus quae ab Em.mis Cardd. Ruffini, Döpfner et Agagianian factae sunt.

Card. CIRIACI: Placet.

Card. SIRI: Placet iuxta modum, scilicet: ratione habita observationum a Patribus et a Rev.mo Consultore Tinello factarum et attento praesertim voto Em.morum Cardd. Bea et Ruffini. Non video tamen, quia agitur de re mutabili, iuxta exigentias diversorum temporum, opportunitatem ut de re hoc modo agatur in Concilio.

Card. McINTYRE: Placet iuxta modum: valde placet et in concordia cum schemate et observationibus Eminentissimorum et Excellentissimorum, sed: Curriculum in Universitatibus Ecclesiasticis vel Seminariis in Statibus Foederatis includat omnes praeparationes quae recommendantur in schemate et necessitas non praevaleat, etiam in novis conditionibus et divisionibus subiectorum in tempore currenti.

Unus alius annus esset superfluus pro servitio in cura animarum et etiam detrimentum in promotione vocationum.

Studentes in nostris seminariis difficultatem non habent quando Romam petunt pro specialibus et particularibus studiis et etiam pro cura animarum sunt praeparati.

Card. WYSZYNSKI: Placet iuxta modum: sedulo distinguendum est, pro futuro, inter studia *in Seminariis* Clericorum, ad curam pastoralem praeparantia; quae 5-6 annos durare debent, studiis mediis (superioribus) superatis; et studia s. d. *specialisationis,* pro futuris professoribus in Seminariis et Facultatibus, pro quibus 2-3 anni sufficiunt, *ad lauream* adipiscendam, excepto Instituto Biblico.

---

[2] Cf. p. 818.

[3] Cf. pp. 833-835.

Quod attinet gradum *scientificum* s. d. « *Doctoris ac Magistri* » unus annus sufficit. Evitare in posterum oportet *multiplicationem* laurearum, quod saepe fit, sub influxu motivorum minoris momenti, et attinet s. d. « studentes professionales ad vitam ».

In Facultatibus Theologiae curandum erit in posterum ne Alumni *bis idem* facere cogantur, in Seminariis scilicet et in Facultate Theologiae, uti saepe saepius hodie fit.

Card. QUIROGA Y PALACIOS: Placet iuxta modum: ratione habita eorum quae dixerunt praecipue Em.mus Ruffini et Em.mus Döpfner quoad relationes inter cursum institutionalem et cursum specialisationis in hoc quod refertur ad professores.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. iuxta animadversiones Eminentissimorum Liénart, Ruffini et Döpfner. Ego proponerem: Baccalaureatum pro omnibus, Licentiam post duos annos, Doctoratum post experientiam.

Attentio specialis habeatur ad declarationem Rev.mi Tinello.

Opportune proponitur quod, post quadriennium theologicum, exigitur triennium studiorum specialisationis ad lauream obtinendam in Theologia. Tamen si haec modificatio ut scopum habet non solum ipsius scientiae theologicae commodum sed etiam necessitates institutionis pastoralis in Seminario, opportunum est quod exigentiae pro baccalaureatu non nimis augeantur.

Card. GRACIAS: Placet.

Card. CENTO: Placet schema hoc, suis cum notis. Non dubito tamen Commissionem de Studiis et Seminariis magni facturam esse ea quae ab Eminentissimis ac Rev.mis Patribus hac in sessione exposita sunt.

Particulari laude dignum mihi videtur propositum in numero 4 prolatum, Sacrum nempe Dicasterium competens adiuvaturum iri a viris vere peritis, qui ex variis nationibus, diversisque disciplinis eligi debent.

Card. CICOGNANI: Placet iuxta modum, i. e. iuxta ea quae dicta sunt a Card. Liénart, Ruffini, Döpfner, a Magistro Generali O. P., et ea quae enuntiavit Card. Bea de Orthodoxis et de Missionibus.

Prae oculis habeantur animadversiones quae sequuntur:

Inquiri potest an expediat introducere *praeceptum* biennii vel triennii sic dictae « *specialisationis* », inter quaestiones pertractandas in Concilio Oecumenico; puto *non expedire,* nam:

A) Quod proponitur adhuc indiget *experimento;*

B) Circa « rationem studiorum » sedulo attendenda est diversitas locorum, scholarum, nationum et populorum; periculo obnoxium

et erroribus expositum videtur hanc « rationem studiorum » *unica* forma redigere; praeterea quaedam « authonomia » agnoscenda est secundum ea quae innuit Praepositus Generalis S. I.;

C) Natura Seminariorum, delineata in Concilio Tridentino, deformari videtur, uti Card. Liénart bene dixit, et Card. Ruffini confirmavit;

D) Constitutio *Deus scientiarum Dominus* adhuc bonos fructus affert, quippe quae plurimum contulit postremis 30 annis; ipsa, limitibus servatis, enucleanda et aptanda est. Ad summum illa « specialisatio » indicative, et ut libere eligenda, proponi potest peculiari documento S. Congregationi Seminariorum.

Quae dicuntur de hac « specialisatione » non eodem modo se habent erga differentes disciplinas, cum aliae per breve tempus et aliae toto perdurante cursu colantur; ex. gr. Theologia Dogmatica cum Patristica comparari non potest, cum ista per breve spatium et illa per integrum studiorum curriculum excolatur. Ita sentit maxima pars Episcoporum.

Insuper nimium expectatur a iuvenibus, cum opera scientifica a viris peritis prodeant, et nimis multum exquiritur ab Episcopis et Superioribus Religiosis qui meliores huic causae adiudicare deberent; ergo si huiusmodi « specialisatio » aliquomodo promoveatur, nimis in ea instandum non est.

Card. Godfrey: Placet iuxta modum: id est ad mentem Eminentissimi Relatoris, attentis observationibus Em.morum Cardd. Döpfner, Siri, Ruffini, Bea et Agagianian. Alia addo in folio adnexo quae dixi in sessione.

Mirum non est quod post triginta annos a promulgatione Constitutionis *Deus Scientiarum Dominus* circumstantiae hodierni temporis reddunt necessarias mutationes. Evidens erat Superioribus Collegiorum quod in spatio temporis determinato a praefata Constitutione alumnus nimis oneratus erat et non raro accidebat quod annus ulterior, etiamsi non praescriptus in praefata Constitutione, requirebatur ad finem consequendum.

Schema mihi videtur optime confectum et eius plena approbatio a tanta maioritate suffragiorum signum est schematis excellentiae. Praevideo difficultates si haec materia habeat locum in Concilio.

Sine dubio ii qui docent in seminariis et Universitatibus debent esse professores optimi valoris. Ideo curricula indicata in schemate sapienter proponuntur.

Liceat autem repetere, quod dicebam die hesterna, quoad verba in pagina undecima [4] versus finem paginae « usque ad titulum quo patet in-

[4] Cf. pp. 821-822.

gressus in Universitates »; non esset idem titulum in unaquaque natione; ac proinde forsitan melius esset relinquere quaestionem de titulo Conferentiae Episcoporum.

Card. CONFALONIERI: Placet iuxta modum: scilicet ut ratio habeatur animadversionum a Venerabilibus Patribus factarum. Insuper magis studendum videtur ut, per Institutum affiliationis et fortasse etiam adgregationis, Seminaria maiora debito honore prosequantur; quia, etsi directe haec ordinata sint ad Ecclesiae Pastores efformandos, tamen in sacra scientia alumni, etsi institutionali methodo, revera opportune efformantur.

Cavendum est insuper ut, per aliqua minora Instituta, ultimis temporibus laudabiliter utique inducta, titulis eorum membra aliqua ratione decorentur, quibus e contra Sacerdotes et Sacri Pastores, profundius et longius in Seminariis disciplinis philosophicis et theologicis instructi, privantur, cum dedecore ipsorum sacri muneris.

Recolo quae iam heri dixi de Studiorum proprio Dicasterio instituendo.

Card. Richaud: Placet iuxta modum: i. e. attentis observationibus Em.morum Cardd. Liénart, Frings, Ruffini, Léger, Cicognani, quibus plene assentio et etiam Rev.mi Magistri Praedicatorum; et aliunde in pag. 4 [5] velim addendum esse ad lin. 5 post verbum « biennium » istas voces: « vel triennium »; et in eadem pagina, in lin. 19 addendum esset post verbum « conferendam » istas voces: « quod opportunius post theologiae curriculum peragi potest ».

Card. DÖPFNER: Placet iuxta modum: 1) respiciatur clausula a Card. Bea proposita pro Orientalibus et Missionibus.

2) Intime coniungatur curriculum seminaristicum (et institutionale) cum cursu specialisationis.

3) Ratio habeatur adnotationis Min. Gen. O.F.M. (de S. Thoma!).

4) Cf. in folio adnexo scripta.[6]

Card. MARELLA: Placet iuxta modum: habita ratione animadversionum Em.morum Patrum Liénart, Ruffini, Döpfner, Bea, Agagianian et Rev.mi Magistri Generalis O. P. de promovenda scilicet in omnibus alumnis, antequam ad varias specialisationes incumbant, optima quaque generali formatione theologica et praesertim de cohaerentia inter diversas theologicas disciplinas instauranda.

---

[5] Cf. p. 817.

[6] Cf. pp. 835-838.

Card. ALFRINK: Placet iuxta modum: decretum convenit cum situatione nostrae regionis (Hollandia, Belgium). Desideratur autem:

1) Ut in pag. 16,[7] annus inter cursum inferiorem in Seminario peractum et cursum superiorem *non* sit semper obligatorius, dummodo cursus inferior in Seminario *cum laude* sit peractus, etiamsi cursus seminaristicus nulli Universitati est affiliatus.

2) Ut in n. 5, pag. 4, existentia duplicis studiorum Theologiae ordinis *non* pro unaquaque Universitate sit obligatoria, ita ut, casu dato, existentia solius cursus superioris sufficiat ut in Universitate Lovaniensi et in Universitate Neomagensi.

Card. CONCHA: Placet iuxta modum: attentis omnibus quae sapienter ab Em.mis ac Rev.mis Patribus dicta sunt.

Card. DI JORIO: Placet: attentis tamen iis quae ab Em.mo Card. Bea pro Orientalibus dicta sunt.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: sc. attentis animadversionibus prolatis ab Em.mis Patribus praesertim a Cardinalibus Liénart, Ruffini, Döpfner, Bea et a Rev.mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.

A Concilio autem Oecumenico nonnisi principia omnino generalia tradantur.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: iuxta animadversa ab Em.mo Cicognani.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: ita ut accuratissime ratio habeatur illorum quae graviter ac solide dicta fuerunt ab Em.mis Liénart, Ruffini, Siri et, sub alio respectu, ab Em.mis Agagianian, Döpfner, Bea, Frings, Cicognani, Confalonieri et a Rev.mis Patribus Browne, Sépinski et Janssens et etiam a Rev.mo Tinello. Generatim haec saltem essent praecipue notanda: 1) facultas agnita seminariis maioribus cursus academici saltem pro baccalaureatu habendo; 2) admissio licentiae vel laureae non specialisatae post quinquennium; 3) ea quae dicuntur laureae specialisatae seu magisterio reservarem. Ceterum tantum summae lineae Concilio essent ad summum praesentandae: est res nimis technica et mutabilis. Votum addo.

* * *

Antequam aliquas breves animadversiones ad singulos numeros atque ad coniunctas notulas simul exhibeam, liceat mihi haec praemittere: Schema supponere videretur quandam unificationem competentiae in S. C. de Seminariis circa studia clericalia Religiosorum, Clericorum de-

[7] Cf. p. 825.

pendentium a S. C. de Propaganda Fide, etc. Cum haec revera *stricte ad Concilium* non pertineant, et caeterum gravia videantur ac iuri adhuc vigenti, immo recenter apostolica sanctione confirmato, pertineant, iustum et aequum videretur integram hanc quaestionem ad *Curiae reformationem* transferre, ipsamque funditus pertractare, omnibus singulisque pro officio auditis qui recognitum sive ius dixeris sive saltem quorum valde interesset in tam gravi negotio.

Communi utilitati cederet, ut in Domino sincere crederem, si etiam quaestio de unione communis Dicasterii, quod de integro ministerio instructionis et educationis pro omnibus fidelibus aliisque qui scholas frequentant omne genus quae ab Ecclesia atque a suis filiis filiabusque apertae iam sunt vel aperiri possunt, et in dies afferuntur cum S. Congregatione quae de militiae clericalis instructione et educatione curam gerit. Haec ita gravia reputanda merito sunt, ut *supponi* non possint sed profunde libratoque animo, ut hodie quaestio proponitur retractari et ad trutinam revocare deberet.

His praemissis, tantum de singulis numeris, simulque de iis coniunctis notulis ut diximus, summis labiis aliqua delibanda duximus.

1) *Generatim* caput integrum, scilicet 2um « *De studiis academicis ab Universitatibus tum Catholicis tum ecclesiasticis provehendis* », ab illis abstrahendo quae supra praemisimus atque ab aliis magis peculiaribus infra notandis, sane laude dignum videtur. Satis rara diligentia atque accurata technicae artis observatione, necnon, et vix non semper, aperta et amabili mentis amplitudine redactum censemus.

2) *n. 1 et not. 1-2.*

Laude digna etiam sunt, argumenta quae in Introductione exponuntur de speciali praecipue ratione Universitatum Ecclesiae, quae aliis omnibus, esto optimis praevalet semper: apostolatus doctrinalis, et quidem superior seu academicus. Quod in notula 1 ad n. 1 dicitur plenius verum est quam iudicetur. Ab his exponendis abstineo quia, ut spero, haec postea plene declarari poterunt.

n. 3 et not. 4-6.

a) Plene assentimur distinctioni inter Cursum Academicum Generalem *si tamen ipse recte intelligatur ut dicemus statim,* et Cursum academicum specializatum sed vere et solide talem, scilicet qui sit verus cursus academicus et non tantum, quamdam utilitatem, esto veram, sed extrinsecam seu mere practicam scientiae theologicae afferre valeat quin ipsam intime et intrinsece afficiat atque perficiat.

b) Nullo modo *Cursum generalem,* qui vere *fundamentalis* debet esse, *institutionalem* nuncuparem. Haec vox in traditione scholastica (romana, romano hellenica, byzantina, canonica, civili, etiam hodierna)

significat cursum elementarem. Dicerem potius: cursum *fundamentalem* vel *generalem* (et si usus positive faveret non tamen favet, *constitutionalem* loco institutionalis).

c) Hic cursus esse debet cursus academicus in suo ordine *completus*. Hinc, excludi prorsus debet cursus *seminaristicus,* qui non est academicus, sed etiamsi completus in suo ordine plus minus sit, semper institutionalis vel fere esse solet (de quo iterum agimus). Etiam differre debet a cursu academico *unico actuali,* qui vix umquam, nec in civilibus nec in ecclesiasticis Universitatibus completus est, etsi talis affirmetur, sed ex adverso prorsus inaequalis. Deberet esse cursus *completus, logicus* (non exegeticus), *solidae et completae synthesis* doctrinalis, academice expositae.

d) Hic solidus, academicus, completus ac logicus Cursus fundamentalis deberet esse doctoratus autonomus 1) In primis, *Theologiae purae,* hoc sensu, quod actualis Licentia academica, addito uno solido anno academico, in eodem genere ita compleretur ut necessario tota theologia systematica exponeretur. Proinde, *quinquennium* huic Cursui, et sub hoc respectu tribueretur.

2) Deinde in *sexto anno* per explicationem illarum praecipue quaestionum quae in hodierna theologia disputantur (aggiornamento), et per specializationem *fundamentalem,* quae manuducat, scientifice et practice, non solum ad vindicationem et scientificam expositionem specializationum vere theologicarum, sed etiam ad primam in ipsis initiationem (fontes, methodi laboris, subsidia), in illa speciatim ad quam iuvenis adspirare forsan velit (Cursus Specialis).

e) Hic Doctoratus, vere et profunde academicus, in suo genere completus perfecte quadretur (*inquadratus,* sit venia verbo caeterum latino) in integra Theologia hodierna et ad eam praeparans, posset praebere solidum fundamentum, et ad Theologiam puram prosequendam (prima specializatio) et ad singulas alias specializationes admissas.

f) Facultatem concedere deberet docendi in omnibus scholis, etiam academicis non exclusis *nec* Cursibus fundamentalibus specializationis imo forsan *nec* Cursibus circa quaestiones theologicas quibus specializationes occasionem seu causam facile praebere possunt.

Ex adverso hic Doctoratus evidenter facultatem non tribueret docendi in Cursibus proprie dictis specializationis.

Ad huius modi Doctoratum certo sufficerent *sex anni* in Facultate Theologica et *quinque* in Philosophica.

Satis difficile est, ut ad hanc « laetam metam » perveniamus et quod post ipsam, iam obtentam et non prius, studia specialia aggrediantur. Pro *sex annis* aliqua exempla forsan allegari possunt. Septem annos

exigere fere somniare est, et centum invenirentur ad fraudandam legem, sicut ad fraudandum quadriennium Codicis, vel quinquennium Const. *Sedes Sapientiae* inventa sunt. Melius sane est si hi centum vel mille praetextus quaeri non deberent.

g) Ex adverso, *Doctoratus specializationis,* salvis aliquibus sane paucis, regulis communibus quae ipsius dignitatem, gravitatem, utilitatem securas redderent, si quid mihi opinari liceret, ipsis Facultatibus seu Institutis legitime recognitis libenter relinquerentur sive quod ad tempus et rationem *Scholaritatis* (seu frequentiae), sive quod ad disciplinas et exercitia, sive quod ad potestatem tempus reducendi in casibus particularibus (ex. gr. ob libros editos, ob inventiones factas, etc.). *Doctoratus specialis* alio nomine insigniri potest, si lubet, ex. gr. *Magisterium.*

h) Gradus specializationis, qui Laureae specializatae respondeant requiruntur ad docendum in Facultatibus seu Institutis specializatis et forsan etiam in cursu speciali relativo qui in Doctoratu generali exigitur.

Ad haec perveniri potest, admittendo etiam regulas quae in notulis 4 et 5 et etiam 6 continentur.

n. 4 et not. 7.

Non adest difficultas, dummodo de Magisterio in Philosophia intelligatur.

n. 5 et not. 16.

Quae in textu dicuntur, libenter generatim admittimus. Tamen in ipso textu aliqua apparere, huc illuc viderentur, quae in hoc quodammodo inclinant, ut Doctoratum fundamentalem in quandam convertant levem seminaristicam institutionem (infarinatura) indignam sane academici Doctoratus Theologici, qui Theologiam specializatam ad vanas sine radice et fundamento specializationes reduceret.

Quod in pag. 13-14 not. 8 dicitur posset iustum esse, dummodo: 1°, exigatur integer *Doctoratus fundamentalis* (non quadriennium tantum), cui certe quinque anni Scholastici dedicandi sunt, quibus sextus additur ad quaestiones graviores actuales evolvendas, ad fundandas specializationes, ad ipsarum panorama exponendum et vindicandum, ad technicam, methodologiam, fontes, initiationes et inter ipsas specializationes contactus provocandos.

2°, in quantum requiratur, etiam pro Theologia fundamentali, specializatio sensu dicto (1° i. f.) etiam *Theologiae purae,* quae potest et quidem optime ut *specialitas fundamentalis* coli. Inde, sub omni adspectu Theologia specialiter coli merito debeat, etiam sub aspectu puro qui omnibus aliis profunditatem et unitatem conferre posset. Doctores qui

hanc colant specialitatem optime possunt sub hoc respectu, examini specialitatum adsistere.

n. 6 et not. 9.

Plura ex iis quae in textu et not. 9 dicuntur, bona sunt et accipi possent; alia ex adverso, clara non apparent et satis periculosa evadere facile possunt pro Theologia profunditate et gravitate. Sane, ipsa ad nihilum Lauream Theologiae redigunt ipsiusque dignitatem offendere viderentur.

Sane, sermo redit de quadriennio Theologico institutionali, et ad litteram dicitur: « Quamvis inter curriculum theologicum perficiendum in Seminariis et curriculum quadriennale universitarium quod hic proponitur, non iam adsit quoad indolem et numerum disciplinarum tanta differentia quanta hucusque habebatur inter curriculum « academicum » et curriculum « seminaristicum », nihilominus censuit *Commissio de Studiis* quadriennium theologicum institutionale in Facultatibus minime esse superfluum, sed proprio gaudere momento ».

Si haec verba, ut sonant, accipiantur, quadriennium theologicum academicum eandem habet rationem seu indolem atque cursus seminaristicus, id est integre cursus esset *institutionalis elementaris,* qui et in ratione docendi et etiam in numero disciplinarum atque in ipsarum amplitudine prorsus insufficientes essent ad solidam formationem theologicam et ad completam instructionem in ipsa generatim, exclusis materiis specializationis.

Si volumus solidi ac sinceri revera esse, hoc significat humiliare typicum ac gloriosum Cursum academicum ipsum ad amussim elementaris Cursus seminaristici reducendo. Haec declassificatio (sit venia verbo) satis videretur completa. Tangit enim et methodos doctrinae tradendae, ipsius ambitum seu amplitudinem formamque adlaborandi. Si cursui academico characteres applicemus cursus elementaris traditionalis, vix ponderatione opus est, ut statim appareat, quam fit deterior cursus qui proponitur ut Doctoratus fundamentalis.

n. 6 et not. 9-10.

Hic, criterium proponitur, quod si generatim et in abstracto sumatur, *novum* est dicendum. Hucusque Cursus Seminaristicus, ut talis, in hoc totus erat, ut Sacerdoti doctrinam traderet, quae ipsi necessaria erat seu conveniens, *non ut Doctor in Theologia* evaderet sed ut ministeria sacerdotalia exercere digne posset. His, Cursus Academicus illa addebat quae fundamentum adaequatum constituebant ad diversos gradus academicos quae in Seminariis, ut supponebatur *ex se* tradi non solebant. Facultates addebant, *quoad methodum, fontes, amplitudinem* et *profunditatem, exercitia* et ita porro, veram rationem dabant, formamque uni-

versitariam. Legislatio integra, ex. gr. Const. *Deus scientiarum,* et *tota ipsius severa* applicatio, dum pluribus Seminariis dignitas universitaria et facultas gradus academicos vel incipienter concedendi ablata radicitus est, dum requisita plura rigide imposita fuerunt, etc. Ut videtur haec omnis in oblivionem data sunt, et nunc antiqua facilitas renascitur vel saltem renasci nititur. « Multa renascentur quae iam cecidere... ». Quia omnes, hunc in finem unanimes esse debemus haec addenda censerem:

1° Libenter fateor, et intimo satisfactionis sensu agnosco, plura Seminaria et Collegia religiosa, ita proprie studia, quae iure tantum seminaristica essent, de facto vere academica sunt. Immo, duo subnotari sincere possem: *primum,* quod non raro nec uno tantum respectu, in Seminariis et Collegiis internis, non semper ita numerosi ut Facultates, vera academica ratio ita cum fuco et calamistris attingi atque assimilari, ut illa formatio universitaria quae inde obtinetur illi officiali certe non cedat, sed et praeferri valeret; *secundum,* quod S. C. de Religiosis, cum *quinque annos* Theologiae religiosis omnibus imposuit et studia ordinavit, in hoc tendebat ut cursus, etsi omnibus adhibitis *cautelis et cautionibus,* sive per aggregationes seu affiliationes sive aliis modis, *academicus,* non ex benignitate ac privilegio sed ex iustitia esto sociali seu ex aequitate, iure meritoque declarari posset ac deberet.

2° Quod Sacra Congregatio de Religiosis, ut suo satisfaceret officio (c. 251 § 1) et S. Pii X expresso pareret praecepto, denique, transactis non paucis annis, freta auxilio divino aggressa fuit et nulli parcens neque conatui neque labori per duodecim solidos annos subsidiis omne genus adhibitis, perficere sategit, non pro se et religiosis tantum moliebatur sed pluribus rationibus bono aliorum communi consulere ex corde intendebat. Sane, dum accuratam studiorum, educationis ac formationis rationem omnibus numeris absolutam — quae scilicet fidelem formam academicam seu universitariam *in studiis* redderet vel ad ipsam vicinissime accederet; atque in aliis educationis seu formationis disciplinis gradum supremum attingere niteretur — (hanc) conspiratione in mente et in corde habebat ut non tantum alumnis de Propaganda Fide, Clericis Orientalibus, atque Clericis etiam omnibus quae optima nobis sincere, videbantur ex corde ominaremur sed etiam, volenti animo, ut ad praxim reducerentur, nostram collaborationem semel iterumque offerremus.

3° Ut *possibilis, utilis, facilis atque practica,* simulque clara reddatur distinctio inter Cursum *Academicum* in Seminariis ad effectum de quo supra (n. 2) et Cursum Seminaristicum cum omnium et singulorum alumnorum profectu et sine alicuius damno, haec prae oculis haberi possunt:

a) In disciplinis stricte et fundamentaliter theologicis, salvis casibus satis raris vocationum sane *tardiorum* — vel typi culturae (ut dicunt) prorsus a nostra diversae —, seu formae mentis ab abstracta non nimis agilis etc.; *cursus deberet* esse *communis,* ut omnibus modis scientiae ecclesiasticae soliditati consuleretur. A valore *academico,* si casus ferat, pro aliqua ex his disciplinis exclusio fieri posset sive ex *classificatione in examinibus* vix sufficenti ostenta, sive ac expressa renuntiatione candidati.

b) Differentia *relate ad disciplinas characteris theologici,* inter Cursum Academicum et Cursum Seminaristicum in eo esset quod illis qui gradu seminaristico culturae Theologiae contenti essent vel esse deberent, non imponerentur disciplinae (seu scholae) quae quaestiones graviores seu speciales respiciunt ex gr. in Theologia Dogmatica, Sacra Scriptura, linguis biblicis aliisque id genus. Hae mutantur, pro illorum ingenio, habilitati, propensione, etc. cum disciplinis *typi practici* et applicationes (non theologiae specializatae) ut *missionologia, pastoralis, catechistica, sociologia, moralis pastoralis, asceticae practicae.*

4° In eo totis viribus insistere et niti debemus, non ut recognoscamus *cursum seminaristicum,* ipsumque *academicum* quoquo modo reddamus, etiam addito, veluti reparationis (seu piae fictionis) examine (quod cursum, ut erat, relinquit), sed ex adverso:

1) *uniendo* cursum seminaristicum in materiis gravioribus Cursui academico ut in his, pro capacitate alumnorum, omnium profundior fiat formatio;

2) pro illis vero qui ad gradus adspirant, cursum omnibus in materiis gravioribus communem ceteris aliis disciplinis complendo quae praeterea ad gradus academicos prorsus necessariae sunt.

5° Cursui academico ita authentice per quattuor annos (n. 4°) peracto, et legitimis examinibus comprobato, certo certius primus gradus academicus concedi potest. Examina correlata a Professoribus Seminarii in Theologia Generali Doctoribus, cum repraesentanti delegato Facultatis regionis seu illius cui Seminarium adscriptum qui examinibus praesidens fieri absque difficultate posset. Inde, aditus ad Licentiam et Lauream patebit.

nn. 7, 8 et not. 11-13.

Plura, sane iusta, pulchraque quae sine observationibus aut reservationibus accipi valent; non possum tamen quin aliqua obiiciam nonnullis ex assertis quae mihi satis viderentur gravia. Ad sequentia reduci valent:

1° Ut iam innui, manifesta mihi videretur exaggeratio septem soli-

dos annos pro Doctoratu fundamentali in Theologia et in praeparatione ad specializationes.

a) Certe *sex* sufficiunt, scilicet:

1) Quattuor pro Baccalaureatu, semper typi vere et authentice academici, ut supra ad n. 6 diximus.

2) Quintus annus pro Licentia exigendus est et complecti debet graviores in Theologia quaestiones quae Cursu completo quadriennali adiunguntur.

3) Sextus annus dicari debet hodiernis quaestionibus magis discussis (aggiornamento), atque Theologiae et Methodologiae specializationis.

b) Pro *sex* annis, aliqua forsan exempla adsunt (ex. gr. apud Claretianos); *pro septem* sine subterfugiis, et agendo de *Doctoratu fundamentali* (non de anteriori Doctoratu *unico*), sine *specializationibus* pro quibus aliqui anni addendi sunt, *exempla desunt.*

2° Si sinceri, prorsus et authentici, esse velimus et non somniatores tantum, sed ad vitam descendimus, studium cursus per septem annos absque ulla adhuc specializatione ad quam hodie vix non omnes adspirant, est quaedam, nescirem an pulchra conspiratio necne, quae tamen ex vitae necessitatibus ad nihilum redigetur. Incipient statim hermeneuticae et alchimiae artes ad annos praescriptos reducendos seu conglobandos, aequis adlatis, et undique admotis rationibus. Forsan meminisse non placet, iuvet tamen, quod semel iterumque factum fuit.

3° Admittentes *Specializationes,* quas dicunt, ipsisque tempus ab Specialistis sine remissione exactum concedere volentes, naturale et humanum erit hoc novum tempus petituros, probabiliter in damnum Doctoratus Generalis, et timendum sane est Legislationem abstractam remansuram in perpetuo bello hinc inde agitatam.

Aliqui non iam septem sed octo vel novem annos pro Doctoratu fundamentali requirent; alii ex adverso ipsum reducere conabuntur.

4° Illa quae supra proposuimus sive pro Baccalaureatu, sive pro Licentia, sive pro Doctoratu fundamentaliter sufficientia et possibilia viderentur.

nn. 9 seq. et not.

Ex illis quae ad hos numeros collegeramus, ne longiores videamur quam par est, tantum ea exposuimus quae ad Instituta specializationis pertinent.

5° Relate ad Instituta seu Facultates Specializationis, quando Instituta seu Facultates, plenam inspirant fiduciam, optimum foret illa tantum criteria et normas ipsis imponere, quae dignitatem et soliditatem theologicam generatim et specificam certam securamque reddunt. Ceterum,

semper cum Institutum fiduciam plenam meretur, et solidum nomen et laudem consecutum est, crederem ipsi satis largam libertatem concedendam esse ut res pro sua prudentia et experientia componere et ordinare posset, ex. gr. *a*) pro varietate et typicitate, intra aliquod genus, propriae ipsius specializationes;

b) pro tempore ad titulos in peculiari sua specializatione largiendos, in quantum tempus, generatim definitum, excedet;

c) pro facultate reducendi, maius tempus ab Instituto pro suis concedendis titulis generatim requisitum ob aequas sibi bene visas rationes, ex. gr. ob publicationes maximi valoris seu meriti a candidato editas, ob inventiones ab ipso in re factas, ob magisterium exceptionale et alia huiusmodi;

d) etiam pro concedendo in specializatione *Laurea honoris* causa, dummodo alia adsint.

6° S. Sedes, ut credimus, optime hanc libertatem in propria specialitate concederet, ita ut Instituta specialia consolidarentur, salvis semper omnibus quae essentialia sunt, ut Instituta sicura et bene fundata inveniantur.

Haec libertas sine periculo extendi posset: sive quoad methodum laboris, sive quoad directionem, sive quoad criteria servata servanda, sive quoad alia huiusmodi. Haec libertas merito conservaretur, dum Instituta generali fiducia frui pergerent.

Card. HEARD: Placet iuxta modum: i. e. iuxta votum Rev.mi Praepositi S. I., Em.mi Bea et Em.mi Agagianian.

Card. BEA: Placet iuxta modum: attentis iis quae dixerunt praesertim Em.mi Cardd. Liénart, Döpfner, Ruffini, Agagianian et iis quae ipse exposui.[8] Censeo humiliter a Concilio tantum dandam esse expositionem principiorum generalium, reliqua relinquenda esse S. Sedi.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: id est attentis observationibus Em.morum Cardd. Liénart, Döpfner, Bea, Agagianian et Ruffini. Haec non videtur materia submittenda Concilio.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum: secundum ea quae Em.mi Cardinales Bea, Cicognani, Agagianian et Rev.mus Praepositus Generalis Societatis Iesu dixerunt. Mihi videtur, haec quaestio non debet tractari in Concilio.

---

[8] Cf. pp. 838-839.

Exc. FELICI: Placet iuxta modum: iis praesertim attentis quae dicta sunt de non deferendo schemate Patribus Concilii, cum haec materia potius videatur alicuius Constitutionis et Instructionis apostolicae, quae ad diem perficiat et compleat praeclaram illam Constitutionem Pii XI immortalis memoriae *Deus scientiarum Dominus*. Concilium, quod est pro universa Ecclesia, statuat tantum principia, quibus huiusmodi perfectio et complementum fiat.

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: in meis animadversionibus sabbato elapso expositum.[9]

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: nempe cum optimo commentario Em.mi Cardinalis Ponentis et Em.mi Ruffini. Et etiam cum observationibus Em.mi Card. Liénart et praesertim Em.mi Card. Döpfner quoad substantiam et quoad particularia schematis, et Em.mi Card. Bea quoad prudentem applicationem schematis pro aliquibus regionibus non occidentalibus, et Rev.mi Patris Generalis O. P. quoad specificam naturam philosophiae proprie dictae, quia in hac materia magna confusio adest non raro inter ipsos professores catholicos philosophiae. Quoad opinionem Em.mi Card. Siri et Exc.mi Consultoris in sensu quod ad minus pars schematis non tractetur in Concilio, utinam diligenter et prudenter examinetur a Commissione de Studiis et Seminariis.

Mihi videtur opportunum esse haec verba inserere in paginam quintam [10] linea quarta decima et sequentibus: « Ad hunc finem assequendum S. Theologia ad scientificam exacta methodum, tam positivam quam speculativam, accuratissime tradatur, ita ut *kerygma biblicum sufficienter propositum necnon Patrum doctrina quantum fieri potest explicata,* integra huius disciplinae synthesis ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis in omnibus suis partibus organice perspecta habeatur ». Ut evitetur aequivocum cuiusdam possibilis identificationis inter doctrinam Doctoris Angelici et methodum exclusive speculativam.

Verbo tamen « *kerygma* » utimur nam, praeter eius originem biblicam, apte rigidam specialisationem monographicam excludit in usu theologico Sacrae Scripturae.

Etiam iungenda videtur haec verba in pagina septima,[11] linea vigesima secunda et sequentibus: « Apprime igitur servata, praesertim in disciplinis philosophicis et theologicis methodo *quo magni magistri scho-*

---

[9] Cf. pp. 748-749.
[10] Cf. p. 817.
[11] Cf. p. 819.

lastici saeculorum decursu tam salubriter usi sunt, iusta quoque ratio habeatur methodorum quas verus scientiae progressus invexit quibusque disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent ».

Sic enim vitatur:

a) possibilis cooptatio corruptelarum decadentiae cum robore huius methodi a magistris scholasticis traditae;

b) denominatio nimis generica, quae ansam praebere potest ad dubiam interpretationem totis viribus dispergendam.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: sicut dictum est a Cardinalibus Liénart, Ruffini, a Magistro Generali Praedicatorum et a ceteris Patribus. Liceat etiam mihi addere et repetere: oportet haec facere et illa non omittere ad maiorem gloriam Dei, id est, post tantum laborem, post tanta immodica sacrificia, S. Mater Ecclesia vult, ut video, ut prae oculis habeatur haec omnia esse solummodo media, sed unum tantum est necessarium, quod est scopus omnium sollicitudinum, id est: Maria optimam partem elegit.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: i. e. perpensis omnibus quae a venerabilibus Patribus dicta sunt, speciatim ab Em.mis Cardd. Liénart, Ruffini et Agagianian. Hoc autem velim addere nempe 1) dentur pro cursu philosophico ordinario anni tres; 2) haec tamen particularia relinquantur Congregationibus competentibus; in Concilio autem Oecumenico agatur tantum de principiis generalibus.

Exc. LEFEBVRE: Placet iuxta modum: secundum ea quae dixerunt Eminentissimi Cardinales Ruffini et Cicognani, et Em.mus Cardinalis Liénart de aequiparandis studiis in Seminariis et in Universitatibus, ita ut post biennium philosophicum et quadriennium theologicum examine in Universitate expleto alumnus possit acquirere baccalaureatum; et secundum ea quae dixit Em.mus Cardinalis Agagianian de obtentu laureae in philosophia et theologia.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: i. e. principia tantum Concilio referantur. Ad mentem Em.mi Cardinalis Liénart curetur ut formatio academica nullo modo formationi pastorali adversetur, sed curriculum institutionale ita ordinetur ut solidum fundamentum pastorale praebeat specialisationi subsequenti, ad hoc ut magistri ita efformati revera capaces sint alumnos in seminariis et facultatibus ecclesiasticis ad vitam pastoralem sacerdotalem ducendi. Finis enim ultimus omnium studiorum in Ecclesia est eminenter pastoralis: salus populi Dei.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: secundum animadversiones Eminentissimorum Cardinalium Liénart, Ruffini, Döpfner, Bea, Cicognani et Rev.mi P. Janssens.

Adhaereo praesertim iis quae dixit Cardinalis Döpfner de distinctione et cohaerentia inter cursum ordinarium et cursum specialem, et iis quae dixit Cardinalis Eminentissimus Bea de adaptandis studiis in regionibus Orientalibus et Missionariis a Sacris Congregationibus Romanis cum concilio Episcoporum istarum regionum. Concilium Oecumenicum tantum tractet de regulis et principiis generalibus.

Exc. BAZIN: Placet iuxta modum: i. e. secundum observationes Em.morum Cardd. Liénart, Ruffini, et praesertim Bea, Agagianian et Cicognani.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum: eo scil. sensu quod tota haec materia relinquatur potius competentiae S. Congregationis de Studiis et Universitatibus, Concilio Oecumenico solummodo principia et normas generales tradendo.

Exc. YAGO: Placet iuxta modum: attentis observationibus ab Eminentissimis Cardinalibus Aganianian et Bea factis. Adhaereo his omnibus quae dixit Em.mus Card. Liénart.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: habita ratione observationum a Patribus factarum, praecipue a Cardinali Agagianian.

Exc. JELMINI: Placet. Dicatur tamen ad pag. 4,[12] lin. 14 non *propria ratione* recensendam sed *proprio nisu*.

Ad pag. 6,[13] n. 10, linn. 32-33: « sed potius in corpus organice compaginatae ». Res perdifficilis facile suadetur cum nondum talis organica synthesis praesto sit, neque principia eius in schemate innuantur.

Exc. SUHR: Placet iuxta modum: Em.mi et Rev.mi Patres optimas observationes exposuerunt. Sed secundum me quaestio haec non debet tractari in Concilio.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis variis observationibus a Venerabilibus Patribus factis, maxime ab Em.mis Cardd. Liénart, Ruffini, Cicognani et Frings et eis quas adiungo.[14] Clare tamen retineatur praescriptum respiciens doctrinam Sancti Thomae ut Ducis Studiorum et

---

[12] Cf. p. 817.
[13] Cf. p. 818.
[14] Cf. p. 840.

Communis Doctoris totius Ecclesiae. Ad Concilium solum generalia referantur.

Rev. Sépinski: Placet iuxta modum: i. e. ratione habita praesertim eorum quae exposuit Em.mus Card. Bea de orientalibus et de terris missionum. Forsitan melius erit quod schema qua tale in Concilio non tractetur, sicut exposuerunt Rev.mus Tinello et alii Patres. Adiungo folium ea quae exposui continens.[15]

XV

DE ECCLESIAE PRAECEPTIS

(Septima Congregatio: 27 febr. 1962)

1) SCHEMA PROPOSITUM A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

I

DE DIEBUS FESTIS

Inter praecepta populo Israel data, celebratio festorum dierum et cultus Deo tribuendus eminent. « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis » (*Exod.* 23, 14); « septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegit Dominus » (*Deut.* 16, 15). Dominus vero Iesus Christus, qui non venit ut solveret legem, sed adimpleret (*Matth.* 5, 17), quique divino exemplo suo omnibus ut exsolvant quae Dei sunt, et ut omnia secundum legem Domini fiant demonstrare sategit (*Luc.* 2, 39; 2, 41-42), necessitatem cultus Deo debiti amplissime confirmavit. Quo exemplo et doctrina Ecclesia dies Dominicos festosque instituit et semper pro locorum temporumque circumstantiis celebravit.

Celebris est solemnitas et dierum festorum observantia penes ritus orientales. Huius pietatis monumenta et documenta extant numerosa ac varietatibus conspicua.

Nostrorum temporum conditio postulat ut nova festorum quidem dierum celebratio aptiorem redigatur in formam, ut novis necessitatibus magis aptetur et melius provideatur circa ea quae quodammodo sunt communia.

Propterea Sancta Oecumenica Synodus undequaque orbis terrarum adunata, re mature considerata, de festorum dierum aptiori norma providere cupiens, quae in usum Orientalium omnium Ecclesiarum constituere statuit, sequentia proponit:

---

[15] Cf. p. 841.

I. Dies festi de praecepto, in omnibus Ecclesiis Orientalibus servandi sunt: omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis Almae Genitricis Dei Mariae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, salvo iure legitimae Auctoritatis alios dies festos stabiliendi pro suo quisque ritu.

(Sess. plenariae VII et X, diebus 24-2-1961 et 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Alii dies festi, ubi iure particulari vel ex praescripto probatae Synodi vel probatae consuetudinis vigent, etiamsi de praecepto non obligant, tamen exhortantur christifideles ut eos secundum cyclum liturgicum proprii ritus celebrent, sub vigilantia loci Ordinarii.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Diebus festis de praecepto interveniendum est divinis officiis et abstinendum ab operibus servilibus.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: unanimiter; quoad determinationem « operis servilis » remittitur ad Comm. de disciplina cleri et populi christiani).

IV. Obligationi interveniendi divinis officiis satisfaciendum est assistendo divinae Liturgiae aut, ubi legitima consuetudo viget, celebrationi Divinae Laudis.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum) .

V. Facultas datur fidelibus satisfaciendi obligationi de qua supra inde a vespere vigiliae usque ad finem diei festi.

(Sess. plenariae VII et X, diebus 24-2-1961 et 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

VI. Suadendum est fidelibus diebus festis impeditis, ut intra hebdomadam obligationi assistendi divinae Liturgiae suppleant.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: maioritate suffragiorum).

VII. Facultas etiam datur satisfaciendi praecepto assistendi divinae Liturgiae in oratoriis privatis et ubicumque legitime et licite celebretur.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: unanimiter).

II

DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

Semper in Ecclesia inter media et subsidia, quae vitae christianae consulunt, eminent maximoque in pretio habenda sunt ieiunium et abstinentia. In Vetere Testamento et in populi israelitici historia plurima adsunt exempla (*Exod.* 28, 18; *Iudic.* 20, 26; *I Reg.* 7, 6; *II Paralip.* 20, 5; *I Esdr.* 8, 21-23; *Ierem.* 36, 9; *Dan.* 10, 5). Ex Evangeliis vero edocemur, Dominum N. I. Christum ieiuniorum necessitatem et filiis Legis Novae suoque exemplo

inculcasse. Ecclesia vero Christi per apostolos discipulosque ad omnes gentes propagata, doctrinae exemplique sui Divini Conditoris nunquam oblita est.

Ex scriptis Sanctorum Patrum abunde patet, inde a temporibus apostolorum fixa devenisse quaedam anni ecclesiastici tempora, quibus praesertim vigiliae maiorum celebrantur festorum ieiuniis et abstinentiis. Orationibus et ieiuniis recolebatur Domini Iesu Christi Passio eiusque gloriosa resurrectio. Immo, generalis quidam invaluit usus, ut quacumque feria sexta, memoriae mortis et passionis Domini N. I. Christi dicata, saltem abstinentia quaedam ab omnibus observaretur. In orientalium regionibus Christifideles in hoc eminuere, iam ab illis desertorum Aegypti caenobiorumque Asiae incolis.

Saeculis quidem vertentibus, dum refriguit plurium christianorum fervor, attamen opportunitas et necessitas visa est alicuius mitigationis huiusmodi observantiae. Sarta tectaque manere debet de ieiuniis abstinentiisque doctrina; sed quaedam sunt statuenda et ad hoc indicanda.

Sancta Oecumenica Synodus observantiam ieiuniorum abstinentiarumque omnibus Christi fidelibus iterum iterumque commendat. Ad refraenandas carnis illecebras, ad iram Dei de commissis mitigandam, sacrum ieiunium non minus necessarium esse quam vulneribus medicina pro comperto habetur. Ut tamen iustis novisque hominum conditionibus provideatur, pro rituum populorumque diversitate, in quantum possibile fas est, Sacra Oecumenica Synodus haec pro omnibus Ecclesiis Orientalibus constituere statuit:

I. Abstinentiae lex vetat carne, ovis et lacticiniis vesci, salvo iure particulari quod vetet esum piscium vel permittat usum ovorum et lacticiniorum.

(Sess. plenaria IV, die 21-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Ieiunii lex vero observanda est secundum usum proprii ritus.

(Sess. plenaria IV, die 21-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Lex solius abstinentiae in omnibus Ecclesiis Orientalibus servanda est singulis feriis sextis, iis exceptis quas indicant leges liturgicae.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter, uno dempto).

IV. Lex abstinentiae et ieiunii servanda est: 1) prima die Magnae Quadragesimae et Feria Sexta Hebdomadae Sanctae; 2) etiam aliis diebus Magnae Quadragesimae secundum ius particulare uniuscuiusque ritus.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. Alii dies abstinentiae, ieiunii vel ieiunii et abstinentiae unicuique ritui proprii, determinantur probatae Synodi praescripto vel legitima consuetudine.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

VI. Diebus Dominicis et festis de praecepto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

VII. In familiis mixti ritus facultas datur ut omnes unius eiusdemque ritus praecepta in ieiuniis et abstinentiis servent.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter).

VIII. Extra regiones proprii ritus singuli fideles facultate gaudent legem ieiunii et abstinentiae servare modo in loco vigente.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

IX. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes ab expleto aetatis vigesimo anno ad inceptum sexagesimum.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter).

III

DE COMMUNIONE PASCHALI

Mirabile Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum pro salute hominum haberi debet tamquam christianae vitae centrum; fornax est ardentissimae caritatis et arbor vitae. Salvator noster, ait Concilium Tridentinum (Sess. XIII, cap. 2), discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Dominus Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vita illius, quia dixit: « Qui manducat me et ipse vivit propter me » (*Ioan.* 6, 58), et « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis » (*Ioan.* 6, 54). Manducaverunt proinde cibum hunc et potum caelestem biberunt Iesu Christi apostoli eorumque discipuli; itemque Christi fideles « uno ore et corde » laudantes Dominum; manducavit martyrum candidatus exercitus, manducavit virginum agmen, confessorum manducarunt veritatis exurentia labia, manducarunt doctorum sapientissimi coetus, cibum hunc angelicum pro quotidiano etiam usu commendantes. Prostant homiliae orationesque Cypriani, Origenis, Ambrosii, Augustini, Basilii illius Caesariensis, qui Caesario commendabat: « Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi, bonum est et perutile, cum ipse perspicue dicat: Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » (*Enchir. Patr.*, n. 916). S. Ioannes Chrysostomus, cui nomen inditum fuit « Doctoris Eucharistici », alte conquestus est de christianis Antiochiae, qui semel vel bis tantum in anno hoc caelesti reficiebantur pane (*Hom. ad Haebr.* XVII, PG 63, c. 131). Ut ter saltem in anno fideles reciperent Panem Caelestem hortabantur Patres Aghatenses (506) et Turonenses (813), ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum suscipiendum omnemque fidelem, postquam ad annos discretionis pervenerit, iubere non

omiserunt Lateranenses Patres (1215), alioquin vivos ab ingressu ecclesiam prohibendo et mortuos a christiana sepultura arcendo (DB, *Ench.* 437), quam obligationem Tridentinum confirmavit Concilium (Sess. XIII, cap. 2 et n. 9).

Quae si occidentalem disciplinam magis spectant, bene scitur quod Orientales semper spectatissima dederunt exempla attamen multa cum varietate usque ad nostra tempora. Cum vero nostra aetate populi magis inter se communicent, ad vitam christianam rite ordinandam, quasdam normas communes statuendas opportunum visum est. Quapropter haec Sancta Oecumenica Synodus omnibus Christifidelibus ferventissime commendat, ut saepe et etiam quotidie ad sacrum convivium accedant, praesertim vero ut laudabilem consuetudinem sacram Communionem maximis quisque anni festis diebus sumendi observare nitantur. Firma obligatione sumendi semel saltem in anno SS. Eucharistiam, haec statuere censuit:

I. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis, idest rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae Sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Praeceptum paschalis Communionis impleatur a Feria V Magnae Hebdomadae ad Dominicam post Pascha; sed locorum Hierarchae possunt, si ita adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante initium Quadragesimae, et prorogare, non tamen ultra Dominicam post festum Pentecostes. Solummodo ex rationibus valde gravibus iisdem locorum Hierarchis liceat ut, animarum saluti consulentes, rem ad aliam et aptiorem normam constituant.

(Sess. plenariae IX et X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Obligatio praecepti Communionis sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarios, institutores et parochum.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

IV. Praecepto Communionis recipiendae non fit satis per sacrilegam Communionem.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

V. Curent locorum Hierarchae ut morem antiquissimum ac laudabilem Sacram Communionem maximis anni festis recipiendi, Christifideles sancte servent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

VI. Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, divina Eucharistia reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas, utque celebrationi

divinae Liturgiae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam divinae Eucharistiae receptione, rite dispositi, communicent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

VII. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles Sacrae Communionis recipiendae praecepto tenentur.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter, duobus demptis).

VIII. Praeceptum paschalis Communionis pergit urgere, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter, duobus demptis).

IX. Suadendum ut suo quisque ritu et in sua quisque paroecia fideles praecepto Communionis paschalis satisfaciant et morem de quo supra (V) servent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

IV

DE DECIMIS SEU CONTRIBUTIS

Ecclesia Christi, etiamsi iam una ex parte cum Christo in caelis consummatur, tamquam « Ierusalem nova » (*Apoc.* 3, 12), « quae sursum est libera » (*Gal.* 4, 26), ex altera tamen parte ut societas electorum in terra degens, « in templum sanctum in Domino » (*Eph.* 2, 21) construi debet, et ut corpus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13) crescere. Oportet proinde ut secundum structuras societatis humanae sit disposita, cum ordine rerum temporalium connectatur rebusque creatis ad maiorem Dei gloriam et hominum aeternam salutem procurandam utatur. A necessitate hac vitae terrenae nunquam abstrahere potest nec iuri ad bona terrena sibi a Domino dato sponte renuntiare vel quadam humana auctoritate ab eorum usu impediri valet.

Cui iuri et necessitati respondet fidelium obligatio ut Ecclesiae necessitatibus ex abundantia opum pro posse et sponte contribuant. Nunquam revera, teste historia, liberalis haec contributio defecit, sed potius superabundavit, prout ad oculos demonstrat splendor, arte et antiquitate, sacrarum aedium, diversarum tum charitatis tum educationis operum per orbem terrarum diffusio, fideique christianae in plagis longinquis propagatio.

Novis tamen nunc exsurgentibus Ecclesiae necessitatibus, quae totum orbem terrarum respiciunt, Sancta haec Oecumenica Synodus pro orientalium etiam plagarum christifidelibus sollemniter sequentia statuit:

I. Ecclesiae ius est, a civili potestate minime dependens, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria.

(Ex Motu Proprio *Postquam Apostolicis,* can. 233, et CIC, can. 1496; sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

II. Exhortentur fideles ut obligationem subveniendi necessitatibus Ecclesiae secundum leges et propria statuta legitimasque consuetudines in unaquaque regione vigentes observent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

V

DE SOLLEMNITATIBUS NUPTIARUM

Sacramentorum dignae administrationi et receptioni Ecclesia semper omnem adhibuit et adhibet vigilantiam eorundem characteri et circumstantiis accommodatam. Nil mirum si etiam nuptiarum christianarum celebrationem, quae hominum socialem tangit naturam, aptis circumsaepsit praeceptis, ne earum sacer character detrimentum capiat vel tempora sacra anni ecclesiastici aliquomodo perturbentur usibus alioquin probatis gentium vel nimia externa pompa et sollemnitate, ad quas homines nostri temporis procliviores monstrantur.

Proinde, iterum sacro charactere matrimoniorum christifidelium inculcato, quo ipsa primordia familiarum christianarum coram Deo et hominibus consecrantur et roborantur subsidiis gratiae, Sancta haec Oecumenica Synodus omnes christifideles monet ne huius Sacramenti receptionem nimia mundana pompa distrahere sinant, sed eam potius temporibus sacris anni ecclesiastici accommodent, quo maiorem fructum obtinere et gratiam uberiorem sacramentalem percipere valeant. Qua de causa sequentia pro fidelibus orientalibus statuit:

I. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, firmo praescripto sub II.

II. Tempore sacro ante Nativitatem Domini et Magnae Quadragesimae, nec non aliis temporibus iure particulari statutis, vetatur ipsa nuptiarum celebratio.

III. Hierarchae tamen locorum possunt, ex iusta causa, vetito tempore permittere sive ipsam nuptiarum celebrationem sive sollemnem earundem benedictionem, monitis sponsis ut a pompae apparatu abstineant.

(Ex Motu Proprio *Crebrae allatae,* can. 97, §§ 1-3, emendata § 2. Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

2) RELATIO EM.MI P. D. HAMLETI IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

De praeceptis Ecclesiae recolendum est, legitimas consuetudines, quae apud latinos multum valuerunt ad normas de iis statuendas, apud Orientales multo maiorem vim obtinuisse.

Numquam in praeteritis Conciliis Oecumenicis quaestio de Ecclesiae praeceptis simul sumptis proposita fuit. Est materia maxime implexa, cum in hac re plurimae habeantur diversitates, quae a rituum et locorum varietate oriuntur.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus maximam curam atque industriam adhibuit, ut Oriens Catholicus hoc testimonium suae disciplinae dare posset et hanc contributionem Concilio Oecumenico Vaticano secundo.

Et nunc ad singula praecepta transeamus.

I. *De diebus festis.*

Disciplina Orientalium de diebus festis valde differt a disciplina latinorum, sive quoad numerum dierum festorum de praecepto, sive quoad rationem horum festorum celebrandorum et huiusmodi obligationis implendae.

Ad numerum festorum quod attinet, varii ritus non eandem normam sequuntur; imo deest uniformitas etiam inter christifideles eiusdem ritus, qui tamen non ad eandem nationem pertinent.

Quod autem spectat ad modum implendi hoc praeceptum, fideles obligationi satisfaciunt non solum si divinae Liturgiae intersunt, verum etiam si assistunt cuidam parti Officii Choralis seu celebrationi Divinae Laudis, inde a vespere vigiliae usque ad finem diei festi.

In voto fuit Episcoporum Orientalium ut, quatenus possibile, quaedam norma uniformis attingeretur, praesertim pro regionibus ubi fideles varii ritus simul vivunt.

In schemate apparando, Commissio hac ratione se habuit, ut leges statuerentur tantum pro Ecclesiis Orientalibus, debita ratione habita earum legitimarum consuetudinum; ut consuleretur necessitatibus et difficultatibus fidelium ritus Orientalis; ut denique definiretur numerus dierum festorum de praecepto pro omnibus ritibus, salvo iure Synodorum seu legitimae Auctoritatis peculiaria stabiliendi propria cuiusque ritus.

II. *De abstinentia et ieiunio.*

Legislatio orientalis de ieiunio et abstinentia originem duxit ex duplici fonte: scilicet a iure consuetudinario et a disciplina Monachorum; quam disciplinam christifideles pro viribus imitari conati sunt.

Cum autem in disciplinam monachorum, decursu temporis, variae immutationes inductae sint, consentaneum erat, ut etiam christifideles ad hanc agendi monachorum rationem sese accommodaverint. Hinc orta est illa disciplinae diversitas, quae hodie habetur in hac re apud Orientales.

Quidquid est de theoria, in praxi omnes dies abstinentiae non sunt necessarie etiam dies ieiunii, seu observantia saepe differt a theoria.

Quoad vim huius obligationis, haec gravis est pro monachis, non autem pro christifidelibus; vel saltem christifideles non eodem modo hac obligatione tenentur. Scilicet christifideles secundum Orientalium mentem, imitari debent monachos pro posse; et modum et mensuram unusquisque sequitur pro suae conscientiae dictamine.

* * *

In hoc schemate conficiendo, ratio habita est tum codificationis Orientalis, quae super hoc subiecto nondum publici iuris facta est, tum votorum quae Episcopi Orientales in Antepraeparatoria fecerunt.

Valde arduum fuit in tanta rerum varietate statuere quandam disciplinam minimam uniformem; multa proinde capita Synodis definienda relicta sunt.

In hoc schemate clare distinguuntur lex ieiunii et lex abstinentiae; item distinctio fit inter ea quae stricte obligant fideles et ea quae ad fovendam pietatem suadentur.

Lex abstinentiae denique valde similis est praescriptis Codicis Iuris Canonici, cum modum latinorum hodie Orientales practice sequuntur, qui modus magis respondet temporum adiunctis et hodiernae vitae condicionibus.

III. *De Communione Paschali.*

Noluit Commissio de Ecclesiis Orientalibus excipere vota nonnullorum, qui proposuerunt, ut praeceptum Communionis Paschalis verteretur in praeceptum Communionis annualis.

Valde opportunum visum est servare antiquissimam consuetudinem, vi cuius tempus quadragesimae animi praeparantur ad maxima Redemptionis mysteria digne celebranda.

Quo autem huius praecepti adimpletio facilior evaderet, opportunum visum est Episcopis facultatem tribuere, pro locorum atque fidelium necessitatibus, tempus proprie paschale extendendi, sive illud anticipando, non autem ante initium Quadragesimae, sive illud prorogando, non autem ultra Dominicam post Pentecostem.

Ubi vero rerum personarumque condiciones vel graves difficultates aliud suadeant, tunc commendatur ut singulis fidelibus prospiciatur de consilio proprii sacerdotis; integris vero communitatibus vel regionibus prospicere debent locorum Hierarchae, tamen « ex rationibus valde gravibus » et unice « ad consulendum saluti animarum ».

IV. *De decimis et contributis.*

Normae huius praecepti continentur in canone 233 et 239 « Motu Proprio », quod inscribitur *Postquam Apostolicis Litteris,* promulgatum a Summo Pontifice Pio XII, d. 9 februarii 1952, et est pars novae codificationis orientalis « de Religiosis, de bonis Ecclesiae », etc.

Commissio utile duxit rursus proclamare etiam pro Oriente, ius Ecclesiae a potestate civile minime dependens, ea exigendi a fidelibus, quae ad fines suos proprios sint necessaria.

Voluit hoc modo affirmare et urgere hanc fidelium obligationem, ne eorum inopia, in qua forte versari possunt, conducat ad ipsius obligationis extinctionem.

Non amplius adhibentur verba « decimae et primitiae », in eodem « Motu Proprio » usurpata, utpote quae hodiernis temporibus minus respondeant.

Modus satisfaciendi huic obligationi, uti patet, differt pro diversitate loci, adiunctorum, legum, statutorum et consuetudinum. Quamobrem ad Auctoritates Ecclesiasticas variorum rituum vel Nationum relinquitur normas peculiares de hac re constituere.

V. *De solemnitatibus nuptiarum.*

Commissioni visum est nihil innovandum esse hac de re, et satis esse ea quae praescribuntur Canone 97, par. 1-3, in « Motu Proprio », quod inscribitur « *Crebrae allatae* » (d. 22 Februarii 1949), partiali tantum modificatione inducta in 2^{am} paragraphum eiusdem can. 97, ad tutandam et servandam, etiam tempore vetito, *benedictio nuptialis,* quae in ritibus Orientalium omnino requiritur in celebratione matrimonii. Semper revera, et instanter, a fidelibus exquiritur, ita ut ipsi recurrere praesto sint etiam ad sacerdotem dissidentem, si benedictionem nuptialem a proprio sacerdote habere nequeant; matrimonium sine benedictione in Oriente funesti ominis reputatur.

De Praeceptis Ecclesiae tractavit Pont. Commissio de disciplina. Possuntne simul componi?

Desiderat Pont. Commissio de Ecclesiis Orientalibus ut haec quae ab ea hucusque proposita sunt et quae dein proponentur, in unicam tractationem redigantur seu simul colligantur in Actis Concilii Oecumenici sub unico titulo « De Ecclesiis Orientalibus ».

3) ANIMADVERSIONES SODALIUM

Baet. CHEIKHO: Schema placet: Liceat mihi paucas observationes exponere:

a) In pag. 3,[1] § 1, nihil dicitur de Octava Nativitatis Domini. Hoc festum de praecepto celebratur in omnibus ecclesiis catholicis orientalibus.

b) In pag. 4,[2] in eadem § 1, loquitur de festo Dormitionis Almae Genitricis Dei Mariae. Hoc festum, ab antiquo, in plurimis ecclesiis orientalibus, appellatur festum Assumptionis. Quapropter melius videtur dicere in paragrapho memorata: « Assumptionis aut Dormitionis Almae Genitricis Dei Mariae ».

c) In eadem § 1, nulla mentio fit de festo Immaculatae Conceptionis, atque in tota Ecclesia Orientali, in quantum scio, cultu speciali celebratur hoc festum apud catholicos orientales.

d) In pag. 4, in § 3, datur fidelibus occasio sese privandi a pretiosissimis bonis Sacri Sacrificii Missae. Quare loco formulae « Interveniendum est divinis officiis », melius est, mihi videtur, ut dicatur « Interveniendum est divinae Liturgiae vel divino Sacrificio Missae ». Si haec mutatio admittitur, § 4, eadem pag. 4, potest omitti.

e) In pag. 9,[3] in lin. 27, optatur ut nomen Sancti Ephremi citetur, quia multa scripsit de sacrosancto sacramento Eucharistiae et de sacra Communione.

f) In pag. 10,[4] § 2, rogo ut dicatur « Praeceptum Communionis Paschalis impleatur a Die Dominica Palmarum, quia hoc habetur in usu, et hoc sequuntur fideles orientales.

4) SUFFRAGIA SODALIUM

Card. TISSERANT: Placet.

Card. PIZZARDO: Placet.

Card. ALOISI MASELLA: Placet iuxta modum: scilicet secundum ea quae dicta sunt a Beat.mo Patriarcha Paulo II Cheikho.

---

[1] Cf. p. 863.
[2] Cf. p. 863.
[3] Cf. p. 865.
[4] Cf. p. 866.

Card. FERRETTO: Placet, nescio tamen utrum ad uniformitatem, quantum fieri poterit, in catholica Ecclesia fovendam, magis valeret si Concilium Oecumenicum daret tantum normas generaliores, peculiaribus legibus Sanctae Sedi iudicio remissis.

Card. LIÉNART: Placet iuxta modum: ratione habita de iis quae dixit Em.mus Card. Ferretto.

Card. TAPPOUNI: Placet iuxta modum: quoad modum sanctificandi dies festos, dicitur in schemate commissionis de Ecclesiis Orientalibus, pagina quarta,[1] numero quarto: « Obligationi interveniendi divinis officiis satisfaciendum est assistendo divinae Liturgiae, aut ubi legitima consuetudo viget, celebrationi Divinae Laudis »; sed cum haec praxis generatim non vigeat, valde opportunum videtur ut addatur immediate id quod schema Codificationis Orientalis iam paraverat id est: « Curent animarum Pastores ut difficultatibus remotis, fideles instructionibus et exhortationibus inducantur ad assistendum celebrationi Divinae Liturgiae ».

Pro abstinentia, iam vidimus schema « De praeceptis » Commissionis de disciplina cleri et populi aliquam concedere largitatem, permittendo ius ex carne.

Schema commissionis de Ecclesiis Orientalibus e contra, aliquam severitatem exhibere; prohibet enim usum etiam ovorum et lacticinorum quod hodie fere ubique dispensatur.

Ita nostro humili iudicio, saltem hac in materia, ut iam dicebamus occasione disceptationis primi schematis, valde opportunum est ut minimum uniformitatis in Ecclesia Universali stabiliatur, quae vetet solum « carnem », vel « carnem et ius ex carne »; salvo semper iure legitimae auctoritatis pro quisque suo ritu vel territorio plus exigere.

Card. COPELLO: Placet.

Card. AGAGIANIAN: Placet iuxta modum: tota res remittatur ad Codicem Iuris Canonici Orientalis.

Card. FRINGS: Placet iuxta modum: nobis occidentalibus difficile est diiudicare, quid bonum sit quoad praecepta Ecclesiae pro Ecclesia Orientali. Sed optandum mihi videtur, ut maior uniformitas intendatur inter Ecclesiam Orientalem et Occidentalem et inter varios ritus. Phrasis « Ad refraenandas carnis illecebras ... pro comperto habetur » in prooemio ad II deleatur. Si Ecclesiae Orientali conceditur sanctificationem festo-

---

[1] Cf. p. 863.

rum fieri posse vesperis sabbati, hoc privilegium extendatur etiam ad Ecclesiam occidentalem.

Card. Ruffini: Placet iuxta modum: mihi placeret si Ecclesiae praecepta tum in *Oriente* cum in *Occidente* observarentur eodem modo saltem quantum fieri potest. Plura in schemate decreti proponuntur quae a statutis Ecclesiae latinae differunt; sed puto ea concordari posse.

Conferantur v. g. quae dicuntur:

Pag. 4 [2] ad V, VI; pag. 7 [3] ad I: cur haec non mutantur secundum praescripta Ecclesiae latinae? Fortasse non erit difficile.

Pag. 11 [4] ad IV: cur id non praescribitur etiam pro Ecclesia latina?

Pag. 6,[5] lin. 18, lego: orationibus et ieiuniis recoli etiam Domini Iesu Christi gloriosam resurrectionem. Estne verum?

Ceterum: Adhaereo iis quae dixerunt Em.mi Cardd. Ferretto, Cicognani et Beat.mus Patriarcha Chaldaeorum.

Card. Valeri: Placet iuxta modum: attendatur ad ea quae a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum dicta sunt. Item ad ea quae ab Em.mo Card. Tappouni Patriarcha Syrorum indicata sunt.

Card. Ciriaci: Placet.

Card. Siri: Placet iuxta modum: scilicet in voto Em.mi Relatoris attentis quae dixerunt Em.mi Ferretto, Tappouni et Patriarcha Chaldaeorum; pag. 4, n. III, mutetur vox « servilibus » iuxta quod factum est in correspondenti schemate pro Latinis; pag. 4, n. IV, admittit satisfactionem praecepti per *solam* assistentiam *Divinae Laudis*. De hac re non videtur mihi prudens ut agatur in Concilio.

Card. Wyszynski: Placet iuxta modum: maxime desideratur concordantia festorum Ecclesiae latinae et orientalis, praesertim in regionibus ubi inveniuntur varii ritus. Biritualismus in hisce regionibus multum valet ad pacem servandam et augendam.

Card. Quiroga y Palacios: Placet iuxta modum: attentis dictis ab Em.mo Relatore, ab Em.mo Tappouni et a Beat.mo Patriarcha Chaldaeorum. Forsan melius de ista materia tractaretur in Codice pro Ecclesia Orientali.

---

[2] Cf. p. 863.
[3] Cf. p. 864.
[4] Cf. p. 866.
[5] Cf. p. 864.

Card. LÉGER: Placet iuxta modum: i. e. cum animadversionibus Patrum et credo quod omnia deferri oportet ad Commissionem de Codice Orientali a Summo Pontifice formandam; in Concilio dissertationes ne fiant.

Card. GRACIAS: Placet.

Card. CENTO: Placet iuxta modum: attentis quae exposuerunt Eminentissimus Tappouni et Beat.mus Patriarcha Chaldaeorum, cum voto, in quantum possibile sit, unificationis legum, hac in re, inter Catholicos Latinos et Orientales.

Card. CICOGNANI: Cum animadversionibus Em.mi Cardinalis Tappouni et Beat.mi Domini Pauli II Cheikho, Patriarchae Chaldaeorum, et iuxta ea quae scripsi in adnexa relatione. In pagina undecima,[6] linea decimasecunda, verba: « et parochum » collocanda sunt post illa « in parentes », ita ut legatur modo sequenti: « idest in parentes et parochum, in tutores, confessarios, institutores ».

Card. GODFREY: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Card. Cicognani, attentis observationibus Beatissimi Patriarchae Chaldaeorum.

Card. CONFALONIERI: Placet, ita ut considerentur proposita a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum et ab Em.mo Cardinali Tappouni. Verbum « servilibus » (pag. 4,[7] n. 3) modificetur.

Card. RICHAUD: Placet iuxta modum, secundum animadversiones Em.mi Card. Tappouni et Beat.mi Patriarchae Chaldaeorum.

Card. MARELLA: Placet, ad mentem Em.mi Relatoris et attentis animadversionibus factis ab Em.mo Card. Tappouni et a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum.

Card. ALFRINK: Placet, secundum ea quae duo Beat.mi Patriarchae [Cheikho, Tappouni] dixerunt.

Card. CONCHA: Placet. Attendantur dicta ab Em.mo Card. Tappouni et a Beat.mo Patriarcha Chaldaeorum.

Card. DI JORIO: Placet, iuxta tamen observationes Beat.mi Patriarchae Chaldaeorum.

Card. ROBERTI: Placet iuxta modum: scilicet iuxta animadversiones Em.mi Relatoris necnon Em.mi Tappouni ac Beat.mi Patriarchae Chaldaeorum.

---

[6] Cf. p. 866.
[7] Cf. p. 863.

Card. JULLIEN: Placet iuxta modum: id est iuxta ea quae dixit Em.mus Ferretto, de principiis nempe generalibus solummodo tradendis, sive attenta praesertim diversitate disciplinae in variis ritibus, sive ne Ecclesiae Orientales videantur extra Concilium Oecumenicum positae.

Card. LARRAONA: Placet iuxta modum: habitis ob oculos observationibus Em.morum Ferretto, Tappouni, Agagianian, Ruffini, Siri, Cicognani et Beatissimi Patriarchae Chaldaeorum, cum voto quod unificetur in lineis generalibus disciplina et alia relinquantur Codici.

Card. HEARD: Placet.

Card. BEA: Placet iuxta modum: i. e. secundum animadversiones Beat. Patr. Chaldaeorum et Em.morum Cardd. Tappouni et Agagianian. Res reservetur Codici Iuris Orientalis.

Beat. GORI: Placet iuxta modum: id est secundum ea quae dicta sunt ab Em.mis Cardd. Tappouni, Agagianian et a Beat.mo Patriarcha Chaldaeorum. Opportunum est ut facultas de qua in Art. I, pag. 4 [8] n. V omnibus fidelibus cuiuscumque ritus detur.

Beat. CHEIKHO: Placet iuxta modum.[9]

Exc. O'CONNOR: Placet iuxta modum: forsitan in commune Ecclesiae commodum verti posset si Commissiones de Ecclesiis Orientalibus et de Disciplina Cleri et Populi Christiani in unam sententiam conveniant circa facultatem fidelibus concedendam, de qua sub numero V, cap. I, si scilicet a vespere vigiliae diei festi sacro adsistere possint ad praeceptum adimplendum.

Exc. SILVA SANTIAGO: Placet iuxta modum: scilicet iuxta exposita ab Em.mo Card. Relatore et cum aliis observationibus factis a Beat.mo Patriarcha Orientali Chaldaeorum et ab Em.mis Cardinalibus Ferretto, Jullien et Larraona.

Exc. ANTEZANA Y ROJAS: Placet iuxta modum: scilicet, attentis dictis a Beat.mo Patriarcha Chaldaeorum, et ab aliis Patribus.

Exc. COORAY: Placet iuxta modum: ad mentem Em.mi Relatoris, attentis tamen dictis ab Em.mo Card. Tappouni et a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum.

Exc. LEFEBVRE: Placet, attentis observationibus factis a Patribus.

---

[8] Cf. p. 863.
[9] Cf. p. 872.

Exc. HURLEY: Placet iuxta modum: i. e. iuxta observationes Beatissimi Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum et Em.mi Patriarchae Antiocheni Syrorum.

Exc. PERRIN: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimi Cardinalis Ferretto, de principiis generalibus tantum tradendis, et de rebus communibus omnibus ritibus.

Exc. BAZIN: Placet, iuxta emendationes a Patriarcha Chaldaeorum factas. Assentio observationibus Em.morum Cardd. Ferretto, Agagianian et Wyszyński.

Exc. BERNIER: Placet iuxta modum, ab Em.mo Cardinali Relatore expositum.

Exc. YAGO: Placet, attentis animadversionibus Patriarchae Chaldaeorum.

Exc. RAKOTOMALALA: Placet iuxta modum: ad mentem Eminentissimi Tappouni et Beatissimi Patriarchae Chaldaeorum.

Exc. JELMINI: Placet.

Rev. BROWNE: Placet iuxta modum: attentis iis quae dicta sunt a Beatissimo Patriarcha Chaldaeorum, ab Em.mo Cardinali Tappouni et ab Em.mo Card. Agagianian, et notato quod nullum fit verbum de obligatione accedendi statis temporibus ad Sacramentum Poenitentiae.

Rev. SÉPINSKI: Placet iuxta modum: sc. ratione habita eorum quae exposuerunt Em.mi Card. Relator, Tappouni, Agagianian et Beat.mus Patr. Chaldaeorum. In Concilio tractentur tantum normae generales; adiungo aliquas animadversiones minoris momenti:

Ad pag. 4,[10] lin. 4, corrigatur: « pro suo *quaeque* ritu ».

Ad pag. 4, lin. 5-10, proponerem hanc locutionem: « Alii dies festi, ubi iure particulari vel ex praescripto probatae Synodi vel probatae consuetudinis vigent, etiamsi de praecepto non obligant, tamen laudabiliter celebrentur; quapropter commendatur christifidelibus ut eos secundum cyclum liturgicum proprii ritus agant, sub vigilantia loci Ordinarii ».

Ad pag. 9,[11] lin. 15, corrigatur: « vivet ».

Ad pag. 10,[12] lin. 3, corrigatur: « Hebr. ».

Ad pag. 10, lin. 5, corrigatur: « Agathenses ».

Ad pag. 11,[13] linn. 20-21, corrigatur: « quotidie ».

---

[10] Cf. p. 863.
[11] Cf. p. 865.
[12] Cf. p. 865.
[13] Cf. p. 866.

4 – ANIMADVERSIONES PATRUM QUI QUARTAE SESSIONI NON INTERFUERUNT

I

Em.mi P. D. CLEMENTIS Card. MICARA
Episcopi Veliterni

De Dioeceseon partitione.

Placet iuxta modum. Principium generale, n. 2, enunciatum, facile consensum cumulat.

Iam Concilium Sardicense, can. 6, monuerat: « Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi et auctoritas » (Bruns, I, 93).

Et sanctus Pontifex Leo Magnus: « Illud sane inter omnia volumus statuta canonum servari ut non in quibuslibet locis nec in quibuscumque castellis et ubi ante non fuerunt episcopi consecrarentur. Cum ubi minores sunt plebes minoresque conventus presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula nonnisi maioribus populis et frequentioribus civitatibus oporteat praesidere » (Epist. 12, n. 10, PL 54, 654).

At, cum agitur de re in praxim deducenda, attendantur oportet difficultates gravissimae, quas superare conamina nonnulla minime valuerunt. Recolere sufficiat numerum italicarum dioeceseon, contra Concordati Lateranensis optata, non imminutum sed auctum esse.

Fortasse iuvabit firmiter decernere ut Commissio Episcoporum, de qua in n. 12, pag. 7,[1] post Concilium, intra definitum tempus, suas subiciat Sanctae Sedi propositiones.

Attamen, in mutationibus, aliquando necessariis, invocandis vel proponendis, ne negligantur omnino — quaesumus — historiae traditiones et memoriae venerandae, quas Ecclesia reverenter et amanter custodit, non solum ad ornamentum et decus sed etiam ad sui ipsius munimen atque ad animarum solacium et salutem.

---

[1] Cf. pp. 497-498.

Rigidius ergo videtur deliberatum in n. 4, pag. 6,[2] de sorte Abbatiarum « nullius ».

Multae sane Abbatiae vel Praelaturae « nullius », recentius conditae, praesertim in Brasilia et in America Meridionali, possunt, uti statuitur, vel supprimi vel in dioeceses converti. Sed nonnullae antiquiores Abbatiae a saeculis sunt veluti centrum vitae religiosae, tamquam conspicuae Ecclesiae cathedrales, unde distrahere circa extantes fideles neque fieri potest neque expedit.

Pariter, relate ad n. 5, pag. 6, vetustarum memoriarum debitus cultus, praeter alia argumenta, caute procedendum esse suadet si quando quaestio proponatur utrum Dioeceses Suburbicariae supprimendae an (in textu, minus recte, *vel*) conservandae sint.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet iuxta modum. Prooemium historicum fortasse aliquantulum breviari praestabit.

Diversa indoles iuridica (minus recte sonare videtur, latine, vox « character »: I, 2) huiusmodi Conferentiae et Concilii sive Provincialis sive Nationalis bene tamquam fundamentum enunciatur.

Ad IV, 1, fortasse opportune adderetur inter Episcopos diversarum nationum, quae eadem lingua vel cultura cohaerent, non solum relationes fovendas esse sed etiam coetus quodammodo instituendos, ut in America Latina fauste evenit et apud nonnullas Africae novas nationes fieri iuvabit.

De rationibus inter Episcopos et Curiae Romanae congregationes.

Placet iuxta modum. Principia probantur eorumque in praxim deductio.

Sedulo tamen cavendum est ne verbalis formulatio aliquando minus obsequens videatur erga Romanam Curiam.

Ad VI, n. 4, pag. 12,[3] de Episcopis designandis a coetibus diversarum nationum pro munere Consultorum apud Romanas Congregationes, res bene perpendatur oportet cum rationes videantur adesse sive pro sive contra.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

Placet iuxta modum. Fortasse opportunius ageretur de rationibus inter episcopos et suos sacerdotes, non solum parochos, cum ea quae

---

[2] Cf. p. 497.
[3] Cf. p. 545.

in schemate praesentis decreti exhibentur recollegi possint, congrua congruis referendo, sub titulo « de parocho eiusque officiis ».

Probamus propositam immutationem vigentis nunc canonicae disciplinae circa parochorum stabilitatem, quam rectius animarum curae, ad normam supremae in Ecclesia legis, aptandam esse decet omnino.

Verum quidem est Episcopi potestatem multum (videretur nimis) augeri, cum ipsi concedatur tamquam causas parochi amotionis agnoscere posse, praeter illas quae in can. 2147, par. 2, demonstrative recensentur, aliam *similem,* quae ipsius parochi ministerium, etiam citra suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit (II, 3, pag. 9).[4] Eiusdem tamen sat amplae potestatis exercitium per subsequentem normam temperatur (n. 4, pag. 10).[5]

Ad II, 5, pag. 10, videtur parocho longius temporis intervallum, quindecim saltem dierum, indulgendum esse pro impugnanda renunciationis invitatione.

Minus placet sententia Commissionis de Episcopis (nota 12, pag. 10) pro abrogando can. 2146 C.I.C. circa facultatem amoti parochi recurrendi ad Sanctam Sedem. Aucta enim Episcopi potestate in iudicando de parochi idoneitate, non expedit parochi simul imminuere contradicendi facultatem. Ceterum, periculum damni vacantis paroeciae, ex mora per interpositionem recursus, vel avertitur vel sufficienter attenuatur per deputationem oeconomi parochi.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet iuxta modum. Optime quidem quae per praxim, fere ubique receptam, comprobata sunt, heic statuuntur.

Ad XII, pag. 6:[6] annua saltem singularum paroeciae familiarum visitatio commendatur; sed fortasse non inopportune monitum adderetur ut visitatio huiusmodi fiat servata semper sacerdotali gravitate et dignitate.

Ad XXVII, pagg. 10-11:[7] Paroeciae pro fidelibus diversi sermonis vel nationis in eodem territorio fovere possunt immodicum nationalismum. Plerumque sufficit ut in eadem paroecia sacerdos aliquis curam gerat fidelium alterius nationis. Ideoque paroeciae nationales minus opportunae videntur, cohaerenter etiam ad principium alibi acceptum — servata proportione — in schemate « de dioeceseon partitione » (n. 13,

---

[4] Cf. p. 579.
[5] Cf. p. 579.
[6] Cf. p. 599.
[7] Cf. pp. 601-602.

par. 1, pag. 8),[8] ubi statuitur: « Dioeceses personales, ratione idiomatis vel nationalitatis, erigendae non sunt ».

De praeceptis ecclesiasticis.

Placet iuxta modum. Potiora Ecclesiae praecepta, quae recensentur, in suo robore permaneant oportet, cum summopere conferant ad fidem et pietatem servandam atque alendam.

Mutata tamen temporum et rerum adiuncta opportune emendationes suaserunt, circa quas haec animadvertere placet:

Ad 1, pag. 3:[9] Probatur quidem suppressio termini « servilis » ad indicanda opera diebus festis vetita. Traditionalis enim distinctio inter opera servilia, liberalia et mixta respondet civilibus et oeconomicis societatis conditionibus, nunc temporis fere obsoletis, et minus congruere videtur laboris, utcumque peracti, dignitati.

Lex divina et ecclesiastica positive intendit in Deum et animam officia inculcare, diebus potissimum Domino dicatis persolvenda, labores et opera vetando quae magis videntur a cura spiritualium rerum mentem avertere. Hinc criterium sumendum discriminationis operum quae diebus festis fieri sinantur vel vetentur. Non facile est rem uno verbo definire.

Textus propositus — « opera *vetita* » — hanc vitat difficultatem sed alias inducit incertitudines cum necessario definire debeat quae sint opera vetita.

Formula n. 13, sub *a*), nimis ampla videtur, multos complectens labores, quos licere, saltem individuis si non opificum consociationibus, communis sententia tenet; talis praeterea enunciatio, nedum minuat, plurimum auget casus de quibus a moralistis disceptandum erit.

Notamus denique, relate ad *c*) — ibidem —, publicos mercatus in pagis et ruralibus locis quam plurimis solum diebus festis fieri posse.

Ad 4, pag. 4:[10] De facultate Missam audiendi in pervigilio diei festi, plerique Commissionis Sodales — quibus assentimur — negativam sententiam ediderunt (cf. nota 1, pag. 10).[11] At succrescens ubique diebus festis evadentium ex urbibus turma gravissimum constituit negotium pastoralis sollicitudinis, cui solummodo ex parte Missae vespertinae concessio consulit.

Ad 27, pag. 9:[12] Inter christianas virtutes, tempore praesertim Qua-

---

[8] Cf. p. 498.
[9] Cf. p. 618.
[10] Cf. p. 618.
[11] Cf. p. 622.
[12] Cf. p. 621.

dragesimae exercendas, peculiarem meret mentionem poenitentia, mortificatio, abstinentia vel magis moderatus usus rerum quae voluptatis aut recreationis causa tam avide appetuntur: quod opportunius suadebitur cum ieiunii et abstinentiae praeceptum tam tenue evaserit.

Ad 35, pag. 10: De solemni benedictione in matrimoniis mixtis (circa quam essentialis inducitur innovatio), nonnihil haesitamus, saltem circa matrimonia contracta cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, quorum nonnulla fieri etiam potest ut aliquando per privilegium « petrinum » solvantur.

De aliquibus institutis status perfectionis in particulari (De Religiosis: Pars I, Sect. II, Capp. VII, VIII).

Placet iuxta modum. Ad n. 13, pag. 10,[13] fortasse expedit ut minus emineat nota de qua in linn. 23-26. Potest temperantius idem dici, ita v. g.: « Ordinariis locorum, quibus proinde de iure semper innotescere debent, etsi quandoque sodalium nomina vel ipsa centra sint ceteris ignota ».

Statutum 14, pagg. 10-11,[14] videtur novo examini subiiciendum esse, attento Decreto quod Em.mi Patres Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii die 19 aprilis 1961 ediderunt et Summus Pontifex die 21 eiusdem mensis ratum habuit et adprobavit.

De vocatione religiosa (De Religiosis: Pars I, Sect. II, Cap. IX).

Placet.

De ipsa vita religiosa renovanda in genere et in particulari (De Religiosis: Pars II, Sect. I, Capp. XI, XII).

Placet iuxta modum. Ad n. 13, pag. 13:[15] Temperetur oportet, utpote minus congruens textui conciliari, nota illa aliquantulum polemica, in linn. 9-10: « ... christiana mortificatio quam nonnulli hodie silentio praetermittunt ... ». Sufficeret v. g.: « ... christiana mortificatio, numquam silentio praetermittenda quasi res parvi momenti, sed magni aestimanda assidueque exercenda ».

Eadem de causa, in n. 14, pag. 14,[16] linn. 2-3, deleri posse censeam, sine sensus detrimento, verba « ... hisce temporibus a quibusdam excogitata ».

---

[13] Cf. pp. 655-656.
[14] Cf. p. 656.
[15] Cf. p. 696.
[16] Cf. p. 697.

Denique, in eodem n. 14, pag. 14, minus necessaria et solum ad explicationem redundantius adiecta videntur verba in linn. 7-15: « Patet subditum etc. ».

Adhuc, ad n. 14, pag. 14: Ad notionem obedientiae uberius declarandam, illud quoque memoretur oportet quod v. g. S. Ignatius de Loyola, praeclarus, uti constat, obedientiae praeco et sectator, monuit in praestantissima « Epistula de virtute obedientiae », hisce vel similibus verbis post lineam 15, pag. 14, adiectis: « Neque tamen idcirco vetatur si quid forte occurrat a Superioris sententia diversum idque ei, consulto suppliciter Domino, exponendum videatur, quominus id modeste ad Superiorem referre possit, sed illa cautione adhibita ut animo sit, et ante et post relationem, aequissimo ad approbandum quidquid Superiori placuerit ».

De accommodata renovatione vitae religiosae (De Religiosis: Pars II, Sect. I, Capp. XIII, XIV, XV).

Placet iuxta modum. Ad n. 26, 2), pag. 6,[17] divisio religiosorum vel potius religiosarum in classes peropportune inter potiora capita recensentur, quae reformatione indigeant. Aliter sentiendum esse videtur de distinctione apud religiones clericales in sacerdotio fundata, iis semper reprobatis quae charitati et sodalium inter se unioni officere possunt.

Ad n. 37, pagg. 10-11:[18] opportunum fortasse erit addere in fine, monitis etiam et praeceptis consideratis, quae in n. 31, pag. 8,[19] statuuntur: « Bene praesertim attendendum est num in alia dioecesi vel natione iam institutum existat eiusdem fere generis ita ut illius operam requirere potius quam novum idemque simile institutum condere expediat ».

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet iuxta modum. Necessitatem ecclesiasticas vocationes fovendi debemus quidem instantissime urgere, semper tamen monentes ne ob sollicitudinem augendi numerum minus attendatur qualitas. Quod non raro contingere experientia docet.

Cavendum est etiam a periculo falsae vocationis adulescentium qui parentum vel aliorum minis aut blanditiis ad tantum munus male coguntur.

Videtur ergo expedire ut Decretum Concilii haec monendo recolat.

---

[17] Cf. p. 720.
[18] Cf. pp. 722-723.
[19] Cf. p. 721.

Verbis utens S. Thomae Aquinatis, Pius XI, in Encyclica *Ad catholici sacerdotii,* monuit: « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei sufficientes (sacerdotes) ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni expellerentur (*Summ. Theol. Supplem.*, q. 36, a. 4) ». Ceteroquin praeclarissimus idem Doctor, verba Concilii Oecumenici Lateranensis IV ex verbis propemodum reddens, peropportune monet: « Si non possent tot Ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos Ministros bonos quam multos malos » (AAS, XXVIII, 1936, pag. 44).

De studiorum ratione in Seminariis.

Placet iuxta modum. Recte dicitur pro tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges tradi posse (n. 5, pag. 4).[20] Sed fortasse quae in schemate Decreti continentur possunt ulterius breviari, potioribus tantum normis, ubicumque valituris, enunciatis; ad cetera Sacrae Congregationes et Episcoporum Coetus pro locorum et temporum adiunctis providebunt.

In proponenda forma institutionis iuvenum qui sacerdotio ubique terrarum initiantur, bene attendendum est, hodie praesertim, ne mens et cultura occidentalis imposita videatur tamquam unica et necessaria ad fidem christianam tradendam et intelligendam. Ecclesia enim, ut monet Summus Pontifex in Encyclica *Princeps Pastorum*: « non unam tantum animorum culturam, despectis aliis, quasi propriam amplectitur, ne illam quidem quam Europa ceterique Occidentis populi pepererunt, etsi cum ea, historia teste, arctissime coniungitur » (cf. etiam quae sequuntur in eadem Encyclica). Quamvis schema Decreti non possit argui quod hanc normam neglexerit, fortasse magis explicite eam declarare oportebit.

Aliud etiam non levis momenti notandum esse videtur.

Iure meritoque exigitur (in n. 6, pag. 4) [21] ut studia proprie ecclesiastica ineantur post absolutum curriculum studiorum medium. Hoc vero curriculum complectitur etiam institutionem de philosophia vel potius de historia philosophiae, summatim traditam, cum simul urgeant et onerent iuvenem graves aliae disciplinae, necessariae pro comparando titulo admissionis ad Universitatem (de quo in n. 7 Decreti). Sed huiusmodi philosophica institutio, plus quam propaedeutica ad veritates naturales et supernaturales dubia potius insinuans, eam aetatem attingit qua sacrorum alumnis gravissimum incumbit onus de tota vita decidendi, scilicet de vocatione ecclesiastica.

---

[20] Cf. pp. 756-757.

[21] Cf. p. 757.

Difficultas haec indigitatur, non facile solvenda sed attente consideranda.

Ad n. 7, pag. 4, bene sacrorum alumnis commendatur ut post studia media eum titulum statalem acquirant qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiratur. Hoc enim multum confert ad libertatem in deliberando de vocatione. Contingere enim potest ut aliquis, considerans vias sibi in saeculo praeclusas ob carentiam legalis tituli academici, ad munus sacerdotale accedat, etsi persentiat se non esse divinitus vocatum.

Idem valet pro alumnis Ordinum et Congregationum religiosarum.

Ad pag. 5,[22] n. 10, linn. 17-19: Textus propositus ita mihi immutandus videtur: « Philosophia scholastica, quoad omnes partes, tradatur et explanetur secundum S. Thomae Aquinatis doctrinam et principia (C.I.C. 589, par. 1) *non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis* » (cf. Statuta Gen. Constitutioni Apostolicae *Sedes sapientiae* adnexa, art. 44, par. 2, n. 2).

Eaedem observationes valent, congrua congruis referendo, de cap. II schematis « De studiorum ecclesiasticorum universitatibus » pag. 4,[23] n. 3, linn. 11-13 et pag. 11,[24] nota 5, n. 2, linn. 26-29.

Ad pag. 6,[25] n. 14, linn. 14-15. Textus uti iacet in schemate (pag. 6, n. 14, linn. 14-15) immutandus mihi videtur prout sequitur: « Quare theologia sacra secundum S. Thomae principia solide tradatur in omnibus suis partibus, non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis (cf. Stat. Gen. Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae* adnexa, art. 44, pag. 2, n. 2), *habita etiam ratione theologiae positivae,* uti aiunt. Adhibeatur apta pro diversa materia methodo, omissis obsoletis etc. ».

Eaedem observationes valent, congrua congruis referendo, de cap. II schematis « De studiorum ecclesiasticorum universitatibus » pag. 5,[26] n. 6, linn. 16-19.

De Universitatibus catholicis.

Placet iuxta modum. Quae in nota 4, pag. 6, opportune dicuntur, expedit fortasse ut in textu quoque, aliis et brevioribus verbis, inserantur, scilicet Universitates catholicas studiorum et scientiarum prae-

---

[22] Cf. p. 757.
[23] Cf. p. 817.
[24] Cf. p. 821.
[25] Cf. p. 758.
[26] Cf. p. 817.

stantia atque catholici nominis dignitate et propagatione enitescere debere ideoque pluris earum qualitatem quam numerum valere; « cum melius sit — bene animadvertitur in citata nota — paucas florentes habere Universitates quam multas languentes ». Ubi Universitates catholicae, qua par est dignitate condi vel servari non possunt, suppleant, si quando opportuna videantur, Centra universitaria, de quibus in n. 6.

Ad 5, pag. 4, magis explicita et instans adhortatio adicienda esse videtur ut aditus ad Universitates catholicas, per specialia opera et subsidia, facilius pateat non solum iis qui alienis ex alienis nationibus adveniunt, maxime ex Africa et Asia, ad mentem Encyclicae *Princeps Pastorum,* sed iuvenibus etiam in sua quisque regione degentibus. Nam institutio in Universitate catholica aptissimum medium est parandi optimos laicos qui, potioribus aliquando muneribus in societate perfungentes, rei christianae validissimum allaturi sint incrementum.

De studiorum ecclesiasticorum Universitatibus.

Placet iuxta modum. In nota 6, pag. 12,[27] de gradibus academicis, bene animadvertitur: « praescriptiones magis particulares non nominantur in Decreto conciliari: videntur enim reservandae peculiari Constitutioni Apostolicae et congruis Ordinationibus quibus Decretum conciliare applicabitur a competente Sacra Congregatione ».

Criterium hoc fortasse circa alia etiam valeret in schemate Decreti inserta.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet iuxta modum. Animadvertimus propositiones multas non unanimitatem sed maioritatem tantum suffragiorum nactas esse. Fortasse — ni fallimur — haesitationis causa nonnumquam timor fuit ne quorumdam praeceptorum promulgatio videri posset tamquam conatus aptandi in quibusdam ad Occidentalium formam Orientalium disciplinam: quod menti Ecclesiae — uti pro certo constat — non respondet.

Propterea, leges unanimiter probatae Concilii sanctione firmentur; cetera remittantur ad locorum Hierarchias, ad Synodus vel ad legitimas consuetudines Ecclesiae Orientalis.

---

[27] Cf. p. 822.

II

EM.MI P. D. IOANNIS CARD. D'ALTON
Archiepiscopi Armachani

De Dioeceseon partitione.

Placet.

De episcoporum coetu seu conferentia.

Placet iuxta modum. 1) Velim ut Conferentiis Episcoporum concedatur potestas dandi *interpretationes authenticas* decretorum Conciliorum Plenariorum.

2) Meo iudicio *normae* in Conferentiis Episcoporum latae multam vim et utilitatem amittent si confirmatio a singulis Episcopis in propriis dioecesibus expectari debet ut efficaciam iuridicam in singulis dioecesibus habeant. Velim, ergo, salvo meliori iudicio, ut loco: « Unusquisque Episcopus pro sua prudentia et discretione normas in Coetu Episcoporum latas, vi iuridica in propria dioecesi fulcire potest » potius diceretur: « Normae in Coetu Episcoporum latae praesumuntur fulcitae cum vi iuridica ab unoquoque Episcopo pro sua dioecesi nisi contrarium constet ».

De rationibus inter Episcopos et SS. C. R. Congregationes.

Placet iuxta modum. Quoad III, num. 2, non omnino concedo quod facultas stabiliter Episcopis concedi debet in omnibus casibus in quibus gratia a Sancta Sede semper conceditur vel in quibus solum fundamentum iudicii de merito petitionis est commendatio Episcopi. Etenim nonnunquam ipsum factum quod recursus debet fieri ad Sanctam Sedem utilissimum est ad inculcandum momentum gratiae et ad avertendum periculum ne petitiones multiplicentur. Velim, ergo, ut verbum « generaliter » inseratur ante verbum « concedatur » linea 5, pagina 8.[1]

De rationibus inter Episcopos et Parochos.

Placet iuxta modum. 1) Quoad Sectionem II, num. 7, placet additio a Commissione de Episcopis et de Dioeceseon Regimine, nota 12, proposita, sed velim ut addatur: « Tamen parochus amotus ius habet recursum faciendi intra mensem ad Sanctam Sedem ad instandum ut alio, vel meliore, modo ipsi post amotionem provideatur, sive translatione ad aliam paroeciam sive aliter ».

---

[1] Cf. p. 543.

2) Litterae capitaneae (« Illum » et « Eo ») pro Episcopo, linn. 28 et 32, pag. 7,[2] non placent.

3) Meo iudicio verba « vel persona moralis » in definitione parochi, lin. 31, pag. 6,[3] melius omitterentur cum totum hoc pulcherrimum caput tractet primario de parocho qui est persona physica. Satis consulitur notioni parochi qui est persona moralis alio modo et alio loco. Sat manifestum est ex contextu hic non agi de definitione iuridica.

De Parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet iuxta modum. 1) Velim ut, ad normam canonis 1336, religiosi exempti tenerentur normis ab Ordinario loci latis quoad conciones intra Missas et non tantum quoad instructionem catecheticam ut in V. Incommoda oriri possunt si in ecclesiis paroecialibus conciones habentur intra Missas et non in ecclesiis regularium. Velim, ergo, ut numero II addatur: « Religiosi quoque, etiam exempti, normis ab Ordinario loci hac in re latis tenentur, ad normam canonis 1336 C.I.C. ».

2) Agendo de frequentatione scholarum acatholicarum velim ut, sicut in canone 1374, clare dicatur Ordinarium loci esse *iudicem* necessitatis in casu. Velim, ergo, ut numero VII, lin. 26 dicatur: « ... frequentent, nisi in casu necessitatis, *de qua iudicat Ordinarius loci,* et cautelis adhibitis ab eodem Ordinario statutis ... etc. ».

3) Numero XXII velim ut inserantur verba « sed prudenter » ut sic: « ... parochus enixe, *sed prudenter,* satagat ut fideles, qui cum hominibus materialismo vel atheismo inquinatis conversantur, in vivacem inserantur paroeciae communitatem ... » ne lupus in ovile ab ipso parocho introducatur.

4) Agendo de parocho ut sacerdote velim ut inserantur haec vel similia verba: « Studeat parochus ut in divinis officiis peragendis ea eluceat dignitas et decor, tam in verbis pronuntiandis quam in actionibus peragendis, qua fideles adiuvantur ad sensum et saporem Sacrae Liturgiae percipiendum ».

De Praeceptis ecclesiasticis.

Placet iuxta modum. 1) Quoad opera diebus dominicis et festis vetita forsitan bonum esset addere sub paragrapho *a*): « Tamen non prohibetur quin, recreationis causa, tales labores per duas vel tres horas domi exerceantur, v. g. in horto domestico, dummodo nullum exinde lucrum directe percipiatur ».

---

[2] Cf. p. 578.
[3] Cf. p. 578.

2) Nova forma legis ieiunii non placet. Etenim norma data — quod in comestionibus, quarum numerus non limitatur, « quantitas ciborum sumatur aliquatenus minor quam consueta » — legem ieiunii omnino nugatoriam facit. Omnino requiritur, meo iudicio, norma magis stricta et praecisa, v. g. « ... in duabus comestionibus quantitas ciborum sit infra limites a Conferentiis Episcoporum pro variis nationibus et regionibus determinatas, servatis usibus vel moribus probatis locorum ». Apud nos in Hibernia consuetudo, ab Episcopis declarata, ita rigorem antiquae legis mitigavit ut lex ieiunii (permittens duas comestiones infra quantitatem determinatam) generaliter observetur.

3) Apud nos causa magis frequens petitionum dispensationum a lege ieiunii vel abstinentiae est occasio alicuius celebrationis, ut v. g. anniversaria. Hic generatim agitur de dispensando aliquod *coetum* qui non est « familia » sensu canonis 1245. Ergo velim ut explicite declaretur Ordinarium et parochum posse « *singulos fideles, vel coetus fidelium* vel etiam totam dioecesim (paroeciam) » dispensare.

De aliquibus institutis status perfectionis in particulari.

Placet.

De vocatione religiosa.

Placet.

De statibus perfectionis adquirendae. Pars II, Sect. I, Capp. XI, XII.

Placet. 1) Multum placet expositio genuinae notionis oboedientiae religiosae.

2) Forsitan bonum esset si, pag. 16,[4] lin. 30, loco « externo » diceretur « tam interne quam externe » ut sic: « Domus religiosae ... indolem religiosae paupertatis tam interne quam externe praeseferant ... ».

De statibus perfectionis adquirendae. Pars II, Sect. I, Capp. XIII-XV.

Placet iuxta modum. Ut unitas apostolatus melius servetur et ut Conferentiae Superiorum debitum fructum producant, velim ut paragrapho 34 quaedam verba inserantur: « Sacros Praesules qua par est reverentia prosequantur, *eorum menti in iis quae pertinent ad bonum Ecclesiae et apostolatus fideliter obtemperent* ... ».

De Vocationibus Ecclesiasticis fovendis.

Placet iuxta modum. Velim ut aliqua descriptio, saltem generalis, vocationis ecclesiasticae, daretur, ad instar pulcherrimae descriptionis

[4] Cf. p. 698.

vocationis religiosae quae continetur in Schemate « De Vocatione Religiosa » par. 18-19.

De Sacrorum Alumnis formandis.

Placet iuxta modum. Velim ut isti Tractatus theologiae dogmaticae quae ad vitam hominis se referunt, ut v. g. Tractatus De Gratia, De Sacramentis, De Virtutibus, De Novissimis, in aliquo cursu continuo exponerentur, veluti « theologia vitae christianae » qui cursus esset velut complementum theologiae moralis stricte dictae.

De Universitatibus catholicis.

Placet.

De studiorum ecclesiasticorum Universitatibus.

Placet. Quamvis optime statuitur ut secundus ordo studiorum, post Baccalaureatum peragendus, consistat in studio sectionis particularis, velim tamen ut in examini pro Licentia examen « de universa theologia » retineretur quia praeparatio pro hac examine optime conducit ad conspectum generalem unitatis totius theologiae adquirendum.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet.

III

EM.MI P. D. IOSEPH CARD. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopi Guadalajarensis

De Dioeceseon partitione.

Placet.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet.

De ratione inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Cap. III, n. 8, pag. 9,[1] lin. 22, placet ad modum, scilicet excepta irregularitate expressa in can. 984, n. 4.

---

[1] Cf. p. 544.

Cap. IV, n. 5, pag. 10,[2] lin. 30 et pag. 11,[3] linn. 1 et 2, non placet.

Cetera omnia placent.

De ratione inter Episcopos et Parochos.

Placet. In cap. II « De Parochorum stabilitate », n. 7, pag. 10, lin. 29, additio proposita a Commissione De Episcopis et de Dioeceseon regimine placet.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet.

De Praeceptis Ecclesiasticis.

Caput I. Placet.

Caput II. Usque ad n. 4, placet.

Caput II, n. 5. Placet iuxta modum: id est, pag. 5,[4] lin. 3, loco: « qui mane legitime sunt impediti » dicat: « qui mane non audierunt ».

Ratio: non videtur requiri aliquod legitimum impedimentum ut Missa mane non audiatur: non videtur inconveniens in eo quod aliquis fidelis pro commoditate auditionem Missae ad vesperam relinquat.

Caput II, n. 6. Placet iuxta modum: pag. 5, n. 6,[5] lin. 6, addere haec verba: « enixe suadetur *quamquam non teneantur* ».

Cetera usque n. 19, Placent.

N. 20. Placet iuxta modum. Scilicet Feriis IV et VI Quadragesimae.

Reliqua placent.

De aliquibus Institutis status perfectionis in particulari.

Capita VII et VIII. Placet.

De vocatione religiosa.

Caput IX. Placet.

De accommodata renovatione vitae religiosae.

Capita XI et XII. Placet.

Capita XIII, XIV et XV. Placet.

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet.

---

[2] Cf. p. 545.
[3] Cf. p. 545.
[4] Cf. p. 618.
[5] Cf. p. 619.

De studiorum ratione in Seminariis.

Nn. 1 et 2. Placent.

N. 3. Placet iuxta modum: scilicet in linn. 21 et 22 « aequa fruentes remuneratione alienis officiis sint liberi » addendum videtur « in quantum fieri potest ». Saepe dioeceses competenti numero sacerdotum carent etiamque penuria laborant.

Reliqua placent.

De Universitatibus Catholicis.

Placet.

De Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus.

Non audeo opinionem emittere de hac re. Experientiam non habeo.

De Ecclesiae Praeceptis.

I, usque ad n. 5: Placet.

N. 6: Placet iuxta modum, scilicet suadendum est « de consilio » non « de mandato ».

N. 7 et II, III, IV, V: Placent.

IV

EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet.

De praeceptis ecclesiasticis.

Placet.

V

EM.MI P. D. PETRI TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopi Tokiensis

De Dioeceseon partitione.

Placet.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

Placet.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet.

De praeceptis ecclesiasticis.

Placet.

De aliquibus Institutis status perfectionis in particulari.

Cap. VII, VIII: Placet.

De vocatione religiosa.

Cap. IX: Placet.

De ipsa vita religiosa renovanda in genere et in particulari.

Cap. XI, XII: Placet.

De Constitutionibus, de Institutis, de habitu religioso.

Cap. XIII, XIV, XV: Placet.

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet.

De sacrorum alumnis formandis.

Cap. IV: Placet.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

Cap. I: Placet.
Cap. II: Placet.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet.

VI

B.MI P. D. STEPHANI I SIDAROUSS
Patriarchae Alexandrini Coptorum

... Après examen détaillé des divers schémas, je suis heureux d'y souscrire, sauf pour le dernier point « Les questions des Eglises Orientales ».

Propositum de Ecclesiae Praeceptis.

I, De diebus festis: probatus.

II, De abstinentia et ieiunio: ad IX, 11 je suggère « vigesimo primo ad inceptum sexagesimum » comme au schéma de S. Em. le Card. Ciriaci « De praeceptis ecclesiasticis », n. 23, lignes 13 et 14.

III, IV et V: approuvés.

* * *

1) De Statibus Perfectionis ... Pars Prima, Doctrina de Statibus Perfectionis, Sectio Secunda, De aliquibus Institutis ... Capita VII, VIII;

2) De Statibus Perfectionis ... Pars Prima, Doctrina ... Sectio Tertia, De Vocatione Religiosa, Caput IX (unicum),

expriment parfaitement mon sentiment sur les Etats de Perfection et la Vocation Religieuse, je ne trouve rien à retoucher.

VII

B.MI P. D. MAXIMI IV SAIGH
Patriarchae Antiocheni Melchitarum

De Dioeceseon partitione.

J'approuve en général ce Schéma présenté par la Commission « de Episcopis et dioeceseon regimine ». Je me permets cependant de faire les observations suivantes:

1) Art. 1 (pag. 6).[1] Cet article entend définir ce qu'est un diocèse. Très heureusement, il souligne que le diocèse est une Eglise, au sens particulier du mot, confiée à un Evêque, qui est un successeur des Apôtres, pour la régir, ajoute-t-il, « sub Romani Pontificis auctoritate ».

[1] Cf. p. 496.

Nous pensons qu'il faut compléter cette définition en disant: « *sub Romani Pontificis auctoritate aliorumque qui, iure ecclesiastico, potestate supra-episcopali gaudent* », comme sont les Patriarches, les Archevêques, les Métropolites, etc. ... En effet, il n'est pas exact de présenter le Pape comme ayant seul un pouvoir supra-épiscopal dans l'Eglise. D'autre hiérarques jouissent également de ce pouvoir, mais seulement de droit ecclésiastique.

2) Art. 6, § 1 (pag. 6). Ce paragraphe voudrait confier à une Commission épiscopale dans chaque pays le soin de proposer au Saint-Siège de nouvelles délimitations des diocèses. On sait que les changements des limites des diocèses ne sont pas réservés en droit oriental au Saint-Siège directement. Aussi faut-il amender comme suit le texte du Schéma: « Sanctae Sedi *vel alii auctoritati competenti ad normam iuris* proponat ».

3) Art. 8, § 2 (pag. 7).[2] La même observation vaut pour ce paragraphe où il s'agit de l'union « également principale » de deux diocèses. Comme cette affaire, en droit oriental, n'est pas réservé au Saint-Siège directement, il faut amender le texte du Schéma comme suit: « nisi Sedes Apostolica *vel alia competens auctoritas ad normam iuris,* aliter decreverit ».

4) Art. 12 (pag. 7). Cet Article envisage de créer dans chaque pays une Commission d'Evêques chargée de proposer au Saint-Siège toutes les mutations nécessaires dans les limites des diocèses, restant saufs les droits de l'Eglise orientale. Nous pensons que, même pour l'Eglise latine, la constitution d'une telle Commission est inopportune. Nous proposons que ce travail soit de la compétence de la conférence épiscopale nationale elle-même. Inutile de créer de nouveaux organismes...

5) Art. 13, § 2 (pag. 8).[3] Ce paragraphe envisage la possibilité de créer des diocèses personnels pour les fidèles d'un rite différent. Mais les termes qu'il emploie nous paraissent inadéquats parce que trop faibles ou élastiques: « *erigi poterunt* ». Ce paragraphe doit être harmonisé avec un article déjà présenté par la Commission des Eglises Orientales où l'on dit que toutes les fois que le nombre des fidèles d'un autre rite est suffisant et que le bien des âmes l'exige, *il faut* pourvoir au maintien et au développement des rites orientaux par la création de diocèses personnels. L'Eglise latine s'est partagée le monde entier, de telle sorte qu'il n'y a pas un seul coin de terre qui ne soit pas soumis à une juridiction latine. Même là où il n'y avait qu'une seule juridiction catholique orientale, on a créé en faveur des latins une juridiction latine, doublant ainsi la hiérarchie catholique locale. Par contre, même pour

---

[2] Cf. p. 497.
[3] Cf. p. 498.

des dizaines de milliers de catholiques orientaux, la hiérarchie latine de certains pays refuse encore de laisser créer par le Saint-Siège un diocèse personnel de rite oriental, sous prétexte qu'elle veut rester seule et libre de ses mouvements sur son territoire. L'histoire moderne des Eglises orientales catholiques offre encore de nombreux exemples de telles mesures discriminatoires qui frappent injustement les catholiques de rite oriental, surtout aux Indes et en Amérique. Nous pensons que le Concile doit, en employant des termes plus catégoriques, inviter à la création de ces diocèses personnels de rite oriental, toutes les fois que le nombre des fidèles le permet et que le bien des âmes l'exige, de manière que la longue opposition de certains Evêques territoriaux leur paraisse enfin préjudiciable au bien de l'Eglise. Dans les pays d'émigration, nos frères orthodoxes, possédant leur hiérarchie, s'organisent et se développent. Nous au contraire, parce que catholiques, nous nous voyons privés de hiérarchie, ce qui, non seulement nous met en état d'infériorité par rapport aux Orthodoxes, mais nous empêche d'assurer le service spirituel de nos fidèles et la surveillance efficace de nos prêtres. De là un vrai désarroi dans nos paroisses de la diaspora; et comme conséquence, perte de nos enfants dans beaucoup de localités.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

J'approuve le Schéma dans son ensemble. L'idée d'encourager les conférences épiscopales sur le plan national rejoint une des préoccupations de l'Eglise orientale catholique: celle de restaurer dans le catholicisme l'idée et l'exercice de la collégialité épiscopale. L'Eglise n'est pas formée d'individus reliés directement à la tête, ni même d'Evêques directement et exclusivement soumis au Pape. L'Eglise est un corps organique, constitué non de cellules individuelles et d'une tête, mais d'organes, diversement constitués, diversement groupés, diversement fonctionnalisés. Les Evêques ne sont pas responsables de leur seul diocèse; collégialement, ils sont responsables aussi de l'Eglise de leur pays et même de l'Eglise universelle.

Je crois devoir faire cependant les observations suivantes sur le texte du Schéma qui nous est présenté:

1) Page 6,[4] n. 3. En Orient, il faut prévoir des conférences ou synodes épiscopaux sur un double plan: d'abord des synodes d'une Eglise ou rite déterminé, ensuite des synodes de tout l'épiscopat catholique indépendamment du rite. Les premiers, à savoir les synodes rituels, dépassent généralement les frontières d'une nation. Les seconds peuvent

[4] Cf. p. 520.

utilement être restreints à une nation déterminée. Il serait également bon de prévoir pour l'Orient des synodes patriarcaux inter-rituels.

2) Page 7,[5] III, n. 1. Les décisions de ces conférences épiscopales, est-il dit, n'ont pas de valeur juridique. En réalité, je ne vois pas pourquoi ces conférences, qui réunissent tout l'épiscopat d'un pays, ne pourraient pas prendre des décisions ayant force obligatoire, du moment qu'elles ne vont pas contre le droit commun de l'Eglise. Avec la tenue annuelle ou fréquente de ces conférences, les synodes ou conciles pléniers seront plutôt rares. Pourquoi alors ne pas accorder à ces conférences la valeur juridique qu'ont les décisions des conciles pléniers, d'autant plus que, constitutionnellement, rien ne différencie les conférences épiscopales des conciles pléniers?

3) Page 8,[6] III, n. 3. Il est dit que si, dans ces conférences épiscopales, une question exige une solution juridique, il faut s'en rapporter au Saint-Siège et s'en tenir à sa décision. Il me semble que la réunion plénière des évêques de toute une nation possède bel et bien un pouvoir législatif. Il serait souhaitable de reconnaître aux synodes d'évêques, même dans l'Eglise latine, un vrai pouvoir dans l'Eglise, sans que leurs décisions ne puissent avoir force obligatoire que par le recours au Saint-Siège. Ce qu'un évêque peut faire dans son diocèse, où il jouit de pouvoir législatif, comme le reconnaît le n. 4 de ce paragraphe, tous les évêques d'un pays le peuvent collègialement pour l'ensemble de leurs diocèses. La confirmation papale n'est nécessaire que de droit ecclésiastique récent. Dans l'antiquité ecclésiastique, même en Occident, des synodes provinciaux ou régionaux se sont tenus et ont pris des décisions ayant force de loi pour la province ou la région, sans qu'on ait cru nécessaire une confirmation du Pontife Romain. Il serait bon de faire un peu marche-arrière et de reconnaître aux évêques, pris individuellement ou collégialement, les pouvoirs que leur reconnaît la tradition authentique de l'Fglise. Cela contribue à la décentralisation qui est nécessaire dans l'Eglise.

4) Page 8,[7] IV, n. 2. Le Schéma n'envisage que des conférences épiscopales à l'échelon national. Aujourd'hui les congrès internationaux se multiplient. Pourquoi l'Eglise catholique serait-elle la dernière à profiter de l'avantage de ces réunions internationales? Des congrès ou conférences d'évêques, sur le plan régional ou continental, seraient utiles.

---

[5] Cf. p. 521.
[6] Cf. p. 521.
[7] Cf. p. 521.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Ce Schéma pourrait être intitulé: « De la décentralisation dans l'Eglise ». Il marque le désir de reconnaître de plus amples pouvoirs aux évêques, en même temps que de restreindre les compétences, trop larges à notre avis, des dicastères de la Curie Romaine.

I. Ce qui nous paraît être le moins heureux dans ce Schéma, c'est son *préambule*. Des doctrines y sont insinuées qui nous paraissent pour le moins contestables.

1) Ainsi, après avoir affirmé, dans le premier alinéa, que l'épiscopat provient immédiatement du Christ, le préambule continue: « Iurisdictio particularis, quam singuli Episcopi vi officii pastoralis in suas dioeceses exercent, a Romano Pontifice, *tanquam ex causa proxima,* est derivanda ». Cette théorie, qui fait du Pontife Romain la source immédiate du pouvoir pastoral des évêques sur leurs diocèses, n'est d'abord nullement un dogme. Elle n'est même pas une conséquence nécessaire d'un dogme, car la primauté romaine n'inclut pas nécessairement, que le Pape soit la source de tout pouvoir épiscopal dans un diocèse déterminé. Etant de droit divin successeurs des Apôtres, les Evêques reçoivent leur pouvoir sur un diocèse déterminé de par l'autorité qui a présidé à leur élection ou à leur nomination. En Occident, depuis de nombreux siècles — mais pas depuis toujours — aucun évêque n'est désigné que par l'intervention définitive du Pontife Romain. Aussi la théorie dont se prévaut le préambule a pu trouver dans cet usage canonique contingent un certain fondement. Mais en Orient, il est reconnu unanimement que les évêques n'étaient ni nommés ni confirmés par les Papes. Cela était reconnu non seulement par les Orientaux, mais par les Papes eux-mêmes qui, dans l'antiquité chrétienne classique, avant les grandes séparations, n'ont jamais avancé que la désignation des évêques ou leur investiture dépendait seulement d'eux, ni explicitement ni implicitement. Sur quoi donc peut se baser la théorie dont fait état le préambule?

Cette théorie, il est vrai, est dite aujourd'hui « doctrine commune ». Nous la qualifierions plutôt de « théorie courante ». Mais, à notre avis, non seulement elle n'est pas définie; mais elle est très contestable, pour ne pas dire plus. Il ne convient donc pas de l'insinuer, comme une doctrine pacifiquement admise par tous, car elle est lourde de conséquences pour un dialogue entre Orient et Occident. Elle fait partie, pensons-nous, de ce lot, toujours croissant, de théories mises en vogue par certains théologiens et canonistes modernes pour exalter à tout prix le pouvoir papal au détriment de celui des évêques.

D'ailleurs, le préambule ne trouve d'autre document pour appuyer

cette théorie qu'une référence à Wernz-Vidal. Nous croyons que cela ne suffit pas, et qu'on ne trouverait pas dans la tradition authentique des Pères de quoi appuyer une théorie aussi excessive. Mieux vaut donc rester dans la ligne traditionnelle du dogme défini par le premier concile du Vatican: le Pontife Romain a un pouvoir direct sur chacun des pasteurs et des fidèles. Mais de cela il ne découle pas logiquement qu'il est la source dernière et exclusive de tout pouvoir dans l'Eglise.

2) Ensuite, le préambule affirme (page 5,[8] lignes 8-10) que le Pontife Romain, de par le droit de sa primauté, « *iurisdictionem episcopalem plus minusve amplificare vel restringere potest* ». Affirmée ainsi sans nuance aucune, cette proposition n'est pas exacte. Il est vrai qu'en vue du bien commun, les Synodes, les Patriarches et les Papes peuvent, jusqu'à un certain point, limiter l'exercice du pouvoir des évêques, pour mieux coordonner leur activité pastorale. Il est vrai aussi que le Pape peut se réserver autant de « causes majeures » que l'exige l'intérêt commun de l'Eglise. Mais il est faut d'insinuer, comme le fait le préambule, que les limites du pouvoir épiscopal dépendent inconditionnellement de la volonté du Pape qui peut les élargir ou les restreindre arbitrairement, ce qui ferait des évêques de simples fondés de pouvoir du Pape, n'ayant d'autres attributions que celles que le Pape veut bien leur donner. *De telles insinuations sont très graves.*

3) Puis, dans son 4e alinéa (page 5,[9] lignes 13-21), le préambule donne les raisons pour lesquelles les Papes se sont réservé des « causes majeures ». Il faut dire que l'extension excessive de ces « causes majeures » a été la principale raison de l'excessive centralisation romaine, dont se plaint aujourd'hui presqu'unanimement le monde catholique. Avant de réserver au Pape une « cause majeure », il faut s'assurer que cette réservation est exigée par le bien supérieur de la Sainte Eglise, et non pas par le désir humain de « centraliser ». Tout pouvoir a une tendance naturelle à accaparer le plus d'attributions possible, aux dépens des autres pouvoirs. A un courant de centralisation qui, pour certaines raisons historiques contingentes, a dominé les organismes romains pendant des siècles doit faire suite maintenant un courant de décentralisation, pour le plus grand bien de l'Eglise catholique et des organismes romains eux-mêmes.

4) Enfin, le préambule, faisant suite aux vœux presque unanimes des Prélats et des Université catholiques, propose *que de plus amples facultés soient concédées aux Evêques.* A ce sujet, nous nous permettons

---

[8] Cf. pp. 541-542.

[9] Cf. p. 542.

de faire remarquer qu'il ne faut pas concevoir le pouvoir des Evêques comme l'ensemble des *facultés* qui leur sont concédées par le Pape. Un évêque, dans son diocèse, devrait avoir tous les pouvoirs nécessaires à son ministère apostolique, sauf réservation de certains cas aux synodes, à son Patriarche ou Métropolite ou au Pontife Romain. Il ne s'agit pas de *donner* aux Evêques des pouvoirs que, par eux-mêmes, ils n'auraient pas; il s'agit plutôt d'énumérer les cas que l'on croit, pour le bien commun, *réserver* à l'autorité supra-épiscopale. Plutôt donc que de dresser une liste de *facultés,* quinquennales ou autres, il s'agit plus exactement de mettre à jour, en la restreignant considérablement, une liste de *réserves* qui soient vraiment des « causes majeures ». Il ne s'agit pas de *donner davantage* aux Evêques; il s'agit de leur *ôter moins. Ce changement de perspective est de la plus grande importance.*

II. Passant maintenant au détail des mesures prises pour décentraliser l'Eglise, nous faisons les remarques suivantes:

1) Page 7,[10] ligne 32 et page 8,[11] ligne 1. Le Schéma propose que l'on réserve aux Nonces et Délégués Apostoliques certaines « facultés » plus importantes. Il nous semble que ceci n'est pas opportun, car cela contribuerait encore davantage à faire considérer ces représentants du Saint-Siège comme des super-évêques. Or ceci fausse la vraie notion de l'épiscopat. Ou bien la « faculté » dont il s'agit peut être laissée à l'Evêque, ou bien, s'il s'agit d'une chose très grave engageant le bien général de l'Eglise, l'Evêque devra recourir à l'autorité suprême. Mais il ne faut pas faire des représentants du Saint-Siège des sortes de vices-rois, commandant à des « préfets » (évêques) téléguidés par les organismes centraux. Il ne nous semble pas que ce soit là la conception authentique de

2) Page 10,[12] lignes 24-25. De nouveau nous proposons que soit supprimé le « secret du Saint-Office », qui pourrait prêter le flanc à des abus, comme nous proposons la réforme du Saint-Office lui-même, qui doit être réorganisé de manière à éviter les nombreuses plaintes que, justement, de partout on porte contre lui, même si on n'ose pas toujours les dire, à cause du climat de crainte servile que le Saint-Office à créé dans l'Eglise.

3) Page 12.[13] Après le paragraphe 4, il faut ajouter, parmi les réformes proposées, *l'internationalisation de la Curie Romaine.* Le gouvernement central de l'Eglise et la représentation extérieure du Saint-

---

[10] Cf. p. 543.
[11] Cf. p. 543.
[12] Cf. p. 545.
[13] Cf. p. 545.

Siège sont de fait réservées aujourd'hui, à raison de 75% au moins, aux Italiens qui sont tentés de considérer un peu le Saint-Siège comme un patrimoine de famille, une source de revenus et une occasion de faire carrière. Une internationalisation de la Curie élargirait les horizons du gouvernement central, permettrait un croix plus large dans le personnel, amènerait un renouveau salutaire dans les conceptions et ferait apparaître l'Eglise comme vraiment et effectivement catholique. Il y a encore dans la Curie Romaine trop de chauvinisme national. Nous n'avons rien contre les Italiens, dont nous estimons au contraire les belles qualités humaines, mais nous devons affirmer qu'ils ne sont pas toute l'Eglise catholique et qu'ils ne doivent donc pas en avoir le monopole. Ce sont les choses que tout le monde pense au fond de son cœur et dont on parle en petits comités, mais que malheureusement peu de chefs ecclésiastiques osent exprimer ouvertement, pour éviter des ennuis et des inconvénients qui pourraient leur arriver. Pour nous, nous devons à notre conscience, à Dieu et à l'Eglise d'être très francs, sur ce point comme sur tous les autres, même au risque de déplaire aux personnes qui nous sont le plus chères. Les remarques que nous venons de faire sur ce Schéma sont de nature *très grave*. Si certains théologiens tiennent à faire passer au sujet de la Papauté des idées qui ne correspondent pas adéquatement au dogme et que l'on fait campagne pour les faire passer, nous courons grand risque de voir le résultat de ce Concile échouer lamentablement au point de vue de l'Union des Chrétiens. Bien plus, nous aurions créé définitivement un obstacle insurmontable à l'Union entre l'Eglise Orientale et l'Eglise Occidentale. Il y a là de quoi faire trembler toute âme qui aime Notre-Seigneur et veut réaliser son divin désir d'unité.

De praeceptis ecclesiasticis.

Au sujet de ce Schéma, je ferais seulement deux petites remarques:

1) Il faut dire de quelque manière, dès le début, que ce Schéma ne concerne que l'Eglise latine. Aussi bien un Schéma semblable est-il prévu pour les Eglises orientales.

2) Page 4,[14] ligne 1. « Dies festi sub praecepto in *universa* Ecclesia sunt ... ». Au lieu de « *universa* », il faut mettre « *latina* ». Dans le Code, plus d'une fois on confond ainsi « Ecclesia universa » avec « Ecclesia latina ». Sans vouloir y découvrir l'indice d'une mentalité, qui ne voit dans l'Eglise catholique que la seule branche latine, il vaut mieux en tout cas éviter la confusion des termes.

[14] Cf. p. 618.

VIII

B.MI P. D. PAULI MÉOUCHI

Patriarchae Antiocheni Maronitarum

De statibus perfectionis adquirendae: Cap. XIII, XIV et XV.

Le Schema *de Statibus perfectionis adquirendae,* pars secunda, sectio prima, n. 30, parle de la nécessité d'une union plus étroite entre les instituts religieux et d'une fusion totale de ceux dont les recrues se font rares, et qui ont, par ailleurs, le même but et le même idéal.

Je ne peux qu'applaudir à une telle affirmation et à un tel désir. Je souhaite, en effet que soient unifiées les trois Congrégations maronites qui vivent au Liban sur un même territoire, avec le même but, la même liturgie, les mêmes constitutions et le même champ d'apostolat. Et cela pour les raisons suivantes:

a) Le monde, pour vivre, cherche à s'unifier de plus en plus. Nos divisions en plusieurs congrégations qui ont eu des raisons historiques connues, n'ont plus de raison d'être.

b) L'effectif peu nombreux des recrues des trois Congrégations devrait favoriser cette unité. Le travail apostolique ne pourrait qu'en profiter.

c) L'évolution sociale de ces Congrégations serait alors plus facile, soit pour l'administration des biens, soit pour la création d'œuvres plus en conformité avec les besoins de l'heure. Et si cela se faisait, l'unité attirerait nombre de vocations.

d) La course aux fonctions à l'intérieur des Congrégations pourrait diminuer, et l'on serait à même de trouver dans le nombre de meilleurs supérieurs qui rendraient à la Communauté, au pays et à la religion plus de services.

* * *

Au n. 34 du même Schéma, il est parlé des Instituts qui dépendent directement du Saint Siège. Ne faudrait-il pas revenir, pour ce qui concerne les maronites, à ce que les Congrégations religieuses qui dépendaient du Patriarche avant la si longue et presqu'inefficace visite apostolique, en dépendent de nouveau. Et cela pour plusieurs raisons:

a) dans l'esprit qui guide le Concile du Vatican II, il y aurait alors décentralisation;

b) le Patriarche pourrait suivre de près leur évolution et leurs problèmes et leur donner les conseils circonstanciés requis. On éviterait de la sorte l'existence d'un état dans l'état;

c) on redonnerait ainsi au Patriarche l'autorité que l'Histoire a consacrée, d'autant que les religieux ont toujours été les soldats du siège patriarcal;

d) ces Congrégations suivies de près pourraient rendre davantage.

* * *

De praeceptis ecclesiasticis.

Dans le Schéma *De praeceptis ecclesiasticis,* il est souvent parlé des Conférences régionales des Evêques, qui auront à statuer en matière de fêtes chômées et autres, sans qu'on ajoute ici, comme on le fait ailleurs: salvis iuribus Ecclesiae Orientalis.

J'aurais voulu que l'une des Commissions qui a touché à l'étude du rôle du Patriarche, en vienne à préciser ce rôle sur le plan juridique: par rapport à ses Evêques, par rapport aux fidèles des différents Diocèses de son territoire, par rapport aux interventions directes ou indirectes qu'il pourrait avoir à faire dans ces différents diocèses.

Le rôle du Patriarche se réduit-il à une simple représentation, à une préséance ou bien à un rôle effectif et bien déterminé sur le plan juridique?

* * *

La question de la *crematio* dont le même Schéma parle au n. 36 et dont l'étude a été désirée par les prêtres des Diocèses d'Autriche, pose à la mentalité orientale plus d'un problème:

a) la *miratio populi christiani,* tout d'abord;

b) ensuite: jusqu'à présent on luttait contre les peuples paiens qui pratiquaient cette *crematio* et on les condamnait. Il y aurait à opérer maintenant une *conversio mentis* difficile pour des peuples chez qui le sentiment d'une part et le culte des morts d'autre part, jouent un gran rôle.

Pour ces raisons, je ne serai pas d'avis que la crematio soit introduite chez nous.

* * *

Quant à la bénédiction nuptiale donnée *intra Missam* (cf. même Schéma, n. 35) l'habitude n'en existe pas chez nous. De plus nos cérémonies religieuses, dans l'ensemble, sont trop longues. Tel est l'avis des curés et des fidèles qui me l'ont signalé à plusieurs reprises, soit aux Etats-Unis où j'étais pendant des annés curé de paroisse, soit au Liban où l'on ne cesse de me demander de les abréger. La bénédiction nuptiale ne peut être donnée intra missam, que si on eu soin, au préalable, de la résumer.

* * *

De Ecclesiae praeceptis.

Dans le Schéma *De Ecclesiae praeceptis,* au n. I, pp. 3 et 4, il est parlé des fêtes d'obligation à observer dans toute l'Eglise Orientale.

Je préfère, et cela plus en conformité avec les traditions de notre Eglise, que l'on s'en tienne à la fête de l'Immaculée Conception en remplacement de la fête de la Dormition. Cette dernière prend son fondement dans St Jean Damascène. Mais la fête de l'Immaculé Conception est plus parlante ou cœur oriental et déjà traditionnelle.

IX

Exc.mi P. D. IOSEPH UJCIC
Archiepiscopi Beogradensis

De statibus perfectionis adquirendae: cap. VII, VIII.

Ubi de aestimatione vitae religiosae laicalis agitur, schema dicit pag. 6,[1] lin. 2): Eam Synodus « amplissimis laudibus extollit » etc.

Haec elocutio superlativa mihi minus necessaria videtur.

Etenim: non solent Concilia loqui in superlativis; membra illius institutionis possent periculum subire considerandi se maiores vel meliores prae ceteris institutionibus, quod vitae spirituali minus prodesset.

Puto: sufficeret, si diceretur: Synodus eam libenti animo salutat omniumque aestimationi etc. sicut in schemate.

Maiore sobrietate est exaratus titulus caput VIII, n. 8 (pag. 8,[2] lin. 5) de institutis saecularibus « honorandis ».

Quando Ecclesia aliquod institutum « honorandum » esse proclamat, iam multum dixit quin necessarium sit ad superlativa recurrere.

X

Exc.mi P. D. PETRI THOMAE McKEEFRY
Archiepiscopi Vellingtonensis

De Dioeceseon regimine.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

---

[1] Cf. p. 653.
[2] Cf. p. 654.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De rationibus inter Episcopos et Parochos.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De praeceptis ecclesiasticis.

Ad puncta 35, 36, pag. 10:[1] non placet. De caeteris in voto Eminentissimi Relatoris.

De statibus perfectionis adquirendae.

Cap. VII, VIII: Placet.
Cap. IX: Placet.
Cap. XI, XII: Placet.

Cap. XIII, XIV, XV: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De sacrorum alumnis formandis.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

Cap. I: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.
Cap. II: Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet et in voto Eminentissimi Relatoris.

---

[1] Cf. pp. 621-622.

XI

EXC.MI P. D. CAROLI IOSEPH ALTER
Archiepiscopi Cincinnatensis

De Dioeceseon partitione.

Nn. 1-2: Placent.

Ad n. 3 § 1: Post « decernatur » adiungatur: « a Sancta Sede ».

Nn. 4-11: Placent.

Ad n. 12: Placet iuxta modum. Videtur quod in nationibus quoad geographicam extensionem satis magnis, sicuti e. g. in U.S.A. Septentrionali, saltem tres vel quatuor commissiones distinctae constitui oporteat, quae, una cum Delegato Apostolico coniunctae, iudicium suum Sedi Apostolicae pateant. Est enim fere impossibile quod una tantum commissio episcopalis, ex tribus vel quatuor membris constituta, cognoscere possit circumstantias et adiuncta peculiaria uniuscuiusque regionis.

N. 13: Placet.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Omnia supradicta mihi placent.

De rationibus inter episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

I-II: Placent.

III, 1-5: Placent.

N. 6: Recitatio oportet esse totalis, non tantum tertia pars.

Nn. 7-14: Placent.

IV: Placet.

V, nn. 1-2: Placent.

N. 3: Placet: videtur melius esse ut summa determinetur non absoluta sed relativa, i. e. per percentum redituum vel paroeciae vel dioecesis.

Nn. 4-5: Placent.

VI: Placet.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

Pag. 6,[1] linn. 18-20: Bene.

Pag. 6, linn. 24-30: Admodum desiderabile.

I: Placet.

---

[1] Cf. p. 577.

II, nn. 1-3: Placent.

N. 4, § 1: Placet iuxta modum: i. e. Ordinario solo iudicante in casu an sit causa sufficiens.

Nn. 5-7 (cum nota 12): Placent.

N. 8: Placet iuxta modum: i. e. nisi parochus ipse voluntarie translationem accipiat in ordine promotionis.

N. 9 § 2: Vide II, n. 3, § 1. Non videtur esse necessarium.

N. 10: Placet.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

I-II: Placent.

Ad II, 1), pag. 4,[2] linn. 2-3: Tantum in genere, propter differentiam magnam inter dioeceses. Ad 3), pag. 4, linn. 12-15: Intra missas paroeciales horis designatis celebrandis.

III-XIV: Placent.

XV: Videtur melius esse si haec recreatoria uti interparoeciales fundentur, praesertim in regionibus metropolitis, ad maiora commoda praebenda.

XVI-XX: Omnia placent.

XXI-XXIII: Omnia placent, in quantum humana fragilitas sinet.

XXIV-XXVI: Omnia placent.

Ad XXVII: Oportet quidem quod hae paroeciae personales tantum ad tempus utile erigantur, et non fiant permanentes.

De praeceptis ecclesiasticis.

Nn. 1-6: Placent.

N. 7: Placet: servatis tamen iuribus paroeciae propriae ad sustentationem et ad participationem fidelium vitae paroeciali.

N. 8: Maxime placet.

Nn. 9-10: Placent.

N. 11: Estne periculum aliquod confusionis mentis inter consilium dandum et obligationem ipsam?

Nn. 12-13: Placent.

N. 14. Est periculum quoddam in regionibus mixtae religionis ut rixae et contentiones oriantur, nisi maxima cum prudentia procedatur.

N. 15: Placet.

N. 16: Dummodo universali lege ipsa teneantur.

Nn. 17-23: Placent.

---

[2] Cf. p. 598.

N. 24: Placet iuxta modum. Remittiturne conferentiis Episcoporum regionalibus?

N. 25: Placet iuxta modum: per modum actus tantum?

N. 26: Non placet. Permitti oportet quidem in singulis casibus; sed totam paroeciam dispensare reservari oportet ordinario, nisi recursus sit valde difficilis.

Nn. 27-28: Placent.

N. 29: Placet iuxta modum, i. e. si pueri, iudicante parocho, sufficienter sint instructi, memorato monito S. Pii X.

Nn. 30-36: Placent.

De statibus perfectionis adquirendae, Pars I, Sectio II, Capita VII, VIII.

Omnia placent. In scholis huiusmodi « Fratribus docentibus » ab Ordinario concessis vocationes etiam sacerdotales dioecesanae faveantur, ne attentio alumnorum exclusive dirigatur in Instituta « Fratrum docentium », sicut saepe iam experientia docet praxim apud nonnullas scholas supradictas existere.

De statibus perfectionis adquirendae, Pars I, Sectio III, Caput IX.

Omnia placent. Numerus absolutus vocationum tum religiosorum et religiosarum tum sacerdotalium apud fideles in his Statibus Foederatis Septentrionalis Americae crescit in dies; necessitas tamen scholarum catholicarum multo magis crescit propter peculiares conditiones hic vigentes; etiamque propter necessitatem novarum paroeciarum fundandarum in locis suburbanis.

De statibus perfectionis adquirendae, Pars II, Sectio I, Capita XI et XII.

Omnia placent tamquam criteria procedendi.

De statibus perfectionis adquirendae, Pars II, Sectio I, Capita XIII, XIV et XV.

Omnia placent. Ad n. 42, linn. 21-24: Praesertim secundum consuetudinem loci.

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Omnia placent.

De sacrorum alumnis formandis, Caput IV.

Omnia placent.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis, Caput I.

Omnia placent.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis, Caput II.

Placent. Valde optandum est ut criteria quae necessaria sunt ad seminaria recognoscenda tamquam pontificia, a Sacra Congregatione clare et in specie determinentur. Secus vanum et inutile esse videtur petitionem Sacrae Congregationis Seminariorum submittere pro recognitione Pontificis, tamquam dignam huius honoris obtinendam.

De Ecclesiae praeceptis.

Omnia placent. Ad II (De abstinentia et ieiunio): Oportet ut sit concordans praxis inter ritum latinum et orientalem ritum saltem in regionibus extra territorium orientale.

XII

Exc.mi P. D. LAURENTII LEONIS GRANER
Archiepiscopi Dacchensis

De Dioeceseon partitione.

Placet.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

Placet.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet.

De praeceptis ecclesiasticis.

Placet.

De statibus perfectionis adquirendae.

Capita VII, VIII: Placet.
Caput IX: Placet.
Capita XI, XII, XIII, XIV, XV: Placet.

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet.

De sacrorum alumnis formandis.

Caput IV: Placet.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

Caput I: Placet.
Caput II. Placet.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet.

XIII

Exc.mi P. D. ALBERTI SOEGIJAPRANATA
Archiepiscopi Semarangensis

De Dioeceseon partitione.

a) Dioeceses sint nec nimis magnae et ampliae nec nimis parvae et restrictae ratione territorii et incolarum numeri, variis locorum et personarum aliarumque rerum circumstantiis mature consideratis, animarum bono potissimum spectato.

b) Dioeceses nimis parvae igitur sunt uniendae et componendae in novam maiorem Dioecesim. Dioeceses nimis magnae autem dividendae sunt circumstantiis omnibus diligenter consideratis.

c) Abbatiae nullius et Praelaturae nullius sunt radicaliter supprimendae.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

a) In unaquaque natione constituatur Episcoporum Coetus seu Conferentia, pastoralem characterem habens, quae peculiaribus statutis a Sancta Sede probatis regitur.

b) A Coetu Episcoporum constituatur Consilium permanens, ex ali-

quibus Praesulibus constans, quod ipsam Conferentiam repraesentet in omnibus causis et negotiis eidem concreditis et saltem semel per annum convenire debet. Praepositus Consilii permanentis una cum duobus membris propinquis regimen quotidianum huius Consilii efforment ut in casu necessitatis cum periculo vel magno damno in mora, inconsultis aliis membris, agere possit in nomine totius Concilii permanentis.

c) Decisiones a Coetu seu Conferentia Episcoporum prolatae, iuridice non obligant seu moraliter. Tamen maxima reverentia accipiendae sunt ac religiose servandae, salvis autem characteribus localibus specialibus, ita ut appareat unitas in pluritate et pluritas in unitate.

De rationibus inter Episcopos et Parochos.

a) Episcopum inter et parochum ratio habeatur patrem inter et filium adultum sibi conscium de officiis suis et de responsabilitate sua in munere suo fungendo.

b) Episcopus et parochi unius dioeceseos sunt membra unius Corporis Christi mystici, diversis tamen muneribus temporalibus fungentes, in eundem autem scopum tendentes, nempe unanimiter strenue laborando ad salutem, ad crescentiam atque ad florentiam eiusdem Corporis in regione definita. Illa collaboratio debet esse sincera, simplex et benevola, equidem fructuosa si est fundata in mutua intima cognitione, in mutua aestimatione et in mutua caritate fraterna, quae alitur per continuam negationem sui.

c). In serviendo Dioecesi suprema lex Episcopo est salus animarum et ovium et agnorum. Quam ob rem sublata immobilitate parochorum Episcopo sit libertas, consultis semper consulendis et bonum animarum et bonum commune Ecclesiae semper intuendo, disponendi de parochis suis quoad opera et loca.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Exspecto sequentes propositiones approbatum iri.

a) Relationes ad Sacram Sedem mittendae, minuantur, simplificentur, unificentur, coordinentur.

b) Antequam promulgentur acta vel decreta SS. Congregationum in diariis vel ephemeridibus, Ordinariis locorum, quantum fieri potest, nota fiant.

c) Episcopi diversarum nationum, designati a Conferentia Episcopali Nationali, nominentur Consultores SS. Romanae Curiae Congregationum a quibus convocentur statutis temporibus ad communia damna avertenda.

d) Adnitantur SS. Curiae Romanae Congregationes ut Episcopos valide adiuvant in regimine dioeceseos, eis mentem Apostolicae Sedis pan-

dendo, eorum quaesitis plene respondendo, rationes tradendo quibus aliquando eorum petitionibus satisfieri nequit, et omnino intermissis quondam usitatis formulis.

e) Episcopi, vero, consilia ipsasque decisiones SS. Congregationum reverenter accipiant, scientes eadem fulciri rationibus boni communis, ampliori rerum totius Ecclesiae usu, ipsius Romani Pontificis approbatione quoad graviores, necnon, aliquando, necessario tutamine iurium alterius personae.

De praeceptis Ecclesiasticis.

a) De abstinendi ab operibus vetitis obligatione.

Ut mihi videtur melius constituenda est pro diversis locis a Conferentia Episcopali Nationali, approbante Sancta Sede, scopo semper huius legis Ecclesiasticae prae oculis habito, scilicet: debitus cultus Deo exhibendus; necessaria requies corporis et animae percipienda; recreatio honesta vitae familiari et sociali tribuenda.

b) *De obligatione servandi abstinentiam*: pro diversis nationibus et regionum adiunctis praescribenda est a Conferentia Episcopali Nationali, approbante Sancta Sede, intuendo, ut revera spiritus mortificationis, abnegationis, contritionis et paenitentiae interne et externe alatur.

c) *Lex abstinentiae, vel ieiunii, vel abstinentiae simul et ieiunii* cessat diebus dominicis aliisque festis de praecepto, sive ex iure ecclesiastico sive ex *iure tantum civili.* Sunt apud nos festa de praecepto ex iure tantum civili pure nationali quae celebrantur per communem vacationem ab omnibus laboribus pro ministris, et opificibus sive publicis sive particularibus et per quandam festivitatem publicam et particularem.

Sunt etiam festa nationalia de praecepto ex iure tantum civili quae originem habent in religione non christiana vel in antiquiore paganismo, quae tamen adhibentur et celebrantur ab omnibus incolis diversarum religionum. Dantur quoque festa pure religiosa, exempli gratia Islamitica quae publice celebrantur a Gubernio ut festa de praecepto ex iure tantum civili in favorem populi Islamitici, tamen non celebrantur ab omnibus incolis, sed tantum a Mohammedanis. Ultimo in casu puto legem abstinentiae et ieiunii cessare non oportere.

d) *De benedictione sollemni* pro matrimonio celebrando cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus.

Quae propositio clare manifestat spiritum tolerantiae et benignitatis erga non catholicos, qui in usu et conversatione cotidiana magnam sympathiam excitat pro catholicismo. Timeo tamen ne illa benedictio sollemnis catholicos quodam modo stimulet ad contrahendum matrimonium cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis,

quod aeque sollemniter celebratur coram Ecclesia ac matrimonium sine quadam dispensatione. Docente experientia in nostris regionibus tale matrimonium felicem familiam raro efformat propter infidelitatem partis acatholicae, propter indifferentiam religiosam sensim sine sensu ortam et propter carentiam unitatis educationis liberorum.

Quam ob rem dispensatio ab impedimento matrimonii supradicto, est ut mihi videtur quoddam minus malum eligendum. Est tamen et manet quoddam malum. Igitur non tam sollemniter celebrandum.

De Parochorum obligatione quoad curam animarum.

Omnes propositiones huius schematis grato animo et reverenter accipere voto ut normas directivas ad exercendum curam intensivam animarum. Plura tamen opera paroecialia concedenda sunt laicis, qui una cum Clericis paroecialibus responsabiles sunt pro bono communi paroeciae. Realisatio harum normarum directivarum diversa est pro diversis regionibus et nationibus.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

a) Propositiones omnes de studiis etc. a Commissione compositas laudo et magni facio atque valde aptas esse puto ad attingendam mensuram scientificam statutae notae.

b) Concreta programmata sint brevia et clara et a Congregatione de studiis et Seminariis composita. Quae ratione locorum et diversarum nationum postulanda sunt, Conferentiae Episcopali nationali committantur.

c) Exigentiae, a Commissione postulatae, ad obtinendum gradum academicum, mihi altiores esse videntur quam conditiones, quae a pluribus Guberniis civilibus proponuntur. In facultate theologica, a Gubernio civili recognita, illae exigentiae ne minuantur quo facilius favorem agnitionis Gubernii civilis obtineatur.

XIV

Exc.mi P. D. LEONIS ISIDORI SCHARMACH

Episcopi tit. Mostenensis, Vic. Ap. Rabaulensis

De Dioeceseon partitione.

Placet.

De Episcoporum coetu seu conferentia.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes.

Placet.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

Placet.

De parochorum obligationibus quoad curam animarum.

Placet.

De praeceptis ecclesiasticis.

Placet.

De statibus perfectionis adquirendae.

Pars I, Sectio II, Capita VII, VIII: Placet.
Pars I, Sectio III, Caput IX: Placet.
Pars II, Sectio I, Capita XI et XII: Placet.
Pars II, Sectio I, Capita XIII, XIV et XV: Placet.

De vocationibus ecclesiasticis fovendis.

Placet.

De sacrorum alumnis formandis.

Caput IV: Placet.

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

Caput I: Placet.
Caput II: Placet.

De Ecclesiae praeceptis.

Placet.

5 – ANIMADVERSIONES CONSILIARIORUM

I

Exc.mi P. D. ANGELI DELL'ACQUA
Archiepiscopi tit. Chalcedonensis

De Dioeceseon partitione.

1. Quaestio de Dioeceseon partitione, prout heic solvenda proponitur, etsi cogitatione praestantissima maximeque sollicitanda apparet, re tamen vera plurimas atque implexas difficultates secum ferre videtur.

2. Profecto in eadem perpendenda Sacrae Synodi Patres praetermittere non poterunt rationem et multigena adiuncta quibus particulares ecclesiae ortae sunt ac postmodum, pro alterna temporum rerumque vicissitudine, gradatim succreverunt aut immutatae sunt. Qua in re id prae ceteris notatu dignum reperitur, quod singulae ecclesiae aut provinciae ecclesiasticae, in praebendo populo Dei salutis media eiusque mores regendo, aliam ab aliis suae vitae condicionem prae se ferunt, adeo ut ipsum animarum bonum procurandum nonnumquam postulet, etiamsi eaedem ecclesiae aut provinciae sint parvae vel magnae, a qualibet ipsarum suppressione vel divisione abstineri.

3. Videlicet ad Dioeceseon partitionem decernendam, praeter earumdem parvitatem aut magnitudinem, aliae eaeque gravis admodum ponderis causae considerandae sunt.

4. Periculum itaque inesse potest ne partitionis efficiendae praeceptum, una subnixum ratione amplitudinis ecclesiarum, optatos non consequatur exitus, neve fidei pietatisque incrementum apud christifideles, potius quam foveri, praepediatur.

5. Forte satius esset ac Patrum prudentiae magis consentaneum, si principium dumtaxat seu generalis norma urgeretur constituens peculiares ecclesias esse ad bonum animarum ordinatas, proptereaque eas ad idem bonum aptius expeditiusque adipiscendum, singulis in casibus, distribui pro viribus oportere.

6. Ceterum adaucta viarum munitio et vehiculorum hodierna celeritas eo quoque confert, ut sacrorum Antistites facilius crebriusque cum

sibi credito dominico grege communicare eumque per salutis tramitem ducere queant.

7. Liceat demum quaerere num usui sit peculiarem constitui in unaquaque natione Episcoporum Commissionem, « quae, auditis Episcopis quorum interest, videat an et quaenam immutationes circa Dioeceses sint inducendae easque Sedis Apostolicae iudicio subiiciat » (pag. 7 s.,[1] n. 12). Nonne congruentius hoc munere fungeretur Episcoporum Coetus seu Conferentia de qua in alio Decreti schemate expresse cavetur?

De Episcoporum coetu seu conferentia.

1. Agitur heic de constituendis in Codice iuris canonici nationalibus Episcoporum Coetibus seu Conferentiis certisque legibus circumscribendis, « ita ut qui hucusque praeter leges canonicas habiti sunt Conventus, in posterum ex sacrorum canonum praescripto celebrari possint » pag. 6,[2] init.).

2. Ratio autem qua iuris disciplina definiri exposcitur huiusmodi sacrorum Praesulum Collationes, ex praecipuo oritur momento singularique auctoritate — id in schemate sedulo praemonetur — quae nostris diebus eaedem Collationes habent ad populi christiani mores dirigendos et religionis bonum promovendum quod attinet.

3. Abnegandum profecto non est crebriores Episcoporum Conventus recentiore aetate in diversis nationibus celebratas locum quodam modo tenuisse Conciliorum, quae, sive plenaria sive provincialia, ad Codicis iuris canonici praescriptionem convocari debent (cann. 281-292).

Hoc quippe ex ipsa materia elucet quam Patres pro temporum ac locorum necessitate in Collationibus hactenus expendere studuerunt. Elucet praesertim ex disciplina quae iam inducta est per Episcoporum Conferentias in singulis provinciis ecclesiasticis vel regionibus conciliaribus ad normam can. 292 habendas (cf. F. X. Wernz-P. Vidal, *Ius canonicum,* Romae 1928, t. II, n. 542).

4. Quae si in memoriam reducantur, decere confitendum est ut normae de nationalium Conventuum disciplina horum rationes caveant apteque disponant sive cum memoratis Conciliis sive cum regionalibus aut provincialibus Collationibus.

5. Aliqua praeterea in Decreti schemate desiderantur ad Coetuum nationalium Episcoporum institutionem perficiendam. Ex. gr., haud praestituitur tempus quo iidem habendi sunt, licet quotannis generatim

[1] Cf. pp. 497-498.
[2] Cf. pp. 519-520.

cogi consueverint. Item silentio praetermittuntur Romani Pontificis Legati, qui de huiusmodi Coetibus Apostolicae Sedi referre tenentur. Nec tandem edicitur an in Conferentiis statuta Sanctae Sedi recognoscenda vel approbanda transmitti debeant, prouti res postulare videtur saltem quod ad graviora negotia spectat.

6. Cum autem Collationes Episcoporum, de quibus sermo est, stabiles seu permanentes sint, quibus finis inest praecipuus ac praestabilia munera sunt explenda, rationem eas habere personae moralis in Ecclesia opportunum esse existimatur, quem ad modum de cetero sancitur in schemate de statibus perfectionis acquirendae quoad Conferentias Superiorum religiosorum Maiorum (c. XIV, n. 34).

7. Super decisionum autem vi, quae ab Episcoporum Coetibus proferuntur, praecipitur eas non iuridica, sed morali dumtaxat obligatione christifideles afficere (pag. 7,[3] III, n. 1); atque in rebus pro quarum solutione oporteat normas iuridicas ferre, adeundam esse Sanctam Sedem eiusque iudicio standum (pag. 8,[4] III, n. 3).

Nonne praestat certis saltem in casibus, cum videlicet de ipsa Coetuum exsistentia atque agendi ratione deque praecipui ponderis quaestionibus sermo est, istiusmodi decisiones seu deliberata iuridica quoque obligandi vi communiri?

De rationibus inter Episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes.

1. Quod Episcopis, utpote peculiarium ecclesiarum ordinariis et immediatis pastoribus, copia impertienda sit populos sibi commissos efficaciter regendi, pro mutatis hodierni temporis et rerum condicionibus auctisque necessitatibus, perspicuum omnino est. Non possent namque iidem sua munera rite obire, nisi congruis iuribus ac potestatibus fruerentur.

2. Verum quoniam generales Ecclesiae leges bonum gregis Christi commune spectant, consequitur sane ut earundem relaxationes seu dispensationes concedi in casibus peculiaribus seu in privatorum utilitatem nequeant, si detrimentum commune bonum quoquo modo exinde accipiat. Id praesertim, ut in promptu est, contingere poterit cum de rebus potioris momenti seu de causis maioribus agitur.

3. Ne itaque stabiles, quae exoptantur facultatum concessiones unitati catholici populi disciplinae aliquatenus officiat, normae seu rationes praescribantur opus esse videtur quae, in Romana Curia admissae et

[3] Cf. p. 521.
[4] Cf. p. 521.

experientia probatae, a sacris Praesulibus ante oculos habeantur quoties datis facultatibus usuri sint.

4. Eidem vero disciplinae unitati fovendae absque dubio proderit, si de largitarum potestatum usu, saltem ad causas maiores quod attinet, Apostolicae Sedi relationem stato tempore sacri Pastores mittant.

5. At quaestio simul est in praesens de iudiciorum ecclesiasticorum systemate, cuius revisionem fieri edicitur adeo ut, celerius definitis matrimonialibus causis, sententiae citius edantur et patefiant Ordinariis (p. 11,[5] V, n. 4).

6. Neminem sane fugit Ecclesiam, quippe quam veritatis ac iustitiae vindicem, iudicia maxima diligentia navitateque institui ac peragi continenter studuisse, ut sua cuilibet personae tribuerentur iura et prava compescerentur facinora. Hinc mira regularum moles eius auctoritate successivo tempore lata est, quibus hodierna iudiciorum ratio innixa, ad cognoscendas legitime controversias easque decidendas cumulate confert.

7. Quam quidem iudiciorum rationem adhuc perfici et, quoad necessitas vel utilitas animarum postulaverit, immutari posse manifestum est.

8. Verum si quid modo desideratur, ut causae nullitatis matrimoniorum expeditius, prout oportet, dirimantur, id in tribunalium gradibus ordinandis atque in virorum iurisprudentia peritorum deficienti copia reperiri debet.

Quapropter opus esse censetur ut ad causas matrimoniales examinandas tribunalia, ubi desint, constituantur in singulis provinciis ecclesiasticis seu regionibus conciliaribus; simulque in catholicis athenaeis vel Facultatibus iuris canonici congruens ex qualibet provincia vel regione clericorum manus praxi iudiciali perdiscendae ex praescripto operam praestet.

9. Huiusmodi item tribunalibus provinciae seu regionis Episcopi instructiones committant conficiendas in causis super matrimoniis ratis et non consummatis, adeo ut, addito ipsorum voto, quamprimum per Apostolicam Sedem negotium de petita dispensatione absolvi queat.

De rationibus inter Episcopos et parochos.

1. Tametsi praesens Decreti schema, ut ex eius titulo liquet, de rationibus inter Episcopos et parochos directo pertractet, notionem parochi in can. 451, par. I Codicis iuris canonici traditam quadamtenus immutans, nihilominus statuit: « Parochus est sacerdos vel persona mo-

---

[5] Cf. p. 545.

ralis cui, tamquam pastori proprio, officium curae animarum in paroecia sub Ordinarii loci auctoritate exercendae, est collatum » (pag. 6,[6] I, n. 1, par. 1).

In hac igitur notione Generali Synodo servanda defertur tralaticia parochi species quae persona moralis audit.

2. Verum si quis rem penitus consideret, suspensus quidem et aliquali haesitatione affectus tenetur. Namque animarum salus, quae suprema est in Ecclesia lex (pag. 9,[7] II, n. 1), Episcopo adeo competit in sua Dioecesi, ut ipse ius habeat et officium eandem Dioecesim gubernandi, quin cum aliquo, nisi sit Romanus Pontifex, rationem sui muneris rite obeundi conferre debeat.

3. Hoc autem aliquo modo accidere poterit vel ex eo quod animarum cura personae morali sit unita et adnexa, cui privilegium insit vicarium eligendi aut praesentandi ut, confirmatus vel institutus, eam exerceat curam. Omnibus equidem in comperto est tum libertatem parochos constituendi, Episcopi seu loci Ordinarii propriam, externae cuidam condicioni necessario subiici ac propterea nonnihil circumscribi et coartari. Pariter intellegi facile poterunt difficultates et incommoda quae semel atque iterum, nedum Episcopo, sed ipsi animarum saluti exinde afferuntur.

4. Quamobrem optandum omnino est, ut Patres ad Oecumenicum Concilium conventuri iubeant populi christiani curam personis moralibus sensu superius expresso adnexam non amplius admitti.

5. Amotionis parochorum quaestionem ad hodiernas christifidelium necessitates accommodans, Commissio suggerit ut in casu quo Episcopus definitive reiciat rationes a parocho sese opponente forte allatas, haec addatur praescriptio: « et paroecia vacans, abrogato recursu de quo in can. 2146 C.I.C., potest stabiliter de novo pastore ab Episcopo provideri » (pp. 10, 11,[8] n. 7, nota 12).

6. Verumtamen quo pacto salus animarum exigit parochum certis de causis a sua paroecia dimoveri, ita naturalis aequitas exposcit ut amoto parocho integrum semper maneat ius recurrendi, non quidem in suspensivo veluti in praesenti disciplina cavetur, sed dumtaxat in devolutivo ad iudicem Episcopo superiorem, hoc est ad Apostolicam Sedem.

---

[6] Cf. p. 578.
[7] Cf. p. 579.
[8] Cf. p. 581.

De praeceptis ecclesiasticis.

1. Huius Decreti schema, legem perferens abstinentiae simul et ieiunii, id quoque statuit: « Obligatio abstinentiae et ieiunii a die 24, pervigilio Nativitatis Domini, ad diem 23 mensis decembris anticipari potest ad liberam singulorum fidelium voluntatem » (pag. 7,[9] IV, n. 19).

2. Liquido patet quo eiusmodi praescriptum spectet, nempe ut expeditos, pro recepto locorum usu, christifideles efficiat ad memoratam legem religiose servandam. At si obligatio anticipanda privato singularum personarum arbitrio relinquatur, vis legis in periculo versari potest, quatenus optio seligendi unam vel alteram diem christifidelium animo opinionem sensim sine sensu inserire potest non quidem obligationis tempus, verum ipsam praecepti obligationem a libera eorundem potestate pendere.

3. Quocirca suadendum est, ut Vaticani Concilii Patres negotium de anticipanda vel minus dicta obligatione nationalibus seu regionalibus Episcoporum Conferentiis, pro diversa nationum seu regionum consuetudine, ad deliberandum remittant.

4. De parochorum vero potestate quoad ieiunii vel abstinentiae aut utriusque leges idem Decreti schema cavet: « Parochi pariter a praefatis legibus etiam totam paroeciam dispensare valent, si et quamdiu gravis ac iusta causa id requirat » (pag. 8,[10] IV, n. 26).

Ut unitas disciplinae in dioecesi servetur simulque huius rectoris auctoritati prospiciatur, opus esset relatae normae clausulam adici: « deque Ordinarii loci consensu ».

5. Exposcendum praeterea est eandem dispensandi in singulis casibus potestatem fieri pro foro interno confessoribus, cum — ut experientia comprobatum est — saepenumero ab ipsis petatur huiusmodi dispensatio nec facile parochus adiri quandoque possit.

6. Denique ad compensandam quadamtenus praeceptorum ieiunii et abstinentiae mitigationem Sacrae Oecumenicae Synodi auctoritate sanciendam, maximo sane erit usui populo christiano si eadem auctoritate certa quaedam fidei pietatisque opera, quae hodierna aetate late in Ecclesia vigent, expresse impenseque commendentur fidelibus, veluti sunt, praeter commemorata in schemate (pag. 9,[11] IV, n. 27), piae ad templa vel loca sacra peregrinationes, diaetae in asceteriis ad animum virtutibus conformandum, sacri secessus per statos anni dies aeternis medi-

---

[9] Cf. p. 620.
[10] Cf. p. 621.
[11] Cf. p. 621.

tandis rebus, tum in singulis dioecesibus vel paroeciis cum in aliis baptizatorum — imprimisque adulescentium — coetibus, ineundi, aliaque huiusmodi.

De statibus perfectionis adquirendae.

De aliquibus Institutis status perfectionis in particulari.

I. Adumbratur in capite VIII praesentis schematis ius de Institutis saecularibus, quae « primo elapsi saeculi dimidio condi ceperunt » atque « nostro hoc saeculo ... multiplicata silenter sunt, pluresque, satis inter se diversas, formas sive autonomas, sive diversimode Religionibus Societatibusve unitas induerunt » (Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 februarii 1947, AAS, vol. XXXIX [1947], pag. 118 s.).

2. Ut tantae gravitatis negotium accommodate cumulateque hoc iure expediatur, magno erit emolumento quaedam peculiaria attento penitus animo considerari.

3. Omnes quippe norunt quanta sollicitudine Ecclesia postulet, ut qui evangelica consilia per vota obedientiae, castitatis et paupertatis publica profiteri cupiunt, apte per novitiatum informentur « studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas » (can. 565, par. I). Haec namque necessaria prorsus sunt, veluti experientia evincitur, ad frugifere consilia servanda et exoptatam perfectionem persequendam.

4. Praeter quae praesidia, ad perfectionem evangelicam in religiosis Institutis aspirantes aliis fruuntur praecipuis auxiliis, prout habentur vitae communis saeptum atque iugis Moderatorum vigilantia et praesens quasi tutela.

5. Haec omnia apud Institutorum saecularium sodales, varia quidem ratione et mensura, maiora adhuc desiderari videntur.

Quod si perpendatur istos sodales, utpote plerumque solos et cotidianis occupationibus distentos, esse nonnumquam praeter modum pravis saeculi afflatibus et voluptatum blandimentis obnoxios, plane constat ipsos potissimum, prae iis qui in religionibus degunt, praesidiis indigere ad seriam atque efficacem — uti oportet — virtutibus christianis assequendis operam dandam.

6. Ideoque peropportunum esset si Sanctae Synodi Patres, inter alia de acquirenda in saeculo perfectione normas, hanc praecipuam conderent de idonea sodalium institutione deque congruis praesidiis quibus

ipsi sedulo connixi ad evangelicam perfectionem contendere revera valeant.

7. Secundum apparata schematis praecepta, Instituta saecularia Ordinariis locorum, quibus subiecta erunt, « de iure innotescunt, potest tamen haud raro iuvare, immo aliquando omnino necessarium esse ut sodalium nomina vel ipsa centra ceteris prorsus ignota maneant » (pag. 10,[12] n. 13).

8. Ut vere dicatur, praescriptum hoc de secreto tegendis sodalium nominibus ipsisque Institutorum saecularium centris nostra quidem aetate haud satis intellegitur. Quin de gravibus incommodis loquamur, quae inde exoriri nonnumquam possunt, regula ista praecepto Domini adversatur quod sonat: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est » (Mt. V, 16).

9. Praeter itaque gravia vel extraordinaria rerum adiuncta, quae in aliquibus locis habentur, ex. gr. ob catholicorum insectationes aliasque eiusmodi causas, ipsum christianorum commune bonum exigit ut, quem ad modum religiosa Instituta, ita haec saecularia palam elaborent malis seu scandalis, quae tam late patent et pervulgantur, depellendis.

10. Duae insuper recensentur saecularium Institutorum clericalium classes, eorum videlicet quorum sodales incardinationem propriae dioecesi retinent et eorum quorum sodales eandem non retinent (pag. 10 s.,[13] n. 14 s.). In priorum sodales Ordinarii loci auctoritas nullo sub respectu imminuenda, sed potius novo vinculo firmanda est; posteriorum vero sodales « ad normam Constitutionum plane pendent a proprio Superiore interno, quin tamen ipse in officia ab Ordinario loci commissa directe intervenire valeat, salva semper eorundem adimpletionis vigilantia » (pag. 11,[14] n. 15).

11. Differentia hinc evidens fit eaque non parvi ponderis inter ascriptionem qua Instituto coniunguntur sacerdotes incardinationem non retinentes et ascriptionem qua copulantur sacerdotes qui incardinationem retinent. Nonne differentia eiusmodi graviter officit uni eidemque formae seu rationi servandae muneribusque in Ecclesia rite explendis, quae saecularium Institutorum peculiaria sunt seu propria? Quaenam erit vis unius ascriptionis prae altera? Quaenam erit iuridica condicio priorum sacerdotum prae ceteris?

---

[12] Cf. p. 655.
[13] Cf. p. 656.
[14] Cf. p. 656.

12. Nullum autem est dubium, quin fidei pietatisque incrementum in dioecesibus fovendum cotidie magis reposcat sacros administros, sive hi retineant sive non retineant incardinationem, eorum Episcopis omnino obnoxios.

13. Quoniam denique universa cleri saecularis populique christiani disciplina ad tramitem can. 250 Codicis iuris canonici a Congregatione Concilii est moderanda, aequum esset sacerdotes ex saecularibus Institutis, qua eorundem Institutorum sodales, Congregationi de religiosis, qua vero dioecesano ministerio operam navantes, Congregationi Concilii subiici, pariter ac religionum sodales qui, in missionum territoriis commorantes, Congregationi de Propaganda Fide vel Congregationi religiosorum negotiis praepositae subduntur (can. 252, par. 5).

II

Rev.mi P. PAULI PHILIPPE O. P.

Secretarii S. Congregationis de Religiosis

De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.

I. *De studiis philosophicis.*

Pag. 4,[1] n. 3. Ut experientia comprobavi, non favet bonae formationi theologicae clericorum, quod studia philosophica usque ad licentiam vel lauream complent, antequam studia tehologica absolverint. Quapropter videtur addendum esse in calce n. 3:

Studentes autem clerici biennium philosophicum ad Licentiam docendi conferendam ne aggrediantur, antequam quadriennium theologicum absolverint.

II. *De studiis theologicis.*

Pag. 5,[2] n. 6. Forsan affirmandum esset formationem theologicam alumnorum eo spectare, ut intellectus fidei in eis augeatur et firmetur, ne ingentibus hodiernis problematibus obruantur neve erroribus multiplicibus decipiantur.

Item, dicendum esset, quod oportet ut alumni, non solum synthesim obiectivam S. Theologiae possideant, sed ut habitum mentis vere theologicum acquirant.

---

[1] Cf. pp. 816-817.

[2] Cf. p. 817.

Igitur in n. 6, lin. 12 haec addenda propono: « ... sed *etiam ut in auditoribus intellectum fidei augeat et firmet, atque ipsos* ad altiora studia specialisationis... », et in fine: « ... perspecta habeatur, *atque alumni habitum mentis vere theologicum acquirant* ».

De sacrorum alumnorum formandis.

III. *De curriculo philosophico.*

Pag. 5, n. 10. Opportunum videtur addere: Institutio alumnorum philosophica eo intendat ut bene perspiciant intimam connexionem inter philosophiae perennis principia et veritates a Deo revelatas.

INDEX

SESSIO TERTIA

Documenta Sessionis Tertiae

SESSIO QUARTA

Documenta Sessionis Quartae

Acta Sessionis Quartae